Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Digestorum seu Pandectarum libri quinquaginta.

https://hdl.handle.net/1874/433696

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:


- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

RARIORA

L. qu.
42







L. qu.
42

De Donatione Huberti à Bürtel -

N°. 124. f.

5. f. 1

L. 4° 42 Mariana

DIGESTORVM SEV PANDECTARVM LIBER TRICESIMVS SEPTIMVS.

DE BONORVM POSSESSIONIBVS. Tit. I.

I. VLPIANVS.

BOnorum possessione admissa, commoda & incommoda hæreditaria, itemq; dominium rerum, quæ in his bonis sunt, tribuitur. nam hæc omnia bonis sunt coniuncta.

II. IDEM.

IN omnibus enim uice hæredum bonorum possessores habentur.

III. IDEM.

BOna autem hic (ut plerunq; solemus dicere) ita accipienda sunt, uniuersitatis cuiusq; successionem, qua succeditur in ius defuncti, suscipiturq; eius rei commodum & incommodum. nam siue soluendo sunt bona, siue non sunt: siue damnum habent, siue lucrum: siue in corporibus sunt, siue in actionibus: hoc in loco proprie bona appellabuntur. Hæreditatis autem bonorumue possessio (ut Labeo scribit) non uti rerum possessio accipienda est. est enim iuris magis, cꝙ corporis possessio. deniq; & si nihil corporale sit in hæreditate: attamẽ recte eius bonorum possessionem agnitam Labeo ait. Bonorum igitur possessionem ita recte definiemus, ius persequendi retinendiq; patrimonij, siue rei, quæ cuiusq;, cum moritur, fuit. Inuito autem nemini bonorum possessio adquiritur. A municipibus, & societatibus, & decurijs, & corporibus bonorum possessio agnosci potest. proinde siue actor eorum nomine admittat, siue quis alius: recte competet bonorum possessio. sed & si nemo petat uel agnouerit bonorum possessionem nomine municipij: habebit municipium bonorum possessionem prætoris edicto. Dari autem bonorum possessio potest tam patrisfamilias, quàm filijfamilias: si modo ius testandi habuit de peculio castrensi, uel quasi castrensi. sed & eius, qui apud hostes decessit, bonorum possessionem admitti posse (quamuis in seruitute decedat) nulla dubitatio est. Adquirere quis bonorum possessionem potest, uel per semetipsum, uel per alium. quod si me nõ mãdante bonorũ possessio mihi petita sit: tunc competet, cum ratum habuero id, quod actum est. deniq; si ante decessero, cꝙ ratum habeam: nulla dubitatio est, quin

non competat mihi bonorũ possessio: quia neq; ego ratum habui, neq; hæres meus ratũ habere potest, cum ad eum non transeat ius bonorum possessionis. Si caussa cognita bonorum possessio detur: non alibi dabitur, quàm pro tribunali: quia neq; decretum de plano interponi, neq; caussa cognita bonorum possessio alibi, quàm pro tribunali, dari potest. In bonorum possessione sciendum est ius esse adeteſcendi. proinde si plures sint, quibus bonorũ possessio competat, quorum unus admiserit bonorum possessionem, cæteri non admiserunt:

IIII. CAIVS.

VEluti quod spreuerunt ius suũ, aut tempore bonorũ possessionis finito excluſi sunt, aut ante mortui sunt, q̃ petierint bonorum possessionẽ:

V. VLPIANVS.

EI, qui admisit, adcrescunt etiam hæ portiones, quæ cæteris competerent, si petissent bonorum possessionem.

VI. PAVLVS.

SEd cum patrono quidem contra tabulas certæ partis bonorum possessionem prætor polliceatur, scripto aũt hæredi secundum tabulas alterius partis: conuenit, non esse ius adcrescendi. igitur non petente scripto secundum tabulas: alterius quoq; partis & nominatim patrono possessionem pollicetur: cum cæteri, quibus adcrescendi ius est, semel debeant agnoscere bonorũ possessionem. Bonorũ possessionis beneficiũ multiplex est. nam quædam bonorũ possessiones competũt contra uoluntatem, quædam secundum uoluntatem defunctorũ: nec non ab intestato habentibus ius legitimum, uel non habentibus propter capitis deminutionem. quamuis enim iure ciuili deficiant liberi, qui propter capitis deminutionẽ desierint sui esse hæredes: propter æquitatem tamen rescindit eorum capitis deminutionẽ prætor. Legum quoq; tuendarum caussa dat bonorũ possessionem. Notis scriptæ tabulæ non continentur edicto: quia notas literas non esse, Pedius libro uicesimoquintõ ad edictum scripsit.

VII. VLPIANVS.

SEruus ad bonorũ possessionẽ recte admitti potest: si prætor de conditione eius certus sit. nam & absenti, & non petenti, dari bonorum possessio potest: si hoc ipsum prætor non ignoret. ergo & fœmina poterit alij bonorum possessionem petere. Impubes nec bonorum possessionem admittere, nec iudicium sine tutoris authoritate accipere potest: quia tutor pupillo, & pater infanti filio bonorum possessionem petere possunt. Dies, quibus tutor aut pater scit, cedere placet.

VIII. PAVLVS.

TVtor aũt bonorum possessionem pupillo competentem repudiare non

re non potest: quia tutori petere permissum est, non etiam repudiare.

IX. POMPONIVS.

SI plures gradus sint possessionis admittendæ: quàmdiu incertũ est, petierit, nec ne: posteriori diem non procedere constat.

X. PAVLVS.

IN bonorum possessionibus iuris ignorantia non prodest, quo minus dies cedat. & ideo hæredi instituto & ante apertas tabulas dies cedit. satis est enim scire mortuum esse, sęq; proximum cognatum fuisse, copiamq; eorum, quos consuleret, habuisse. scientiam enim non hãc accipimus, quæ iuris prudentibus sit: sed eã, quam quis aut per se habeat, aut cõsulendo prudentiores adsequi possit.

XI. CAIVS.

SI pupillo tutor bonorũ possessionem petierit, & plus incommodi, quàm cõmodi hæc bonorum possessio habeat: tutor tutelæ iudicio tenetur.

XII. VLPIANVS.

NOn est ambigendum, quin plerunq; & contra fiscum, & contra rempublicam admitti debeant quidam. utputa uenter. item furiosus. item is, qui captiui bonorum possessionem petit. Vbicunq; lex, uel senatusconsultum, uel constitutio capere hæreditatem prohibet, & bonorum possessio cessat.

XIII. AFRICANVS.

EDicto prætoris bonorum possessio his denegatur, qui rei capitalis damnati sunt, nec in integrum restituti sunt. Rei autem capitalis damnatus intelligitur is, cui pœna mors, aut aquæ & ignis interdictio sit. cum autem in relegatione quis erit: ad bonorum possessionem admittitur.

XIIII. PAPINIANVS.

CVm quidam propinquus falsum testamentum accusaret, ac post longum temporis spacium probasset: licet dies ei petendæ bonorum possessionis, quam forte certus accusationis petere debuit, cessisse uideatur: attamẽ quia hoc proposito accusationem instituit, ut ius suum sibi seruet: agnouisse successionem non immerito uidebitur.

XV. PAVLVS.

PAulus respondit. solam petitionem matris non adquisisse filiæ impuberi bonorum possessionem: nisi & is, qui eam dedit, euidenter uoluerit eam impuberi dari.

XVI. IDEM.

QVoties is, cui bonorum possessio ab altero postulata est, furere cœperit: magis probatur, ratum eum uideri habuisse. rati enim habitio ad confirmationem prioris postulationis pertinet.

SI TABVLAE TESTAMENTI EXSTA-bunt. Tit. II.

I. PAVLVS.

HAeredi,cuius nomen inconsultò ita deletum est,ut penitus legi non possit: dari bonorum possessio minime potest:quia ex coniectura non pprie scriptus uidetur:quamuis,si post prolatas tabulas deletum sit testamentum,bonorum possessio competat. nam & si mortis tempore tabulæ fuerint: licet postea interierint,competet bonorũ possessio: quia uerum fuit tabulas exstare.

DE BONORVM POSSESSIONE FVRIOso,infanti,muto,surdo,cæco competenti. Tit. III.

I. PAPINIANVS.

FVrioso Titius substitutus est. bonorum possessionis tempus,quàmdiu furiosus in eadem conditione est, neq; instituto,neq; substituto cedit. nec si curator furiosi nomine accipere possessionem potest:idcirco spacium temporis,quod scientibus præfinitũ est, uidebitur cedere. nam & pater infanti filio possessionem accipit: quo tamen cessante, infans non excluditur. quid ergo,si curator accipere nolit? non ne iustius atq; utilius erit, ad eundem modum proximo cuiq; bonorum possessionem dari,ne bona iaceant? quo admisso,substitutus cautionem præstare cogitur omnibus his,quibus bona restitui debent: si forte institutus in eodem furore decesserit, aut compos mentis effectus ante mortem obierit,quàm hæreditatem agnosceret. nam & fieri potest, ut uiuo furioso substitutus decedat:nec tamen furiosus obstet cæteris, si prius & ipse decesserit, quàm hæreditatem adquireret.

II. VLPIANVS.

MVtus,surdus, cæcus bonorum possessionẽ admittere possunt: si,quod agatur,intelligant.

DE BONORVM POSSESSIONE CONtra tabulas. Tit. IIII.

Vlpia-

I. VLPIANVS.

IN contra tabulas bonorum possessione liberos accipere debemus, siue naturales, siue adoptiuos: si neq; instituti, neq; exhæredati sunt. Vocantur autem ad contra tabulas bonorum possessionem liberi eo iure, eoq; ordine, quo uocantur ad successionẽ ex iure ciuili. Hæc autem clausula etiã ad postumos uidetur pertinere. sed & si ab hostibus postliminio redierint filij, Pomponius putat, ad contra tabulas bonorũ possessionem eos admitti. Si ex tribus filijs unus ab hostibus captus sit: duobus, qui sunt in ciuitate, bessis bonorũ possessio competit. Idem est in postumo. nam quàmdiu postumus speratur: in ea caussa est; ut partem faciat. Et sui iuris factos liberos in bonorũ possessionem prætor inducit. siue igitur emancipati sunt, siue aliàs exierunt de patris potestate: admittuntur ad bonorum possessionem. sed ad adoptiui patris non possunt. ut eñ quis admitti possit, ex liberis eum esse oportet. Qui habebat filiũ, habebat & nepotem ex eo: filiũ emancipauit, & adoptauit in locum nepotis, deinde emancipauit. quæritur, an nepoti obstet? & mihi magis uidetur, hunc nepotem non excludi: siue pater eius in adoptione mansisset quasi nepos, siue emancipatus esset. puto enim & emancipato patre nepotẽ quoq; cum patre suo ex edicto admitti. Quidam filium habuit, & ex eo nepotẽ. filius emancipatus, uel in potestate manens, deportatus est. quæritur, an nepoti noceat? & uerius est, in utroq; casu nepotem admittendum. deportatos enim mortuorũ loco habendos. Et si pater & filius deportati sunt, & ambo restituti: dicemus ad bonorum possessionem admitti filium. sed & si filius in metallum damnatus, uel alia pœna, quæ seruum efficit, & restitutus sit: nihilominus admittetur.

II. HERMOGENIANVS.

IDemq; est, & si pater pœnæ seruus efficiatur, & postea restituatur.

III. VLPIANVS.

NOn tantum autem ipsi emancipati admittuntur ad bonorum possessionem, uerum etiam hi quoq;, qui ex his nati sunt. Si duos habens nepotes, alterum emancipatum loco filij adoptauerit: uidendum, an solus ille quasi filius admittatur. quod ita scilicet procedit, si quasi patrem eius nepotis, quem retinuerat, sic adoptauerit. melius est autem dicere, posse eum solum ad possessionem bonorum peruenire. Sed si sit hic nepos emancipatus: uerum est dicere, non admitti eum quasi filium. hic enim quasi filius non est ex liberis: cum iura adoptionis emancipatione finita sint. Si filium habens, & ex eo nepotem, in locum filij nepotem adoptauero: ambo admit-

a iij ten-

tentur. planè si fuerit emancipatus nepos, non admittentur: quia pater eum præcedit. Si quis post emancipationem quæsitum sibi filium, patri suo in adoptionem dederit in locum filij: æquissimum est ei præstari, quod cuiuis adrogato filio. idcirco & patri suo adiungendus est. sed & si emancipatus hic nepos post adoptionem proponatur: æquissimum erit eum abstinere. recipit enim locum suum, nec debet patri suo iungi. Si emancipatus filius, uxore non ex uoluntate patris ducta, filium fuerit sortitus, deinde nepos patre iam mortuo ad bonorum possessionem aui uelit uenire: admittendus est ad eam. non enim per rescissionem is, qui filius iustus est, efficietur non filius; cum rescissio quo magis, non quo minus adhibeatur. nam & si eam ignominiosam duxerit uxorem filius, ut dedecori sit tam ipsi, quam patri; mulierem talem habere: dicemus & ex ea natum ad bonorum possessionē aui admitti: cum possit auus iure suo uti, eumq; exhæredare. nec enim minus in hoc nepote is, qui de inofficioso cognituras est, merita nepotis, quàm patris eius delicta perpendet. Si emancipatus filius præteritus ante petitam bonorum possessionem adrogandum se dederit: amittit contra tabulas bonorū possessionem. Si quis filio suo emancipato nepotē, quē ex eo retinuerat, dederit in adoptionem: nepos iste ad contra tabulas bonorum possessionē aui sui admittitur, patre eius ante defuncto: quia in eius est familia, qui & ipse admitti potuit ad bonorum possessionem contra tabulas. Idemq; est, & si emancipatus filium, quem post emancipationem quæsierat, patri suo in adoptionem dederit, & decesserit. nam & hic nepos iste ad bonorū possessionem patris sui admitti debet, quasi non sit in aliena familia. Si pater alicuius peruenerit in adoptiuam familiam, filius non: an patris sui in adoptiua familia mortui bonorum possessionem accipere possit? & arbitror humaniorem esse hanc sententiam, ut filius hic (quamuis non sit in eadem familia, qua pater) ad bonorum possessionem tamen eius admittatur. Liberi, qui instituti hæredes iure nō possunt, nec cōtra tabulas bonorum possessionem petere possunt. hæc autem uerba, INSTITVI NON POSSVNT, ad mortis tempus referūtur. Si quis ex liberis hæres scriptus sit, ad contra tabulas bonorum possessionem uocari nō debet. cum enim possit secundum tabulas habere possessionem: quod bonum est ei contra tabulas dari? Planè si alius committat edictum: & ipse ad contra tabulas bonorum possessionem admittetur. Sed si sub conditione scriptus sit: bonorum possessionem contra tabulas accipere non potest. & ita Iulianus quoq; libro uicesimotertio digestorū scripsit. quid ergo si defecerit conditio? uerū est eum contra tabulas accipere bonorum possessionem. Si sub ea conditione filius emancipatus

patus hæres sit institutus, quæ in ipsius potestate non est: quia scriptus hæres est, bonorum possessionem secundum tabulas accipere potest & debet, nec contra tabulas potest. & si forte defecerit conditio: tuendus erit à prætore in tantum, quantum fieret, si contra tabulas bonorũ possessionem accepisset. Sed & si nepos sub huiusmodi conditione scriptus sit hæres: idem erit dicendũ. Si quis ex liberis non sit scriptus hæres, sed seruus eius scriptus sit, eumq; iusserit adire hæreditatem: denegari debet ei bonorum possessio contra tabulas. idemq; est, & si legatum relictum sibi, uel seruo suo elegerit. nam & hic dicimus bonorum possessionem contra tabulas debere denegari.

IIII PAVLVS.

ILlud notandum est, quod bonorum possessio contra tabulas, quæ liberis promittitur, locum habet: siue quis hæres exstiterit, siue nõ. & hoc est, quod dicimus, contra ipsum testamentum liberis competere bonorum possessionem, quod in patrono contra est. Si quis filium, quem in potestate habuit, instituerit hæredẽ, uel exhæredauerit, & ex eo nepotem omiserit: bonorum possessioni locus nõ est: quia nõ erat nepos suus hæres futurus. eadem sunt & in sequẽtibus gradibus.

Ad testamenta fœminarum edictum contra tabulas bonorum possessionis non pertinet: quia suos hæredes non habent. Si quis eum, qui in utero est, prætermiserit: etiam nondum nato eo alius, qui hæres institutus est, bonorũ possessionem contra tabulas admittere potest: quia iniquum est, neq; quasi scriptum posse petere bonorum possessionem, quàmdiu contra tabulas peti potest: nec contra tabulas, quàm diu non nascitur præteritus, ut & si ante moriatur, bonorum possessionis beneficium ad hæredem transmittat. quod maxime necessarium est in filio emancipato scripto hærede: quia nec hæreditatem interim adire potest.

V. IVLIANVS.

SEd & si decesserit ante, quàm peteret bonorum possessionẽ: non est iniquũ, prætorem decernere, hæredibus eorum saluum fore cõmodum bonorum possessionis secundum tabulas, uel contra tabulas.

VI. PAVLVS.

SI emancipatus filius nepotem procreauerit, & ita decesserit, deinde auus eius: nepos ad aui possessionem bonorum uenire potest. Quod si filium & nepotem emancipauerit: uiuente quidem filio, nepos non ueniet: post mortem autem eius ad bonorum possessionem aui ueniet. nepote quoq; solo emancipato, & auo mortuo, deinde patre eius: nepos præteritus accipiet patris bonorum possessionem: quia suus hæres patri futurus esset, & si de potestate aui nõ exisset. Filio

eman

emancipato si nepos retentus sit,& utriq; præteriti:utriq; accipient bonorum possessionem. Si filius emancipatus in adoptiua familia nepotem sustulerit:ne nepos quidem ad bonorũ possessionem aui naturalis ueniet.sed & si emancipatus filius procreatis nepotibus in adoptionem se dederit,ut eũ filij sequantur:idem erit. Planè si is,qui apud adoptiuum auum procreatus est,emancipatus sit:ueniet ad bonorum possessionem aui naturalis.adoptio enim tamdiu nocet,quàmdiu quis in aliena familia est. cæterum emancipatus ad bonorũ possessionem parentum naturalium uenit:sed emancipatus uiuis eis,non etiam post mortem. hoc enim uerius est,post mortem eorũ emancipatũ non admitti.

VII. CAIVS.

SI retentus fuerit in potestate nepos,filio emãcipato:admittitur nepos uiuo auo ad patris bonorum possessionem.

VIII. VLPIANVS.

NOn putauit prætor exhæredatione notatos & remotos, ad contra tabulas bonorum possessionem admittendos:sicut nec iure ciuili testamenta parentum turbant. sanè si uelint inofficiosi querelã instituere:in ipsorum est arbitrio. Aliqua tabularum parte exhæredem scribi non sufficit: sed eo gradu, contra quem petitur bonorum possessio.unde si à primo gradu exhæredatus sit filius, à secundo præteritus,& primo gradu scripti non petierint bonorum possessionem: poterit contra tabulas accipere bonorum possessionem. Non quæuis exhæredatio submouet filium à contra tabulas bonorũ possessione, sed quæ rite facta est. Si ab uno ex hæredibus sit filius exhæredatus: Marcellus libro nono digestorum scribit, filium non uideri exhæredatum.idcirco contra tabulas bonorum possessionem peti posse contra utrunq; hæredem. Si exhæredatus sit filius & institutus,obtinente eo gradu, in quo institutus est: puto,cõmisso edicto ab alio filio, contra tabulas eũ bonorum possessionem petere posse. A primo gradu præteritus est filius,à secundo exhæredatus.si primo gradu scripti non sint in rebus humanis mortis testatoris tempore: dicendũ est contra tabulas bonorum possessionem præteritum petere non posse. hæreditas enim in secundo gradu uersatur,non in primo: ex quo neq; adiri hæreditas,neq; bonorum possessio peti potest. Sed si post mortem testatoris decesserint hæredes scripti:idem Marcellus putat, contra tabulas bonorum possessionem semel natam competere. Sed & si defecerit conditio institutionis:adhuc tantundem dicit, præteritũ ab eo gradu filium cõtra tabulas bonorum possessionem petiturum.

Idem scribit,& si postumus,qui institutus fuit,non fuerit natus. nã adhuc contra tabulas bonorum possessionem competere filio, Marcellus

cellus ait. Si quis sua manu exhæredem se scripserit: an contra tabulas bonorum possessionem possit accipere, uideamus. & Marcellus libro nono digestorum nocere ei hanc exhæredationem ait: quia senatus hoc pro non scripto non facit, quod *contra eum est. Si quis emancipatum filium exhæredauerit, eumq; postea adrogauerit: Papinianus libro secundo quæstionum ait, iura naturalia in eo prævalere, idcirco exhæredationem nocere. sed in extraneo adoptato Marcelli sententiã probat, ut exhæredatio ei adrogato postea nõ noceat. postliminio autem reuerso filio, dicendum est exhæredationem antea factã nocere. Si filium in adoptiua familia constitutum pater naturalis exhæredauerit, deinde sit filius emancipatus: nocebit ei exhæredatio. In adoptionem datos filios non submoueri uoluit prætor: si modo hæredes instituti sint. & hoc iustissime eũ fecisse, Labeo ait. nec enim in totum extranei sunt. ergo si fuerint hæredes scripti: accipient quidẽ cõtra tabulas bonorũ possessionem: sed ipsi soli non committent edictum: nisi fuerit alius præteritus ex liberis, qui solent committere edictum. sed si ipse scriptus non sit, sed alius, qui adquirere hæreditatẽ potest: non est in ea caussa, ut eum ad bonorum possessionem contra tabulas admittamus. Vt autem admittantur ad bonorum possessionem: ex liberis eos esse oportet. cæterum si adoptiuum filium dedi in adoptionem, & hæredem scripsi: commisso per alios edicto, bonorum possessio contra tabulas ei non dabitur. Datur autem ei, qui in adoptiua familia est, contra tabulas bonorum possessio: si eo gradu hæres scriptus sit, contra quem peti potest bonorum possessio. Non est nouum, ut emancipatus præteritus plus iuris scriptis hæredibus fratribus suis tribuat, quàm habituri essent, si soli fuissent. Quippe si filius, qui in potestate patris est, ex duodecima parte hæres scribatur, emancipato præterito, dimidiam partem beneficio emãcipati occupat: qui, si emancipatum fratrem non haberet, duodecimam partem habiturus esset. nam & si ex parte minima sit hæres institutus: non pro ea parte, qua institutus est, tuendus est, cõmisso edicto: sed amplius per bonorum possessionem habere potest. prætoris enim propositum est, cum contra tabulas bonorum possessionem dat, eas partes unicuiq; liberorum tribuere, quas intestato patre mortuo in hæreditate habiturus esset, si in potestate mansisset. & ideo siue emancipatus, siue is, qui in potestate mansit, siue in adoptionẽ datus, ex minima parte hæres scriptus sit: non redigitur ad eam portionem, ex qua institutus est, sed uirilem accipit.

*aliàs. cõ tractum.

IX. CAIVS.

VTrum autem pater adoptiuus uiuat, an defunctus sit: nihil inter-

est.nam hoc solum quæritur,an in adoptiua familia sit.

X. VLPIANVS.

SI post mortem testatoris hæres institutus filius, in adoptionem se dederit:bonorum possessionem cõtra tabulas accipere potest:quia scriptis hæredibus institutis non solet nocere adoptio. Sed & si filius in adoptionem datus auo materno, hæres institutus sit à patre naturali:commisso per alium edicto, magis est,ut bonorum possessionem accipere possit.nec enim exigimus,ut adeat hæreditatem: sed sufficit, ut ei delata sit,adquiricq; possit. Si in adoptionẽ datus postea,quàm iussu patris adoptiui hæreditatẽ adijt,emancipatus fuerit: potest contra tabulas bonorum possessionem accipere, hæreditatemq; ipse potius habebit,quàm pater adoptiuus. Illud notandum est,quod & si adierit hæreditatem in adoptionem datus, contra tabulas ei detur.aliàs autem,si quis legatum,siue portionem sibi datam agnouerit: à contra tabulas bonorum possessione repellendus est. Liberi,qui contra tabulas habere nõ possunt,nec partem faciunt,si per alios committatur edictum.quod enim bonum est eis fauere, ut partem faciant, nihil habituri? Exhæredati liberi quemadmodum edictum non committũt, ita nec commisso per alios edicto,cum illis ueniunt ad bonorum possessionem:unaq; eis querela supereſt, si de inofficioso dicant. Hi, qui propter alios contra tabulas bonorum possessionem petunt, non exspectant,ut præteriti bonorum possessionem accipiant: uerum ipsi quoq; bonorum possessionem contra tabulas petere possunt. cũ enim semel beneficio aliorum ad id beneficiũ fuerint admissi: iam non curant,petant illi,nec ne bonorum possessionem.

XI. PAVLVS.

SI in adoptionem datus sub conditione scriptus sit hæres à naturali patre:alio committente contra tabulas edictum, & ipse ueniet.sed si defecerit cõditio:repellitur ab ea possessione. idem puto & in eo,qui pure quidem,licet non iure,scriptus sit hæres. Exemplo iuris legitimi & bonorum possessio contra tabulas distribuitur.igitur nepotes ex uno filio unam partem habebunt.

XII. IDEM.

SI duobus filijs & ex altero filio duobus nepotibus possessio bonorũ competat, & alter ex nepotibus nõ petat: pars eius fratri adcrescit. Si uero ex filijs alter non petat:tam fratri,quàm nepotibus id prodest. nanq; tunc duo semisses fiunt,ex quibus alterum filius, alterum nepotes consequuntur. Si prius testamentum exstet iure factum,quo filius exhæredatus est: sequens imperfectum, in quo præteritus sit filius: posteriore testamento præteritus recte petet bonorum possessionem.

Si re-

Si remoto quoq; filio potiores sint in ea hæreditate posteriore testamento scripti hæredes: ita ius habet, ut cum is, contra quem filius petat bonorum possessionem, amoto filio possit obtinere hæreditatem: filius quoq; recte uideatur petere bonorum possessionẽ. si uero ille non possit obtinere hæreditatem: filius quoq; excludatur.

XIII. IVLIANVS.

CVm emancipatus bonorum possessionem contra tabulas accipit: scriptus hæres ei hæreditatem petenti, cogendus est & prædia & seruos hæreditarios præstare. omne enim ius, quod per causſam hæreditariam scriptus hæres nanciscitur, ad eum transferri æquum est, quem præter hæredis loco constituit. Qui duos filios, & ex altero eorũ nepotem habebat, eum in adoptionem dedit, & hæredem instituit præterito altero filio. quæritur, quid in his seruari debeat? utrum in partem patris sui admittatur, an uirilem portionem habeat? respondi. in adoptionẽ datus nepos & hæres scriptus, quamdiu pater eius aut in potestate, aut emancipatus est, non potest contra tabulas bonorum possessionem accipere. sed & si pater eius ante, quàm bonorũ possessionem acciperet, decesserit: non admittitur nepos ad bonorum possessionem. Si pater, emancipato filio præterito, hæredes duos scripserit: filium, quem in potestate habebat, & alterum, quem in adoptione dederat, ex quo duos nepotes in familia reliquerat, qui & ipsi testamento præteriti sint: bonorum possessionem pro parte tertia is, qui emancipatus est: pro parte tertia is, qui in potestate remansit: pro parte tertia, qui in adoptionem datus est, & filij eius simul habebunt: ita ut sextans patri, sextans nepotibus cedat. Si pater ex duobus filijs alterum habentem filios emancipauerit, & unum ex nepotibus, quem ante emancipauerat, in locum filij adoptauerit, præterito deinde emancipato decesserit: æquius erit, nepoti, qui in locũ filij uenerit, succurri, & in tres partes hæreditatem deduci: ut unam habeat, qui in potestate remanserit, alteram nepos adoptatus in locum filij, tertiã emancipatus cũ filio suo, qui nepotis loco fuerit. sed & si mortuo filio alter ex nepotibus in locũ filij adoptatus fuerit, tres partes in bonis fient: cũ sit æquius eum, qui in locum filij adoptatus est, non minus habere, quàm si nõ ex numero nepotum, sed extraneus adoptatus esset.

XIIII. AFRICANVS.

EX duobus filijs emancipatis alter hæres institutus est, alter præteritus. si institutus adierit: quamuis uerbis edicti parum expressum sit, tamen non posse eum petere bonorum possessionem respondit: quia iudiciũ patris secutus sit. nec eñ emancipatum, si legatum acceperit, admitti ad bonorum possessionem: siue ab hæredibus institutis,

siue ab his, qui contra tabulas petierint, acceperit. sed illud obseruandum ait, ut prætor eum, qui hæres institutus adierit: in eam partem, qua scriptus sit, tueri debeat: dum tamen non ampliorem, quàm habiturus esset, si bonorum possessionem accepisset: ut hactenus deteriorem causam suam fecerit. quod si ex minore parte sit institutus: eam duntaxat retinere possit, & quod extraneis quoq; legata præstare cogatur. quod si is, qui in potestate est, hæres institutus sit: quoniã necessarius hæres sit, nõ aliud dici posse, quàm & ipsum petere posse bonorum possessionem: si modo hæreditati se non immiscuerit. tunc enim quia iudicium patris comprobasse uideatur, eodem loco, quo emancipatum, haberi debere. Filius in adoptiua familia uxore ducta filium sustulit, eumq; post mortem patris adoptiui emancipauit. hunc nepotem contra tabulas aui naturalis decreto posse petere bonorum possessionẽ respondit. Item si filius emancipatus sublato filio & emancipato adrogandum se dederit, & mortuo adoptiuo patre decesserit: & cõtra patris, & contra aui tabulas ex decreto hunc admitti, minime dubitari debere: ne alioquin ab omnibus bonis excludatur.

XV. MARTIANVS.

SI præteritus filius emancipatus exceptionem doli mali agenti hæredi patris opposuerit de eo, quod patri debuit: non posse eum contra tabulas bonorum possessionem petere existimo. nam hoc ipso quasi repudiauit bonorum possessionem. quod ita intelligendũ est, si hæredem petentẽ debitum noluerit filius repellere illa exceptione, SI NON CONTRA TABVLAS BONORVM POSSESSIO FILIO DARI POTVIT, sed magis doli exceptione usus est.

XVI. POMPONIVS.

SI emancipatus filius nepoti in potestate aui relicto ab extraneo hærede fideicommissariam hæreditatem, si liberatus aui potestate fuisset, reliquisset: si suspectus auus sit, quasi consumpturus bona nepotis, non esse ei dandam bonorum possessionem.

XVII. VLPIANVS.

SI pater se dederit in adoptionem, nec sequatur eum filius, emancipatus ab eo antea factus: quia in alia familia sit pater, in alia filius: bonorum possessionem contra tabulas non potest filius eius habere. & ita Iulianus scripsit. Marcellus autem ait, iniquum sibi uideri, excludi eos à bonorum possessione, cum pater se dederit in adoptionem. ubi enim non datur filius in adoptionem, sed pater se dat: nullum patrem filio adsignat. quæ sententia non est sine ratione.

XVIII. HERMOGENIANVS.

SVb conditione exhæredatus contra tabulas bonorũ possessionem petet

petet: licet sub conditione hæres institutus à contra tabulas bonorum possessione excludat̃. certo enim iudicio liberi à parentum successione remouendi sunt. Ei, qui contra tabulas bonorum possessionem acceperit: tam legati, quàm fideicommissi exactio, sed & mortis caussa donationis retentio denegatur. nec interest, per semetipsum, an per alium quæratur.

XIX. TRIPHONINVS.

QVod uulgo dicitur, liberis datam bonorum possessionem contra legem esse, sic intelligendum est: ut sufficiat exstitisse tabulas mortis patris tempore, ex quibus uel adiri hæreditas, uel secundũ eas bonorum possessio peti possit: quamuis neutrum eorum postea secutum sit, uel æqui potuerit. nam si uel omnes instituti substitutiq; ante testatorẽ decesserint, uel is scriptꝰ hæres fuerit, cũ quo testamẽti factio nõ fuit, peti contra tabulas possessionẽ inane est, quæ sine effectu foret.

XX. IDEM.

FIlium, quem in potestate habebat, exhæredauit. emancipatũ præterijt. quæsitum est, quatẽnus emancipatus bonorũ possessionem habiturus sit? Dixi. si scripti hæredes extranei adierint hæreditatem: repellendum esse filium, qui mansit in potestate. Quod si hi repudiauerint hæreditatẽ: quod facile sunt facturi, nihil laturi ex hæreditate propter eum, qui contra tabulas accepit bonorum possessionem: filius ab intestato patri suus hæres deprehenditur. emancipatus autem petens contra tabulas bonorũ possessionẽ, solus bonorũ possessionem habebit. Sed cũ exhæredatio non adita hæreditate ex testamento nullius sit momenti: ideoq; non obstare eam, nec quo minus contra tabulas patris accipiat bonorũ possessionem, Iulianus recte responderit, ne testamentum per omnia irritũ ad notam exhæredationis solã profecisse uideatur: redit res ad intestati exitum, ut aduersum filium ex asse hæredem ab intestato patre emancipatum prætor in partem dimidiam tueatur. Erit ergo uenale beneficium scripti hæredis extranei: ut cum ipse iure hæreditatis nihil sit consecuturus, adeundo repellat filium in potestate relictum, præstetq; assem emancipato filio iure contra tabulas bonorum possessionis. Si aũt omiserit hæreditatem: in portionem bonorum exhæredatũ effectum admittet iure factum suũ solum hæredẽ. Sed quemadmodũ prætor emancipatũ tuetur, si adita non fuerit hæreditas: ita nec filiꝰ, qui in potestate remãsit, aditione adhibita in totũ expellendus erit: sed ad hæreditatis petitionem admittẽdus est ex caussa inofficiosi querelæ contra emancipatum mouendæ. Videamus tamen isto casu, quo utriq; ad bona patris ueniunt, an hi conferre debeant. emãcipatus nanq; nec ex hac parte edicti uerbis id facere cogitur,

unde cõtra tabulas accepit bonorum possessionem,quæ inter eos,quibus ita bonorum possessio dabitur,caueri de collatione ab emancipato iubet.iste enim,qui mansit in potestate,quod exhæredatus nominatim fuit,non est uocatus ad bonorum possessionem contra tabulas.neque ex illa parte edicti,qua patre intestato mortuo emancipatus ad bonorum possessionem admissus,ad collationem compellitur: quia & si frater ab intestato hæres sit emancipatus,tamen non inde accipit bonorum possessionem.& uereor,ne hactenus filio suo profuerit factũ hæredis scripti non adeuntis: ut eum ad portionem admitteret bonorũ paternorum,non etiam eorum,quæ emancipatus propria habuit. Et hoc sit consequens illi,quod cũ ex minore parte scriptus à patre hæres,relictus in potestate,admisso fratre emancipato ad contra tabulas bonorum possessionem,eius beneficio plus consequatur:quamuis edicti uerbis collatio inducatur,ex mente prætoris denegandam responsetur. multo magis autem ei non oportet conferri,qui à patre exhæredatus, à prætore ad bonorum possessionẽ contra tabulas non uocatur: occasione omissæ hæreditatis à scripto hærede nihil habituro,propter delatam emancipato à prætore contra tabulas bonorum possessionem,nomen sui hæredis adeptus. Legata tamen ex parte sua iste emancipatus liberis & parentibus præstare cogetur:non solida,sed deminuta in dimidium,quod relinquitur manenti in potestate.sed nec aduersus eũ cõstituendæ actionis legatorum ratio est:quia mero iure intestato hæres exstitit. Sed qui accepit contra tabulas bonorum possessionem: etiã si non fuerit adita hæreditas à scripto: præstat legata ea parte testamenti data,contra quam bonorum possessio accepta est.erit ergo melior hoc casu conditio in familia relicti filij, quàm foret, si exhæredatus non esset.

XXI. MODESTINVS.

SI is,qui filium,& ex eo nepotem in potestatem habebat,filiũ in adoptionem dedit,nepote retento in potestate: postea filius emancipatus à patre adoptiuo decessit extraneis hæredibus institutis:filius huius módi,qui in potestate aui remansit,contra tabulas patris sui bonorum possessionẽ petere poterit,quamuis nũquam in potestate huius fuerit. ideo nec debuisse in potestate esse uidetur.nam si aliter obseruatur:nec si emancipatus filius fuerit,nepos ex eo,qui in potestate aui remansit, bonorũ possessionem contra tabulas petere poterit. Idemq; iuris est, si emancipato filio nepos ex eo in potestate aui remansit,& postea patri suo in adoptionem datus fuerit:id est contra tabulas aui bonorum possessionem aui petere poterit,quia per adoptionem in aliena familia nõ fuerit. Sed si emancipatus filius meus adoptauerit extraneum filium:

is qui

is,qui adoptatus est filius,contra tabulas meas bonorum possessionem petere non poterit:quia nunquam nepotis loco apud me fuit.

DE LEGATIS PRAESTANDIS CONTRA tabulas bonorum possessione petita. Tit. V.

I. VLPIANVS.

HIc titulus æquitatem quandam habet naturalẽ, & ad aliquid nouam:ut qui iudicium patris rescindunt per contra tabulas bonorum possessionẽ,ex iudicio eius quibusdam personis legata & fideicommissa præstarent:hoc est liberis,& parentibus,uxori,nutriq; dotis nomine legatum, Generaliter autẽ parentes & liberos prætor excepit, nec gradus liberorum parentumue enumerauit.in infinitum igitur eis præstabitur.Sed nec personas secutus est, utrum ex uirili sexu, an fœmineo descendant.quisquis igitur ex liberis parentibusq; fuerit: ad legati petitionem admittetur:sed ita demum,si iura cognationis sint inter eos.

Liberos autem etiam eos ad legatorum petitionem admittimus, qui in adoptionem dati sunt,uel etiam adoptiui: dummodo remaneant liberi. Postumis liberis legata relicta utiq; præstabuntur.

II. IVLIANVS.

ET ideo si prægnante uxore filius emancipatus fuerit, & bonorum possessionẽ contra tabulas acceperit,legatũ nepoti præstare debebit.

III. IVLIANVS.

SEd & si mortis caussa donationes sunt collatæ:credo,tuendæ sunt.si autem excepti non sunt:auferendas eis puto mortis caussa donationes. Liberis autem tantum,& parentibus prætor prospexit: nõ etiã fratri & sorori conseruauit legatum. Hoc autem solum debetur, quod ipsis parentibus relictum est,& liberis.cæterum si seruo eorum fuerit adscriptum,uel subiectæ eorum iuri personæ:non debetur.nec eñ quærimus,cui adquiratur,sed cui honor habitus sit. sed & si coniunctim ei fuerit legatum relictum cum eo,cui non præstatur: sua tantum portio ei conseruabitur. Item si quis ex his personis rogatus sit restituere extero,quod sibi relictum est:dicendum,non esse legatum præstandũ: quia emolumentum ad eum non respicit. Sed si proponas extero legatum,rogatumq; eum præstare hoc alicui ex liberis parentibusq;:cõsequenter dicemus, præstari debere. Hoc amplius,& si extraneo relictum sit sub hoc modo, ut alicui ex liberis præstet:æquissimum erit dicere,non debere ei prætorem denegare actionem. Ea autem legata sola præstant, qui cõtra tabulas bonorum possessionem accipiunt,

quæ

quæ utiliter data sunt: uerum idcirco non debentur, quod filius eōntra tabulas bonorum possessionem accipit.

IIII. IVLIANVS.

CVm propter hoc legatum plerunq; scripti hæredes omittant hæreditatem, cum scirent emancipatum aut petisse, aut petiturum contra tabulas bonorū possessionem.

V. VLPIANVS.

FIlium quis impuberem hæredem scripsit, eiq; substituit, emancipatum autem filium præterijt. deinde uterq; filius acceperunt bonorum possessionem. legata sunt etiam à substituto impuberis relicta, non tantum liberis & parentibus, uerum etiam extraneis quæritur, an mortuo impubere cogatur substitutus ea præstare: & si quidem ab impubere relicta sunt: solis liberis parentibusq; præstanda sunt. sin uero à substituto impuberis: omnibus eum præstare oportet, habita ratione legis Falcidiæ: scilicet ut partis dimidiæ, quæ ad eū ex bonis patris peruenit, quartam, id est totius assis sescunciam retineat. Si impubes ex uncia duntaxat institutus hæres fuerit: magis est, semissem usq; legata præstaturum, habita ratione legis Falcidiæ. licet enim ex uncia fuerit hæres impubes institutus: tamen quod accessit, augebit legata à substituto relicta. Omnibus autem liberis præstari legata prætor uoluit, exceptis his liberis, quibus bonorum possessionem prætor dedit ex caussis supra scriptis. nam si dedit bonorum possessionem: non putat legatorum eos persecutionem habere. Constituere igitur apud se debet, utrum contra tabulas bonorum possessionem petat, an uero legatum persequatur. si elegerit contra tabulas: non habebit legatum. si legatum elegerit: eo iure utimur, ne petat bonorū possessionem contra tabulas. Si quis contra tabulas bonorum possessionem acceperit, deinde postea apparuerit eum ex his liberis non fuisse, qui eam bonorum possessionem accipere possint, ex his tamē esse, quibus legata præstentur: obtinuit, non esse ei denegandam petitionem legatorum: siue ordinariā bonorum possessionem petierit, siue Carbonianam. Non solum autem legatum denegatur ei, qui bonorum possessionem accepit: uerum etiam si quid aliud ex uoluntate acceperit. Cui consequens est, quod Iulianus scripsit: si fratri suo impuberi substitutus sit, acceperitq; contra tabulas bonorum possessionem: denegari ei persecutionē hæreditatis fratris sui impuberis mortui, cui à patre substitutus est. Si legata fuerint relicta liberis & extraneis: licet utrorunq; præstatio Falcidiæ locum faceret, legataq; liberorū reciderent: nunc tamen ob hoc, quod extraneis non præstantur, legata liberorum augentur. Sed si portio hæreditatis fuerit adscripta ei, qui ex liberis parentibusue est:

an ei

an ei conseruanda sit, ut solent legata? & Iulianus sæpissime scripsit, in portione quoq; hæreditatis idem, quod in legato, probandum. cuius sententia rescripto diui Pij comprobata est: cum hæreditates non modo honesto titulo, sed & pleniore* onere tribuantur. Ad eum autē modum talibus personis succurrendum est, ut ampliore quidem, quàm uirili portione hæreditatis data, usq; ad uirilem tueātur: in minorem autem eatenus actiones his tribuantur, quatenus scriptæ sunt. Idem obseruatur & circa legata & fideicommissa, quæ his data fuerint, & in mortis caussa donationibus. Is autem, cui portio hæreditatis conseruatur, utrum omnibus, an tantum exceptis personis legata cogatur præstare? & magis probatur, exceptis personis solis præstanda: nec tamē solius commodo id cedit. Nam si legatis onerata sit portio tam liberorum, parentumue, quàm extraneorum: id, quod extraneis non præstatur, liberis parentibusq; profuturum, non dubitamus. Igitur ita demum, quod extraneis non præstatur, communicatur cum eo, qui contra tabulas petit: si non legatarijs liberis parentibusq; dandum sit.

aliàs honore.

VI. IVLIANVS.

SAluius Aristo Iuliano suo salutem. Qui filiū emancipatū habebat, præterito eo patrē suum & extraneum hæredē instituit, & patri legatū dedit. filius contra tabulas bonorū possessionem petit. quæro, si aut uterq; hæreditatē adisset, aut alter ex his, aut neuter: an, & quantū legatorum nomine patri debeatur? respondi. sæpe animaduerti hanc partē edicti, qua emancipatus, accepta cōtra tabulas bonorum possessione, liberis & parentibus legata præstare iubetur, habere nonnullas repræhensiones. nam si dodrās legatus fuerit: plus habiturus est is, cui legatum erit, q̄ emancipatus. decreto itaq; ista temperari debebunt, ut & hæreditatis partē emancipatus præstet ita, ne scriptus hæres amplius habeat, quàm emancipatus: & legatorum modus temperetur, ut nihil plus ex legatis ad aliquem perueniat, quàm apud emancipatum bonorum possessionis nomine remansurum sit.

VII. TRIPHONINVS.

NAm secundum cōstitutionem diui Pij ad Tuscium Fuscianum Numidiæ legatum, placuit parentes & liberos hæredes quoq; instituto tueri usq; ad partem uirilem exemplo legatorum: ne plus haberent ex institutione tales personæ, quàm ad eum peruenturū esset, qui contra tabulas bonorum possessionem accepisset.

VIII. VLPIANVS.

VIrilis portio quemadmodum accipienda sit, uideamus. pone duos esse, qui cōtra tabulas bonorū possessionem accipiant: unum esse ex liberis parentibusq; uirilis tertia erit portio. sed si tres sint, qui

contra tabulas bonorum possessionem acceperunt: quarta erit uirilis. hoc idem & in legatis obseruabitur. sed si unus sit ex liberis, qui acceperit contra tabulas bonorũ possessionẽ, plures sint, qui ex liberis parentibusq; legata acceperint: sic hoc accipiendum est, ut filius præteritus semissem habeat, cæteri omnes, qui sunt ex liberis parentibusue semissem. Si quis ex liberis parẽtibusq; & hæres institutus sit, & legatum acceperit: utrum tantum portionem ei conseruamus, an uero & legatũ, an alterutrũ, quod elegerit? & magis est, ut utrunq; cõseruetur. sed sic, ne amplius in utroq; q̃ uirilẽ habeat. Si adierit hæreditatẽ is, cui uirilis cõseruatur: libertates cõpetent ex necessitate per adition̄e. ueruntamen uidendũ est, an de dolo actione teneatur, qui adijt, & magis est, ut si denũciante eo, qui præteritus accepit contra tabulas bonorum possessionem, hic adijt hæreditatem, pollicente eo portionem uirilem: sit, quod ei imputetur, & de dolo malo actione teneatur. damno enim afficit hæreditatem, dum competunt libertates. Si quid uxori nuruiq; fuerit legatum præter dotem: accepta contra tabulas bonorũ possessione, non præstabitur. Nurus autem appellatione, & pronurum, cæterasq; contineri, nulla dubitatio est. Cum autem dotis nomine legatum est: non puto ad uirilem uxorem nurumue redigendã: cum mulier ista ad æs alienum ueniat. Non solum autem dotem relegatam prætor complectitur, uerumetiam si pro dote aliquid fuerit relictum: utputa si dos in rebus, & pro rebus ei quantitas relinquatur, uel contra: dum tamen hoc nominetur, quod pro dote relinquitur.

IX. PAVLVS.

SEd & si sit plus in legato, q̃ in dote, dabitur illis actio.

X. VLPIANVS.

SEd & si pro dote ex parte aliqua eandem hæredem scripserit: tuendam esse puto. Esse autẽ uxorẽ mortis tempore exigimus. Si nurui dotem relegauerit, eaq; mortis tempore nupta sit: nullum est legatum: quia dos nondum debeatur. sed cum & constante matrimonio aduersus hæredes soceri detur actio: dicendum est, etiam relegatæ dotis petitionem dari debere. Non omnia, quæ ab omnibus gradibus relicta sunt, legata præstare eum oportet, qui contra tabulas petit: sed ea sola, quæ in eo gradu data sunt, contra quem bonorũ possessionem accepit. Sed nonnunquam contra alium quidem gradum petita est bonorum possessio, ex alio uero legata præstanda sunt. ut ecce duos gradus hæredum fecit, & emancipatum præterijt: ab utroq; tamen gradu liberis & parentibus legata adscripsit. & ait Iulianus: si quidem aliquis ex primo gradu uiuit: ea legata præstari, quæ liberis & parentibus à primo gradu data sunt, si uero nemo uiuit eorũ: ea, quæ à sequenti. quod si neq;

si neq; ex primo gradu, neq; ex secundo quisquam in rebus humanis fuerit, cum testator moritur: tunc ab intestato magis bonorum possessionē præterito filio competere, nec legata cuiquam præstanda. quod si post mortem testatoris, ante aditam hæreditatem instituti decesserint: contra ipsos quidem uideri petitam: ueruntamen ab eis relicta legata non esse præstanda, sed quæ à substitutis relicta sint.

XI. PAVLVS.

AT ubi institutus & substitutus uiuunt: licet nemo adeat hæreditatem: ea tamē legata deberi dicimus, quæ ab instituto data sunt.

XII. VLPIANVS

SIue autem omiserint instituti, siue non omiserint: dicendum est legata, quæ ab ipsis relicta sunt, præstanda: quamuis secundo gradu institutis omittentibus eis adierint hæreditatem.

XIII. TRIPHONINVS.

ITem à substituto legata deberi dicimus, si institutus conditione defectus sit, quæ in ipsius potestate nō fuerit. nā si eam, quæ in ipsius potestate fuit, non impleuit: pro eo habendus est, qui noluit adire hæreditatē: quando nihil habiturus emolumenti cōditioni merito nō paruit.

XIIII. VLPIANVS.

NOnnunquam cōtra tabulas bonorum possessionem quis habet iure secundum tabulas bonorum possessionis. utputa hæres institutus est emancipatus filius. alius emācipatus filius præteritus. institutus accepit contra tabulas bonorum possessionem. præteritus omisit. apertissimum est, ut cogatur omnibus perinde legata præstare, atq; si commissum edictum non fuisset. nec enim occasio emancipati præteriti debet institutum lucro adficere, cum præteritus iure suo utatur.

Si ab uno ex filijs hærede instituto nominatim alicui ex liberis parentibusq; legatum datum sit, & acceperit bonorum possessionē contra tabulas cum alijs: melius est probare, omnes, qui contra tabulas bonorum possessionem acceperunt, cogendos id legatum præstare.

XV. PAVLVS.

IS, qui in potestate est, præteritus legatum non debebit præstare, & si contra tabulas bonorum possessionem petierit: qui & nō petita bonorū possessione intestati hæreditatem obtineret. nec enim exceptio doli mali huic nocebit. & absurdum est, eum cogi legata præstare, quia bonorum possessionem petierit: cum & sine hac hæreditatem habiturus sit suo iure. unde & si duo præteriti sunt, emancipatus, & is, qui in potestate est: quidam nec emancipatum præstare debere legata existimant, quia affectus fratris aufert partē dimidiam: cum & si hic nō peteret, suus solus rem habiturus esset. Quid ergo est, ubi præteritus sit

ſuus? uerius eſt, quod dictum eſt. Vbi uero ſcriptus eſt, & uoluntatem patris habet: debeat teneri legatarijs, etiam ſi omiſerit bonorũ poſſeſſionem. Sed ſi unus emãcipatus hæres ſcriptus ſit, alter prætereritus, & utriq; contra tabulas bonorũ poſſeſſionem acceperint: & inſtitutus eadem præſtat, quæ præteritus. ſed ſi ſolus hæres inſtitutus contra tabulas bonorum poſſeſſionem acceperit: omnibus debebit legata præſtare perinde, atq; ſi adiſſet hæreditatem. Sed ſi ſcriptus quidem adierit hæreditatem, præteritus autem bonorum poſſeſſionem acceperit: hic quidem, qui bonorum poſſeſſionẽ accepit, certis perſonis legata debebit. De ſcripto autem quæritur. & complures putant, certis perſonis & eum præſtare debere. quod puto uerius eſſe. nam & prætor hac ratione eum tuetur, quod ex liberis eſt, qui contra tabulas petere potuerunt. Ita autem tuendus eſt in partem dimidiam: ſi aut ex maiore parte, q̃ dimidia hæres inſtitutꝰ ſit, aut ex ſemiſſe. quod ſi nõ ex maiore parte, quàm dimidia parte hæres inſtitutus ſit: dicimus nõ ex maiore parte, q̃ inſtitutus ſit, tuendum eũ eſſe. qua enim ratione maiorem partem habere poteſt, cum nec bonorũ poſſeſſionem acceperit, nec ex maiore parte hæres inſtitutus ſit? Ei, quæ dotem non habet, nullum legatum debebitur: licet ſub prætextu dotis legetur. Si extraneo hærede inſtituto ſub hac conditione exceptæ perſonæ legatũ ſit, SI HAEREDI DECEM DEDERIT: ita ei legatorum actio dabitur, ſi ei, qui contra tabulas bonorum poſſeſſionem accepit, dederit, non ſi hæredi inſtituto: quia abſurdum eſt illum commoda hæreditatis habere, aliũ onera ſuſtinere in præſtando legato. ſed & ſi Titio iuſſus fuerit dare: non illi, ſed filio dare debet.

XVI. VLPIANVS.

SI duo proponantur eſſe, unus in poteſtate præteritus, alius emancipatus inſtitutus: apparet commiſſum eſſe edictum per eum, qui in poteſtate eſt. & ſi ambo petierint contra tabulas bonorũ poſſeſſionem: is quidem, qui in poteſtate remanſit (cum rem ab inteſtato habeat) nõ præſtabit liberis & parentibus legata. emancipatus uero nunquid nec ipſe præſtat: quia ei rem aufert, qui præſtaturus non erat, ſi ſolus eſſet? ſed uerius eſt, uel hunc ſaltẽ debere liberis & parentibus præſtare legata. Proinde ſi contra tabulas non accepit: dicendum eſt, tuendum eum in partem, & utiq; liberis parentibusq; legata præſtaturum. ſed an & omnibus, dubito. tamen quia plena fruitur uoluntate, plenũ etiam obſequium præſtare teſtatoris iudicio pro ſui parte debet.

XVII. IVLIANVS.

SI emancipato filio præterito pater extraneum hæredem inſtituiſſet, & ab eo rem legaſſet, eaq; adita hæreditate dolo ſcripti hæredis

dis periſſet:aduerſus emancipatum utilis actio dari debebit ei ſcilicet perſonæ,cui filius legata præſtare cogitur: quia prætori propoſitũ eſt, ſine iniuria cæterarum perſonarum bonorum poſſeſſionem contra tabulas teſtamenti dari.

XVIII. AFRICANVS.

NEpos, qui in poteſtate remanſit, & filius ſuus hæredes inſtituti ſunt.nepoti legatũ dedit. pater eius emãcipatus petit bonorum poſſeſſionem. nepos legato contentus eſt. quidam in eum ſolum,qui in poteſtate eſſet, legati actionem nepoti dandam reſponderunt: quia nihil auferat ei,& emancipatus partem filij ſui occupet,in qua onus legatorum non conſiſteret. ſed rectius dicetur,in emancipatum ſolum dandam eſſe actionem nepoti,& quidem non ultra quadrantem.

XIX. IDEM.

QVia & ſi omnes petiſſent bonorum poſſeſſionem, ſemis nepotis inter eum & patrem eius diuideretur.

XX. MARTIANVS.

SI filius emancipatus contra tabulas bonorum poſſeſſionem petierit:tuendos quidem liberos & parentes conſtat. ſed ſi uarie donatũ fuerit exceptis perſonis à teſtatore:mortis cauſſa donata conferent ad uirilem emancipato, ſicut accidit in portionibus hæreditarijs & legatis. Inteſtato autẽ mortuo patre,ſuper donationibus mortis cauſſa factis non poterit filius queri:quoniã comparatio nulla legatorum occurrit.

XXI. PAPINIANVS.

SI portio hæreditatis,quam excepta perſona beneficio legis habere potuit,repudietur:pro ea quoq; parte filius,qui bonorum poſſeſſionem accepit,non alijs,quàm exceptis perſonis,legata præſtabit.

XXII. IDEM.

BOnorum poſſeſſione contra tabulas teſtamenti emancipato filio præterito data,ſcriptus hæres alter filius,qui bonorum poſſeſſionem accepit,uel iure ciuili contentus non accepit,legata præcipua non habebit.

XXIII. HERMOGENIANVS.

HI, quibus relictum in uirilem portionem diuus Pius conſeruari conſtituit,ex ſeruis, qui libertatem propter bonorum poſſeſſionem contra tabulas acceptã conſequi non potuerunt,nihil habebunt.

XXIIII. TRIPHONINVS.

INteruenit illa quæſtio, quando liberorũ numero eſſe debeat is, cui legatum datum eſt,ut id ferre poſſit â filio contra tabulas bonorum poſſeſſionem accipiẽte:& placet ſufficere in ea neceſſitudine tunc eſſe, quando dies legati cedit.

XXV. MARCELLVS.

QVi filium emancipauerat,& nepotem ex eo in potestate retinuerat: testamento filium exhæredauit,nepotem ex aliqua parte hæredem instituit,& alium filium emancipatum præterijt. potest defendi nepotem quoq; bonorũ possessionem contra tabulas petere posse. nã pro ea parte,qua quisq; intestato suus hæres esset, si pater suus hæres non esset,bonorum possessio defertur. Is, cuius filius in adoptione erat,nepotem,quem filius postea procreauerat,scripsit hæredem. emãcipatum filium præterijt. * habet nepos ex edicto bonorum possessionem. tuendus est tamen exemplo parentum & liberorum,quibus legata præstare coguntur,qui bonorum possessionem contra tabulas acceperunt. Si forte ex eodem filio retinuerat nepotem unum pluresue: indubitate pro ea parte tuendus est,pro qua parte tueret, si ex filia nepos aut mater defuncti hæredes instituti essent.nam his cõparatur.

*al's.non habet.

DE COLLATIONE *BONORVM. Tit. VI.

*al's deest

I. VLPIANVS.

HIc titulus manifestam habet æquitatem.cum enim prætor ad bonorum possessionem contra tabulas emancipatos admittat,participesq; faciat cum his, qui sunt in potestate, bonorum paternorum: cõsequens esse credidit, ut sua quoq; bona in medium conferant,qui appetãt paterna. Inter eos dabitur collatio,quibus possessio data est. Planè si minorem uel alium,quem restituere in integrum prætor solet,restituerit ad bonorum possessionẽ contra tabulas petẽdam, quã omiserat:utiq; etiam collationis commodum ei restituet. Si ex dodrante fuit institutus filius,qui erat in potestate,extraneus ex quadrante:emãcipatum accipientem contra tabulas pro quadrante tantum bona sua collaturum,Iulianus ait:quia solum quadrantẽ fratri abstulerit. argumentum pro hac sententia adfert Pomponius, quod filius emancipatus nepotibus ex se natis solus conferre cogitur. Pater filium,quem in potestate habebat,& extraneum hæredem scripsit, emancipatũ præterijt. bonorũ possessionẽ contra tabulas uterq; filius accepit. potest nõ incommode dici,emancipatum ita demum cõferre fratri suo debere, si aliquid ex caussa hæreditaria abstulerit.nã si ex minore parte, quàm dimidia is,qui in potestate erat,hæres scriptus fuerit: inique uidebitur collationem postulare ab eo,propter quem amplius hæreditate paterna habiturus est. toties igitur collationi locus est,quoties aliquo incõmodo affectus est is,qui in potestate est,interuentu emancipati. cæterũ si non est:collatio cessabit.uel maxime autem tunc emancipatum conferre

ferre non oportet,si etiam iudicium patris meruit.nec quidquã amplius nanciscitur,quàm ei pater dedit. sed & si legatis meruit semissem, ne tantum,quantum contra tabulas bonorum possessione occupat: dicendum est,non esse cogendum ad collationem. Ibidem Iulianus ait,si bonorum possessione accepta decesserit is,qui in potestate est,ad collationem bonorum emancipatum cogendum: ut tantum hæredi eius conferat,quantum conferret ipsi,si uiueret. Quod si ante acceptam bonorũ possessionem decesserit suus:hæredem eius prætor tueri debebit (inquit) pro ea parte,qua hæres scriptus fuit is,qui in potestate erat:non tamen ultra uitilem. ad collationem autem non admittit eum in hunc casum:quia bonorum possessio admissa non est. Iubet autem prætor ita fieri collationem,ut recte caueatur. Caueri autẽ per satisdationem oportere, Pomponius ait. an & pignoribus caueri possit,uideamus. & Pomponius libro sexagesimonono ad edictum scripsit,& reis,& pignoribus recte caueri de collatione. & ita ego quoq; puto. Si frater cauere non possit: curator portionis eius constituitur, apud quem refecta pecunia collocetur: ut tunc demum recipiat, quod redactum est,cum bona propria contulerit. Quod si per contumaciam actiones denegatæ sint: oblata postea cautione recipiet pristinũ ius. Quamuis autem edictum prætoris de cautione loquatur:tamẽ etiam re posse fieri collationem, Pomponius libro sexagesimo nono ad edictum scripsit.aut enim re(inquit)aut cautione facienda collatio est.Igitur diuidat(inquit)bona sua cum fratribus,& quamuis nõ caueat,satisfacit edicto.sed & si quædam diuidat, de quibusdam caueat: æque dicimus eum satisfeciſſe.Sed cum possint esse quædam in occulto:non satis confert,qui non cauit,quamuis diuidat.si igitur constet inter partes,quid sit in bonis emancipati:sufficiens collatio est diuisio.si non constet,sed dicantur quædam non esse in commune redacta: tunc propter incertum cautio erit interponẽda.sed & si tantum forte in bonis paternis emancipatus remittat,quantum ex collatione suus habere debet:dicendum est,emancipatum satis contulisse uideri. Idem,& si nomen paterni debitoris delegauerit,uel fundum,remũe aliam dederit pro portione bonorum, quæ conferre debuit. Si cum duobus cõferre deberet,alteri contulerit,alteri non:uel cum cauet,uel cum diuidit:uidendum est,utrum sextantis tantum ei adferatur emolumentum,an uero triens totus detrahi debeat?& puto,si quidem per contumaciam caueat:totius trientis ei denegandas actiones.nec enim uidetur cauisse,qui non omnibus cauit.quod si per inopiam:sextantis tantum denegandas.sic tamen,ut possit supplere cautionem,uel collationẽ uel cæteris modis, quibus supra diximus: aut curator constituatur

rem

rem eis ſaluam facturus. haberi enim debet ratio eius, qui non per contumaciam collationem non implet. Is quoq; qui in adoptiua familia eſt, conferre cogitur, hoc eſt, non ipſe, ſed is, qui eum habet: ſi maluerit contra tabulas bonorum poſſeſſionem accipere. Planè ſi hic adoptiuus pater ante bonorum poſſeſſionem petitam emancipauerit eum: nõ cogetur ad collationem: & ita reſcripto diuorum fratrũ expreſſum eſt. ſed ita demum adoptiuus emancipatus collatione fratres priuabit, ſi ſine fraude hoc factum ſit. Nec caſtrenſe, nec quaſi caſtrenſe peculium fratribus cõfertur. hoc enim præcipuum eſſe oportere, multis conſtitutionibus continetur. Sed an id, quod dignitatis nomine à patre datum eſt, uel debetur, conferre quis in commune cogatur, uideamus. & ait Papinianus libro decimotertio quæſtionum, non eſſe cogendum. hoc enim propter onera dignitatis præcipuum haberi oportere. ſed ſi adhuc debeatur: hoc ſic interpretandum eſt, ut nõ ſolus oneretur is, qui dignitatem meruit, ſed commune ſit omnium hæredum onus hoc debitum. Qui ab hoſtibus captus poſt mortem patris rediit: licet moriente patre nihil habuit, cũ apud hoſtes fuit: tamen & ad bonorum poſſeſſionẽ admittetur, & conferet ſcilicet ea, quæ moriente patre haberet, ſi ab hoſtibus captus non fuiſſet: licet ſi redemptus ab hoſtibus mortis tempore patris inueniatur, æque collatio ſit facienda.

Si emancipato legatum fuerit, cum pater morietur: etiã hoc conferre debet. Si ab ipſo patre hærede inſtituto filio, eius fidei commiſſum fuerit relictum, cum morietur: an id conferendum eſt, quoniam utile eſt hoc fideicommiſſum? & euenit, ut pro eo habeatur, atq; ſi poſt mortem patris relictum fuiſſet. nec cogetur hic conferre: quia moriente eo eius non fuiſſet. Emancipatus filius ſi dotem habeat ab uxore acceptam: hoc minus confert, & ſi ante uxor deceſſerit.

Si impubere adrogato ſecundum diui Pij reſcriptum quarta debeatur: uidendum eſt, an ſi patris naturalis bonorum poſſeſſionem petat, conferre quartã debeat. quæſtio in eo eſt, an hæredi ſuo relinquat quartæ actionẽ, an non? & magis eſt, ut ad hæredem transferat: quia perſonalis actio eſt Igitur etiam de quarta conferenda cauere eum oportebit. ſed hoc ita demum, ſi iam nata eſt quartæ petitio. cæterũ ſi adhuc pater adoptiuus uiuat, qui eum emancipauit: dicendum eſt, cautionẽ quoq; ceſſare. præmatura eſt enim ſpecies collationis, cum adhuc uiuat is, cuius de bonis quarta debetur. Si is, qui bona collaturus eſt, habeat filiũ peculium caſtrenſe habentem: nõ cogetur utiq; peculium eius conferre. ſed ſi iam tunc mortuus erat filius eius, & caſtrenſe peculium habuit, cum moreretur is, cuius bonorum poſſeſſio petenda eſt: an conferre cogatur? cum autem uindicari id patri ſuo nõ ſit neceſſe:

dici

dici oportebit conferendum. non enim nunc adquiritur, sed non adimitur. Amplius dico, etiã si institutus fuerat à filio hæres, & nondum adierit, habeatq; substitutum: quia non magis tunc quæritur peculium, quàm nunc non alienatur: conferri debere. Confertur autem etiam si quid eius nunc fuerit, dolo malo aũt sit factum, quo minus esset. sed hoc sic accipiendum est, ut hoc demum conferatur, quod eius esse desijt dolo malo. cæterum si id egerit, ne adquireretur: non uenit in collationem. nam hic etiam sibi insidiatus est. Portiones collationum ita erunt faciendæ. utputa duo sunt filij in potestate, unus emancipatus habens trecenta. ducenta fratribus conferet, sibi centum retinebit. facit enim ei partem, quamuis is sit, cui conferri non solet. Quod si duo sint filij emancipati habentes trecena, & duo in potestate: æque dicendum est, & singulos singulis, qui sunt in potestate, centena conferre, centena retinere: sed ipsos inuicem nihil conferre. dotis quoq; collatio in eundem modũ fiet: ut quicunq; conferat, etiam suam personam numeret in partibus faciendis.

II. PAVLVS.

CVm emancipati filij nomine nepotem postumum post aui mortem editum dicimus bonorum possessionem accipere oportere: necessarium erit dicere, bona sua eum conferre: licet non potest dici, mortis tempore aui bona habuisse, qui ipse nondum in rerum natura erat. igitur siue hæreditatem à patre, siue legatum acceperit: hoc conferre debebit. Illud autem intelligendum est filium in bonis habere, quod deducto ære alieno supereſt. sed si sub conditione debeat: non statim id deducere debebit, sed id quoq; conferre. contra autem ei caueri oportebit ab eo, qui in potestate est: ut existente conditione defendatur pro ea parte, quam contulit. De illis, quæ sine culpa filij emancipati post mortẽ patris perierunt, quæritur, ad cuius detrimentum ea pertinere debeant? & plerisq; putant ea, quæ sine dolo & culpa perierint, ad collationis ius non pertinere. & hoc ex illis uerbis intelligendum est, quibus prætor uiri boni arbitratu iubet bona conferri. uir autem bonus non sit arbitraturus, conferendũ id, quod nec habet, nec dolo, nec culpa desijt habere. Id quoq;, quod sub conditione ex stipulatu debetur, emancipato cõferri debet. diuersum est in legato conditionali: quia & si in potestate fuisset, & post motem patris conditio exstitisset, ipse haberet actionem. Emancipatus filius si iniuriarum habeat actionem, nihil conferre debet. magis enim uindictæ, quàm pecuniæ habet persecutionem. sed & si furti habeat actionem, conferre debebit. Si tres emancipati, duo in potestate sint: Caius Cassius libro sexto iuris ciuilis tertias conferendas putat: ut emancipati, (quia

inuicem non conferunt) unius loco sint: nec indignari eos oportere, si plus conferant, & minus accipiant: quia in potestate eorum fuerit bonorum possessionem omittere. Iulianus quoq; Cassij sententiam sequitur. Si ex emancipato filio nepos emancipatus mortuo patre similiter & auo bonorũ possessionem utriusq; acceperit, cum uterq; eorum suum hæredem reliquerit: eo modo collatio explicari potest, ut si (uerbi gratia) centũ in bonis habuerit: & patruo quinquaginta, & fratri quinquaginta conferre debeat. hoc enim ratio facit: siue personas, siue portiones numeremus. Si duo nepotes ex filio mortuo emancipati bonorũ possessionem aui petant: utrum dimidias, an quartas patruo conferre debeant, quæritur. & uerius est, semisses conferre eos oportere: quia & si uiuo auo, cum in eius potestate essent, ducenta (puta) adquisissent: centum filius, centum duo fratres per hæreditatem aui haberent. Si duo emancipati bonorum possessionem petierint, & unus contulerit, alter non contulerit: huius portio tantum ei, qui in potestate est, prodesse debet, non etiam emancipato: quoniã eius causa, qui in potestate est, denegantur ei actiones. Si per inopiam emancipatus cauere non possit, non statim ab eo transferenda est possessio: sed sustinendũ est, donec possit inuenire fideiussores: ut tamen de his, quæ mora deteriora futura sunt, his, qui in potestate sunt, actio detur: ipsiq; caueant, se in medium collaturos, si cautum eis fuerit.

III. IVLIANVS.

PRætor non sub conditione collationis bonorum possessionem cõtra tabulas pmisit: sed demonstrat, quid data bonorũ possessione fieri oporteat. alioquin magna captio erat emancipati, si nõ aliter bonorum possessionẽ intelligeretur accipere, nisi cauisset de collatione. nam si interim ipse decessisset, hæredi suo nihil relinqueret. Item si frater eius decessisset: non admitteretur ad bonorum possessionem. Quid ergo? intelligendus est bonorum possessionem accipere, & antequàm caueat. sed si non cauerit: ita obseruabit, ut tota hæreditas apud eum, qui in potestate fuerit, remaneat. Emancipatus filius controuersiam facit impuberi, qui se filium, & in potestate patris fuisse dicit. quæro, si bona sua ei emancipatus conferre debeat? PAVLVS notat. puto conferendum ei esse exacta cautione: ut uictus, sicut hæreditatẽ, ita & quæ collata sunt, præstet. Quoties contra tabulas bonorum possessio datur emancipatis: bona sua conferre debent his solis, qui in potestate patris fuerint. hoc quemadmodũ expediri oporteat, quæri solet. nam si bona à patre relicta & emancipatorum in medium conferantur, & ita uiriles partes sumantur: eueniet, ut emancipatis quoq; collatio ab ipsis facta prosit. uideamus ergo, ne cõmodissimum sit, emancipa-

cipatos quartam partem ex bonis paternis conferre, ex suis tertiam. quod dico, exemplo manifestius fiet. ponamus patrem quadringenta reliquisse, & duos in potestate filios, duos emancipatos: ex quibus alterum centum, alterum sexaginta in bonis habere. is, qui centum habebit, centum triginta tria & trientem feret: is uero, qui sexaginta contulerit, centum uiginti. atq; ita eueniet, ut collationis emolumentum ad eos, qui in potestate remanserunt, perueniat. Emancipati bona sua conferre cum his, qui in potestate fuerunt, iubentur. quare sicut is, qui in potestate est, dotē uxoris præcipit: ita emancipatus quoq; quasi præcipiat, retinere debet. Emancipatus præteritus, si dum deliberat, cauerit de bonorum collatione, nec bonorū possessionem petierit: agente fratre ex stipulatu, ipso iure tutus erit. sed & si pecuniam contulerit: condictione eam repetet. omissa enim bonorum possessione incipit pecunia sine caussa esse apud hæredem. Qui duos filios in potestate habebat, & ex uno eorum nepotem: emancipauit filium, ex quo nepotem habebat. deinde emancipatus factus procreauit filium, quem auus in locum filij adoptauit: & uel intestatus, uel testamento facto præterito emancipato filio decessit. quæsitum est, quid de bonorū possessione, quid de collatione iuris esset? respondi. bonorum, de quibus quæritur, tres partes fieri debent: ex quibus una pertinet ad filiū, qui in potestate remansit: altera ad nepotem, qui in locum filij adoptatus est: tertia ad emancipatum filium & nepotem, qui in potestate remansit, ita, ut pater soli ei cōferat, cum quo bonorum possessionē accipiet.

IIII. AFRICANVS.

FIlium emancipatum dotem, quam filiæ suæ nomine dedit, conferre non debere: quia non sicut in matrisfamilias bonis esse dos intelligatur, ita & in patris, à quo sit profecta.

V. VLPIANVS.

SI quis filium habeat sui iuris, & ex eo nepotem in potestate sua: consequenter erit dicendum, si nepos patris sui emancipati accipiat bonorum possessionem: de conferendis suis quoq; bonis cauere eum debere, & esse similem ei, qui adoptauit. hoc enim diui fratres rescripserūt, ut ad collationem auus compellatur. planè eodem rescripto adiectum est sic: nisi forte auus iste nullum ex istis bonis fructum adquirere uult, paratus'q; est de potestate nepotem dimittere, ut ad emancipatum omne emolumentum bonorum possessionis perueniat. nec idcirco ea filia, quæ post emancipationē nata patri hæres extitit, iuste queri poterit in id, quod eo facto collationis commodo excludatur: cum auo quandoq; defuncto ad bona eius simul cum fratre possit peruenire. hæc in patre adoptiuo ratio reddi non potest. & tamen & ibi dice-

mus,si sine dolo malo emancipauerit. Stipulatio autem collationis tunc committitur,cum interpellatus cum aliquo spacio, quo conferre potuit, non facit: maxime,cum uiri boni arbitratu collationem fieri, edicto prætoris insertum est. siue ergo in totum collatio facta nō est,siue in partem facta:locum habebit hæc stipulatio.& siue quis non cōferat ex hac stipulatione,siue dolo fecerit,quo minus cōferat:quanti ea res erit,in tantam pecuniam condemnabitur.

VI. CELSVS.

DOtem dedit auus paternus.an post mortem aui mortua in matrimonio filia,patri reddi oporteat,quæritur? occurrit æquitas rei:ut quod pater meus propter me filiæ meæ nomine dedit, perinde sit,atq; si ipse ego dederim:quippe officium aui circa neptem, ex officio patris erga filium pendet:& quia pater filiæ, ideo auus propter filium nepti dotem dare debet.quid si filius à patre exhæredatus est? existimo non absurde dici,etiam in exhæredato filio idem posse defendi. nec infauorabilis sententia est:ut hoc saltem habeat ex paternis,quod propter illum datum est.

VII. IDEM.

SI nepotes in locum filij successerunt,una portio his conferri debet, uti bonorum possessionis unam partem habeant. sed & ipsi ita conferre debent,quasi omnes unus essent.

VIII. PAPINIANVS.

als*Nun cẽ. *NOnnunquam prætor uariantem non repellit,& cōsilium mutantem non adspernatur. unde quidam filium emancipatum, qui de bonis conferendis cauere fratribus noluit, audiendum postea putauerūt,si uellet oblata cautione beneficiū bonorū possessionis exercere: tametsi respōderi possit, uideri eum possessionem repudiasse, qui formā possessionis cōseruare noluit.sed benignior est diuersa sententia: maxime,cū de bonis paternis inter fratres disputet,quē tamen facilius admittendū existimo,si intra tempus delatæ possessionis cautionem offerat. nam post annum, cẽ delata est bonorum possessio, uoluntariam moram cautionis admittere,difficilius est.

IX. IDEM.

FIlius emancipatus intestati patris bonorum possessionem accepit. nepos ex eodem in familia retentus semissem hæreditatis cū emolumento collationis habebit.idem nepos si postea possessionem intestati patris accipiat:fratri post emancipationem patris quæsito,& in familia retento, bona sua conferre cogetur.

X. SCAEVOLA.

SI filius in potestate hæres institutus adeat,& emācipato petente bonorum

norum possessionem contra tabulas, ipse non petat: nec conferendum est ei, & ita edictum habet. sed magis sentio, ut quemadmodum pro parte hæreditatem retinet iure eo, quo & bonorũ possessionem petere possit: ita & conferri ei debeat, utíq; cum iniuriã per bonorum possessionem patiatur.

XI. PAVLVS.

PAulus respondit. ea, quæ post mortem patris filio reddi debuerunt: emancipatum filium, quamuis prius consecutus sit, quàm deberet fratri, qui in potestate patris relictus est, conferre non debere: cum post mortem patris non tam ex donatione, quàm ex caussa debiti ea possideri uideatur.

XII. IDEM.

SI prægnantem quis uxorem reliquerit, & ea uentris nomine in possessionem missa fuerit: interim cessat collatio. nam ante, quàm nascatur, non potest dici in potestate morientis fuisse, sed nato cõfertur.

DE DOTIS COLLATIONE. Tit. VII.

I. VLPIANVS.

QVanquam ita demum ad collationem dotis prætor cogit filiam, si petat bonorum possessionem: attamen & si non petat, conferre debebit: si modo se bonis paternis immiscеat. & hoc diuus Pius Vlpio Hadriano rescripsit: etiam eam, quæ non petierit bonorum possessionem, ad collationem dotis per arbitrium familiæ erciscundæ posse compelli.

Si in stipulationem deducta sit dos: siquidem ipsa mulier stipulata sit, uel ipsi negocium gestum: æque conferre cogetur. si uero alij quæsita est stipulatio: dicendum est cessare collationem. & si tantum promissa sit dos: collatio eius fiet. Si sit nepos & neptis ex eodem filio, & dotata sit neptis, sit & filius, non pater eorũ: neptis omnem dotem soli fratri collatura est. emancipata aũt neptis dotẽ & bona sua soli nepoti, non etiã patruo cõferet. sed si sit neptis sola, non etiã nepos ex eodẽ: tunc cõfert patruo, itemq; nepoti uel nepti ex alio. sed & si duæ neptes sint ex diuersis filijs: conferent & inuicem & patruo. si ex eodem patre: tantum inuicem conferent. Cum dos confertur, impensarũ necessariarũ fit detractio, cæterarũ non. quod si iam diuortiũ factum est, & maritus non sit soluendo: nõ debebit integra dos computari mulieri, sed id, quod ad mulierẽ potest peruenire, hoc est, quod facere maritus potest. Si sub conditione pater uel extraneus dotem promiserit: cautione opus erit, ut tunc conferat mulier dotem, cũ dotata esse cœperit.

Filiã,quæ ab inteſtato patri hæres fit,conferre quidem dotẽ opor tet:conſequens autem eſt,ut ex pollicitatione dotis pro parte dimidia fratrem ſuum liberet.æquius enim eſt in ſolidum de ſuo eam dotatam eſſe. Si emancipatus filius,qui contra tabulas bonorum poſſeſſionẽ accepit,filiam dotatam habeat:non debet dotem eius conferre, quia in bonis eius non eſt.

II. CAIVS.

FIlia in adoptionem data,& hæres inſtituta,debet (ſicut emancipata)non ſolum bona ſua,ſed & dotem,quæ ad eam peruenire potuerit,conferre.ſi adhuc pater adoptiuus uiuit:hic neceſſe habebit cõferre.

III. VLPIANVS.

SI filia fuerit hæres inſtituta:collatione dotis non fungetur.unde ſi commiſſo ab altero edicto, neceſſe habuit contra tabulas bonorũ poſſeſſionem accipere:dicendum eſt,quoniam nullam iniuriam facit fratri,non debere eam dotem conferre. nam quod habuit ex iudicio, conuertitur ad contra tabulas bonorum poſſeſſionem.planè ſi ex minore parte fuit hæres inſtituta, & alia quædam in eam contulit:contra tabulas bonorum poſſeſſione aucta portione eius,dicendum erit,collationis munere eam fungi:niſi forte contenta fuerit portione,ex qua inſtituta eſt.tunc enim dicendum eſt,ex iudicio parentis eam uenientem non debere munus collationis ſuſtinere.

IIII. POMPONIVS.

SI pater pro filia dotem promiſerit, deinde exhæredatæ, uel etiam emancipatæ, & præteritæ legatũ dederit: habebit filia etiam dotem præcipuam & legatum.

V. PAPINIANVS.

FIlius emancipatus,qui poſſeſſionem contra tabulas accipere potuit,inteſtati patris poſſeſſionem accepit:atq; ita filia, quæ manſit in poteſtate,cum eiuſdem familiæ fratre hæres inſtituta,poſſeſſionem inteſtati patris,errorem fratris emancipati ſecuta,accepit.dotem ſcripto fratri conferre non cogetur:cum ea poſſeſſio fruſtra petita ſit,& filia fratris uoluntatem ſecuta fini uirilis partis retineat:id eſt, ut omnes trientes habeant,& bonorum poſſeſſio unde liberi fingatur pro contra tabulas eſſe petita. Ea filia,quæ ſoluto matrimonio dotem conferre debuit,moram collationi fecit. uiri boni arbitratu cogetur uſuras quoq; dotis conferre:cum emancipatus frater etiam fructus conferat, & filia patris ſui fructus percipiat.

VI. IDEM.

PAter filium emancipatum hæredem inſtituit,& filiam exhæredauit,quæ inofficioſi lite perlata partem dimidiam hæreditatis abſtulit

tulit. non esse fratrem bona propria conferre cogendũ respondi. nam & libertates competere placuit.

VII. PAVLVS.

NEc ipsa dotem fratribus suis conferet, cum diuerso iure fratres hæredes sint.

VIII PAPINIANVS.

PAter nubenti filiæ quasdã res præter dotem dedit, eamq; in familia retinuit: ac fratribus sub conditione, si dotem & cætera, quæ nubenti tradidit, contulisset, cohæredem adscripsit. cum filia se bonis abstinuisset, fratribus res non in dotem datas uindicantibus, exceptionẽ doli placuit obstare: quoniã pater filiam alterutrũ habere uoluit.

IX. TRIPHONINVS.

FVit quæstionis, an si sua hæres filia patri cum fratribus, contenta dote, abstineat se bonis, compellatur eam conferre? & diuus Marcus rescripsit, non compelli abstinentem se ab hæreditate patris. ergo non tantum data apud maritũ remanebit, sed & promissa exigetur etiã à fratribus, & est æris alieni loco. abscessit enim à bonis patris.

*DE VENTRE IN POSSESSIONE mittendo, & curatore eius. Tit. VIII.

*In pand. Fl. hæc adscripta sũt. οὗτος ὁ τί τλος μετὰ τὸ πρῶτον κεσιμ.

I. VLPIANVS.

SIcuti liberorum eorum, qui iam in rebus humanis sunt, curam prætor habuit: ita etiã eos, qui nondũ nati sunt, propter spem nascendi non neglexit. nam & hac parte edicti eos intuitus est, dum uentrem mittit in possessionẽ uice cõtra tabulas bonorum possessionis. Prægnantẽ esse mulierẽ oportet omnimodo, nec dicere se prægnantẽ sufficit. quare nec tenet datio bonorũ possessionis, nisi uere prægnans fuit, & mortis tempore, & eo, quo se mitti in possessionem petit. Toties autem mittitur in possessionẽ uenter, si non est exhæredatus, & id, quod in utero erit, inter suos hæredes futurum erit. Sed & si incertum sit, aliquo tamẽ casu possit existere, quo qui editur, suus futurus sit: uentrẽ mittemus. æquius enim est uel frustra nonnũquam impendia fieri, quàm denegari aliquando alimenta ei, qui dominus bonorum aliquo casu futurus est. quare & si ita exhæredatio facta sit, SI MIHI FILIVS VNVS NASCETVR, EXHAERES ESTO: quia filia nasci potest, uel plures filij, uel filius & filia: & uenter in possessionem mittetur. sanctius est enim, sub incerto eius, qui edetur, ali etiam eum, qui exhæredatus sit: quàm eum, qui non sit exhæredatus, fame necari. ratumq; esse debet, quod demi

deminutum est:quamuis is nascatur,qui repellitur. Idem erit dicendum,& si mulier, quæ fuit in possessione, abortum feciſſet. Sed & si sub conditione postumus sit exhæredatus:pendente conditione Pedij sententiam admittimus,existimantis posse uentrem in possessionem mitti:quia sub incerto utilius sit uentrem ali. Si uenter ab institutis exhæredatus sit,à subſtitutis præteritus:Marcellus negat in possessionem eũ mitti posse uiuentibus institutis,quia exhæredatus sit. quod uerum est,per contrarium autem si ab institutis præteritus sit uenter,à subſtitutis exhæredatus:uiuis institutis,mittẽdum esse in possessionẽ, quod si non uiuãt: negat mittendum: quia ad eum gradum deuoluta sit hæreditas,à quo exhæredatus est. Si filius ab hostibus captus sit: uxor eius prægnans in possessionem bonorũ soceri mittenda est.nam aliquo casu spes est id, quod nascitur, inter suos hæredes futurum: utputa si pater eius apud hostes decedat. Sed & si quis uentremita exhæredasset, QVI MIHI INTRA MENSES TRES MORTIS MEAE NATVS ERIT, EXHAERES ESTO, uel QVI POST TRES MENSES: uenter in possessionem utiq; mittetur:quia aliquo casu suus hæres futurus est. & sanè benigniorem esse prætorem in hanc partem oportebit: ne,qui speratur,ante uitam necetur. Rectissime autem prætor nusquam uxoris mentionem fecit:quia fieri potest,ut mortis tempore uxor non fuerit,quæ se ex eo prægnantem dicit. Etiam ex emancipato uenter ad possessionem admittitur. unde apud Iulianum libro uicesimoseptimo digestorum quæritur:si emancipatus quis sit uxore iam prægnante, deinde decesserit, & pater eius mortuus sit: an uenter in possessionem emancipati patris mitti possit? & rectissime scripsit,rationem non esse,cur uenter,quem edictum admittit,repelli debeat. est enim æquissimum partui consuli, qui natus bonorum possessionem accepturus est. sed & si auus uiueret,similiter uentrem admitteremus.

Si filius in adoptionem datus decesserit prægnante uxore,tunc deinde adoptator defunctus fuerit: admittetur uenter in possessionẽ aui adoptiui. sed an etiam in eius,qui in adoptionem dederat, filius mittetur,uideamus. & si hic nepos postumus hæres ab auo naturali institutus sit,mittetur in possessionem. & nato eo,si nemo ex liberis sit alius, bonorum possessio secundum tabulas dari potest:aut si sint liberi præteriti,etiam contra tabulas cum ipsis potest accipere. Si pater nuru prægnante filium emancipauerit:non in totum repelli uterus debet. nanq; natus solet patri ex nouo edicto iungi. & generaliter quibus casibus patri iungitur natus,admittendus est uenter in possessionem. Si ea,quæ in possessionem uult ire, uxor negetur, uel nurus esse uel fuisse, uel ex eo prægnans non esse contendatur: decretum interponit

prætor

prætor exẽplo Carboniani edicti. & ita diuus Hadrianus Claudio Proculo prætori reſcripſit, ut ſummatim de re cognoſceret: & ſi manifeſtam calumniam uideret eius, quæ uentris nomine in poſſeſſionẽ mitti deſiderat, nihil noui decerneret. ſi dubitari de re poſſet: operam daret ne quod præiudiciũ fieret ei, quod in utero eſt: ſed uentrem in poſſeſſionem mitti oportere. apparet itaq; niſi manifeſta ſit calumniatrix mulier, debere eam decretum eligere: & ubi omnino iuſte dubitari poterit, an ex eo prægnans ſit, decreto tuendam eſſe, ne præiudicium partui fiat. idemq; eſt, & ſi mulieri ſtatus controuerſia fiat. Et generaliter ex quibus cauſſis Carbonianã bonorum poſſeſſionem puero prætor dare ſolitus eſt, ex iiſdem cauſſis uentri quoq; ſubuenire prætorem debere non dubitamus: eo facilius, quod fauorabilior eſt cauſſa partus, quàm pueri. partui enim in hoc fauetur, ut in lucem producatur: puero, ut in familiam inducatur. partus enim iſte alendus eſt: qui & ſi non tantum parenti, cuius eſſe dicitur, uerum etiam reipublicæ naſcitur.

Si quis prima uxore prægnãte facta, mox aliam duxerit, eamq; prægnantem fecerit, diemq; ſuum obierit: edictum ambobus ſufficit, uide licet cum nemo contendit, nec calumniatricem dicit. Quoties autem uenter in poſſeſſionem mittitur, ſolet mulier curatorẽ uentri petere, ſolet & bonis. ſed ſi quidem tantum uentri curator datus ſit: creditoribus permittendum eſt, in cuſtodia bonorum eſſe. ſi uero non tantum uentri, ſed etiam bonis curator datus eſt: poſſunt eſſe ſecuri creditores, cum periculum ad curatorem pertineat. idcirco curatorem bonis ex inquiſitione dandum (idoneum ſcilicet) oportet creditores curare, uel ſi quis alius eſt, qui non edito partu ſucceſſionẽ ſperet. Hoc autem iure utimur, ut idem curator & bonis & uentri detur. ſed ſi creditores inſtent, uel qui ſperat ſe ſucceſſurum: diligentius atq; circumſpectius id fieri debebit: & plures (ſi deſiderentur) dandi ſunt. Mulier autem in poſſeſſionem miſſa, ea ſola, ſine quibus fœtus ſuſtineri, & ad partum uſq; produci non poſſit, ſumere ex bonis debet: & in hanc rem curator conſtituendus eſt, qui cibum, & potum, & ueſtitum, & tectum mulieri præſtet pro facultatibus defuncti, & pro dignitate eiꝰ atq; mulieris. Deminutio autem ad hos ſumptus fieri debet primum ex pecunia numerata. ſi ea non fuerit: ex his rebus, quæ patrimonia onerare magis impendio, quàm augere fructibus conſueuerunt. Idem ſi periculum eſt, ne interim res uſu capiantur, ne debitores tempore liberentur: idem curare debet. ita igitur curam hoc quoq; officio adminiſtrabit, quo ſolent curatores atq; tutores pupillorum. Eligitur autem curator aut ex his, qui tutores dati ſunt poſtumo, aut neceſſariis adfinibuſq;, aut ex ſubſtitutis, aut ex amicis defuncti, aut ex creditoribus

bus: sed is utiq; qui idoneus uidebitur. at si de personis eorum quæstio moueatur: uir bonus eligitur. Quod si nondũ curator constitutus sit: quia plerunq; aut non petitur, aut tardius petitur, aut serius datur: Seruius aiebat, res hæreditarias hæredem institutũ uel substitutum obsignare nõ debere, sed tantũ pernumerare, & mulieri adsignare. Idem ait. ad custodienda ea, quæ sine custodia salua esse non possunt, custodem ab hærede ponendum: utputa pecoris, & si nondum messis illa de miaũe facta sit. & si fuerit controuersia, quantum deminui oporteat: arbitrum dandum. Curatore autem constituto, hæc omnia cessare puto. conscribi tamen curatori debent, & uendenti, & inuentarium rerum facienti. Tamdiu autem uenter in possessione esse debet, quàm diu aut pariat, aut abortum faciat, aut certũ sit eam non esse prægnantem. & si sciens prudensq; se prægnantem non esse, consumpserit: de suo id eam consumpsisse, Labeo ait.

II. PAVLVS.

SEd & si eum ediderit, qui repulsus est, discedere debet.

III. HERMOGENIANVS.

SVmptus autem ab ea facti bona fide non repetentur.

IIII PAVLVS.

HAbitatio quoq; si domum defunctus non habuit, concedenda erit mulieri. seruis quoq; mulieris, qui necessarij sunt ad ministerium eius, secundum dignitatem cibaria præstanda sunt.

V. CAIVS.

CVrator uentris alimenta mulieri statuere debet. nec ad rem pertinet, an dotem habeat, unde sustentare se possit: quia uidentur, quæ ita præstantur, ipsi præstari, qui in utero est. Curator uentri datus soluendi debiti rationem habere debet: utiq; eius, quod sub pœna, aut pignoribus preciosis debetur.

VI. VLPIANVS.

EXtraneo postumo hærede instituto, non aliter uenter in possessionem mittitur, nisi mater aliunde se alere non possit: ne forte ei, qui natus bonorũ possessor futurus est, denegasse alimenta uideamur.

VII. IDEM.

VBicunq; ab intestato uenter admittitur: scilicet si talis fuerit is, qui in utero est, ut si in rebus humanis esset, bonorum possessionem petere possit: (ut in omnibus partibus edicti) pro superstite habetur is, qui in utero est. Interdum non passim, sed cum causæ cognitione mitti uenter in possessionem debet: si quis sit, qui controuersiam referat. sed hoc tantum ad eum uentrem erit referendum, qui cum liberis admittitur. cæterũ si mittatur unde legitimi, uel ex qua alia parte: di

te: dicendum est, non esse causſæ cognitionem necessariam. nec enim æquum est, in tempus pubertatis uentrem uesci de alieno, in tempus pubertatis dilata controuersia. sed enim placet omnes controuersias, quæ quasi status cõtrouersiam continent, in tempus pubertatis differri: sed non ut in possessionem sit, status controuersia dilata, sed sine possessione. quamuis autem prætor uentrem in possessionem mittat cum his, quibus possessionem dederit: attamen etiam solus uenter admittetur ad bonorum possessionem.

VIII. PAVLVS.

SI uentris nomine mulier missa sit in possessionem: diuus Hadrianus Calpurnio Flacco differendam accusationem adulterij rescripsit, ne quod præiudicium fieret nato.

IX. VLPIANVS.

CVm uenter mittitur in possessionem: quod in uentris alimenta deminutum est, detrahitur uelut æs alienum.

X. PAVLVS.

POstumus natus quocunq; tempore (qui tamen testatoris morte conceptus iam erit) potest agnoscere bonorum possessionẽ. nam & uentrem prætor ex omnibus edicti partibus mittit in possessionem bonorum: non missurus scilicet, si ei nato daturus non esset bonorum possessionem.

DE CONIVNGENDIS CVM EMANCIPATO liberis eius. Tit. IX.

I. VLPIANVS.

SIquis ex his, quibus bonorum possessionem prætor polliceturin potestate parentis, cum moritur, nõ fuerit: ei liberisq;, quos in eiusdem familia habuit, si ad eos hæreditas suo nomine pertinebit, neq; notam exhæredationis meruerunt: bonorum possessio eius partis datur, quæ ad eum pertineret, si in potestate permansisset: ita, ut ex ea parte dimidiã ipse, reliquam liberi eius habeãt, isq; duntaxat bona sua conferat.

Hoc edictum æquissimũ est: ut neq; emancipatus solus ueniat, & excludat nepotes in potestate manẽtes: neq; nepotes iure potestatis obijciantur patri suo. Et in adoptionẽ datus filius, & hæres institutus, ad hoc edictum pertinet, ut ei iungatur nepos, qui in aui sui naturalis est potestate. Iungitur autem nepos patri suo emancipato, siue pater præteritus sit, siue institutus. & hæc erit differentia inter in adoptionem datum, & emancipatum: quod in adoptionem quidem dato non aliàs

iungitur, nisi instituto,& alio committente edictum: emancipato autem,siue sit institutus emancipatus,siue sit præteritus. Filio in potestate ex besse, emancipato ex triente hærede instituto: Iulianus ait, nepotem præteritum petita contra tabulas bonorum possessione, patruo sextantem,patri unciam ablaturum. Si pater emancipatus ex hæredatus sit,nepotibus ex eo præteritis, qui erant in potestate retenti:nepotes admittuntur.absurdū est enim,cum patri præterito iungantur,instituto eo uel exhæredato non admitti. Sed & si patruus eorum,qui erant in potestate,sit præteritus pater exhæredatus:debēt nepotes admitti.nam exhæredatus pater eorum pro mortuo habetur.

Si pater in potestate manens exhæredatus, uel institutus sit:nepotes ex eo,siue in potestate manentem, siue emancipatū, ad bona aui neq; uocari,neq; uocandum esse,Scæuola ait.toties enim nepoti consulendum est,quoties in potestate retentus est,patre emancipato.liberos igitur in familia esse oportet,ut huic edicto locus sit:eius scilicet familiæ, cuius bonorum possessio petitur.sed & si postumus natus sit ex emancipato,ante emancipationem conceptus:idem erit dicendum. Liberos autem non omnes simul uocat prætor, sed gradatim, hoc est eos, qui sui sunt: scilicet nepotes si sunt.si minus:eos, qui sunt inferioris gradus:nec eos miscebimus.planè si sit ex emancipato nepos, & ex nepote eius alio pronepos: dicendum erit, utrunq; ei iungi. ambo enim in suorum loco successerunt. Si postliminio nepos redierit: dicendū est,eum patri emancipato cōiungi. Si pater ex duobus filijs,quos in potestate habuit, alterum emancipauerit, & nepotem ex eo in locum filij adoptauerit,& præterito emancipato decesserit: Iulianus ait, nepoti in locum filij adoptato succurri oportere: ut quasi portionem filius habeat,quam haberet,& si extraneus adoptatus esset.sic fiet (inquit) ut filius,qui in potestate fuit,tertiam partem:nepos in locum filij adoptatus,aliam tertiam: emancipatus filius cum nepote altero retento in potestate partiantur.nec enim minus debet ferre nepos in locum filij adoptatus,quàm si ab extraneo esset adoptatus. Illud non interest,quota portio hæreditatis ad nepotem pertineat, an perquàm modica. nam & si modica sit: attamen dicemus esse locum huic parti edicti. Inter ipsum filium & liberos eius diuiditur hæreditas ita, ut ipse dimidium,liberi dimidium habeant. proinde pone solum filium emancipatum esse,& nepotes in potestate duos,neminem præterea ex liberis.habebit emancipatus dimidiam partem hæreditatis, & aliā dimidiam partem hæreditatis duo nepotes, ut quadrantes ferant.& si sit præterea alius filius:eueniet,ut filius habeat dimidiam partem hæreditatis,ex quo nepotes non sunt:alius semissem cum filijs suis:ita,ut quadran-

drantẽ hæreditatis ipſe ferat, quadrans in liberos eius diuidatur. Sed ſi ambo filij emancipati ſint, & habeant ſinguli nepotes: eueniet, ut ſin guli ſingulos ſemiſſes cũ nepotibus ſuis diuidant: ita, ut ipſi quidem quadrantes ferant, nepotes autem reſiduos quadrantes. & ſi alter duos filios, & alter tres habeat: quadrans unus inter duos, alius inter tres diuidetur. Si quis ex nepotibus portionem ſuam omiſerit: eueniet, ut non ad patrem eius, ſed magis ad fratrem pertineat. ſed & ſi omnes nepotes omittent: patruo nihil adcreſcet, ſed ſoli patri. quod ſi & pater omiſerit: tunc patruo adcreſcet. Emancipatus filius, ſi quidem nepotes in aui poteſtate non habeat, fratribus ſuis conferet. ſed ſi ſint nepotes: uoluit eum prætor filijs ſuis, qui ſunt in poteſtate, ſolis conferre merito: quia ueniendo ad bonorum poſſeſſionem, illis ſolis iniuriam facit. Nunc uideamus, quantum eis conferat. & quidem ſemper, quum fratribus emancipatus confert, uirilẽ ſibi detrahit. utrũ & in eo caſu uirilem detrahat, an uero, quia dimidiam partẽ habet bonorum poſſeſſionis, dimidiam partem etiam bonorum ſuorum conferat? & puto, dimidiam tantum bonorum eius partem conferre debere. nam & ſi alius emancipatus ſit filius, alius in poteſtate retentus: filius emancipatus his duobus nepotibus unam partem tantum conferet, & patruo eorum, qui in poteſtate manſit, unam partem dabit, tertiam ipſe habebit. nec quod nepotibus confertur à patruo emancipato, ipſi patri conferent. hoc enim nõ de bonis aui, ſed propter bona poſtea eis acceſſit.

Eueniet igitur, ut pater emancipatus, ſi centum in bonis habeat, quinquaginta ſibi detrahat, reſidua quinquaginta omnibꝰ nepotibus, id eſt filijs ſuis conferat: aut ſi unum nepotem habeat, & duos ex alio pronepotes, ita diuidat quinquaginta, ut nepos habeat uigintiquinq; pronepotes ex alio unà uigintiquinq;. nam & bonorũ poſſeſſionis ambo unam partem habent. Si ſit filius in poteſtate, alius emancipatus, ex defuncto unus in poteſtate nepos, alius emancipatus: eleganter Scæuola tractat, patruus ne emancipatus nepotibus, quantum fratri ſuo, conferat? & ait poſſe dici, tres eum partes facere debere: ſibi unam, fratri unam, iſtis unam collaturum: quamuis hi minus, quàm patruus, ex hæreditate aui concurrente patre ſint habituri. quæ ſententia uera eſt.

Sed & ſi ſint duo nepotes ex eodem filio, hiq; emancipati, & ex altero eorũ pronepos in poteſtate defuncti: partem habebit nepos unus, aliam nepos cum filio ſuo. ſed & ſi nepos, & ex alio nepote defuncto duo pronepotes: unus ex pronepotibus emancipatus ſoli fratri ſuo conferet: uel (ſi frater non eſt) ſoli patruo, non etiam patruo maiori.

II. PAVLVS.

NIhil in hac parte edicti cauit prætor, ut legata exceptis perſonis

nepos præſtet:ſed poteſt ſuperior ſermo & ad hunc caſum referri.nam abſurdum eſt,patrem quidem eius legata præſtare,ipſum uero plus habere:cum eadem conditione in eandem partem uocetur.

III. MARCELLVS.

QVi duos filios habebat,alterum ex his emancipauit,nepotem ex eo in poteſtate retinuit.emãcipatus filium ſuum ſuſtulit, & a patre exhæredatus eſt.quæro,cum frater eius & ipſe emancipatus ſit præteritus,& nepotes ex emancipato filio ab auo hæredes inſtituti:quid de bonorum poſſeſſione iuris ſit: & quid interſit, ſi emancipatum quoq; ex quo nepotes erant nati,præteritum eſſe ponamus? respondi. ſi filium,retento ex eo nepote,emancipauit,& emancipatus procreauit filium,& hæres uterq; nepos inſtitutus fuit,pater eorum exhæredatus,alius filius præteritus:ſolus filius præteritus bonorum poſſeſſionem contra tabulas petere poterit.exhæredatus enim obſtat filijs ſuis poſt emãcipationem ſuſceptis.nepoti retento in poteſtate bonorum poſſeſſio dari debet: quoniã ſi pater eius emancipatus præteritus eſſet,simul cũ eo bonorũ poſſeſſionẽ accipere poſſet ,ppter id caput edicti,qd' à Iuliano introductũ eſt*(id eſt ex noua clauſula.) nec debet deterioris eſſe cõditionis,quia pater eius exhæredatus ſit.ideoq; ei præterito quoq; præſtari oportebit.ſed fratris eius,qui poſt emancipationem natus eſt, diuerſa conditio eſt.conſeruanda eſt tamen & illi ad uirilem partem hæreditas:ſicut etiam imperator Antoninus in perſona nepotis ex filia reſcripſit.

* aliàs deſunt.

IIII. MODESTINVS.

EMancipato quis filio, retinuit ex eo nepotes in poteſtate. filius emancipatus ſuſceptis poſtea liberis deceſſit. placuit in aui poteſtate manentes ſimul cum his,qui poſt emancipationem nati ſunt, decreto bonorum poſſeſſionem accipere:manente eo,ut ſi uelit auus ſibi per nepotes adquiri,bona ſua conferat, aut nepotes emancipet, ut ſibi emolumentum paternæ hæreditatis adquirant. idq; diuus Marcus reſcripſit.

V. IDEM.

SI nepos exhæredatus hæres exſtiterit ei,quem auus hæredem fecerat,deinde pater eius emancipatus teſtamento præteritus accipiat contra tabulas patris bonorum poſſeſſionem: iungi patri ſuo nepos non poterit, ſed uelut extraneus excludetur: quia non ſuo nomine auo hæres exſtiterit.

VI. SCAEVOLA.

SI quis filium habens in poteſtate,extraneum in nepotis locum quaſi ex eo filio natum adoptet,mox filium emancipet:non iungetur hic nepos filio emancipato:quia nõ deſijt eſſe emancipatus ex liberis.

VII. TRIPHONINVS.

Si

SI post emancipationem filij susceptus ex eo fuerit nepos: conseruãda illi erit portio. sed quanta, uideamus. finge enim patruo scripto hæredi cohæredem datum hũc nepotem: patrem autem eiusdem præteritum accepisse contra tabulas bonorum possessionem. quod ad edictum prætoris attinet, semisses bonorum fient. Nunc uero post restitutionem diui Pij, si conseruatur pars nepoti, utrum uirilis, an quarta debeat seruari? nam si in aui potestate natus fuisset, cõiungeretur in unã partem cum patre suo. & proponamus alium esse ex eodem nepotem in familia aui. ergo unam quartam habituri erant, patre eorum accipiẽte contra tabulas bonorum possessionem, si fuissent in aui potestate. an ergo nunc in semunciam tuendus sit, qui non in familia retentus est? & cui abscedet pars, quæ huic cessura est: patri eius tantum, an & patruo? & puto & patruo. nam & legatum eidem datum præstaret.

DE CARBONIANO EDICTO. Tit. X.

I. VLPIANVS.



I cui controuersia fiet, an inter liberos sit, & impubes sit: caussa cognita perinde possessio datur, ac si nulla de ea re controuersia esset: & iudicium in tempus pubertatis caussa cognita differtur. Eum, qui controuersiam facit, si pro pupillo satis ei non detur, simul in possessionem eorum bonorum esse, prætor iubet. Non solum tantum masculi, sed & fœminæ ex uirili sexu descendentes, Carboniani commodum habebunt. Et generaliter dicemus, his demũ Carbonianum competere, quibus contra tabulas bonorum possessio competit: his uero non competere, qui repelluntur à contra tabulas bonorum possessione. Si quis non ab aliquo hanc cõtrouersiam patiatur, quod inter liberos non sit, sed ab ipso patre: utputa nepos, qui se retentum in potestate aui dicit ab emancipato patre, cui iungi desiderat: an differri debeat? & magis est, ut differatur. Parui enim refert, quis ei controuersiam faciat: cum & si testator eum negauerit ex liberis, non tamen ex hæredem scripserit, Carboniano possit esse locus. Sed & si quis nõ tantum ex liberis negetur esse, uerum seruus etiam esse dicatur, forte ex ancilla editus: Iulianus scripsit, adhuc Carboniano locum esse. quod & diuus Pius rescripsit. nam uel magis consulendũ est his, quibus maius periculum intenditur. nam si aliter obseruetur: inuenta erit ratio, quemadmodũ audaciſsimus quisq; eo maiore iniuria impuberẽ adficiat, quo & plura & grauiora de eo mentiatur. sed & si ipse defunctus seruus esse dicatur: idem erit dicendum. Sed & si fiscus faciat impuberi con-

controuersiam, Carbonianum edictum potest locum habere. Pomponius libro septuagesimonono ad edictum rescripsit. cum filius hæres, uel exhæres scriptus est, Carbonianum edictum cessare, quamuis filius esse negetur: quia uel quasi scriptus habet bonorum possessionem, etiam si filius non sit: uel repellitur quasi exhæredatus, & si filius esse uideatur: nisi forte postumus (inquit) sit hæres institutus, & natus negetur esse filius, sed subiectus esse dicatur. quo casu eius partis tantum danda est ei bonorum possessio, ex qua institutus est. Idem ait. cum quidam exhæredem scripsisset filium, quod diceret eum ex adulterio conceptum: quasi fieret ei hæc controuersia, an inter liberos sit, ex hac parte edicti ei bonorum possessionem competere: cum si sine elogio exhæres scriptus esset, non haberet bonorum possessionem. idemque est, & si ita sit scriptus, QVISQVIS EST, QVI FILIVM MEVM SE ESSE DICIT, EXHAERES ESTO: quia non est filius exhæredatus. Si cuius filium suum hæredem instituerit ex minima parte sic, ILLE, QVI EX ILLA NATVS EST, HAERES ESTO, non quasi filium suum: deinde hic contendat patrem intestatum decessisse, secundum ei suum hæredem esse: interest, cohæredes eius utrum negent eum filiũ suum, an uero contendant testamentum ualere. si testamentum ualere contendunt: controuersia non est differenda, & Carbonianum edictum cessat. quod si filium eum negant, & ad ipsos potius quasi ad consanguineos hæreditatem pertinere dicunt: data bonorum possessione impuberi, controuersia in tempus pubertatis differtur. Si mater subiecti partus arguatur: an differenda sit quæstio propter statum pueri, quæritur. & si quidẽ pupilli status in dubium deducitur: differri quæstio in tempus pubertatis debet: cum metus esse possit, ne minus idonee defendatur. cũ uero mater rea postulatur: utique integra fide & maiore cõstantia caussam defensuram recenti tempore, dubiũ non est: cognitionemque fieri oportet, & post euentum cognitionis (si suppositum partum apparuerit) actiones hæreditariæ puero denegandæ sunt: omniaque perinde habenda, atque si hæres scriptus non fuisset.

II. MARTIANVS.

LIcet mulier, quæ partum subiecisse dicitur, decesserit: tamen si participes maleficij sint, in præsenti cognoscendũ est. si nemo autem sit, qui puniri possit, quia omnes participes facinoris forte decesserint: secundum Carbonianum edictum in tempus pubertatis differenda est cognitio.

III. VLPIANVS

CArbonianum edictum aptatum est, ad contra tabulas bonorum possessionem, & intestati: cum & in secundum tabulas in quibusdam

dam casibus possit uideri necessarium edictum: ueluti si patefamilias ita instituerit, POSTVMVS HAERES ESTO, uel POSTVMA HAERES ESTO, & neget esse uerum, quod in testamẽto scriptum est. Et cum de fideicommissis uel legatis quæritur, differri potest caussa in tẽpus pubertatis. id enim diuus Pius Coldio Hadriano rescripsit. Quamuis tripro hæredi non promitti bonorum possessionem ex edicto Carboniano certum sit: tamen quæstionem status in tempus pubertatis differri, procul dubio est. ergo siquidem de parentis bonis simul & de statu controuersia fiat: hoc edictum locum habebit. si uero status tantum: differtur quæstio in tempus pubertatis, sed non ex Carboniano, sed ex constitutionibus. Puberi, quamuis minori uigintiquinq; annis, Carbonianum non succurrit. sed si cum esset pubes, quasi impubes obrepserit, bonorumq; possessionem acceperit: dicendũ erit, nihil cum egisse. nam & si impubes esset, mox pubes factus: finiretur bonorum possessionis emolumentum. Caussæ cognitio in eo uertitur, ut si manifesta calumnia appareat eorum, qui infantibus bonorum possessionem petent: non detur bonorum possessio. summatim ergo, cum petitur ex Carboniano bonorum possessio, debet prætor cognoscere. & siquidem absolutam caussam inuenerit, euidenterq; probetur filium non esse: negare debet ei bonorum possessionem Carboniana. nam. si uero ambiguam caussam, hoc est, uel modicum pro puero facientem, ut non uideatur euidenter filius non esse: dabit ei Carboniana bonorum possessionem. Duæ autem sunt caussæ cognitiones. una dandæ Carbonianæ possessionis: quæ habet commodũ illud, ut perinde, atq; si nullam controuersiam pateretur impubes, possessionem accipiat. alia est caussæ cognitio illa, utrum debeat differri in tempus pubertatis cognitio, an repræsentari. hoc enim diligentissime prætori examinandum est: an expediat pupillo repræsentari cognitionẽ, an potius differri in tempus pubertatis: & maxime inquirere hoc à cognatis, matre, tutoribusq; pupilli debet. finge esse testes quosdam, qui dilata controuersia aut mutabunt cõsilium, aut decedent, aut propter temporis interuallũ non eandem fidem habebunt. uel finge esse anum obstetricem, uel ancillas, quæ ueritatem pro partu possunt insinuare, uel instrumenta satis idonea ad uictoriam, uel quædam alia argumenta: ut maius damnũ patiatur pupillus, quod differtur cognitio, quàm compendium, quod non repræsentatur. finge pupillum satisdare non posse: & admissos in possessionem, qui de hæreditate cõtrouersiam faciunt, multa posse subtrahere, nouare, moliri. aut stulti, aut imqui prætoris erit, rẽ in tempus pubertatis differre, cum summo eius incõmodo, cui consultum uelit. diuus enim Hadrianus ita rescripsit. quod in

tempus pubertatis res differri ſolet, pupillorum cauſſa fit, ne de ſtatu periclitentur, ante quàm ſe tueri poſſint. cæterum ſi idoneos habeant, à quibus defendantur, & tam expeditam cauſſam, ut ipſorum intereſſit mature de eo iudicari, & tutores eorum iudicio experiri uoluntnõ debet aduerſus pupillos obſeruari, quod pro ipſis excogitatum eſt: & pendere ſtatus eorum, cum iam poſſit indubitatus eſſe. Si mater impuberis ſubiecti partus rea poſtulata, cauſſam obtinuerit: poterit adhuc ſupereſſe ſtatus quæſtio. utputa ſi dicatur, aut non eſſe ex ipſo defuncto conceptus, aut ex ipſo quidẽ, ſed non ex matrimonio editus. Si is, qui ſtatus controuerſiam filio faciebat, & ſolum ſe filium dicebat, deceſſerit, & mater ei hæres exſtiterit: ſiquidem eandem controuerſiam impuberi mater faciat, qui ſe ex alia natum affirmat, quam filius eius faciebat, ſcilicet ut neget eum filium, idcircoq; ad ſe totam hæreditatem ex perſona filij ſui defuncti pertinere debere: in tempus pubertatis differri, Iulianus ait: quia nihil interſit, ſuo, an hæreditarij nomine controuerſiam faciat. Planè ſi mater *non negat hunc quoq; defuncti filium eſſe, idcircoq; defuncti partem dimidiam hæreditatis ſolam ſibi uindicet ex bonis paternis: non erit iudicium in tempus pubertatis differendum. non enim de paternis, ſed de fraternis bonis impuberi fit controuerſia. Ibidem Iulianus quærit. ſi duo impuberes patiantur ſtatus controuerſiam, & alter eorum pubuerit. exſpectari alterius quoq; pubertas debet: ſcilicet ut ſic de utriuſq; ſtatu agatur, ne aliquod præiudicium fiat impuberi propter puberis perſonam. Parui refert, utrum petitor ſit impubes, an poſſeſſor, qui ſtatus controuerſiam patitur. nã ſiue poſſideat, ſiue petat: in tempus pubertatis differtur. Si duo impuberes inuicem ſtatus controuerſiam faciant: intereſt, utrum quiſq; ſe ſolum filium dicat, an & ſe. nam & ſi ſe ſolum dicat filium: dicendum eſt, debere controuerſiam ad utriuſq; pubertatem differri: ſiue petitor, ſiue poſſeſſor ſit. ſi uero alter ſe ſolum, alter et ſe dicat: ſiquidem ille adoleuerit, qui ſe ſolum dicat: adhuc differtur controuerſia propter pueritiam eius, qui & ſe eſſe dicit: ſed de parte, nõ de toto. de parte enim utiq; hic litigatur. Quod ſi ille adoleuerit, qui & ſe dicit: ille impubes ſit, qui ſe ſolum dicit: nõ differtur controuerſia. nec enim patitur impubes controuerſiam ſtatus, ſed facit: cum hic pubes & ſe dicat, & illum non neget filium. Si quis liber & hæres eſſe iuſſus ſit, & ſtatus controuerſiam impuberi faciat, qui filius eſſe, & teſtamentum patris rupiſſe dicatur: Iulianus ait, utraq; iudicia & hæreditatis & libertatis in tempus pubertatis differenda. neutrum enim eorũ ita explicari poteſt, ut non conditioni eius, qui ſe filium eſſe contendat, præiudicetur. cæteræ quoq; libertatis quæſtiones ex teſtamento pendentes in

*al. deeſt negatio.

tes in tempus pubertatis differuntur. Cum exstaret impubes, qui se filium defuncti diceret, debitoresq; negarent eum esse filium defuncti, & intestati hæreditatem ad adgnatum, qui forte trans mare abierat, pertinere: necessarium erit puero Carbonianum edictum. sed & absenti erit prospiciendum, ut cautio præstetur. Missum autem ex Carboniano in possessionem studeant prætores possessorem constituere. quod si cœperit aut hæreditatem petere quasi bonorũ possessor Carbonianus, aut singulas res: rectissime Iulianus libro tricesimotertio digestorum scribit exceptione eum submouendũ. contentũ enim esse debere hac prærogatiua, ꝗd possessorem eum prætor tantisper cõstituat. si igitur uult hæreditatẽ, aut singulas res petere: petat (inquit) directa actione quasi hæres, ut ea petitione iudicari possit, an quasi ex liberis hæres sit: ne præsumptio Carbonianæ bonorũ possessionis iniuriam aduersarijs adferat. quæ sententia habet rationem & æquitatem. hæc autem possessio intra annum datur, sicuti ordinariæ quoq;, quæ liberis dantur, intra annum dantur. sed oportebit hunc, qui se filium dicit, non solum Carbonianam bonorum possessionem accipere, uerumetiam ordinariam agnoscere. Currunt aũt tempora ad utranq; bonorũ possessionem separatim. ordinariæ quidem: ex quo patrem suum decessisse scit, & facultatem bonorum possessionis petendæ habuit. Carbonianæ uero: eo tempore, ex quo controuersiam sibi fieri cognouit.

IIII. IVLIANVS.

IDeo si ex prima parte edicti bonorum possessionẽ non petierit: aliàs poterit ex sequenti parte edicti ad exemplum Carboniani accipere bonorum possessionem: aliàs non poterit. nam si confestim post patris mortẽ controuersia ei facta fuerit, an inter liberos bonorũ possessionem accipere possit: simul ad utriusq; edicti causſam annus cessisse uidebitur. sin uero interposito tempore scierit controuersiam sibi moueri: poterit etiam finito tempore, intra quod ex prima parte bonorũ possessionem acceperat, ex sequenti bonorum possessionem petere. quam cũ acceperit: perpetuo possessor his actionibus utetur. sed si post pubertatem contra eum iudicatum fuerit: denegabuntur ei actiones.

V. VLPIANVS.

SEd & si is, qui cõtrouersiam impuberi facit, ex liberis sit: eueniet, ut siue caueat is, cui status controuersia fit, siue non caueat: attamen simul sit in possessione. Si impubes non defendat, idcircoq; missus sit in possessionẽ, & etiam aduersarius eius: actiones hæreditarias quis exercebit? & Iulianus ait libro tricesimotertio digestorum, curatorem constitui debere, qui omnia curet, & actiones exerceat. Deniq; scribit etiam eum, qui cum impubere missus est in possessionem, actiones

posse aduersus curatorem intendere, nec esse prohibendum. nullum enim per hoc præiudicium hæreditati fieri. nam & aduersus ipsum pupillum, si satisdedisset, recte experiretur. Quoties impubes satis non dat: mittitur in possessionem eius aduersarius, siue satisdet, siue non det. et si uelit aduersarius committi sibi administrationem: satisdare debet pupillo. cæterum si satis non det: debet curator constitui, per quem bona administrentur. Aduersarius autem si satisdederit: res, quæ tempore perituræ, aut deteriores futuræ sunt, distrahere debet. item à debitoribus, qui tempore liberabuntur, exigere debet. cætera cum pupillo possidebit. An autem uescendi caussa deminuere possit is, qui ex Carboniano missus est, uideamus. & siquidem satis impubes dedit: siue decreuit præses, siue non: deminuet uescendi caussa, & hoc minus restituet hæreditatis petitori. quod si satisdare non potuit, & alite alere se uidetur non posse: deminuendi caussa usq; ad id, quod alimentis eius necessarium est, mittendus est: nec mirum debet uideri, hæreditatem propter alimenta minui eius, quem fortasse iudicabitur filium non esse: cum omnium edictis uenter in possessionem mittatur, & alimenta mulieri præstentur propter eum, qui potest nõ nasci: & maior cura adhiberi debeat, ne fame pereat filius, quàm ne minor hæreditas ad petitorem perueniat, si apparuerit filium non esse. Maxime autem puto, si missus fuerit in possessionem aduersarius, desiderandum à prætore, ne instrumenta in possessionem suam redigat. cæterum decipietur pupillus, dũ uel instruitur eis aduersarius, uel etiã intercipere ea potest. Cum autẽ in satisdatione & pupillus & aduersarius eius cessant: curator constituendus est, qui bona administret, & quandoq; ei, qui iudicio uicerit, restituat. Quid tamen, si tutores pupilli uelint administrare? non erunt audiendi: nisi satisdederint nomine pupilli, aut curatores quoq; ijdem ipsi sint constituti.

VI. PAVLVS.

DE bonis matris an decretum interponendum sit, quæritur. & decretum quidem non est interponendum: dilatio autem longissima danda est, quæ in tempus pubertatis extrahet negocium. Planè si de paternis simul & de maternis bonis controuersia sit, uel etiam de fratris: & has cõtrouersias in tempus pubertatis differendas esse, Iulianus respondit. Huic autem edicto locus est, etiam si ab intestato ad bonorum possessionem ueniant liberi: tametsi ex inferioribus partibus petant, qua legitimi uocãtur, quoniam sui sunt: uel ex illa, quæ cognatis datur. Ita demum autẽ huic edicto locus est, si & hæreditatis controuersia sit. nam si tantum status, quia (puta) seruus dicatur esse, nec ulla bonorum controuersia sit: hoc casu liberale iudicium statim explican-

plicandum erit. Qui pupillo controuersiam facit, si simul cum eo in possessionem missus est: ali ex bonis defuncti nō debebit, nec quidq̄ de bonis deminuere. hæc enim possessio pro satisdatione cedit. Non solū alimenta præstari debēt pupillo, sed & in studia, & cæteras necessaria impensas debet impendi pro modo facultatū. Post pubertatē quæritur, an actoris partes sustinere debeat, qui ex Carboniano missus est in possessionem? & responsum est, rei partes eum sustinere debere: maxime, si cauit. sed & si non cauerit, sed nunc paratus sit cauere, quasi possessor conueniendus est. quod si nūc non caueat: possessio transferatur, aduersario satis offerente, perinde, atq; si nunc primum ab eo peteretur hæreditas.

VII. IVLIANVS.

SI impubes negetur iure adoptatus, & ideo paternæ hæreditatis ei controuersia fiat: non erit iniquum simile Carboniano decretum interponi. Item si impubes in adoptionē datus esse dicatur, & ideo negetur naturalis patris hæreditas ad eum pertinere: quia & hoc casu quæritur, an iure filij obtinere hæreditatem possit: locus erit Carboniano edicto. Cum uero proponitur exhæredatum esse: non est necessarium, controuersiam pubertatis differri: quia non de ipsius filij, sed de testamenti iure quæritur. si mater eius, cui & de libertate, & de hæreditate paterna cōtrouersia fit, in quæstionem libertatis uocatur: iudicium de matre non semper in tempus pubertatis differendū erit. nam & ipsi, qui subiectus esse dicitur, ex caussa repræsentari solet. Quoties Carbonianum decretū interponitur: eodem loco rem haberi oportet, quo esset, si nulla controuersia fieret ei, qui bonorū acceperit possessionem. Cum autem ex duobus fratribus ex hoc decreto missis, alter pro parte sua paternam hæreditatem non defendit: compellitur alter totam defendere, aut uniuersa creditoribus cedere. Interdum etiam exhæredatus filius ex Carboniano decreto bonorum possessionem accipiet: si non contra tabulas petit bonorum possessionem, sed ab intestato uni de liberi: quia neget tabulas testamenti patris tales esse, ut secundū eas bonorū possessio dari possit: & dicatur non esse filius. Si pupillus liberti paterni bonorū possessionem peteret, negaretur aūt filius patroni esse: quia de paternis ei bonis nulla controuersia fieret: differendū hoc iudicium non est. si uero post interpositū decretum Carbonianū hæc quoq; controuersia moueretur: hoc iudiciū in id tempus differri debet.

Quæsitū est, an simul & pupillus ex Carboniano, & scripti hæredes secundum tabulas bonorum possessionē haberent? respondi. si filius non esset, aut non accepisset contra tabulas, uel ab intestato bonorum possessionem: simul & ipsum ex Carboniano, & scriptos hæredes secun

dum tabulas habituros bonorum possessionem.

VIII. AFRICANVS.

DEcessit, quem ego filium meum & in mea potestate esse dico. exstitit impubes, qui eum patremfamilias, & ad se hæreditatem pertinere dicat. decretũ necessarium esse respondi. Item emancipatus decessit intestatò, superstite filio impubere, qui se ei suũ esse dicit. ego contendo ante emancipationem conceptum, atq; ideo in mea potestate esse, & bona emancipati ad me pertinere. & quidem hunc filium esse constat. sed hactenus de statu eius quæritur, in potestate patris fuerit, nec ne: sententia tamen edicti proculdubio ex Carboniano admittitur.

IX. NERATIVS.

QVod Labeo scribit, quoties suppositus esse dicitur pupillus, tum quo de patris eius hæreditate controuersia est, curare prætorem debere, ut is in possessione sit: de eo puto eum uelle intelligi, qui post mortem patrisfamilias, qui se sine liberis decedere credidit, filius eius esse dici cœpit. nam eius, qui agnitus est ab eo, de cuius bonis quæritur, iustior in ea re caussa est, quàm postumi.

X. MARCELLVS.

CVm mulier deferente hærede iurauerit se prægnantem, bonorũ possessio ex edicto Carboniano dari debet: uel denegari, si illa hæredi detulit iusiurandum: cum caussa cognita detur possessio, ne aut hæredi bonorum possessio data faciat præiudicium, aut denegata ius ordinarium eripiat pupillo.

XI. PAPINIANVS.

CVm sine beneficio prætoris, qui patitur controuersiam filius, hæres esse potest, forte quia scriptus est: edicto Carboniano locus non est: similiter ac, cum certum est, quamuis filius sit, eum tamen hæredem non fore. ueluti si Titio hærede instituto, postumus aut impubes exhæredatus negetur filius. nec ad rem pertinet, quod interest illius, in quibusdam filiũ esse: ueluti propter fratris ex alia matre nati bona, uel iura libertorum, & sepulchrorum. istos enim casus ad Carbonianum constat non pertinere.

XII. IDEM.

SCriptus hæres, contra quem filius impubes, qui subiectus dicitur, ex edicto primo bonorum possessionẽ petit exemplo legitimi, secundum tabulas interim accipere non potest. quod si medio tempore scriptus, uel ille, qui intestati possessionẽ habere potuerit, moriantur: hæredibus eorum succurrendum erit. quid enim, si nõ potuerint adire hæreditatem iure cessante, uel ob litem in dubio constituti.

XIII. PAVLVS.

Titia

TItia post mortem mariti sui postumã enixa est. eidem Titiæ crimẽ adulterij Sẽpronius tandẽ apud præsidẽ prouinciæ obiecit. quæro, an in tempus pubertatis quæstio adulterij differri debeat, ne præiudicium postumæ fiat? Paulus respondit. si ei pupillæ, de qua quæritur, bonorũ quæstio paternorũ non moueatur: sine caussa tutores desidera re, adulterij quoq; quæstionem in tempus pubertatis pupillæ differri.

XIIII. SCAEVOLA.

QVæritur, an impubes, qui bonorum possessionem ex Carboniano edicto accepit, si ante, quàm possessio ad eum translata fuerit, pubes factus sit, petitoris partibus fungi debeat? respondit. in eo, quod à possessore peteret, probationem ei incumbere.

XV. HERMOGENIANVS.

HAec bonorum possessio, si satisdatum sit, non tantum ad possessionem apiscendam, sed ad res etiam persequendas, & debitum exigendum, & collationem bonorum, & dotis, & omnium, quæ conferri dicimus, prodest.

XVI. PAVLVS.

SEd sicuti de bonis paternis emancipato cauetur, ita de istis, quæ ipsi conferunt, cauendum est.

DE BONORVM POSSESSIONE SECUNDUM TABULAS Tit. XI.

I. VLPIANVS.

TAbulas testamenti accipere debemus omnem materiæ figurã. siue igit tabulæ sint *ligneæ, siue cuiuscũq; alterius materiæ: siue chartæ, siue mẽbranæ sint, uel si coriũ alicuius animalis: tabulæ recte dicentur. Non aũt omnes tabulas prætor sequitur hac parte edicti, sed supremas: hoc est eas, quæ nouissimæ ita sunt factæ, ut post eas nullæ factæ sint. supremæ enim hæ sunt, non quæ sub ipso tempore mortis factæ sunt, sed post quas nullæ factæ sunt, licet hæ ueteres sint. Sufficit autem exstare tabulas, & si non proferantur, si certum sit eas exstare. igitur & si apud furem sint, uel apud eum, apud quem depositæ sunt: dubitari nõ oportet, admitti posse bonorum possessionem. nec enim opus est aperire eas, ut bonorum possessio secundum tabulas agnoscatur. Semel autem exstitisse tabulas mortuo testatore desideratur, tametsi exstare desierunt. quare & si postea interciderunt: bonorum possessio peti poterit. Scientiam tamen exigemus, ut sciat hæres exstare tabulas, certusq; sit delatam sibi bonorum possessionem. Si quis in duobus

exem

*als. limateriæ

exemplaribus fecerit testamentum,& aliud exstet,aliud non exstet:tabulæ exstare uidentur,petiq; potest bonorũ possessio. Sed & si in duobus codicillis simul signatis alios atq; alios hæredes scripserit,& utriq; exstet: ex utroq; quasi ex uno competit bonorum possessio: quia pro unis tabulis habendum est, & supremum utrunq; accipiemus. Sed si unum fecerit testator quasi testamentũ,aliud quasi exemplũm: si quidem id exstat,quod uoluit esse testamentum:bonorum possessio petetur. si uero id,quod exemplum erat:bonorum possessio peti non potuit,ut Põponius scripsit. Exigit prætor,ut is,cuius bonorũ possessio datur,utroq; tempore ius testamenti faciendi habuerit,& cum facit testamentum,& cum moritur. proinde si impubes,uel furiosus,uel quis alius ex his, qui testamentum facere non possunt, testamentum fecerit,deinde habens testamenti factionẽ decesserit:peti bonorũ possessio nõ poterit. Sed & si filiusfamilias, putans se patremfamilias, testamentum fecerit,deinde mortis tempore paterfamilias inueniatur: non potest bonorum possessio peti. Sed si filiusfamilias ueteranus de castrensi faciat,deinde emãcipatus, uel aliàs paterfamilias factus, decedat:potest eius bonorum possessio peti. Sed & si utroq; tempore testamẽti factionem habuerit,medio tempore non habuerit: bonorum possessio secundum tabulas peti poterit. Si quis autem testamentum fecerit, deinde amiserit testamenti factionem uel furore,uel quod ei bonis interdictum est:potest eius peti bonorum possessio: quia iure testamentum eius ualet.& hoc generaliter de omnibus huiusmodi dicitur,qui amittunt mortis tempore testamenti factionẽ.sed ante factum eorum testamentum ualet. Si linum,quo ligatæ sunt tabulæ,incisum sit:siquidem alius contra uoluntatem testatoris inciderit:bonorũ possessio peti potest.quod si ipse testator id fecerit:non uidentur signatæ,& ideo bonorum possessio peti non potest. Si rosæ sint à muribus tabulæ, uel linũ:aut aliter ruptum,uetustate (puta)uel situ,uel casu putrefactũ: & sic uidẽtur tabulæ signatæ: maxime,si proponas uel unum linum tenere. Si ter forte,uel quater linum sit circũductum:dicendum est signatas tabulas eius exstare,quamuis uel incisa,uel rosa sit pars lini.

II. IDEM.

AEquissimum ordinem prætor secutus est. uoluit enim primo ad liberos bonorum possessionẽ contra tabulas pertinere,mox si inde sit occupata,iudiciũ defuncti sequendum. Exspectandi igitur liberi erunt, quàmdiu bonorũ possessionẽ petere possunt. & si tempus fuerit finitum,aut ante decesserint,uel repudiauerint, uel ius petendæ bonorum possessionis amiserint: tunc reuertetur bonorum possessio ad scriptos. Si sub cõditione hæres institutus sit filius: Iulianus per

æque

æque putauit secũdum tabulas competere ei, quasi scripto, bonorum possessionem: qualis qualis conditio sit, etiam si hæc, SI NAVIS EX ASIA VENERIT. & quamuis defecerit conditio: prætor tamen filium, qui admisit secundum tabulas, tueri debebit, ac si cõtra tabulas acce pisset. quæ tuitio ei, qui emancipatꝰ est, necessaria est. Pro qua quisq; parte hæres scriptus est, pro ea accipiet bonorum possessionem: sic tamen, ut si non sit, qui ei concurrat, habeat solus possessionẽ. quàmdiu tamen unus ex hæredibus deliberat, utrum admittat bonorũ possessionem, an non, portio bonorum possessionis eius cohæredi non defertur. Si primus quidem ita substitutus sit, SI INTRA DECEM, secundus, SI POST DECEM INTRA DECIMVMQVARTVM ANNVM: siquidẽ intra decẽ decesserit: primus solus hæres erit, & accipiet bonorũ possessionẽ. si uero post decem, intra quatuordecim: secũdus solus hæres erit, & accipiet bonorũ possessionẽ: nec sibi iungentur, cum ad suam quisq; portionem substitutus sit. Defertur bonorũ possessio secundum tabulas primo gradu scriptis hæredibus: mox illis non petentibus: & sequentibus non solum substitutis, uerum substitutis quoq; substituti, & per seriem substitutos admittimus. primo gradu autem scriptos accipere debemus omnes, qui primo loco scripti sunt. nam sicut ad adeundam hæreditatem proximi sunt, ita & ad bonorum possessionem admittendam. Si quis ita scripserit, PRIMVS EX PARTE HAERES ESTO. SI PRIMVS HAERES NON ERIT, SECVNDVS HAERES ESTO. TERTIVS EX ALIA PARTE DIMIDIA HAERES ESTO. SI NON ERIT: QVARTVS HAERES ESTO. primus & tertius priores ad bonorũ possessionem inuitantur. Si quis ita instituerit hæredes, VTER EX FRATRIBVS MEIS SEIAM VXOREM DVXERIT, EX DODRANTE MIHI HAERES ESTO: VTER NON DVXERIT, EX QVADRANTE HAERES ESTO: siquidem mortua fuerit Seia: æquas partes habituros hæredes cõstat. quod si ab altero uxor ducta fuerit: dodrantem & quadrantem eis competere: bonorum autem possessionem, ante quàm existat conditio, neutrum petere. Si consultò sit inductum nomen hæredis: indubitanter probatur bonorum possessionẽ expetere eum non posse: quemadmodum nec potest, qui hæres scriptus est non consulto testatore. nam pro non scripto est, quem scribi noluit. Si duo sint hæredes instituti Primus & Secundus, & Secũdo Tertius substitutus: omittente Secundo bonorum possessionem, Tertius succedit. quod si Tertius noluerit hæreditatẽ adire, uel bonorum possessionem accipere: recidit bonorum possessio ad Primum: nec erit necesse petere bonorum possessionem, sed ipso iure ei adcrescet. hæredi enim scripto, sicut portio hæreditatis, ita & bonorum possessio adcrescit. Si seruus hæres

scriptus sit: ei domino defertur bonorum possessio, ad quem hæreditas pertinebit. ambulat enim cum domino bonorum possessio. quare si mortis tempore Stichus hæres institutus seruus fuit Sempronij, nec Sempronius eum iussit adire, sed uel decessit, uel etiam eum alienauit & cœpit esse Septicij: euenit, ut si Septicius eum iusserit, Septicio deferatur bonorum possessio. ad hunc enim hæreditas pertinet. unde si per multos dominos transierit seruus, tres forte, uel plures: nouissimo dabimus bonorum possessionem.

III. PAVLVS.

VErum est, omnem postumum, qui moriente testatore in utero fuerit, si natus sit, bonorum possessionem petere posse.

IIII. VLPIANVS.

CHartæ appellatio & ad nouam chartam refertur, & ad deletitiam. proinde & si in opistographo quis testatus sit: hinc peti potest bonorum possessio.

V. IDEM.

SI sub conditione hæres institutus quis sit, & accepta bonorum possessione secundum tabulas conditio defecerit: interdum euenit, ut res possessori concedenda sit. utputa si filius emancipatus sit sub conditione hæres institutus. nam & si defecerit cõditio: attamen secundum tabulas bonorum possessionem eum accipere, Iulianus scribit. Sed & si is fuerit, qui ab intestato bonorum possessor futurus esset: tuendũ esse scripsit. & hoc iure utimur. Videndũ, an legata ab eis debeãtur? & filius quidẽ quasi contra tabulas bonorum possessione accepta, rem habere uidetur, cæteri uero quasi ab intestato. & ideo filius liberis parẽtibusq; legata relicta solis præstare cogetur, cæteris non. Planè ei, cui ab intestato fideicommissum relictum est, erit præstandũ: quasi uideatur hoc ipso fraudatus, quod ex testamento petita sit bonorum possessio.

VI. IDEM.

HI demum sub conditione hæredes instituti, bonorum possessionem secundum tabulas etiam pendente conditione necdum impleta petere possunt, qui utiliter sunt instituti. quod si inutiliter quis sit institutus, nec ad bonorum possessionem inutilis institutio proficit.

VII. IVLIANVS.

CVm tabulæ testamenti plurium signis signatæ sunt, & quædam ex his nõ comparent, septem tamen signa manent: sufficit ad bonorum possessionem dandam septem testium signa comparere, licet non omnium, qui signauerunt, signa maneant.

VIII. IDEM.

SI ita scriptum sit, SEMPRONIVS EX PARTE DIMIDIA HAERES esto

ESTO. TITIVS, SI NAVIS EX ASIA VENERIT, EX PARTE TERTIA HAERES ESTO. IDEM TITIVS, SI NAVIS EX ASIA NON VENERIT, EX PARTE SEXTA HAERES ESTO: Titius nõ ex duabus partibus hæres ſcriptus, ſed ipſe ſibi ſubſtitutus intelligi debet. ideoq; non ex maiore parte, quàm tertia, ſcriptus uidetur. ſecundum hanc rationem (cum ſextans uacuus relinquatur) bonorum poſſeſſionem Titius accipiet non ſolum tertiæ partis, ſed quoq; eius, quæ ex ſextante eidẽ adcreſcit.

Qui filio impuberi ſubſtituitur ita, SI FILIVS MEVS MORIETVR PRIVS, QVAM IN TVTELAM VENIAT, TVNC TITIVS MIHI HAERES ESTO: ſicut hæreditatem uindicat perinde, ac ſi uerbũ hoc MIHI adiectum non eſſet: ita bonorum eius quoq; poſſeſſionem accipere poteſt. Sed & cum in prænomine & cognomine erratũ eſt: is, ad quem hæreditas pertinet, etiam bonorum poſſeſſionem accipiet. is autem, cuius nomen in teſtamento uoluntate teſtatoris perductum eſt: ſicut ad adeundam hæreditatem, ita ad petendam bonorum poſſeſſionem ſcriptus non intelligitur, quamuis nomen eius legatur. Quidam teſtamentum in tabulis ſibi fecit, filio autem impuberi per nuncupationem ſubſtituit. reſpondi. ſententiam prætoris in danda bonorũ poſſeſſione eam eſſe, ut ſeparatim patris, ſeparatim filij hæredes æſtimari debeant. nam quemadmodum ſcripto hærede filio ſeparatim ab hæredibus patris, ita nuncupato poteſt uideri ſeparatim à ſcriptis patris hæredibus bonorum poſſeſſio dari.

IX. POMPONIVS.

VT bonorũ poſſeſſio ſecũdum pupillares tabulas admitti poſſit: requiritur, ut patris teſtamentum ſignatum ſit, licet ſecundæ tabulæ reſignatæ proferantur.

X. PAVLVS.

SI ſeruus ſub conditione hæres inſtitutus ſit: an bonorum poſſeſſionem accipere poſſit, dubitatur. & Scæuola noſter probat poſſe.

XI PAPINIANVS.

QVI EX LIBERIS MEIS IMPVBES SVPREMVS MORIETVR, EI TITIVS HAERES ESTO. ambobus peregre defunctis, ſi ſubſtitutus ignoret, uter nouiſſimus deceſſerit: admittenda eſt Iuliani ſententia, qui propter incertum conditionis, etiam prioris poſſe peti bonorum poſſeſſionem reſpondit. Filius hæres inſtitutus poſt mortem patris ab hoſtibus rediit. bonorum poſſeſſionem accipiet: & anni tempus, à quo rediit, ei computabitur. Teſtamento facto Titius adrogandum ſe præbuit, ac poſtea ſui iuris effectus uita deceſſit. ſcriptus hæres, ſi poſſeſſionem petat, exceptione doli mali ſubmouebitur: quia dando ſe adrogandum teſtator, cum capite fortunas quoq; ſuas in familiam & do-

mum alienam transfert. Planè si sui iuris effectus, codicillis aut alijs literis eodem testamento se mori uelle declarauerit: uoluntas, quæ defecerat, recenti iudicio redijsse intelligetur: non secus, ac si quis aliud testamentum fecisset, ac supremas tabulas incidisset, ut priores supremas relinqueret. nec putauerit, quisquam nuda uoluntate constitui testamentum. non enim de iure testamenti maxime quæritur, sed piri bus exceptionis, quæ in hoc iudicio, quanquam actori opponatur, ex persona tamen eius, qui opponit, æstimatur.

XII PAVLVS.

VT scriptus hæres agnoscere possit bonorũ possessionem: exigendũ puto, ut & demonstratus sit ꝓpria demonstratione, & portio adscripta ei inueniri possit, licet sine parte institutꝰ sit. nã qui sine parte hæres institutus est: uacantẽ portionẽ, uel aliũ assem occupat. quod si ita hæres scriptus sit, ut interdũ excludat testamẽto, eo ꝙ nõ inueniẽ portio, ex qua institutus est: nec bonorũ possessionem petere p̃t test. id euenit, si quis ita hæredem instituat: TITIVS QVANTA EX PARTE PRIORE TESTAMENTO EVM HAEREDEM SCRIPTVM HABEO, HAERES ESTO: uel QVANTA EX PARTE CODICILLIS SCRIPTVM EVM HABEO, HAERES ESTO: si scriptus nõ inueniatur. quod si ita scripsero: TITIVS, SI EVM PRIORE TESTAMENTO EX SEMISSE SCRIPTVM HAEREDEM HABEO: uel SI EVM CODICILLIS EX SEMISSE HAEREDEM SCRIPSERO, EX SEMISSE HAERES ESTO: tunc accipiet bonorum possessionem quasi sub conditione hæres scriptus.

SI A' PARENTE QVIS MANVMISSVS fuerit. Tit. XII.

I. VLPIANVS.

EMancipatus à parente in ea caussa est, ut in contra tabulas bonorum possessione liberti patiatur exitum. quod æquissimum prætori uisum est: quia à parente beneficium habuit bonorum quærendorum. quippe si filiusfamilias esset, quodcunq; sibi adquireret, eius emolumentum patri adquireret. & ideo itum est in hoc, ut parens exemplo patroni ad contra tabulas bonorum possessionem admittatur. Enumerantur igitur edicto personæ manumissorum sic. IN EO, QVI A' PATRE, AVO'VE PATERNO, PROAVO'VE PATERNI AVI PATRE. Nepos ab auo manumissus dedit se adrogandum patri suo. siue manens in potestate patris decesserit, siue manumissus diem suum obeat: solus admittetur auus ad eius successionem ex interpretatione edicti: quia perinde

perinde defert prætor bonorũ possessionem, atq; si ex seruitute manumissus esset. porrò si hoc esset: aut non esset adrogatus, quia adrogatio liberti admittenda non est: aut si obrepsisset, patroni tamen ius nihilo minus integrũ maneret. Si parens uel accepit pecuniã, ut emanciparet, uel postea uiuus in eum filius, quantum satis est, contulit, ne iudicia eius inquietaret: exceptione doli repelletur. Est & alius casus, quo bonorum possessionem contra tabulas parens non accipit: si forte filius militare cœperit. Nam diuus Pius rescripsit, patrem ad contra tabulas bonorum possessionem uenire non posse. Liberos autem manumissoris non uenire ad contra tabulas bonorum possessionem filij, constat; quamuis patroni ueniant. Patrem autem accepta contra tabulas bonorum possessione, & ius antiquũ, quod & sine manumissione habebat, posse sibi defendere, Iulianus scripsit. nec enim nocere debet ei, quod iura patronatus habebat, cum sit & pater.

II. CAIVS.

Nonnunquam adeo exæquandus est patrono parens, ut etiam Fauiana, aut Caluisiana actio ei detur: quia iniquum est ingenuis hominibus non esse liberam rerum suarum alienationem.

III. PAVLVS.

PAconius ait. si turpes personas (ueluti meretricem) à parente manumissus hæredes fecisset, totorum bonorum contra tabulas possessio parenti datur: aut constitutæ partis, si non turpis hæres esset institutus. Si filius emancipatus testamento suo patrem suum præterierit, siue hæredem instituerit: fideicommissa non cogetur pater præstare ex sua parte, quæ ei debet, etiam si adierit hæreditatem. sed & si filia uel neptis manumissa sit, & pater uel auus præteritus petat bonorũ possessionem: eadem, quæ & in filio, dicenda sunt.

IIII. MARCELLVS.

PAtri, qui filium emancipauit, de his, quæ libertatis caussa interpósita fuerant, prætor nihil edicit. & ideo frustra pater operas stipulabitur de filio.

V. PAPINIANVS.

Diuus Traianus filium, quem pater male contra pietatem afficiebat, coëgit emancipare. quo postea defuncto, pater ut manumissor bonorum possessionẽ sibi competere dicebat. sed consilio Neratij Prisci & Aristonis ei ꝓpter necessitatẽ soluendæ pietatis denegata est.

DE BONORVM POSSESSIONE EX TESTAMENTO MILITIS. Tit. XIII.

I. VLPIANVS.

NOn dubium est,quin debeant uoluntates ratæ esse eorũ, qui in hostico suprema iudicia sua,quoquo modo ordinassent,ibidemq; diem suum obijssent. quanquã enim distet conditio militum ab his personis, quas constitutiones principales seperant:tamen qui in procinctu perssantur,cum eadem pericula experiantur, iura quoq; eadem merito sibi uindicant. Omnes igitur omnino,qui eius sunt conditionis, ut iure militari testari non possint,si in hostico deprehẽdantur,& illic decedãt: quo modo uelint,& quo mõ possint,testabunt: siue præses quis sit prouinciæ,siue legatus,siue quis alius,qui iure militari testari non potest. Item nauarchos & trierarchos classium iure militari posse testari,nulla dubitatio est. In classibus omnes remiges & nautæ milites sunt. Item milites uigiles sunt:& iure militari eos testari posse,nulla dubitatio est. Si quis militum ex alio numero translatus sit in alium: quamuis & hinc sit exemptus,& illò nondum peruenerit:tamen poterit iure militari testari. est enim miles, quamuis in numeris non sit.

DE IVRE PATRONATVS. Tit. XIIII.

I. VLPIANVS *lib.* IX. *de officio proconsulis.*

PAtronorum querelas aduersus libertos præsides audire, & non translaticie exsequi debent: cum si ingratus libertus sit,non impune eum ferre oporteat. sed siquidem in officiosus patrono, patronæ,liberisue eorum sit: tantũmodo castigari eum sub comminatione aliqua seueritatis non defuturæ,si rursum causam querelæ præbuerit,& dimitti oportet. enimuero si contumeliam fecit,aut cõuicium eis dixit:etiam in exilium temporale dari debebit. quod si manus intulit: in metallum dandus erit. idem erit,& si calumniam aliquam eis instruxit,uel delatorem subordinauit,uel quam causam aduersus eos tentauit.

II. IDEM.

LIbertini homines negociatione licita, phiberi à patronis nõ debẽt.

III. MARTIANVS.

SI quis tutor datus,cum sibi legata esset ancilla,& rogatus eam manumittere,manumiserit agnito legato,& à tutela pupilli se excusauerit: diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, hunc esse quidem patronum,sed omni commodo patronatus carere.

IIII. IDEM.

IVra libertorum paternorum liberis,cum pater eorum erat perduellionis

lionis damnatus, salua esse, diui Seuerus & Antoninus benignissime rescripserũt: sicut ex alia caussa punitorũ liberis iura libertorũ salua sunt

V. IDEM.

Diuus Claudius libertum, qui probatus fuerat patrono delatores submisisse, qui de statu eius facerent ei quæstionem: seruum patroni esse iussit. Imperatoris nostri rescripto cauetur, ut si patronus libertum suum non aluerit, ius patroni perdat.

VI. PAVLVS.

ADigere iure iurando, ne nubat liberta, uel liberos tollat: intelligitur etiam is, qui libertum iurare patitur. sed si ignorante eo suus filius adegerit, stipulatusue fuerit: nihil ei nocebit. certe si iussu patroni is, qui in potestate est, idem fecerit: dicendũ est, eum hac lege teneri. Qui stipulatus est centum operas, aut in singulas aureos quinos dari: non uidetur contra legem stipulatus: quia in potestate liberti est operas dare. Quamuis nulla persona lege excipiatur: tamen intelligendum est de his legem sentire, qui liberos tollere possunt. Itaq; si castratum libertum iure iurando quis adegerit: dicendum est, non puniri patronum hac lege. Si patronus libertam iure iurando adegerit, ut sibi nuberet: siquidem ducturus eam adegit: nihil cõtra legem fecisse uidebitur. si uero non ducturus, propter hoc solum adegerit, ne alij nuberet: fraudem legi factam, Iulianus ait: & perinde patronum teneri, ac si coëgisset iurare libertam non nupturam. Lege Iulia de maritandis ordinibus remittitur iusiurandum, quod liberto in hoc oppositum est, ne uxorem duceret: libertæue, ne nuberet, si modo nuptias contrahere recte uelint.

VII. MODESTINVS.

Diuus Vespasianus decreuit, ut si qua hac lege uenierit, ne prostitueretur, & si prostituta esset, ut esset libera: si postea ab emptore alij sine conditione uenierit: ex lege uenditionis liberam esse, & libertã prioris uenditoris. Mandatis Imperatorũ cauetur, ut etiam in prouincijs præsides de querelis patronorum ius dicentes secundum delictũ admissum libertis pœnas irrogent. Interdum illæ pœnæ à liberto ingrato exiguntur: uel pars bonorum eius aufertur, & patrono datur: uel fustibus ceditur, & ita absoluitur.

VIII. IDEM.

SEruum à filiofamilias milite manumissum, diuus Hadrianus rescripsit, militem libertum suum facere, non patris. Seruus non manumissus libertatem consequitur is, qui ea lege distractus est, ut manumittatur intra tempus, quod superueniens, licet non manumittatur, facit tamen libertum emptoris.

Idem

IX. IDEM.

FIlij hæreditate paterna se abstinentes, ius, quod in libertis paternis habent, non amittunt. idem in emancipato. Vt in bonis liberti locum quidem non habeant, lege excipiuntur rei capitalis damnatus, si restitutus non est: si index cuius flagicij sit fueritue: uel maior annis uigintiquinq; cum esset, capitis accusauerit libertum paternum.

X. TERENTIVS.

EVm patronum, qui capitis libertum accusasset, excludi à bonorũ possessione contra tabulas, placuit. Labeo existimabat capitis accusationem eam esse, cuius pœna mors aut exilium esset. Qui nomen detulit, accusasse intelligendus est: nisi abolitionem petit. Idq; etiam Proculo placuisse Seruius refert.

XI. VLPIANVS.

IS autem nec ad legitimam hæreditatem, quæ ex lege duodecim tabularum defertur, admittitur.

XII. MODESTINVS.

CAius Seius decedens testamento ordinato, inter filios suos & Iulium libertum suum, quasi & ipsum filium, ex parte hæredem nominauit. quæro, an huiusmodi scriptura possit liberto statum cõditionis mutare? Modestinus respondit, statum mutare non posse.

XIII. IDEM.

FIliusfamilias seruum peculiarẽ manumittere non potest: iussu tamen patris manumittere potest, qui manumissus libertus sit patris.

XIIII. VLPIANVS.

SI iurauero me patronum esse: dicendum est, non esse me (quantũ ad successionem) patronum: quia iusiurandum patronum non facit. aliter, atq; si patronum esse pronunciatum sit. tunc enim sententiæ stabitur.

XV. PAVLVS.

QVi contra legem Aeliam Sentiam ad iusiurandum libertum adegit: nihil iuris habet, nec ipse, nec liberi eius.

XVI. VLPIANVS

SI libertus minorem se centenario in fraudẽ legis fecit: ipso iure non ualebit id, quod factum est. & ideo quasi in centenarij liberti bonis locum habebit patronus. quidquid igitur quaqua ratione alienauit: ea alienatio nullius momenti est. Planè si qua alienauerit in fraudem patroni, adhuc tamen post alienationem maior centenario remaneat: alienatio quidem uires habebit, ueruntamen per Fauinianam & Calusianam actionem reuocabuntur ea, quæ per fraudem sunt alienata. & ita Iulianus sæpissime scripsit, eoq; iure utimur. diuersitatis aũt ea ratio est: quia quoties in fraudem legis fit alienatio, non ualet, quod factum

tum est. in fraudem autem fit, cum quis se minorem centenario facit ad hoc, ut legis præceptum euertat. at cum alienatione facta nihilominus centenarius est: non uidetur in fraudem legis factum, sed tantum in fraudem patroni. idcirco Fauiano & Caluisiano iudicio reuocabitur id, quod alienatum est. Si quis plures res simul alienando, minorem se centenario fecerit, quarum una omniũ partium reuocata maior centenario efficitur: utrum reuocamus omnes, an pro rata ex singulis, ut ex singulis centenarium eum faciamus? magisq; est, ut omnium rerum alienatio facta nullius momenti sit. Si quis planè non simul alienauerit, sed quasdam res ante, quasdam postea: alienatio earum rerum, quæ postea alienatæ sunt, ipso iure non reuocabitur, sed prior. in posterioribus Fauianæ & Caluisianæ locus erit.

XVII. IDEM.

Duo fratres in hæc uerba rescripserunt. Comperimus à peritioribus dubitatum aliquando, an nepos contra tabulas auiti liberti bonorum possessionem petere possit: si eum libertũ pater patris, cum annorum uigintiquinq; esset, capitis accusasset. & Proculum sanè non leuem iuris authorem in hac opinione fuisse, ut nepoti in huiusmodi caussa nõ putaret dandam bonorum possessionem. cuius sententiam nos quoq; secuti sumus, cũ rescriberemus ad libellum Cepidiæ Longinæ. sed & Volusius Mætianus amicus noster, ut & iuris ciuilis præterueterem & bene fundatã peritiam anxie diligens, religione rescripti nostri ductus est, ut coram nobis adfirmauerit, non arbitratum se aliter respondere debere. sed cũ & ipso Mætiano & alijs amicis nostris iuris peritis adhibitis, plenius tractaremus: magis uisum est, nepotem neq; uerbis, neq; sententia legis, aut edicti prætoris, ex persona uel nota patris sui excludi à bonis auiti liberti. plurium etiam iuris authorum, sed & Saluij Iuliani amici nostri clarissimi uiri hanc sententiam fuisse.

Item quæsitum est, si patroni filius capitis accusauerit libertum: an hoc noceat liberis ipsius? & Proculus quidem in hac fuit opinione, notam adspersam patroni filio liberis eius nocere: Iulianus autem negauit. sed hic idem, quod Iulianus, erit dicendum.

XVIII. SCAEVOLA.

Quæro, an libertus prohiberi possit à patrono in eadem colonia, in qua ipse negociatur, idem genus negocij exercere? Scæuola respondit. non posse prohiberi.

XIX. PAVLVS.

Ingratus libertus est, & qui patrono obsequium non præstat, uel res eius, filiorumue tutelam administrare detrectat.

XX. IDEM.

SIcut testamento facto decedente liberto, potestas datur patrono, uel libertatis causſa impoſita petere, uel partis bonorum poſſeſſionem: ita & cum inteſtatò deceſſerit, earum rerum ei electio manet.

XXI. TERENTIVS.

SIue libertus, ſiue patronus deportetur, & poſt reſtituatur: amiſſi patronatus & petendæ contra tabulas bonorum poſſeſſionis ius recipitur. quod ius ſeruatur, & ſi in metallum patronus uel libertus damnatus reſtituatur. Excluditur contra tabulas bonorum poſſeſſione patronꝰ, & ſi ex uncia hæres inſtituatur, & id, quod deeſt ad ſupplendam debitam portionem, per ſeruum iudicio liberti ſine conditione & dilatione ei in hæreditate uel legato ſiue fideicõmiſſo quæri poteſt. Ex duobus patronis unus ex debita parte hæres inſtitutus ſine conditione & dilatione, contra tabulas bonorum poſſeſſionem petere non poterit: licet ſi minor ei portio eſſet relicta, & contra tabulas bonorum poſſeſſionẽ petiſſet, alia etiam portio ei adcreſcere potuiſſet. Naturales liberi liberti exhæredati facti, alio ex parte hærede inſtituto, ſi per ſeruũ ex alia parte parenti ſucceſſerint: obijciuntur patrono. Liberti filius hæres inſtitutus, ſi bona repudiauerit, patronum non excludit.

XXII. CAIVS.

SAtis conſtat, etiam ſi in poteſtate ſit parentis filius patronæ, nihilominus legitimo iure ad eum pertinere hæreditatem.

XXIII. TRIPHONINVS.

SI filius patris necem inultam reliquerit, quam ſeruus detexit, & meruit libertatem: dixi, non habendum pro patroni filio, quia indignus eſt. Cum ex falſis codicillis, qui ueri aliquo tempore creditiſunt, hæres ignorans quaſi ex fideicommiſſo libertatem ſeruis præſtitiſſet: reſcriptum eſt à diuo Hadriano, liberos quidem eos eſſe, ſed æſtimationem ſui præſtare debere. & hos libertos manumiſſoris eſſe recte probatur: quia ſaluum eſt etiam in his libertis ius patroni.

XXIIII. PAVLVS.

CAmelia Pia ab Hermogene appellauerat, quod diceret iudicem de diuidenda hæreditate inter ſe & cohæredem non tantum res, ſed etiam libertos diuiſiſſe. nullo enim iure id eum feciſſe. placuit nullam eſſe libertorum diuiſionem. alimentorum autem diuiſionem à iudice inter cohæredes factam, eodem modo ratam eſſe.

DE OBSEQVIIS A' LIBERIS ET LIbertis parentibus & patronis præſtandis. Tit. XV.

Vlpia-

I. PAVLVS.

ETiam militibus pietatis ratio in parentes cõstare debet. quare si filius miles in patrem aliqua commisit: pro modo delicti puniendus est. & inter collibertos matrem & filium pietatis ratio secundum naturam salua esse debet.

Si filius patrem aut matrem, quos uenerari oportet, cõtumelijs afficit, uel impias manus eis infert: præfectus urbi delictum ad publicam pietatem pertinens, pro modo eius uindicat. Indignus militia iudicandus est, qui patrem & matrem, quibus se educatũ dixerit, maleficos appellauerit.

II. PAVLVS.

HOnori parentum ac patronorum tribuendũ est, ut quamuis per procuratorem iudicium accipiant, nec actio de dolo, aut iniuriarum in eos detur. licet enim uerbis edicti non habeantur infames ita condemnati: re tamen ipsa & opinione hominum non effugiunt infamiæ notam. Interdictum quoq; unde ui non aduersus eos reddendũ.

III. MARCELLVS.

TItius puerum emit, quem post multos annos uenire iussit. postea exoratus accepto eius precio eum manumisit. quæro, an eum filius & hæres manumissoris, ut ingratũ, accusare possit? respondit, posse: si nihil aliud esset impedimento. nam plurimum interesse, à suo seruo quis, uel etiam ab amico eius, acceptis numis, dederit libertatem: an ab eo seruo, qui cum esset alienus, in fidem eius deuenit. etenim ille, etiã si nõ gratuitum beneficium, tamen præstitit: iste nihil amplius, quàm operam suam, accommodare uideri potest.

IIII. MARTIANVS.

PEr procuratorem ingratum libertum posse argui, diui Seuerus & Antoninus rescripserunt.

V. VLPIANVS.

PArens, patronus, patrona, liberiue, aut parentes patroni, patronæue: neq; si ob negocium faciendum, uel non faciendum pecuniam accepisse dicentur, in factum actione tenentur: sed nec famosæ actiones aduersus eos dantur, nec hæ quidem, quæ doli uel fraudis habent mentionem.

VI. PAVLVS.

NEc serui corrupti agetur.

VII. VLPIANVS.

LIcet famosæ non sint. & in quantum facere possunt, damnantur. nec exceptiones doli, uel uis metusue causa, uel interdictum unde ui, uel quod ui patiuntur: nec deferentes iusiurandum de calumnia

iurant. nec non & si uentris nomine in possessionem calumniæ caussa missa dicatur patrona, libertus hoc dicens non audietur: quia de calumnia patroni queri nō debet. his enim personis etiam in cæteris partibus edicti honor habetur. honor autem his personis habebitur ipsis, non etiam interuentoribus eorum. & si forte ipsi pro alijs interuenjant, honor habebitur.

VIII. PAVLVS.

HAeres liberti omnia iura extranei hominis integra aduersus patronum defuncti habet.

IX. IDEM.

LIberto & filio semper honesta & sancta persona patris ac patroni uideri debet.

X. TRIPHONINVS.

NVllum ius libertatis caussa impositorum habet pater in emancipato filio: quia nihil imponi liberis solet. nec quisquam dixerit, iureiurando obligari filium patri manumissori, ut libertum patrono. nam pietatem liberi parentibus, non operas debent.

XI. PAPINIANVS.

LIberta ingrata non est, quod arte sua contra patronæ uoluntatem utitur.

DIGESTORVM SEV PANDECTARVM LIBER TRICESIMVS OCTAVVS.

DE OPERIS LIBERTORVM. Tit. I.

I. PAVLVS *lib. singulari de uarijs actionibus.*

OPeræ sunt diurnum officium.

II. VLPIANVS.

HOc edictum prætor proponit coartandæ persecutionis libertatis caussa impositorum. animaduertit enim libertatis caussa impositorum præstationē ultra modū excreuisse, ut premeret atq; oneraret libertinas personas. initio igitur prætor pollicetur se iudicium operarum daturum in libertos & libertas.

III. POMPONIVS.

OPeras stipulatus, ante peractum diem operā eius diei petere non potest. nec pars operæ per horas solui potest: quia id est officij diurni

urni. itaq; nec ei liberto, qui sex horis duntaxat ante meridianis præsto fuisset, liberatio eius diei contingit.

IIII. IDEM.

A Duobus manumissus utriq; operas promiserat. altero ex his mortuo, nihil est, quare non filio eius (quamuis superstite altero) operarum detur petitio. nec hoc quidquam commune habet cum hæreditate, aut bonorum possessione. perinde enim opera à libertis, ac pecunia credita petit. hæc ita Aristo scripsit, cuius sententiam puto uerã. nam etiã præteritarum operarũ actionem dari hæredi extraneo sine metu exceptionis placet. dabitur igitur & uiuo altero patrono.

V. VLPIANVS.

SI quis operas sit stipulatus sibi, liberisq; suis: etiam ad postumos peruenit stipulatio.

VI. IDEM.

FAbriles operæ, cæteræq;, quæ quasi in pecuniæ præstatione consistunt, ad hæredem transeunt, officiales uero non transeunt.

VII. IDEM.

VT iurisiurandi obligatio contrahatur: libertum esse oportet, qui iuret, & libertatis caussa iurare. Planè quæritur, si quis liberto suo legauerit, si filio suo iurauerit, se decem operarum nomine præstaturum: an obligetur iureiurando? & Iubentius Celsus obligari eũ ait: paruiq; referre, quã ob caussam de operis libertus iurauerit. & ego Celso adquiesco. Iurare autem debet post manumissionem, ut obligetur: & siue statim, siue post temp9 iurauerit, obligatur. Iurare autem debet, operas, donũ, munus se præstaturum. operas qualescunq;, quæ modo probe iure licito imponuntur. Rescriptum est à diuo Hadriano, & deinceps cessare operarum persecutionem aduersus eum, qui ex caussa fideicommissi ad libertatem perductus est. Dabitur & in impuberem, cum adoleuerit, operarum actio. sed interdũ, & quàmdiu impubes est. nam huius quoq; est ministerium: si forte uel librarius, uel nomenclator, uel calculator sit, uel histrio, uel alterius uoluptatis artifex. Si liberi patroni ex inæqualibus partibus essent instituti, utrum pro parte dimidia, an pro hæreditarijs habeant operarũ actionẽ? & puto uerius, liberos pro æqualibus partib9 habituros actionẽ. Parui aũt refert, in potestate fuerint liberi, an uero emancipati. sed si in adoptionem datum hæredem scripserit patronus: magis est, ut operæ ei debeantur. nec patronæ liberi submouentur ab operarum petitione.

VIII. POMPONIVS.

SI quando duobus patronis iurauerit libertus operas se daturum: Labeoni placet & deberi & peti posse partem operæ: cum semper præ

terita opera, quæ iam dari non possit, petatur. quod contingit, si uel ipsis patronis iuretur, uel promittatur, uel cõmuni seruo eorum, uel cum plures hæredes uni patrono existant. Pro liberto iurante fide iubere quemuis posse placet.

IX. VLPIANVS.

OPeræ in rerum natura nõ sunt. sed officiales quidem futuræ, nec cuiq; alij deberi possunt, quàm patrono: cũ proprietas earum & in edentis persona, & in eius, cui eduntur cõsistat. fabriles autem, aliæ ue eius generis sunt, ut à quocunq; cuicunq; solui possint. sanè enim si in artificio sint: iubente patrono & alij edi possunt.

X. POMPONIVS.

SEruus patroni à liberto male ita stipulatur, OPERAS MIHI DARE SPONDES? itaq; PATRONO DARI stipulandum est. Libertus operarum nomine ita iurando PATRONO AVT LVCIO TITIO, soluere Lucio Titio non potest, ut à patrono liberetur.

XI. IVLIANVS.

NIhil autem interest, extraneus sit Lucius Titius, an filius.

XII. POMPONIVS.

QVia aliæ operæ erunt, quæ Lucio Titio dantur. sed si libertatis caussa pecuniam promittat libertus: agẽti patrono aut Lucio Titio, omnimodo adiectio Titij ualet.

XIII. VLPIANVS.

SI quis hac lege emptus sit, ut manumittatur, & ex constitutione diui Marci peruenerit ad libertatem: operæ ei impositæ nullum effectum habebunt. sed nec is, cui bona addicta sunt ex constitutione diui Marci libertatium conseruandarum caussa poterit operas petere: neq; ab his, qui directas, neq; ab his, qui fideicõmissas libertates acceperunt. quamuis fideicõmissas qui acceperunt, ipsius liberti efficiantur. nõ em̃ sic fiunt liberti, ut sunt proprij, quos nulla necessitate cogẽte manumisimus. Iudicium de operis tunc locum habet, cum operæ præterierint. præterire autem non possunt ante, quàm incipiant cedere: & incipiunt postea, quàm fuerint indictæ. Etiam si uxorem habeat libertus, non prohibetur patronus operas exigere. Si impubes sit patronus: uoluntate eius nõ uidetur liberta nupta, nisi tutoris authoritas uoluntati accesserit, rati quoq; habitio patrono obest in nuptijs libertæ.

XIIII. TERENTIVS.

PLanè cum nupta esse desierit: operas peti posse, omnes cõsentiũt.

XV. VLPIANVS.

LIbertus, qui post indictionẽ operarum ualetudine impeditur, quominus operas præstet: nõ tenetur. nec enim potest uideri per eum stare

ſtare, quo minus operas præſtet. Et neq; promitti, neq; ſolui, nec deberi, nec peti pro parte poterit opera. ideo Papinianus ſubiicit. ſi non una, ſed plures operæ ſint, & plures hæredes exiſtant patrono, qui operas ſtipulatus eſt: uerum eſt, obligationem operarum numero diuidi. denig; Celſus libro duodecimo ſcribit: ſi communis libertus patronis duobus operas mille daturum ſe iurauerit, aut communi eorum ſeruo promiſerit: quinquagenas potius deberi, q̃ ſingularũ operarũ dimidias.

XVI. PAVLVS.

EIus artificij, quod poſt manumiſſionem didicerat libertus, operas debebit præſtare: ſi hæ ſint, quæ quandocũq; honeſte & ſine periculo uitæ præſtãtur: nec ſemper hæ, quæ manumiſſionis tempore præſtari debuerint. ſed ſi turpes operas poſtea exercere cœperit: præſtare debebit eas, quas manumiſſionis tempore præſtabat. Tales patrono operæ dant, quales ex ætate, dignitate, ualetudine, neceſſitate, propoſito, cæteriſq; eiuſdem generis, in utraq; perſona æſtimari debent.

XVII. IDEM.

NEc audiẽdus eſt patronus, ſi poſcat operas, quas uel ætas recuſet, uel infirmitas corporis non patiatur, uel quibus inſtitutum uel propoſitum uitæ minuatur.

XVIII. IDEM.

SVo uictu ueſtituq; operas præſtare debere libertum, Sabinus ad edictum prætoris urbani libro quinto ſcribit. quod ſi alere ſe nõ poſſit: præſtanda ei à patrono eſſe alimenta.

XIX. CAIVS.

AVt certe ita exigendæ ſunt ab eo operæ, ut his quoq; diebus, quibus operas edat, ſatis temporis ad quæſtum faciendum, unde ali poſſit, habeat.

XX. PAVLVS.

QVod niſi fiat, prætorem ipſum patrono denegaturum operarũ præſtationem. idq; uerum eſt: quia unuſquiſq;, quod ſpopõdit, ſuo impẽdio dare debet, quãmdiu id, quod debet, in rerum natura eſt.

Ex prouincia libertũ Romam debere uenire ad reddendas operas, Proculus ait: ſed qui dies interea ceſſerint, dum Romam uenit, patrono perire: dummodo patronus, tanquam uir bonus ac diligens paterfamilias, Romæ moretur, uel in prouinciam proficiſcatur. cæterũ ſi uagari per orbem terrarum uelit: non eſſe iniungendam neceſſitatem liberto, ubique eum ſequi.

XXI. IABOLENVS.

OPeræ enim eo loco edi debent, ubi patronus moratur, ſumptu ſcilicet & uectura patroni.

Caius

XXII. CAIVS.

CVm patronus operas ſtipulatus eſt: tunc ſcilicet committitur ſtipulatio, cum popoſcerit, nec libertus præſtiterit. nec interest, adiecta ſint hæc uerba, CVM POPOSCERO, an non ſint adiecta. aliud enim eſt de operis, aliud de cæteris rebus. cum enim operarum editio nihil aliud ſit, quàm officij præſtatio: abſurdum eſt credere, alio die deberi officium, quàm quo is uolet, cui præſtandum eſt. Cum libertus promiſerit patrono operas ſe daturum, neq; adiecerit, liberiſq; eius: cõſtat liberis eius ita demum deberi, ſi patri hæredes exſtiterint. hæredes autem exſtitiſſe liberos parenti, ita demum prodeſſe ad operarum petitionem, Iuliano placet: ſi non per alium hæredes exſtiterint. Itaq; ſi quis exhædato emancipato filio ſeruum eius hæredem inſtituerit, & per eũ ſeruum hæres exſtiterit filius: repelli eum ab operarum petitione debere perinde, ac repelleretur patronus, qui operas non impoſuiſſet: uel quas impoſuit, reuendidiſſet. In omnibus operis præcipue obſeruandum eſt, ut temporis ſpacia, quæ ad curã corporis neceſſaria ſunt, liberto relinquantur.

XXIII. IVLIANVS.

HAe operæ, quas libertus promittit, multũ diſtant à fabrilibus uel pictoriis operis. deniq; ſi liberto faber aut pictor fuerit: quàmdiu id artificium exercebit, has operas patrono præſtare cogitur. quare ſicut fabriles operas quis poteſt ſibi aut Titio ſtipulari: ita patronus à liberto operas ſibi aut Sempronio recte ſtipulatur: & libertus obligatione ſoluetur, ſi tales operas extraneo dederit, quales patrono præſtando liberaretur. Si patroni plures conſultò in diuerſas regiones diſceſſerint, & liberto ſimul operas indixerint: poteſt dici diem operarũ cedere, ſed libertum non obligari: quia non per eum, ſed per patronos ſtet, quo minus operæ dentur: ſicut accidit cum ægrotanti liberto operæ indicuntur. quod ſi diuerſarũ ciuitatum patroni ſint, & in ſua quiſq; moretur: conſentire debent in operis ab eo accipiendis. Durum alioquin eſt eum, qui ſe liberare poteſt decem diebus operando, ſimul operis indictis: ſi in accipiendis non conſentiant: compelli ad præſtandam alteri quinq; operarum æſtimationem.

XXIIII. IDEM.

QVoties certæ ſpecies operarum in ſtipulationẽ deducuntur, uelut pictoriæ, & fabriles: peti quidem non poſſunt, niſi præteritæ: quia etſi non uerbis, attamen reipſa ineſt obligationi tractus temporis: ſicuti cum Epheſi dari ſtipulamur, dies continetur. & ideo inutilis eſt hæc ſtipulatio, OPERAS TVAS PICTORIAS CENTVM HODIE DARE SPONDES? cedunt tamen operæ ex die interpoſitæ ſtipulationis.

ſed

sed operæ,quas patronus à liberto postulat, cõfestim non cedunt: quia id actũ inter eos uidetur, ne ante cederẽt,quàm indictæ fuissent: scilicet quia ex commodo patroni libertus operas edere debet. quod in fabro uel pictore dici non conuenit.

XXV. IDEM.

PAtronus, qui operas liberti sui locat, non statim intelligendus est mercedem ab eo capere: sed hoc ex genere operarum, ex persona patroni atq; liberti colligi debet. nam si quis pantomimũ uel archimimum libertum habeat,& is mediocris patrimonij sit, ut non aliter operis eius uti possit,quàm locauerit eas: exigere magis operas,cũq; mercedem capere existimandus est. Item plerunq; medici seruos eiusdẽ artis libertos perducunt,quorũ operis perpetuo uti non aliter possunt, quàm ut eas locent. ea & in cæteris artificibus dici possunt. sed qui operis sui liberti uti potest,& locando preciũ earum consequi malit: is existimandus est mercedẽ ex operis liberti sui capere. Nonnunquam autem ipsis libertis postulantibus patroni operas locant. quo facto precium magis operarum,quàm mercedem capere existimandi sunt.

XXVI. ALFENVS.

MEdicus libertus, quòd putaret, si liberti sui medicinam non facerent, multo plures implorantes se habiturum: postulabat, ut sequerentur se, neq; opus facerent. id ius est, nec ne? respondit. ius esse: dummodo liberas operas ab his exigeret. hoc est, ut adquiescere eos meridiano tempore,& ualetudinis & honestatis suæ rationem habere sineret. Item rogaui, si has operas liberti dare nolint: quanti oporteret æstimari? respondit. quantum ex illorum operis fructus, non quantũ ex incommodo illis dando, si prohiberet eos medicinam facere, commodi patronus consecuturus esset.

XXVII. IVLIANVS.

SI libertus artem pantomimi exerceat: uerũ est, debere eum non solum ipsi patrono, sed etiam amicorum ludis gratuitã operam præbere: sicut eum quoq; libertum, qui medicinam exercet, uerum est, uoluntate patroni gratis curaturum amicos eius. neq; enim oportet patronum, ut operis liberti sui utatur, aut ludos semper facere, aut ægrotare.

XXVIII. PAVLVS.

SI duorum pluriumũe communis liberta unius patroni uoluntate nupserit: alteri patrono ius operarum manet.

XXIX. VLPIANVS.

SI operarum iudicio actum fuerit cum liberto, & patronus decesserit: conuenit translationem hæredi extraneo non esse dandam. filio autem, & si hæres non existat, & lis contestata non fuerit, tamen

omnimodo competere, nisi exhæredatus sit.

XXX. CELSVS.

SI libertus ita iurauerit, dare se tot operas, quot patronus arbitratus sit: non aliter ratum est arbitrium patroni, quàm si æquum arbitratus sit. & ferè ea mens est personam arbitrio substituentium, ut quia sperent eam recte arbitraturam, id faciant, non quia uel immodice ob ligari uelint. In libertam, quæ uoluntate patroni nupsit, præteritarum ante nuptias operarum actio datur.

XXXI. MODESTINVS.

OPeris non impositis manumissus, etiam si ex sua uoluntate aliquo tempore præstiterit, compelli ad præstandas, quas non promisit, non potest.

XXXII. IDEM.

QVi onerandæ libertatis caussa pecuniam patrono repromiserit, non tenetur: uel patronus si pecuniam exegerit, bonorũ possessionem contra tabulas eius petere non potest.

XXXIII. IABOLENVS.

IMponi operæ ita, ut ipse libertus se alat, non possunt.

XXXIIII. POMPONIVS.

INterdum & deminutionem, & augmentum, & mutationem recipere obligationes operarum sciendũ est. nam dum languet libertus: patrono operæ, quæ iam cedere cœperunt, pereunt. sed si liberta, quæ operas promisit, ad eam dignitatem perueniat, ut incõueniens sit præstare patrono operas: ipso iure hæ intercident.

XXXV. PAVLVS.

LIberta maior quinquaginta annis operas præstare patrono non cogitur.

XXXVI. VLPIANVS.

LAbeo ait, libertatis caussa societatem inter libertum & patronum factam ipso iure nihil ualere, palam esse.

XXXVII. PAVLVS.

QVI LIBERTINVS DVOS PLVRES'VE A' SE GENITOS, NATAS'VE IN SVA POTESTATE HABEBIT: PRAETER EVM, QVI ARTEM LVDICRAM FECERIT, QVI'VE OPERAS SVAS, VT CVM BESTIIS PVGNARET, LOCAVERIT: NE QVIS EORVM OPERAS, DONI, MVNERIS, ALIVD'VE QVIDQVAM LIBERTATIS CAVSSA PATRONO, PATRONAE, LIBERIS'VE EORVM, DE QVIBVS IVRAVERIT, VEL PROMISERIT, OBLIGATVS'VE ERIT: DARE, FACERE, PRAESTARE DEBET. ET SI NON DVOS EODEM TEMPORE IN POTESTATE HABVERIT, SED VEL VNVM QVINQVENNEM: LIBERABI-

tur

TVR OPERARVM OBLIGATIONE. Amissi antea liberi ad eas operas, quæ postea imponunt, prosunt, ut Iulian9 ait. sed & si uno amisso obliget se, deinde alter nascatur: multo magis Pomponius ait amissum huic fingi, ut liberetur. Nihil autem interest, utrum ipsi patrono promittant, an eis, qui in potestate eius sunt. sed si creditori suo libertũ patronus delegauerit: non potest idem dici. solutionis enim uicẽ continet hæc delegatio. potest tamen dici, si in id, quod patrono promisit, alij postea delegatus sit: posse eum liberari ex hac lege. nam uerum est patrono eum expromisisse, quamuis patrono nunc non debeat. quod si ab initio delegante patrono libertus promiserit, non liberari eum: non solũm futurarum, sed etiam præteritarum operarum liberationem fieri. Iulianus ait, etiam si iam petitæ sunt operæ, liberis sublatis absolutionem faciendam. sed si iam operarũ nomine condemnatus est: non potest liberari, quoniam iam pecuniam debere cœpit. Postumus liberti hæredes patris sui non liberat: quoniã proficisci liberatio à liberto debet, nec quisquam post mortem liberari intelligi potest. ex lege autem nati liberi prosunt, etiam si in persona liberti collata liberatio est. fideiussores quoq; liberabuntur ex sententia legis. quod si libertus expromissorem dederit: nihil hoc caput ei proderit.

XXXVIII. CALLISTRATVS.

HAe demum impositæ operæ intelliguntur, quæ sine turpitudine præstari possunt, & sine periculo uitæ. nec enim si meretrix manumissa fuerit, easdẽ operas patrono præstare debet, quamuis adhuc corpore quæstum faciat. nec harenarius manumissus tales operas: quia istæ sine periculo uitæ præstari nõ possunt. si tamen libertus artificiũ exerceat: eius quoq; operas patrono præstare debebit, & si post manumissionem id didicerit. quod si artificiũ exercere desierit: tales operas edere debebit, quæ non contra dignitatẽ eius fuerint. ueluti ut cum patrono moretur, peregre proficiscatur, negocium eius exerceat.

XXXIX. PAVLVS.

SI ita stipulatio à patrono facta sit, SI DECEM DIERVM OPERAS NON DEDERIS, VIGINTI NVMOS DARE SPONDES? uidendum est, an nec uiginti actio danda sit, quasi onerandæ libertatis gratia promissi sint: nec operarum, quæ promissæ non sint: an uero operæ duntaxat promissæ fingi debeant, ne patronus omnimodo excludatur? & hoc quoq; prætor sentit, operas duntaxat promissas. Sequens illa quæstio est, an libertus impetrare debeat, ne maioris summæ, quàm uiginti condemnetur: quia uideatur quodammodo patronus tanti operas æstimasse, ideoq; ipse non debeat egredi taxationẽ uiginti? sed iniquum est, nec oportet liberto hoc indulgere: quia non debet ex parte

obligationem comprobare, ex parte tanquam de iniqua queri.

XL. PAPINIANVS.

SI bona patroni uenierint: operarum, quæ post uenditionē præteriē rint, actio patrono dabitur: & si alere se possit, ante uenditione præ teritarum non dabitur, quoniam ex ante gesto agit.

XLI. IDEM.

LIbertus, qui operarum obligatione dimissus est, atq; ita libertā testamenti factionem adsecutus est: nihilominus obsequio uere cundiæ tenetur. alimentorum caussa est diuersa: cum inopia patroni per inuidiam libertum conuenit.

XLII. IDEM.

CERDONEM SERVVM MEVM MANVMITTI VOLO ITA, VT OPERAS HAEREDI PROMITTAT. non cogitur manumissus promittere. sed & si promiserit, in eū actio non dabitur. nam iuri publi co derogare non potuit, qui fideicommissariam libertatem dedit.

XLIII. IDEM.

OPeris obligatus militiæ nomen non sine iniuria patroni dabit.

XLIIII. SCAEVOLA.

SI libertus moram in operis fecerit: fideiussor tenetur, licet mora fi deiussoris nulla existat. in homine autem debito fideiussor etiam ex sua mora in obligatione retinetur.

XLV. IDEM.

LIbertus negociatoris uestiarij an eandem negociationem in ea dem ciuitate & eodē loco, inuito patrono, exercere possit: respon di. nihil proponi, cur non possit: si nullam læsionem ex hoc sentiet pa tronus.

XLVI. PAVLVS.

LIberta si in concubinatu patroni esset: perinde, ac si nupta eidem esset, operarum petitionem in eam dari non oportere constat.

XLVII. IDEM.

CAmpanus scribit, non debere prætorem pati, donum, munus, ope ras imponi ei, qui ex caussa fideicommissi manumittatur. sed si cum sciret posse se id recusare, obligari se passus sit: non inhibendam operarum petitionem, quia donasse uideatur.

XLVIII. HERMOGENIANVS.

SIcut patronus, ita etiam patroni filius, & nepos, & pronepos, qui li bertæ nuptijs consensit, operarum exactionem amittit. nam hæc, cuius matrimonio consensit, in officio mariti esse debet. si autem nu ptiæ, quibus patronus consensit, nullas habeant uires: operas exigere patronus non prohibetur. patronæ, item filiæ, & nepti, & pronepti pa troni, quæ libertæ nuptijs consensit, operarum exactio non denega tur:

tur:quia his nec ab ea,quæ nupta est, indecore præstantur.

XLIX. CAIVS.

DVorum libertus potest aliquo casu singulis diuersas operas uno tempore in solidum edere:ueluti si librarius sit,& alij patrono librorum scribendorum operas edat,alter uero peregre cum suis proficiscens operas custodiæ domus ei indixerit.nihil enim uetat, dum custodit domum, libros scribere. hoc ita Neratius libris membranarum scripsit.

L. NERATIVS.

OPerarum editionem pendere ex æstimatione edentis.nam dignitati,facultatibus,consuetudini,artificio eius conuenientes edendas. Non solum autem libertum,sed etiam quemlibet alium operas edentem exigendum, aut satis temporis ad quæstum alimentorum relinquendum: & in omnibus tempora ad curam corporis necessaria relinquenda.

LI. PAVLVS.

INterdum operarũ manet petitio,etiam si ius patroni non sit.ut euenit in fratribus eius, cui adsignatus est libertus: aut nepote alterius patroni,exstante alterius patroni filio.

DE BONIS LIBERTORVM. Tit. II.

I. VLPIANVS.

HOc edictum à prætore propositum est honoris, quem liberti patronis habere debent, moderandi gratia. nanq; (ut Seruius scripsit) antea soliti fuerunt à libertis durissimas res exigere,scilicet ad remunerandum tam grande beneficium,quod in libertos confertur, cum ex seruitute ad ciuitatem Romanam perducuntur. & quidem primus prætor Rutilius edixit,se amplius non daturum patrono, quàm operarum & societatis actionem (uidelicet si hoc pepigisset) ut nisi ei obsequium præstaret libertus,in societatem admitteretur patronus.posteriores prætores certæ partis bonorũ possessionẽ pollicebantur. uidelicet enim imago societatis induxit eiusdem partis præstationem: ut quod unius solebat societatis nomine præstare,id post mortem præstaret.

II. PAVLVS.

SI patronus à liberto præteritus bonorum possessionẽ petere potuerit cõtra tabulas,& ante quàm peteret,decesserit,uel dies eius bonorum possessionis agnoscendæ præterierit: liberi eius uel alterius patroni petere poterunt ex illa parte edicti,qua primis nõ petentibus, aut

etiam nolentibus ad se pertinere, sequentibus datur, atq; si priores ex eo numero non essent. Sed si patronus hæres institutus uiuo liberto de cessisset superstitibus liberis: quæsitum est, an illi contra tabulas testamenti bonorũ possessionem petere possint? & eò decursum est, ut mortis tempus, quo defertur bonorũ possessio, spectari debeat, an patronus non sit: ut si sit, ex parte prima edicti liberi eius bonorum possessionẽ petere non possint. Si filius emancipatus nepotem in potestate ex se reliquisset: bonorum possessionẽ partis dimidiæ dandam ei filio intestati liberti, quamuis iure ipso legitima hæreditas ad nepotem pertineat: quia & contra tabulas eius liberti, & filio potius bonorum possessio partis debitæ daretur.

III. VLPIANVS.

ETiam si ius anulorum consecutus sit: libertus à principe, adue-sus huius tabulas uenit patronus, ut multis rescriptis continetur. hic enim uiuit quasi ingenuus, moritur quasi libertus. planè si natalibus redditus sit: cessat contra tabulas bonorum possessio. idem, & si à principe liberam testamenti factionem impetrauit. sed si hac lege emit quis, ut manumittat: ad hanc partem edicti pertinebit. Si quis numos acceperit, ut manumitteret: non habet contra tabulas bonorum possessionem. ut patronus autem contra tabulas bonorum possessionem accipere possit: oportet hæreditatem aditam esse, aut bonorum possessionem petitam. sufficit autem uel unum ex hæredibus adijsse hæreditatem, bonorumue possessionem petijsse. Patronus contra ea bona liberti omnino non admittitur, quæ in castris quæsita sunt. Si deportatus patronus restitutus sit: contra tabulas liberti possessionẽ accipere potest. idemq; & in liberto deportato & restituto dicendũ est. Si quis filiusfamilias seruum de castrensi peculio manumiserit: ex constitutione diui Hadriani patronus est, admittiq; poterit ad cõtra tabulas bonorũ possessionem, ut patronus. Si capitis libertum accusauerit is, cui adsignatus est: non potest is petere contra tabulas bonorum possessionem, fratribusq; suis non obstabit: sed hi contra tabulas bonorũ possessionem petent, quemadmodum peterent, si ex altero filio nepotes essent. libertus enim, qui alteri ex filijs adsignatur, non desinit alterius filij libertus esse. amplius dicendum est, etiam si omiserit frater bonorum possessionem, alter frater, cui adsignatus est, non potest succedere, & contra tabulas bonorum possessionem petere. Toties ad bonorum possessionem contra tabulas inuitatur patronus, quoties non hæres est ex debita portione institutus. Si patronus sub cõditione sit institutus, eaq; conditio uiuo testatore exstiterit: contra tabulas bonorum possessionem accipere non potest. quid ergo si mortis tempore pendit

pendit,exstitit tamen ante,quàm patrono deferatur bonorum possessio, hoc est ante aditam hæreditatem: an inuitetur ex hac parte edicti? & magis est,ut aditæ hæreditatis tempus spectetur. hoc enim iure utimur. si tamen in præteritum collata sit conditio,uel ad præsens:nõ uidetur sub conditione institutus. aut enim impleta est,& pure institutus est:aut non est,nec hæres institutus est. Libertus si patronum suum ita hæredẽ scripserit,SI FILIVS MEVS ME VIVO MORIETVR, PATRONVS HAERES ESTO: non male uidetur testatus. nam si decesserit filius:poterit hic existente conditione accipere bonorum possessionem.

Si debita patrono portio legata sit:& si scriptus hæres non fuerit,satisfactum est ei:sed & si institutus sit ex parte minore,quàm ei debetur, residua uero pars suppleta est ei legatis siue fideicommissis: & ita satisfacti ei uidetur.sed & mortis caussa donationibus poterit patrono debita portio suppleri. nam mortis caussa donationes uice legatorũ funguntur.sed & si non mortis caussa donauit libertus patrono, contemplatione tamẽ debitæ portionis donata sunt:idem erit dicendum. tunc enim uel quasi mortis caussa imputabuntur,uel quasi agnita repellent patronum à contra tabulas bonorum possessione. Si patrono conditionis implendæ caussa quid datum sit:in portionem debitam imputari debet,si tantum de bonis sit liberti profectum. debitam autem partem eorum,quæ cum moritur libertus habuit, patrono damus. mortis enim tempus spectamus.sed & si dolo malo fecit, quo minus habeat:hoc quoq; uoluit prætor pro eo haberi,atq; si in bonis esset.

IIII. PAVLVS.

SI necem domini detexerit seruus:prætor statuere solet, ut liber sit. & constat eum,quasi ex senatusconsulto libertatem consecutum, nullius esse libertum. Si libertus captus ab hostibus ibi decesserit:quãuis liberti appellatio eum non tangat:tamen propter legem Corneliã, quæ testamentum sic confirmat,atq; si in ciuitate decesserit: patrono quoq; bonorum possessio danda erit. Si deportatus patronus sit: filio eius competit bonorum possessio in bonis liberti. nec impedimento est ei talis patronus,qui mortui loco habetur. & dissimile est,si patronus apud hostes sit. nam propter spem postlimij obstat liberis suis.

Si extraneus à liberto hæres institutus,rogatus sit patroni filio hæreditatẽ restituere:cũ ex senatusconsulto Trebelliano restituta hæreditate hæredis loco filius habeatur,patronus submouendus est.

V. CAIVS.

LIbertinus,qui patronũ patroniq; liberos habet,si patronũ ex parte debita hæredem instituit:liberos eius in eandem portionem substituere debet:ut licet patronus uiuo liberto mortuus fuerit, satisfactum uideatur

uideatur liberis eius. Si patroni filium emancipatum & nepotes ex eo, qui in aui familia remanſit, libertus habeat: filio tantum, nō etiam nepotib9 ſatisfacere debebit libertus: nec ad rem pertinet, quod ad parentis bona pariter uocantur.

VI. VLPIANVS.

ET ſi ex modica parte inſtituti ſunt liberi liberti: bonorum poſſeſſionem contra tabulas patronus petere non poteſt. nam & Marcellus libro nono digeſtorum ſcripſit, ex parte quantulacunq; hæredem inſtitutum liberti filium patronum expellere. Cum patroni filia hæres inſtituta eſſet à liberto, falſumq; teſtamentum dictum eſſet, in quo ſcripta erat, & appellatione interpoſita & pendente diem ſuũ obiiſſet: hæredibus eius diuus Marcus ſubuenit, ut id haberent, quod haberet patroni filia, ſi uiueret. S filius liberti hæres ab eo inſtitutus abſtinuerit: quamuis nomine ſit hæres, patronus admittitur. ſed & ſi per in integrum reſtitutionẽ is, qui miſtus eſt paternæ hæreditati, uel qui adiit hæreditatem, abſtinuerit ſe: poterit quis patronum admittere. Patronus patroniq; liberi, ſi ſecundum uoluntatem mortui liberti hæreditatem adierint, legatumue aut fideicommiſſum petere maluerint: ad contra tabulas bonorum poſſeſſionem non admittuntur.

VII. CAIVS.

NAm abſurdum uidetur, licere eiſdem partim comprobare iudicium defuncti, partim euertere.

VIII. VLPIANVS.

SI uero nō habuerit effectũ petitio eius: dico non impediri, quo minus adiuuetur. quinimò & ſi ſic adiit, quaſi ex debita portione inſtitutus, mox apparuit eum minorẽ partem, quàm ſperauit, accepiſſe: æquiſſimum eſt admitti eum ad ſuum auxilium. ſed & ſi teſtatò conueniſſet hæredem, uti ſibi legatum ſolueretur, mox pœnituiſſet: puto eũ poſſe adiuuari. Si patronus legatum ſibi relictum agnouerit, idq; fuerit euictum: competit ei legitimum auxilium: quia id, quod ſperauit ſe habiturum, non habet. ſed & ſi non totum euictum ſit, uerum aliquid minus habet, quàm putauit: erit ei ſubueniendum. Si ſeruo uel filio ſuo aliquid relictum patronus agnouerit: perinde à contra tabulas bonorum poſſeſſione repelletur, atq; ſi agnouiſſet ſibi relictum. ſed & ſi mortis cauſſa donationem agnouerit, dicendum eſt repelli eũ à contra tabulas bonorũ poſſeſſione: ſic tamen, ſi poſt mortem liberti agnouerit. cæterũ ſi ei uiuus libertus donauit, & ille accepit: non idcirco erit repulſus à cõtra tabulas bonorum poſſeſſione: quia poterit dicere ſperaſſe, quod in teſtamento quoq; gratus circa eum fieret: permittiq; ei debet ab eis decedere, uel ea compenſare in portionem pro rata. quare

dicitur

dicitur,& si conditionis implendæ causſa fuerit quid datum patrono: post mortem liberti repelli eum à contra tabulas bonorum possessione,quasi agnouerit iudicium. Si patronus minor annis uigintiq; liberti iudicium agnouerit: in integrum restitui eum oportere existimamus,ut possit contra tabulas accipere.

IX. PAVLVS.

QVi in seruitutem libertum paternum petierit: nec nomine liberorum bonorum possessionem accipere potest.

X. VLPIANVS.

SI ex patronis alicui satisfactum nõ erit,ita ut alteri amplius sua portione ex bonis liberti relinquatur: ei,cui satisfactum non erit, ita actio dabitur,ut eius portio suppleatur ex eo,quod extraneo hæredi,& quod patrono supra portionẽ suam relictum est. eadem ratio & in pluribus patronis seruabitur. Iulianus ait. eum, qui ab auo suo exhæredatus est,à bonis libertorum eius submoueri, à patris uero sui libertorum bonis non excludi. quod si à patre sit exhæredatus, ab auo non sit: non solum à libertorum paternorum bonis, uerum etiam ab aui quoq; excludi debere: quia per patrem aui libertos consequitur. quod si pater eius sit ab auo exhæredatus,ipse non sit: posse nepotem auitorum libertorum contra tabulas bonorum possessionem petere. idem ait, si pater me exhæredauit,auus meus patrem meũ,& prior auus desserit: ab utriusq; libertis me repelli. sed si ante pater decessisset, post ea auus: dicendum erit, nihil mihi nocere patris exhæredationem ad auitorum libertorum bona.

XI. IVLIANVS.

QVod si pater meus à patre suo sit exhæredatus, ego neq; à patre meo,neq; ab auo: mortuo quidem patre,& aduersus auitos,& aduersus paternos libertos ius habeo. uiuente patre, quàmdiu in potesta te eius ero, non petam contra tabulas auitorum libertorũ bonorum possessionem: emancipatus non submouebor.

XII. VLPIANVS.

SI patronus testamento iure militari facto filium silentio exhæredauerit: debebit nocere ei exhæredatio. uerum est enim hunc exhæredatum esse. Si quis libertum filio suo adsignauerit,eumq; exhæredauerit: admitti potest ad bonorum liberti possessionem. Si quis non mala mente parentis exhæredatus sit, sed alia ex causſa: exhæredatio ipsi non nocet. utputa pone furoris causſa exhæredatũ eum: uel ideo,quia impubes erat,hæredem quoq; institutum rogatum ei restituere hæreditatem. Si quis, cum esset exhæredatus, pronunciatus uel perperam sit,exhæredatus non esse: non repellitur. rebus enim iu-

dicatis ſtandum eſt. Si filius patroni exhæredatus in partem obtinuerit de inofficioſo,in partẽ uictus ſit:uideamus,an noceat ei exhæredatio.& nocere arbitror:quia teſtamentum ualet, à quo exhæredatus eſt. Ex teſtamento autem,à quo neq; adita eſt hæreditas, neq; petita bonorum poſſeſſio,liberis exhæredatio non nocet. abſurdum eſt enim in hoc ualere tantum teſtamentum,ut exhæredatio uigeat, cùm aliàs non ualeat. Si patroni filius priore gradu ſit hæres ſcriptus, ſecundo exhæredatus:huic non nocet exhæredatio,cum uoluntate patris uel exſtiterit hæres,uel exiſtere potuerit. neq; enim debet uideri pater indignum exiſtimaſſe filiũ bonis libertorum,quẽ ad hæreditatem ſuam primũ uocauerit.ac ne eum quidẽ exiſtimandum eſt ſubmoueri à bonis liberti,qui primo gradu exhæredato, & inde ſubſtitutus eſt. ergo is,qui inſtitutus eſt hæres uel primo gradu,uel ſequẽti, uel quoquo alio:licet exhæres ſit eodem teſtamento:non eſt ſubmouendus à liberti bonis. Si patroni filius emancipatus noluerit adire hæreditatem, uel qui in poteſtate eſt,retinere:nihilominus liberti bonorum poſſeſſionem habebit.

XIII. IVLIANVS.

FIlius patroni exhæredatus,quamuis nepos ex eo hæres ſcriptus fuerit,bonorum poſſeſſionem contra tabulas paternorum libertorum accipere non poteſt. licet enim neceſſarius exiſtat patri ſuo: non per ſemetipſum,ſed per alium ad hæreditatem admittitur.& certe conſtat,ſi emancipatus filius exhæredatus fuerit, & ſeruus eius hæres ſcriptus: & ſi iuſſerit ſeruũ hæreditatem adire, & ita patri ſuo hæres exſtiterit :non habiturum contra tabulas paternorum libertorum bonorum poſſeſſionem.

XIIII. VLPIANVS.

QVi cum maior natu eſſet,quàm uigintiquinq; annorũ,libertum capitis accuſauerit,aut in ſeruitutem petierit:remouetur à contra tabulas bonorum poſſeſſione.ſi uero accuſauerit minor:dicendum eſt hunc non excludi:ſiue ipſe,ſiue tutor eius,uel curator accuſauerit.

Sed ſi minor quidem inſtituerit accuſationem,maior autem factus ſententiam acceperit:benigne erit dicendum, ignoſci ei debere: quia minor cœpit. neq; enim imputare ei poſſumus, cur non deſeruerit accuſationem,uel cur abolitionem non petierit:cum alterum ſi faceret, in Turpilianum incideret,alterum non facile impetretur.certe ſi abolitione publice data repetit iam maior: dicendum eſt, hunc eſſe remouendum. maior enim factus potuit ſine timore deſerere abolitam accuſationem. Is demum uidetur capitis accuſaſſe,qui tali iudicio appetit,cuius pœna aut ſupplicium habuit,aut exilium, quod ſit uice de

por-

portationis,ubi ciuitas amittitur.si tamen quis libertum eo crimine accusauerit,cuius pœna capitalis non est,ueruntamen iudicanti placuit augere pœnam:non obest hoc patroni filio. neq; enim imperitia, aut seueritas iudicantis obesse debet patroni filio,qui crimen leuius iportauit.sed si non accusauit,sed testimonium in caput liberti dixit, aut subiecit accusatorem:puto eũ à contra tabulas bonorũ possessione remoueri. Si libertus maiestatis crimine patroni filiũ accusauit,& patroni filius calumniæ eum capitis punire desiderauerit:non debet repelli hoc edicto. idem puto,& si ab eo petitus retorsit in eum crimina. ignoscendum est enim ei,si uoluit se ulcisci prouocatus. Si patris mortem defendere necesse habuerit:an dicendum sit,hic quoq; ei succurrendum, si libertum paternũ propter hoc accusauit, medicũ forte patris,aut cubicularium,aut quem alium,qui circa patrẽ fuerat? & puto succurrendum, si affectione & periculo paternæ substantiæ ducente,necesse habuit accusationem uel calumniosam instituere. Accusasse autem eum dicimus,qui crimina obiecit,& caussam perorari usq; ad sententiam effecit.cæterum si ante quieuit,non accusauit.& hoc iure utimur. Sed & si appellatione interposita desijt: benigne dicetur,nõ pertulisse accusationem.si igitur pendente appellatione decessit libertus:patroni filius admittetur ad bonorum possessionem:quia ante sententiam libertus morte subtractus est. Si patroni filius aduocationẽ accusatori liberti præstitit: non est repellendus. neq; enim aduocatus accusat. Si pater testamẽto cauerit,ut accusaretur libertus,quasi uenenum sibi parasset,aut quid aliud in se admisisset: magis est,ut ignosci liberis debeat,qui non sponte accusauerunt. sed & si accusauerit libertũ,& probauerit crimen patroni filius,posteaq; hic libertus sit restitutus: nõ erit repellendus. crimen enim,quod intendit,etiam perfecit.

XV. TRIPHONINVS.

IDem est,& si crimen quidem,quod in liberto probatum est,meruerat capitis pœnam,benignius autem punitus est libertus,ueluti tantum relegatus.de calumniatore enim sensit prætor.

XVI. IVLIANVS.

IN seruitutem petisse non is uidetur,qui ei,qui in possessione erat seruitutis, petenti se in libertatem contradixit: uerum is,qui ex libertate petit in seruitutem. sed & si quis non totum suum,sed pro parte,uel usumfructum in eo suum dicat, uel quid aliud, quod habere non potest in eo,nisi seruus sit:an repellatur quasi in seruitutẽ petierit? quod est uerius. Si petierit in seruitutem & obtinuerit,mox cognita ueritate passus sit in libertatem morari:non debet ei obesse:maxime,si habuit iustam caussam errandi. Petisse in seruitutem non uidetur, qui

ante litem contestatam destitit. sed & si post litem contestatam: dicendum est, nec id nocere debere: quia non usq; ad sententiam duraui t. Si patroni filius institutus uel exhæredatus, in seruitutem libertũ paternũ petijt, uel capitis accusauit: non nocet hoc liberis eius, qui in potestate non sunt. & hoc diui fratres Quintilio rescripserunt.

Si quis bonorum possessionem contra tabulas liberti acceperit, ab omni liberti iudicio repellitur: nec tantum si ipsi libertino hæres fuerit scriptus, uerum etiam impuberi filio substitutus. nam & Iulianus scripsit. si post petitam bonorum possessionem adierit impuberis filij liberti hæreditatem patronus: denegari ei debere actiones. sed & si quid codicillis fuerit patrono relictum, uel mortis caussa donatũ: simili modo horum quoq; persecutio denegabitur. Nonnũquam planè post petitam bonorum possessionem dabitur patrono legati persecutio, si nihil ad emolumentum eius peruenturum sit, quia forte rogatus est alij restituere. præterea non tantum, quod ipsis nominatim datum est, id se prætor denegaturũ ait: uerum etiã si quid ꝓponas ad ipsos per alios peruenturũ: utputa quod per subiectas quidẽ personas sunt habituri, non restituturi. Dabimus legati petitionem patrono, si seruo patroni dederit libertatẽ, precio eius patrono prælegato. Ei, qui substitutus erit patrono, qui contra tabulas bonorum possessionem petierit: actio eius partis, cuius patrono possessio data erit, non datur. Si patronus sit substitutus, & patronus uiuo testatore decesserit: filiũ patroni petentem contra tabulas bonorum possessionem, nõ solius substituti partem occupare, uerum omnibus hæredibus pro parte aliquid auferre constat.

XVII. IDEM.

LIberto sine liberis mortuo, in primis patronus & patrona bonorũ possessionem accipere possunt, & quidem simul. sed & si patrono & patronæ mortuis proximi sunt aliqui, simul admittentur.

XVIII. PAVLVS.

PAtronæ quidem liberi etiam uulgo quæsiti accipient materni liberti bonorum possessionem: patroni aũt, non nisi iure quæsiti.

XIX. IDEM.

SI patronus ex minore parte, ꝙ legitima, hæres institutus falsum testamentum dixisset, nec obtinuisset: non est ambiguũ, contra tabulas ei non deferri bonorũ possessionem: eo, ꝙ facto suo perdidit hæreditatem, cum temere falsum dixit. quod si ex debita parte fuerit institutus: siue adijt, siue non, à contra tabulas bonorum possessione repelli tur: quia si debitam sibi portionem acceperit, nec poterit contra tabulas bonorum possessionem petere.

Iulia-

XX. IVLIANVS.

SI libertus sub conditione iurisiurandi, quod prætor remittere solet, patronum instituit hæredem: non puto dubitandum, quin à bonorum possessione submoueatur. uerum est enim eum hæredē factum. Si Titio legatum fuisset, eiusq; fidei commissum, ut patrono restitueret: denegatur legatorū actio Titio, si patrono pro debita parte à scripto hærede erit satisfactum. Libertus patronum & extraneum coniunctim ex parte dimidia hæredem scripsit. quadrans, ex quo institutus erat patronus, totq; ipsi imputari debebit: residuū ex debita sibi parte oībus hæredibus pro portione cuiusq; auferet. idem seruari conuenit in legato, quod coniunctim patrono & Titio datum fuerit: ut pars legati in portionem debitam patrono imputetur, ex reliqua parte tantum Titio deberi habeatur, quantum ab hærede pro rata portione. Si libertinus filium emancipatum sub conditione hæredem instituerit, & deficiente conditione substitutus adierit: quæro, utrum patrono aduersus substitutum in partem debitam prætor, an emancipato filio in totam hæreditatem succurrere debeat? respondi. cum pater filium sub conditione primo gradu hæredem instituit: si deficiente conditione, sub qua filius institutus est hæres, ad secundum gradum hæreditas pertinet, uel adhuc pendente conditione filius decesserit: patrono partis debitæ bonorum possessionem aduersus substitutum competere. idemq; est, & si filius non petierit bonorum possessionem tempore exclusus, uel repudiauerit. si uero deficiente conditione hæreditas ad filium pertineat: emancipatum potius tuebitur prætor aduersus substitutum. existimo autem, quoties sub conditione hæres filius scribitur, aliàs necessariam esse exhæredationē à substitutis, aliàs superuacuā. nam si id genus cōditionis fuerit, quæ in potestate filij esset, ueluti CVM TESTAMENTVM FECERIT: puto etiam omissa conditione filiū locum substitutis facere. si uero conditio non fuerit in potestate filij, ueluti SI TITIVS CONSVL FACTVS FVERIT: tunc substitutus nō admittitur, nisi filius ab eo nominatim exhæredatus fuerit. Si libertus filiū emancipatum hæredem instituerit, eiusq; fidei commiserit, ut totam hæreditatē Sempronio restitueret: & filius cum suspectā sibi hæreditatem diceret, iussu prætoris adierit eā, & Sempronio restituerit: non inique patrono bonorum possessio partis debitæ dabitur, perinde ac si non filius, sed is, cui hæreditas restituta est, liberto hæres exstitisset.

Item cum filius hæreditatem liberti patris omiserit, & cohæres eius totius hæreditatis onus susceperit: danda erit patrono bonorū possessio. utroq; enim casu non filio, sed extraneo pars eripitur.

XXI. IDEM.

EX tribus patronis uno ceſſante bonorũ poſſeſſionem petere, duo æquas partes habebunt.

XXII. MARTIANVS.

SI filiusfamilias miles manumittat: ſecundum Iuliani quidem ſententiam, quam libro uiceſimoquinto digeſtorum probat, patris libertum faciet. ſed quàmdiu (inquit) uiuit, præfertur filius in bona eius patris. ſed diuus Hadrianus Flauio Apro reſcripſit, ſuum libertum eum facere, non patris.

XXIII. IVLIANVS.

SI libertus præterito patrono extraneum inſtituerit hæredem, & patronus ante, quàm contra tabulas bonorum poſſeſſionem petierit, in adoptionem ſe dederit, deinde ſcriptus omiſerit hæreditatem: patronus totorum bonorum liberti poſſeſſionem, ut legitimus, petere poteſt. Si libertus inteſtatò deceſſerit, relictis patroni filio, & ex altero filio duobus nepotibus: nepotes non admittentur, quàmdiu filius eſt: quia proximum quenq; ad hæreditatem liberti uocari manifeſtum eſt. ſi autem ex duobus patronis alter unum filiũ, alter duos reliquiſſet: dixi, uiriles inter eos partes fieri.

XXIIII. IDEM.

COmmuni liberto, ſi ex duobus patronis alter iuſiurandum adegerit, ne uxorem ducat: ſiue liberto uiuo. deceſſerit is, qui extra hanc culpam fuerit, uel ſuperuixerit: partis utriq; debitæ bonorum poſſeſſionem ſolus habebit.

XXV. IDEM.

QVàmdiu patrono bonorum poſſeſſio partis debitæ dari poteſt, exceptio debitoribus dabitur aduerſus hæredem petentem: ſi nõ in ea cauſſa ſit patronus, ut bonorum poſſeſſionem pro parte debita cõtra tabulas petere poſſit.

XXVI. AFRICANVS.

LIberto octoginta habenti fundus quadraginta legatus eſt. is die cedente legati deceſſit extraneo hærede inſtituto. reſpõdit, poſſe patronũ partem debitam uindicare. nam uideri defunctum mortis tempore ampliorem habuiſſe rem centum: cum hæreditas eius propter computationem legati pluris uenire poſſit. neq; referre, hæres inſtitutus repudiet legatum liberto relictum, nec'ne. nam & ſi de lege Falcidia quæratur: tale legatum, quamuis repudiatum, in quadrantem hæreditatis imputetur legatarijs.

XXVII. IDEM.

VIuo filio ſi nepos exhæredetur: nocebit ei exhæredatio ad bona libertorum auitorum.

Floren

XXVIII. FLORENTINVS.

SI in libertinum animaduersum erit: patronis eius ius, quod in bonis eius habituri essent (si is, in quem animaduersum est, sua morte decessisset) eripiendum non est: sed reliquam partem bonorum, quæ ad manumissorem iure ciuili non pertineat, fisco esse uindicandam placet. eademq; seruantur in bonis eorum, qui metu accusationis mortẽ sibi cõsciuerint, aut fugerint, quæ in damnatorũ bonis constituta sunt.

XXIX. MARTIANVS.

QVi ex caussa fideicommissi manumittitur, est quidem libertus manumissoris, & tam contra tabulas, quàm ab intestato ad bona eius uenire potest quasi patronus: sed operas ei imponere non potest, nec impositas ab eo petere. sed si defunctus filio suo legauit seruũ, & rogauit, ut eum manumittat ea mente, ut plenũ ius patroni habeat: defendendum est, posse eum operas iure imponere.

XXX. CAIVS *lib. II. ad edictũ prætoris urbani tit. de liberali caussa.*

SI quis libertum paternum in seruitutem ea uoluntate petierit, ut caussam euictionis sibi conseruet: non amittit beneficium bonorum possessionis.

XXXI. MARCELLVS.

PAtrono libertus fundum, quem ab eo alienum emerat, legauit: & constituit patronus, ad se pertinere legatum. contra tabulas bonorum possessionẽ accipere nõ potest, & si nihil profecit ei legatũ, quia aliena rem legauerat ei libertus: quia patronus ipse eũ liberto nẽdiderat.

XXXII. IDEM.

SI libertus meus in seruitutem redactus, postea ab alio liberatus sit, & eius cœperit esse libertus: præfertur mihi ad contra tabulas bonorum possessionem, qui eum manumisit.

XXXIII. MODESTINVS.

SI patronus non aluerit libertum: lex Aelia Sentia adimit eius liberatis caussa impositа, tam ei, cũ ipsi, ad quẽ ea res pertinet. item hæreditatem ipsi & liberis eius, nisi hæres institutus sit: & bonorum possessionem, præter quàm secundum tabulas.

XXXIIII. IABOLENVS.

SI libertus, cum duos patronos haberet, alterum præterijt, alterũ ex semisse hæredem fecit, & alteri extraneo semissem dereliquit. scriptus quidem patronus debitam sibi partem immunem habet: de cæterа autem parte patroni, quæ supra debitam ei relicta est, & de semisse extraneo relicto, alteri patrono pro rata portione satisfieri oportet.

XXXV. IDEM.

A Liberto suo hærede Seius usumfructum fundi Mæuio legauit.

libertus

libertus Mæuio hærede relicto deceſſit. quæro, cum contra tabulas teſtamenti petierit Seij filius aduerſus Mæuium: utrum deducto uſufructu, pars debita eius fundi reſtituenda ſit, an ſolida: quia eorum bonorum poſſeſſionē acceperit, quæ liberti fuerint, cum moreretur filius? reſpondit. uſumfructum in cauſſam priſtinam reſtituendum puto. optimum itaq; erit arbitrum poſtulare, ut arbitrio eius uſusfructus in integrum reſtituatur.

XXXVI. IDEM.

LIbertus, qui ſoluendo non erat, præterito patrono extrarios reliquit hæredes. quæro, an poſſit patronus petere contra tabulas bonorum poſſeſſionem? reſpondi. cum à ſcriptis hæredibus adita eſt hæreditas, patronus contra tabulas bonorum poſſeſſionem poteſt petere: quia ſoluendo hæreditas eſt, quæ inueniat hæredem. & ſanè abſtrahendum eſt, ius patroni in petenda bonorum poſſeſſione contra tabulas aliorum computatione, non iudicio patroni æſtimari, auferriq; patrono, quod modicū uindicaturus eſt. multi em̄ caſus interuenire poſſunt, quibus expediat patrono petere bonorū poſſeſſionem, quāuis æris alieni magnitudo, quā libertus reliquit, facultates patrimonij eius excedat. ueluti ſi prædia ſunt aliqua ex bonis liberti, in quibus maiorum patroni ſepulchra ſint, & magni æſtimat patronus bonorum poſſeſſionis iura pro parte ea ad ſe pertinere: uel aliquod mancipium, quod nō precio, ſed affectu ſit æſtimandum. non ergo ideo minus habere debet ius petendæ bonorum poſſeſſionis, quia animo potius, quàm aliorum computatione bona liberti æſtimat: cum eo ipſo ſufficere patrimonium uideri poſſit, quod & hæredem habeat, & bonorum poſſeſſionem.

XXXVII. VLPIANVS.

IVlianus ait. ſi patronus libertatis cauſſa impoſita liberto reuendiderit, filium eius à bonorum poſſeſſione ſubmoueri: ſcilicet quia nec contra tabulas teſtamenti liberti bonorum poſſeſſionē acciperet, quoties pater eius donum, munus, operas liberto reuendiderit. planè ſi patroni filius libertatis cauſſa impoſita reuendiderit: nihilominus familiam bonorum poſſeſſionem contra tabulas liberti accipere ait: quia filius reuendendo libertatis cauſſa impoſita fratrem ſuum non ſubmouet. Si libertus hæredem ſcripſerit, iſq; prius, quàm de familia quæſtionem haberet, adierit hæreditatem: patronum ad cōtra tabulas bonorum poſſeſſionem nō admitti, Iulianus ait. debuit enim & patronus liberti necem uindicare. quod & in patrona erit dicendum.

XXXVIII. TERENTIVS.

QVæritur, an filio exhæredato, etiam nepotes ex eo à bonorum poſſeſſione liberti excludantur? quod utiq; ſic dirimendum eſt: ut ui-

ut uiuo filio, donec in potestate eius liberi manent, non admittantur ad bonorum possessionem: ne qui suo nomine à bonorum possessione submouetur, per alios eam consequantur. si autem emancipati à patre fuerint, uel alio modo sui iuris effecti: sine aliquo impedimento ad bonorum possessionem admittantur. Si filius liberti patris sui hæreditatem omiserit: hoc patrono proficiet.

XXXIX. IDEM.

PAtroni filia si in adoptiua familia sit, ad bona libertorum paterno rum admittitur.

XL. IDEM.

SI pater exhæredato filio ita cauit, ut ius in libertum saluũ ei esset: nihil ei ad hanc rem nocet exhæredatio.

XLI. PAPINIANVS.

SI libertus patrono, quod ad debitam portionem attinet, satisfaciat, inuito tamen aliquid extorquere conetur: quid statuendum sit, quæritur. quid enim si ex parte debita instituto decem præterea legentur, & rogetur seruum proprium, qui sit decem, uel minoris precij, manumittere? iniquum est, & legatum uelle percipere, & libertatem seruo non dare: sed parte debita accepta, & à legato temperare, & libertatem imponere non cogi: ne seruum forte de se male meritum cogatur manumittere. quid ergo, si solo hærede eodem instituto, idem libertus petierit? si substitutum habebit: æque decreti remediũ poterit procedere, ut accepta debita portione, cætera pars ad substitutum perueniat: ita, ut si forte seruus redimi potuisset, præstaretur libertas. Cessante uero substitutione: patronum hæreditatem liberti amplectentẽ prætor, qui de fideicommissis cognoscit, libertatem seruo eũ imponere coget.

XLII. IDEM.

SI filius, qui patri hæres exstitit, fratrem suum exhæredatum adrogauit, atq; ita hærede eo relicto defunctus est: bonorũ possessionem liberti patris naturalis exhæredatus non habebit: nam cui non exhæredato talis adoptio noceret, nocere debet & exhæredato: quoniam pœna, quæ legibus aut edicto irrogaretur, adoptionis remedio non oblteratur. PAVLVS notat. ei, qui alio iure uenit, quàm eo, quod amisit: non nocet id, quod perdidit, sed prodest, quod habet. sic edictum est, patrono eidemq; patronæ filio non obesse, quod quasi patronus deliquit: si ut patronæ filius uenire possit. PAPINIANVS. Castrensium bonorum Titium libertum fecit hæredem, cæterorũ alium. adita est à Titio hæreditas. magis nobis placebat, nondum patronum possessionem contra tabulas petere posse. uerũ illa quæstio interuenit, an omittente eo, qui reliqua bona accepit, perinde Titio adcrescant, ac si par-

tes eiusdem hæreditatis accepisset? uerius mihi uidetur, intestati iure deferri bona cætera. Titius igitur hæres nõ poterit euitare manumissorem: cũ Tatio nihil auferatur in cæteris bonis, quæ nondũ ad causam testamenti pertinent. Cum filius liberti impubes, qui subiectus dicitur, ex prima parte bonorum possessionem accipiat: an patronus defuncti possessionem accipere possit, quæsitum est. & sine dubio, quia quentis gradus sunt, nõ admittuntur interim. cum enim præcedat alia possessio: qui sequit, accipere non potest. planè si contra eum, qui subiectus dicitur, fuerit iudicatum: data non intelligitur. sed & in patrono, pendente controuersia, idem erit dicendum. planè quod ad patroni quoq; personam pertinet, differri controuersia debebit. Si falsum liberti testamentum ab alijs in prouincia dictum, atq; ita res per appellationem extracta esset: defuncta medio tempore matroni filia, quam libertus hæredem instituerat, filio mulieris seruauit diuus Marcus eam partem bonorum, quam filia patroni uel iure intestati, si uixisset, habere potuisset.

XLIII. IDEM.

IVlianus putat patronum, qui Titio pro parte dimidia hærede instituto substitutus, eo deliberante bonorum possessionem contra tabulas accepit: si postea Titius non adierit hæreditatẽ: nihil ei, qui adijt hæreditatem, abstuliſſe: non magis, quàm si sub conditione fuisset institutus. igitur Titio deliberante res in incerto erit, utrum ne semis ex substitutione in possessionem conuertatur, an Titio adeunte singulis hæredibus partes debitæ auferantur.

XLIIII. PAVLVS.

SI patronum ex debita portione hæredem instituas, & pure roges fundum dare, eiq; sub conditione tantundem leges: in conditione fideicommissum redigitur. erit tamen & hic, quod moueat. onerabitur enim patronus satisdatione fideicommissi. sed dicendum ab eo fideicommissario cauendum, à quo patrono legatum est, ut undiq; patronus suum ius habeat imminutum. Patronus hæres institutus, legato ei seruo, per quem suppleretur debita ei portio, non petet contra tabulas bonorum possessionẽ, quamuis seruus clausis tabulis decessit.

Si ex bonis, quæ mortis tempore fuerunt, debitam partem dedit libertus in hæreditate uel legato, seruus tamẽ post mortem liberti reuersus ab hostibus augeat patrimonium: non potest patronus propterea queri, quod minꝰ habeat in seruo, quàm haberet, si ex debita portione esset institutus. idẽ est in alluuione, cũ sit satisfactum ex his bonis, quæ mortis tempore fuerunt. idem, & si pars legati liberto relicti ab eo, cui simul datum erat, uel hæreditatis, nunc illis abstinentibus, adcrescat.

Idem

XLV. IDEM.

SI patronus ex sexta,& seruus eius ex reliqua parte sit hæres institutus,nec ex serui portione fideicõmissum debetur. at si seruus duntaxat hæres institutus est:puto,nec hic ex debita portione præstandũ.

XLVI. IDEM.

PAulus respondit.patronus,qui deceptus falsum iudicium testatoris secutus est,bonorum possessionem contra tabulas testamenti liberti petere non prohibetur.

XLVII. IDEM.

PAulus respondit.exhæredationem nepotis,quæ non notæ gratia, sed alio consilio adiecta esset: nocere ei non oportere, quo minus contra tabulas libertorum aui bonorum possessionem petere possit.

Quæro, an Titia patroni filia iactaret Titium patrẽ suum prius, quàm moreretur,literas ad se dedisse,quibus adiiceret,per libertos suos maleficijs se appetitum: easq; literas secuta post mortem patris libertos accusaret:an aliquid ei prodesse possit hæc excusatio? Paulus respondit.eam,quæ ex uoluntate patris accusauit,nõ debere repelli â bonorum possessione contra tabulas:quoniam non suum iudicium, sed alienum secuta sit. Patroni filius epistolã talem liberto misit.Sempronius Zoilo liberto suo salutem.Ob merita tua fidemq; tuam, quã mihi semper exhibuisti, concedo tibi liberam testamenti factionem. quæro,an patroni filio nihil relinquere debeat? Paulus respondit.eum libertum,de quo quæritur,liberam testamenti factionem cõsecutum non uideri. Paulus respondit.nepotem etiam post mortem aui conceptum superstite liberto,bonorum possessionem cõtra tabulas libertι auiti petere posse,& ad hæreditatem eius legitimam admitti. responsum enim Iuliani tantum ad hæreditatem legitimam, item ad bonorum possessionem aui petendam pertinere. Paulus respõdit.quamuis filij â patre milite præteriti pro exhæredatis habeantur:tamen non eò usq; silentium patris eius nocere debere,ut & â bonis libertorũ auitorum repelli debeant. idem responsum est etiam de bonis libertorum paternorum.

XLVIII. SCAEVOLA.

QVæro de eo,qui libertũ effractυræ crimine accusauit? respondi. si eiusmodi effractυræ crimine accusatꝰ sit,ex quo (si ꝓbaretur) in metallum datus esset:denegandam bonorum possessionem.

XLIX. PAVLVS.

LIberto per obreptionẽ adrogato,ius suum patronus non amittit.

L. TRIPHONINVS.

NIhil interest,ipse patronus scriptus hæres ex minore parte adie-

rit hæreditatem, an ſeruum ſuum ſcriptũ iuſſerit adire hæreditatem, quam retinet. nihilominus enim repulſus erit à contra tabulas bonorum poſſeſſione. ſi tamen ante, cꝫ iuberet liberti hæreditatem adire, ſeruum uendiderit, aut manumiſerit, & ita ipſe nouus libertus aut emptor hæredes exſtiterint: uerbis edicti non prohibetur patronus accipere contra tabulas bonorum poſſeſſionem. Sed nunquid prætor ei denegare poſſeſſorias actiones debeat, ſi fraudem edicto eius facere uoluit: ut precio uberiore percepto, uel tacita pactione etiam hæreditatis ex inſtitutione delatæ commodum, & bonorum poſſeſſionis contra tabulas haberet? facilioꝛcꝫ ſuſpitio per filium ſcriptum hæredẽ, quam uis emancipatum adeuntem, liberti hæreditatem ipſum patronum habere: cum omnia, quæ noſtra ſunt, liberis noſtris ex uoto parem⁹. Si tamen adhuc clauſis tabulis teſtamẽti liberti, cum ignoraret iudicium eius patronus, eorum quid, quæ ſupra ſcripta ſunt, circa inſtitutũ, ſubiectum iuri ſuo fecit: amota fraudis ſuſpitione, ſuo iure bonorum poſſeſſione contra tabulas utetur. Si patronus ex debita portione à liberto ſcriptus, rogatuſcꝫ hæreditatem reſtituere, ſuſpectam dixit, & compulſus adire, cum retinere poſſet, reſtituerit: non poterit contra tabulas accipere bonorum poſſeſſionem: & quia agnouit iudicium liberti, & quia ſpreuit, & quaſi damnauit eam poſſeſſionem. longe diſtat ab hoc patroni filius, quem libertus adrogauit, & ex minore parte hæredem ſcripſit, cum nemo ex familia patroni alius eſſet. quãcꝫ enim hoc ipſo iure (quippe ſuus) hæres deprehendatur: ſi tamen ſe nõ immiſcuit hæreditati, ut patris, ſed abſtinuit quaſi patroni: tamen filius admittendus eſt ad contra tabulas bonorum poſſeſſionem. Si debenti patrono certam pecuniam liberationem libertus reliquit, iſcꝫ uſus eſt aduerſus hæredem petentem debitum exceptione doli, aut ex acceptilatione liberatus eſt debito propter legatum: dicendum eſt, eum non poſſe accipere contra tabulas bonorum poſſeſſionem.

LI. LABEO *lib.* ϖεθανῶν.

SI eundem * (libertum) & tu capitis accuſaſti, & pater tuus manumiſit: non poterit tibi eius liberti bonorum poſſeſſio ex edicto prætoris dari. PAVLVS. imò contra accidet, ſi quem ſeruum accuſaueris, deinde is patris tui factus fuerit, & is poſtea eum manumiſerit.

* als deeſt.

DE LIBERTIS VNIVERSITATIVM. Tit. III.

Vlpia-

I. VLPIANVS



Vnicipibus plenum ius in bonis libertorũ libertarumq; defertur, hoc est id ius, quod etiam patrono. sed an omnino petere bonorũ possessionem possint, dubitatur. mouet enim, quod consentire non possunt. sed per aliũ possunt petitã bonorũ possessionẽ ipsi adquirere. sed qua ratione senatus censuit, ut restitui eis ex Trebelliano hæreditas possit: & qua ratione alio senatus consulto, hæredibus eis institutis à liberto, adquirere hæreditatem permissum est: ita bonorum quoq; possessionem petere, dicendum est: temporaq; bonorũ possessionis petendæ cedere municipibus exinde, ex quo decernere de petenda potuerunt. quod & Papinianus respondit.

DE ADSIGNANDIS LIBERTIS. Tit. IIII.

I. VLPIANVS.



Enatusconsulto, quod factum est Claudianis temporibus *Velleio Rufo & Asterio Scapula consulibus, de adsignandis libertis in hæc uerba cauetur. SI QVI DVOS PLVRESVE LIBEROS EX IVSTIS NVPTIIS QVAESITOS IN POTESTATE HABERET, DE LIBERTO LIBERTA'VE SVA SIGNIFICASSET, CVIVS EX LIBERIS SVIS EVM LIBERTVM EAM'VE LIBERTAM ESSE VELLET: VT IS EA'VE, QVVM IS, QVI EVM EAM'VE MANVMISISSET INTER VIVOS VEL TESTAMENTO, IN CIVITATE ESSE DESIISSET: SOLVS EI PATRONVS SOLA'VE ESSET PATRONA PERINDE, ATQVE SI AB EO EA'VE LIBERTATEM CONSECVTVS CONSECVTA'VE ESSET. VT'QVE, SI EX LIBERIS QVIS IN CIVITATE ESSE DESIISSET, NEQVE EI LIBERI VLLI ESSENT: CAETERIS EIVS LIBERIS, QVI MANVMISISSET, PERINDE OMNIA IVRA SERVARENTVR, AC SI NIHIL DE EO LIBERTO EA'VE LIBERTA IS PARENS SIGNIFICASSET. Quamuis singulari sermone senatusconsultum scriptum est, tamen & pluribus liberis, & plures libertos libertasúe posse adsignari, certum est. Is quoq; libertus, qui apud hostes est, adsignari potest. Adsignare aũt quis potest quibuscunq; uerbis, uel nutu, uel testamento, uel codicillis, uel uiuus. adimere adsignationem etiam nuda uoluntate poterit. Sed & si exhæredato filio libertum quis adsignauerit, ualet adsignatio: nec nocet ei nota exhæredationis, quantum ad ius patronatus. Sed & si post adsignationem fuerit exhæredatus, non semper exhæredatio adimet adsignationem: nisi hoc animo facta sit. Sed si is, cui adsi-

* al's. Sabellio.

gnatus est, repudiau erit: puto uerius, quod & Marcellus scripsit, posse admitti fratres eius. Si sit ex uno patrono filius, ex altero duo, & uni eorum libertus adsignatus sit: uidendum, quot partes fiant hæreditatis liberti: & utrum tres, ut duas habeat is, cui adsignatus est, id est suam & fratris: an uero æquales partes fiant, quoniam per adsignationem alius excluditur. & Iulianus libro septuagesimoquinto scripsit, magis esse, ut bessem hic habeat, qui fratrem excludit. quod uerũ est, quàmdiu frater eius uiuit, uel admitti potuit ad legitimam hæreditatem. cæterum si fuerit capite minutus: æquales partes habebunt.

II. POMPONIVS.

* alias deest. & SEd si is, cui adsignassem, decessisset relicto filio & fratre, *& alterius patroni filio: semissem habiturũ eũ nepotẽ, quem esset filius meus is, qui uiuit, habiturus, si ego eum libertum non adsignassem.

III. VLPIANVS.

IDem erit dicendum, & si is, qui filium & nepotem habebat, nepoti libertũ adsignauerit. admittetur enim nepos ad legitimam hæreditatem, licet sit alterius patroni filius. & hoc contingit patrui uita. cæterum si ille non esset: nihil ei prodesset adsignatio ad deminuẽdum ius alterius patroni filij. Posse autẽ & nepoti adsignari certum est: & præferri filio nepotem adsignatoris constat. unde quæri poterit, an si filiũ habeat, & ex eo nepotem, possit quasi duos habeat in potestate, ius senatusconsulti inducere? in qua specie cum placeat etiam ei, qui in potestate recasurus est, adsignari: quare non admittimus, cum utrũq; esse in potestate, negare non possumus? An autem ad legitimam hæreditatem admitti possit hic, qui in potestate est, tractari poterit. & cũ multi sint casus, quibus & libertum habere, qui in potestate est, possit: cur non hoc quoq; admittendum erit, ut per eũ pater ad legitimæ hæreditatis admittatur emolumentum? quod & Pomponio recte uidetur. habent autem libertos etiam filiifamiliarum: utputa si castrensem seruum eorum manumiserint. Emancipatos quoq; filios eius, cui adsignatus est libertus, habere commodum senatusconsulti puto: non ut ad legitimam hæreditatem admittantur, sed ad ea, quæ possunt. secundũ quod liberto intestatò defuncto, quoniã ad legitimam hæreditatem admitti non possunt, uidendum, ne admittatur filius adsignatoris in familia remanens, an non. & puto, emancipatos per prætorem præferendos. liberos autem eius, cui adsignatus est, accipere debemus non solũ filios, uerũetiam nepotes, & neptes, & deinceps descẽdentes. Si quis duobꝰ adsignauerit libertũ, & alter in ciuitate esse sine liberis desierit, alter nõ:

IIII. POMPONIVS.

NEc uiuus hæreditatem ad se liberti pertinere uoluerit.

Vlpia

V. VLPIANVS.

VTrum portio eius,qui in ciuitate esse desijt,uel repudiauit, in familiam redeat:an uero ei potius adcrescat, in cuius persona durat adsignatio? & Iulianus libro septuagesimoquinto scripsit, adsignationem in huius solius persona locum habere,& solum admittēdum. quod uerum est.quod si sine liberis decesserit: an cū uiuo admittatur? & putat adhuc solum admittendum. Defuncto autem eo, liberos alterius succedere,non in familiam libertum redire. sed si ex duobus istis alter filios,alter nepotes reliquerit:an simul ad legitimam hæreditatem admittantur? & puto,ordinem inter eos faciendum.

VI. MARTIANVS.

SI seruus liber esse iussus fuerit,& filio legatus, deinde testator uiuus eum manumiserit: ad filium libertus quasi adsignatus pertinet. hoc ita est:siue expressum sit, uel certe intellexerit, non quasi seruum eū legasse,sed quasi libertum adsignasse.

VII. SCAEVOLA.

ADsignare & pure,& sub conditione,& per epistolam,uel testationem,uel chirographum possumus: quia adsignatio liberti nec quasi legatum,nec quasi fideicommissum percipitur. denique nec fideicommisso onerari potest.

VIII. MODESTINVS.

LIberi patroni,quāquam & ipsi in plerisq; cauſſis manumissoris iure censentur,tamen libertum paternum liberis suis adsignare non poterunt:etiam si eis à parente fuerit adsignatus. idemq; & Iulianus & Marcellus probant.

IX. IDEM.

VTrū ei tantū,qui in potestate sit,an etiam emancipato filio adsignare libertum patronus possit:si modo non pauciores,q; duos præterea in potestate habeat:dubitari solet.& magis est posse.

X. TERENTIVS.

SVb conditione,uel in diem liberto adsignato:interim pēdente die uel conditione,omnia perinde obseruabuntur,ac si adsignatus nō esset.itaq; mortuo eo,interim ad omnes liberos hæreditas & bonorū possessio pertinebit. Si uni pure, alij sub cōditione libertus adsignatus sit:eum,cui pure adsignatus sit,pendente conditione solum patroni ius habere, dicendum est.

XI. PAPINIANVS.

ALimentorum cauſſa libertos filijs attributos, filijs adsignatos nō uideri,respondi:cum ea ratione libertis consuli patronus uoluerit,quo facilius uoluntatis emolumentū consequantur,saluo iure cōi.

Pompo

XII. POMPONIVS.

SI ex duobus patronis alter eorum filio suo libertum adsignauerit: non obstat,quo minus alter patronus ius solidum suum habeat.

XIII. IDEM.

TEstamento potest quis seruum manumittere,& eundem ut libertum adsignare. De liberis, qui sunt in potestate, senatus loctus est.ergo de postumis nihil hoc senatusconsulto prouisum est:magis tamen puto,etiam postumos contineri. Quod inquit senatus, SI EX LIBERIS QVIS IN CIVITATE ESSE DESIISSET: eum significat,qui in perpetuũ in ciuitate esse desierit, non etiã si quis ab hostibus captus reuerti possit. Ex die quoq; certa adsignari potest: sed usq; ii diem certũ uix potest.nam ipse senatus huic negocio finem imposuit.

SI QVID IN FRAVDEM PATRONI FActum sit. Tit. V.

I. VLPIANVS.

SI quid dolo malo liberti factum esse dicetur(siue testamento facto, siue intestato libertus decesserit)quo minus, ꝯ pars debita bonorum, ad eorum quẽ peruenerit, qui contra tabulas bonorum possessionẽ accipere possunt:cognoscit prætor,& operam dat,ne ea res fraudi sit. Si alienatio dolo malo facta sit:nõ quærimus, utrum mortis caussa facta sit,an non sit. omni enim modo reuocatur. si uero non sit dolo malo facta, sed aliàs : tunc actori probandum erit, mortis caussa factam alienationem. si enim proponis mortis caussa factam alienationem:non requirimus, utrum dolo malo facta sit,an nõ sit. sufficit enim docere, mortis caussa factam . nec immerito. mortis enim caussa donationes comparantur legatis:& sicut in legatis nõ quærimus,dolo malo factum sit,an non sit:ita nec in mortis caussa donationibus.quod autem mortis caussa filio donatum est: non reuocatur. nam cui liberum fuit legare filio,quantũ quantum uellet: is donando nõ uidetur fraudasse patronum.omne autem, quodcunq; in fraudem patroni gestum est,reuocatur. Dolũ accipere nos oportet eius, qui alienauit:non eius,cui alienatum est.& ita euenit, ut qui fraudis uel doli conscius non fuit:carere debeat re in fraudem patroni alienata, & si putauit ingenuum, nec credidit libertinum. Aduersus conpatronum,qui contra tabulas bonorum possessionem omisit, Fauiana non competit:si non plus sit in eo,quod donatum est,quãm pars debita patrono.quare si mortis caussa ei donatum sit: partem faciet conpatrono,

no, quemadmodum legatarius patronus facit. Vtrum autem ad ea ſola reuocanda Fauiana pertineat, quæ libertus de bonis deminuit: an etiam ad ea, quæ non adquiſijt: uidendum eſt. & ait Iulianus libro uicesimoexto digeſtorum, ſi hæreditatem libertus non adierit fraudandi patroni cauſſa, uel legatum repulerit: Fauianam ceſſare. quod mihi uidetur uerum. quamuis enim legatum retro noſtrum ſit, niſi repudietur: attamen cum repudiatur, retro noſtrũ nõ fuiſſe, palam eſt. In cæteris quoq; liberalitatibus, quas non admiſit is libertus, cui quis donatũ uoluerit: itẽ erit probandũ, Fauianã ceſſare. ſufficit em̃ patrono, ſi nihil de ſuo in necem eius libertus alienauit, & ſi non adquiſijt. pinde & ſi cũ ſub conditione ei legatum eſſet, id egerit, ne cõditio exiſteret: uel ſi ſub conditione ſtipulatus fuerit, maluerit deficere conditionem: dicendũ erit, Fauianam ceſſare. Quod ſi in lite uinci uoluit: ſi quidem condemnatus eſt data opera, uel in iure confeſſus: dicendũ erit Fauianam locum habere. quod ſi noluit obtinere, cum peteret: hic uidendum. & puto hunc deminuiſſe de patrimonio. actionem enim de bonis deminuit, quemadmodum ſi paſſus eſſet actionis diem abire. ſed ſi (puta) querelam inofficioſi, quam potuit, uel quam aliam (forte iniuriarum, uel ſimilem) inſtituere noluit: non poteſt patronus ob eam rem Fauiana experiri. At ſi tranſegit in fraudem patroni: poterit patronus Fauiana uti. ſed ſi libertus filiam dotauit: non uidetur fraudare patronum: quia pietas patris non eſt reprehendenda. Si pluribus in fraudem libertus donauit, uel pluribus mortis cauſſa: æqualiter patronus aduerſus omnes in partem ſibi debitã, ſiue Fauiana, ſiue Caluiſiana, experietur. Si quis in fraudem patronorũ rem uendiderit, uel locauerit, uel mutauerit: quale ſit arbitrium iudicis, uideamus. & in re quidem diſtracta deferri conditio debet emptori, utrum malit rem emptam habere iuſto precio, an uero à re diſcedere precio recepto. neq; omnimodo reſcindere debemus uenditionem, quaſi libertus ius uendendi non habuerit, ne fraudemus emptorẽ precio: maxime cũ de dolo eius non diſputetur, ſed de dolo liberti. Sed ſi emerit in fraudem patroni libertus: æque dicendum erit, ſi magno emit precio, releuandum patronum: conditione non ipſi delata, an uelit ab emptione diſcedere: ſed uenditori, utrum malit de precio remittere, an potius rem, quam uendidit, recipere perſoluto precio. & in permutatione, & in locatione, & in conductione ſimiliter idem obſeruabimus. Sed ſi rem quidem bona fide uendiderit, & ſine ulla gratia libertus, precium autem acceptum alij donauerit: uidendum erit, quis Fauiana inquietetur: utrũ qui rem emit, an uero is, qui precium dono accepit. & Pomponius libro octuageſimoquarto recte ſcripſit emptorem non eſſe inquietandum. fraudem

dem enim in precio patrono factam esse. eum igitur, qui precium dono accepit, Fauiana conueniendum. Et aliâs uideamus, si dicat patronus, rem quidem iusto precio uenisse, ueruntamen hic interesse sua, nõ esse uenundatã, inq; hoc esse fraudẽ, quod uenierit possessio, in quã patron9 habeat affectionẽ uel oportunitatis, uel uicinitatis, uel cœli, uel quod illic educatus sit, uel parentes sepulti: an debeat audiri uolens reuocare. sed nullo pacto erit audiendus. fraus enim in damno accipitur pecuniario. Sed si forte & res uilius distracta sit, & precium aliis donatum: uterq; Fauiano iudicio conuenietur, & qui uili emit, & qui pecuniam accepit muneri. is tamen, qui emit, si malit rem restituere: non aliter restituet, quàm si precium, quod numerauit, recipiat. Quid ergo, si delegatus emptor soluit ei, cui donabat libertus: an nihilominus recuperat? & magis est, ut recipere debeat, licet precium ad alium peruenerit, qui soluendo non est. nam & si acceptum precium libertus prodegisset, diceremus nihilominus eum, qui dedit, recipere debere, si uelit ab emptione discedere. Si mutuam pecuniam libertus in fraudem patroni acceperit: an Fauiana locũ habeat, uideamus: & quod remedium in hoc sit, qui accepit mutuã, si quod accepit, donauit. conueniet eũ patronus, cui donauit libertus. sed si acceperit, & prodegerit: nõ debet perdere, qui mutuũ dedit: nec ei imputari, cur dederit. planè si non accepit, sed spopondit stipulanti: erit Fauianæ locus. Si fideiussit apud me libertus, uel rem suam pro alio pignori dedit in necem patroni: an Fauiana locum habeat, uideamus. sed & nunquid cum damno meo non debeat patrono subueniri. neq; enim donauit aliquid mihi, si pro aliquo interuenit, qui non fuit soluendo. eoq; iure utimur. igitur creditor non poterit Fauiana conueniri: debitor poterit quidem, sed potest & mandati. planè si deficiat mãdati actio, quia donationis caussa interuenit: erit Fauianæ locus. sed & si mandator exstitit pro aliquo libertus, idem erit probandum. Quamuis autem in partem Fauiana competat: attamẽ in his, quæ diuidi non possunt, in solidum competit, utputa in seruitutem. Si seruo meo uel filiofamilias libertus in fraudẽ patroni quid dederit: an aduersus me iudicium Fauianum competat, uideamus. & mihi uidetur sufficere aduersum me patremq; arbitrioq; iudicis cõtineri, tam in id, quod in rem uersum est, condemnandi, quàm in id, quod in peculio. Sed si iussu patris contractum cum filio est: pater utiq; tenebitur. Si cum seruo in fraudem patroni libertus contraxerit, isq; fuerit manumissus: an Fauiana teneatur, quæritur. & cum dixerimus dolum tantum liberti spectandũ, non etiam eius, cum quo contraxit: potest manumissus iste Fauiana non teneri. Item quæri potest, manumisso, uel mortuo, uel alienato seruo, an

uo,an intra annum agendum sit? & ait Pomponius,agendum. Hæc actio in personam est,non in rem: & in hæredem competit, & in cæteros successores,& hæredi,& cæteris successoribus patroni:& nõ est hæreditaria,id est ex bonis liberti,sed propria patroni. Si liberto in fraudem patroni aliquid dederit,deinde defuncto patrono uiuo liberto,filius patroni acceperit bonorum possessionem contra tabulas liberti:an Fauiana uti possit ad reuocanda ea,quæ sunt alienata? & est uerũ,quod & Pomponius probat libro octuagesimoquarto,item Papinianus libro quarto quæstionum, competere ei Fauianã. sufficere enim, quod in fraudem patronatus factum sit. magis enim fraudem rei,non personæ accipimus. In hanc actionẽ etiam fructus ueniunt, qui sunt post litem cõtestatam percepti.

II. MARTIANVS *lib.III. regularum.*

IN Fauiana & Caluisiana actione recte dicitur, etiam præteritos fructus uenire,quatenus prætor omnẽ fraudẽ libertorũ uult rescindere.

III. VLPIANVS.

SI patronus hæres institutus ex debita parte adierit hæreditatem,dũ ignorat aliqua libertum in fraudem suam alienasse: uideamus, an succurri eius ignorantiæ debeat,ne decipiatur liberti fraudibus. & Papinianus libro decimoquarto quæstionum respondit,in eadem causa manere ea,quæ alienata sunt.idcirco patronum sibi imputare debere, qui cum posset bonorum possessionẽ accipere contra tabulas propter ea,quæ alienata uel mortis causa donata sunt,non fecit. Hæc actio in perpetuum datur:quia habet rei persecutionem. Patronum ex asse hæredem institutum,uolentẽ Fauiana actione uti, prætor admittit:quia erat iniquum excludi eum à Fauiana,qui non sponte adijt hæreditatem,sed quia bonorum possessionem contra tabulas petere non potuit. Si intestatus libertus decesserit:patronus adeundo hæreditatem eius reuocat per Caluisianam actionẽ ea,quæ alienata sunt dolo malo, quo minus pars ex testamento debita bonorum liberti ad patronũ liberosue eius peruenirent. idq; est,siue petita sit à patrono ab intestato bonorum possessio,siue non sit. Si plures sint patroni & patronæ:singuli uirilem tantum reuocabunt per Caluisianam. Si libertus intestatus decesserit,relicta patrono debita portione,aut aliquo amplius,aliquid etiam alienauerit:Papinianus libro decimoquarto quæstionum scribit,nihil esse reuocandum.nam qui potuit alicui relinquere quid testamẽto,si debitam portionem patrono relinquat: præterea donando nihil uidetur in fraudem facere.

IIII. IDEM.

QVodcunq; dolo malo liberti alienatũ est,& Fauiana actione rem ij uoca-

uocatur:& si plures patroni sint,oēs unam partem habebunt.sed si uiriles non petant:portio cæteris adcrescet. quod in patronis dixi, & in liberis patroni est.sed non simul uenient,sed patronis deficientibus.

V. PAVLVS.

TEnetur Fauiana actione tam is, qui accepit ipse, quàm qui iussit alij dare id,quod ipsi donabatur. In actione Fauiana,si res non restituatur,tanti damnabitur reus,quanti actor in litem iurauerit.

VI. IVLIANVS.

SI libertus cum fraudare patronum uellet, filiofamilias cōntra senatusconsultum pecuniam crediderit: non erit inhibenda actio Fauiana:quia libertus donasse magis in hunc casum intelligendus est in fraudem patroni, quàm contra senatusconsultum credidisse.

VII. SCAEVOLA.

ERgo & si senatusconsultū locū nō habet:nō cessat Fauiana,cū exigi possit.

VIII. IVLIANVS.

SEd si minori,quàm uigintiquinq; annorum natu, filiofamilias crediderit:caussa cognita ei succurri debet.

IX. IDEM.

VIuus libertus donare bene merentibus amicis potest: legare uerō nec bene merētibus amicis potest,quo patroni parte minuat.

X. AFRICANVS.

SI id,quod à liberto in fraudem alienatum est, non exstet: actio patroni cessat, quemadmodum si pecuniam in fraudem abiecisset: aut etiā is,qui mortis caussa â liberto accepisset,eam rem uendidisset, & bonæ fidei emptor eam usucepisset.

XI. PAVLVS.

NOn uidetur patronus fraudari eo, in quod consentit. sic & quod uolente patrono liberto donauit, nō poterit Fauiana reuocari.

XII. IABOLENVS.

LIbertus cum fraudandi patroni caussa fundum Seio tradere uellet,Seius Titio mandauit, ut eum accipiat, ita ut inter Seium & Titium mandatum contrahatur. quæro, post mortem liberti patronus utrum cum Seio duntaxat, qui mandauit, actionem habeat: an cum Titio,qui fundum retinet:an cum quo uelit,agere possit? respondi. in eum, cui donatio quæsita est,ita tandem,si ad illum res peruenerit,actio datur:cum omne negocium,quod eius uoluntate gestum sit, in condemnationem eius conferatur.nec potest uideri id præstaturus, quod alius possidet: cum actione mandati consequi rem possit ita, ut aut ipse patrono restituat,aut eum,cum quo mandatum contraxit,restituere cogat.quid enim dicemus,si is, qui iure interpositus est, nihil dolo

dolo fecit? non dubitabimus, quin omnimodo cum eo agi non possit. quid enim potest uideri dolo fecisse, qui fidem suam amico commodauit, qua alij, quàm sibi, ex liberti fraude adquisijt.

XIII. PAVLVS.

CONstitutione diui Pij cauetur de impubere adoptando, ut ex bonis, quæ mortis tẽpore illius, qui adoptauit, fuerunt: quarta pars ad eum pertineat, qui adoptatus est. sed & bona eius, quæ adquisijt, partj restitui iussit. si caussa cognita emancipatus fuerat: quartam perdit. si quid itaq; in fraudem eius alienatum fuerit: quasi per Caluisianam uel Fauianam actionem reuocandum est.

SI TABVLAE TESTAMENTI NVLLAE EXstabunt, Vnde liberi. Tit. VI.

I. VLPIANVS.

POstea, quàm prætor locutus est de bonorum possessione eius, qui testatus est: trãsitum fecit ad intestatos, eum ordinem secutus, quem & lex duodecim tabularum secuta est. fuit enim ordinarium, ante de iudicijs testantium, sic dein de successione ab intestato loq. sed successionem etiam ab intestato in plures partes diuisit. fecit enim gradus uarios: primum liberorum, secundum legitimorum, tertium cognatorum, deinde uiri & uxoris. Ita autem ab intestato potest competere bonorum possessio, si neq; secundũ tabulas, neq; contra tabulas bonorum possessio agnita sit. planè si tempora quidem petendæ bonorum possessionis ex testamento largiebantur, ueruntamen repudiata est bonorum possessio: dicendum est ab intestato bonorum possessionem iam incipere. cum enim is, qui repudiauit bonorum possessionem, petere non potest post repudiationem: consequens erit, ut ab intestato posse peti incipiat. sed & si ex Carboniano edicto bonorum possessio data sit: magis est, ut dicere debeamus, ab intestato nihilominus posse peti. ut eñ suo loco ostendimus: nõ impedit bonorũ possessionem edictalem Carboniana bonorũ possessio. Recte aũt prætor à liberis initium fecit ab intestato successionis: ut sicut contra tabulas ipsis defert, ita ab intestato ipsos uocet. Liberos aũt accipere debemus, quos ad contra tabulas bonorũ possessionem admittendos diximus, tam naturales, quàm adoptiuos. sed adoptiuos hactenus admittimus, si fuerint in potestate. cæterũ si sui iuris fuerint: ad bonorũ possessionẽ non inuitantẽ: quia adoptionis iura dissoluta sunt emãcipatione.

Si quis filium suũ emancipatũ in locum nepotis adoptauit, & eman

cipauit,cũ haberet & nepotem ex eo:quæsitum est apud Marcellũ, an adoptio rescissa impediat nepotem? sed cum soleat emancipato patri iungi nepos:quis non dicat,& si adoptatus sit,& quasi filius,nihilominus filio suo eum nõ obstare:quia quasi filius adoptiuus sit in potestate,non quasi naturalis? Si hæres institutus non habeat uoluntatẽ, uel quia incisæ sunt tabulæ,uel quia cancellatæ,uel qua alia ratione uoluntatem testator mutauit,uoluitq; intestatò decedere:dicendum est, ab intestato rem habituros eos,qui bonorum possessionem acceperũt.

Si emancipatus filius exhæres fuerit,is autem,qui in potestate fuerat,præteritus:emancipatum petentem ab intestato bonorum possessione VNDE LIBERI, tueri debet prætor usq; ad partem dimidiam, perinde atq; si nullas tabulas pater reliquisset.

II. IVLIANVS.

EMancipatus præteritus si contra tabulas bonorum possessionem non acceperit,& scripti hæredes adierint hæreditatem: sua culpa amittit paternã hæreditatem. nam quãuis secundum tabulas bonorũ possessio petita non fuit: non tamen prætor eum tuetur, ut bonorum possessionẽ accipiat VNDE LIBERI. nam & patronũ præteritũ,si nõ petat contra tabulas bonorũ possessionem ex illa parte edicti,unde legitimi uocantur,non solet tueri prætor aduersus scriptos hæredes.

III. VLPIANVS.

BOnorum possessio potest peti ab intestato,si certũ sit tabulas non exstare septem testium signis signatas.

IIII. PAVLVS.

LIberi & capite minuti per edictum prætoris ad bonorum possessionem uocantur parentũ,nisi adoptiui fuerint. hi enim & liberorũ nomen amittunt post emancipationem. sed si naturales emancipati, & adoptati,iterum emancipati sint: habent ius naturalium liberorũ.

V. POMPONIVS.

SI quis ex his, quibus bonorum possessionem prætor pollicetur, in potestate parentis,de cuius bonis agitur,cum is moritur,non fuerit:ei, liberisq;,quos in eiusdẽ familia habebit(si ad eos hæreditas suo nomine pertinebit,neq; nominatim exhæredes scripti erunt) bonorũ possessio eius partis datur,quæ ad eum pertineret, si in potestate permansisset:ita,ut ex ea parte dimidiã habeat,reliquum liberi eius, hisq; duntaxat bona sua conferat. Sed & si filium & nepotem ex eo pater emancipauerit: filius solus ueniet ad bonorum possessionem, quamuis capitis deminutio per edictum nulli obstet.quin etiam hi quoq;,qui in potestate nunquã fuerint,nec sui hæredis locum obtinuerint,uocantur ad bonorũ possessionẽ parentũ.nam si filius emancipatus reliquerit

rit in potestate aui nepotem: dabitur ei, qui in potestate relictus est, patris emancipati bonorũ possessio. sed & si post emancipationem procreauerit: ita nato dabitur aui bonorum possessio, scilicet non obstante ei patre suo. Si filius emancipatus non petierit bonorum possessionem: ita integra sunt omnia nepotibus, atq; si filius non fuisset: ut quod filius habiturus esset petita bonorum possessione, hoc nepotibus ex eo solis, non etiam reliquis adcrescat.

VI. VLPIANVS.

SI pater filium emancipauerit, nepotem retinuerit, deinde filius decesserit: & rei æquitas, & caussa edicti, quod de bonorum possessione liberis danda cauetur, efficit, ut eius ratio habeatur, & bonorum possessio intestati patris detur: ut tamen bona sorori, quæ necessaria hæres patri exstitit, conferre cogatur auus, qui per eum bonorũ possessionis emolumentum adquisiturus est: nisi forte auus iste nullum ex his fructus adquirere uult, paratusq; est de potestate nepotem dimittere, ut ad emancipatum emolumentum omne bonorum possessionis perueniat. nec idcirco soror, quæ patri hæres exstitit, iuste queri poterit, qđ eo facto à collationis cõmodo excludatur: cũ auo quandoq; intestato defuncto, ad bona eius simul cum fratre possit uenire.

VII. PAPINIANVS.

SCripto hærede deliberante filius exhæredatus mortẽ obierat, atq; ita scriptus hæres omiserat hæreditatem. nepos ex illo filio susceptus auo suus hæres erit: neq; pater uidebitur obstitisse, cuius post mortem legitima defertur hæreditas. nec dici potest hæredem, sed non suum nepotem fore, quod proximum gradum nunquam tenuerit, cum & ipse fuerit in potestate, neq; pater eum in hac successiõe præuenerit. & alioquin, si non suus hæres est, quo iure hæres erit, qui sine dubio non est adgnatus? cæterum & si non sit exhæredatus nepos, adiri potest ex testamento hæreditas à scripto hærede mortuo filio. quare qui non obstat iure intestati, iure testati uidebitur obstitisse. Non sic parentibus liberorum, ut liberis parentum debetur hæreditas: quoniam parentes ad bona liberorum ratio miserationis admittit, liberos naturæ simul & parentum commune uotum.

VIII. IDEM.

FIlius familias ut proximus cognatus patre consentiente possessionem agnouit. quamuis per cõditionem testamento datam, quod in patris potestate manserit, ab hæreditate sit exclusus: tamen utiliter possessionẽ agnouisse uidebit. nec in edicti sententiam incidet, quoniã possessionẽ secundũ tabulas non agnouit: cum inde rem habere nõ potuerit, nec in filij potestate cõditio fuerit, nec facile pater emancipare filium cogi poterit.

Paulus

IX. PAVLVS.

SI postea, quàm filius emancipatus bonorum possessionem patris petijt, statum suũ mutauit: nihil obesse ei, quo minus id, quod adquisiuit, retineat. quod si prius conditionem suam mutauerit: bonorum possessionem eum petere non posse.

VNDE LEGITIMI, ET VNDE ADgnati. Tit. VII.

I. IVLIANVS.

HAec uerba edicti, TVM QVEM EI ESSE HAEREDEM OPORTERET, SI INTESTATVS MORTVVS ESSET, πα-ρελατικῶς nõ ad mortis testatoris referunt tempus, sed ut quodam temporis spacio accipiuntur ad id, quo bonorum possessio petetur. & ideo legitimum hæredem, si capite minutus sit, etiam ab hac bonorum possessione submoueri palã est.

II. VLPIANVS.

SI repudiauerint sui ab intestato bonorum possessionem: adhuc dicemus obstare eos legitimis, hoc est his, quibus legitima potuit deferri hæreditas: idcirco, quia repudiando quasi liberi bonorũ possessionem, incipiunt hanc habere quasi legitimi. Hæc autem bonorum possessio non tantum masculorum defertur, uerum etiam fœminarum: nec tantum ingenuorum, uerum etiam libertinorum. communis est igitur pluribus. nam & fœminæ possunt uel consanguineos uel adgnatos habere. item libertini possunt patronos patronasq; habere. nec tantum masculi hanc bonorum possessionem accipere possunt, uerum etiam fœminæ. Si quis decesserit, de quo incertum est, utrũ paterfamilias, an filiusfamilias sit: quia pater eius ab hostibus captus adhuc uiuat, uel quæ alia caussa suspendat eius statum: magis est, ne peti possit bonorum possessio: quia nondum intestatum eum esse apparet, cum incertum sit, an testari possit. cum igitur cœperit certi status esse, tunc demum petenda est bonorum possessio: nec cum certum esse cœperit, intestatum esse, sed cum cœperit esse certum, patremfamilias esse. Hæc autem bonorum possessio omnem uocat, qui ab intestato potuerit esse hæres: siue lex duodecim tabularũ eum legitimũ hæredem faciat, siue alia lex senatusue consultum. Denique mater, quæ ex senatusconsulto uenit Tertylliano: item qui ex Orphitiano ad legitimam hæreditatem admittuntur, hanc bonorum possessionem petere possunt.

III. PAVLVS.

Gene-

GEneraliter igitur sciendum est, quotiescunq; uel lex, uel senatus defert hæreditatem, non etiam bonorum possessionem: ex hac parte eam peti oportere. cum uero etiam bonorum possessionem dari iubet: tum & ex illa parte, qua ex legibus peti deberet, sed & ex hac parte poterit.

IIII. IVLIANVS.

SI ex duobus fratribus alter decesserit testamento iure facto, deinde deliberante hærede alter quoq; intestatò decesserit, & scriptus hæres omiserit hæreditatem: patruus legitimam hæreditatem habebit. nam hæc bonorũ possessio TVM QVEM HAEREDEM ESSE OPORTET, ad id tempus refertur, quo primum ab intestato bonorum possessio peti potuisset.

V. MODESTINVS.

INter adgnatos & cognatos hoc interest, quod in adgnatis & cognati cõtinentur, in cognatis non utiq; & adgnati. uerbi gratia. patris frater, id est patruus, & adgnatus est & cognatus: matris autem frater, id est auunculus, cognatus est, adgnatus non est. Quàmdiu spes est suum hæredem aliquem defuncto existere: tamdiu consanguineis locus non est. puta si defuncti uxor prægnans sit, aut defuncti filius apud hostes sit.

VI. HERMOGENIANVS.

NAti post mortem patris, uel post captiuitatem, siue deportationem: sed & hi, qui eo tempore, quo capiebatur, uel deportabatur pater, in potestate fuerunt: ius inter se consanguinitatis habent, & si hæredes patri non extiterint, sicuti exhæredati.

VNDE COGNATI. Tit. VIII.

I. VLPIANVS.

HAec bonorum possessio nondum habet prætoris indulgentiam, neq; ex iure ciuili originem habet. nam eos inuitat ad bonorum possessionem, qui iure ciuili ad successionem admitti non possunt, id est cognatos. cognati autem appellati sunt, quasi ex uno nati, aut (ut ait Labeo) quasi commune nascendi initium habuerint. Pertinet autem lex hæc ad cognationes non seruiles. nec enim facile ulla seruilis uidetur esse cognatio. Hæc autem bonorum possessio, quæ ex hac parte edicti datur, cognatorum gradus sex complectitur, & ex septimo duas personas, sobrino sobrina natum & natam. Cognationẽ facit etiã adoptio. quibus etenim fiet adgnatus hic, qui adoptatus est: ijsdem & cognatus fiet. nam ubicunq; de cognatis agitur, ibi sic accipiemus, ut

etiam adoptione cognati facti contineantur. euenit igitur, ut is, qui in adoptionem datus est, tam in familia naturalis patris iura cognationis retineat, quàm in familia adoptiua nanciscatur. sed eorum tantum cognationem in adoptiua familia nanciscitur, quibus fit adgnatus: in naturali autem omnium retinebit. Proximus autem accipiet etiam is, qui solus est, quamuis proprie proximus ex plurimis dicitur. proximum accipere nos oportet eo tempore, quo bonorum possessio defertur. Si quis igitur proximus cognatus, dum hæredes scripti deliberant, diem suum obierit: sequens quasi proximus admittetur: hoc est, quicunq; fuerit tum deprehensus, proximum locum obtinet. Si quis proximior cognatus nasci speretur: in ea cõditione est, ut dici debeat, obstare eum sequentibus. sed ubi natus nõ est: admittemus eum, qui post uentrem proximus uidebatur. sed hoc ita demum erit accipiendum, si hic, qui in utero esse dicitur, uiuo eo, de cuius bonorum possessione agitur, fuerit cõceptus. nam si post mortem: neq; obstabit alij, neq; ipse admittetur: quia non fuit, pximus cognatus ei, quo uiuo nondum animal fuerit. Si qua prægnans decesserit, & utero exsecto partus sit editus: in ea conditione est partus iste, ut matris suæ accipere bonorum possessionem possit VNDE PROXIMI COGNATI. sed post senatusconsultũ Orphitianum & VNDE LEGITIMI petere poterit: quia tempore mortis in utero fuit. Gradatim autem admittuntur cognati ad bonorũ possessionem: ut qui sunt primo gradu, omnes simul admittantur. Si quis apud hostes fuerit eius mortis tempore, de cuius bonorum possessione quæritur: dicendum est, bonorum possessionem peti ab eo posse.

II. CAIVS.

HAc parte proconsul naturali æquitate motus, omnibus cognatis permittit bonorũ possessionem, quos sanguinis ratio uocat ad hæreditatem, licet iure ciuili deficiant. Itaq; etiam uulgo quæsiti liberi matris, & mater talium liberorum, item ipsi fratres inter se ex hac parte bonorum possessionem petere possunt: quia sunt inuicem sibi cognati usq; adeo, ut prægnans quoq; manumissa si peperit, & is, qui natus est, matri, & mater ipsi, & inter se quoq;, qui nascunt, cognati sint.

III. IVLIANVS.

CApitis deminutione perimuntur cognationes, quæ per adoptionem adquisitæ sunt. igitur si post mortem (uerbi gratia) fratris adoptiui intra centesimum diem adoptiuus frater capite deminutus fuerit: bonorum possessionem accipere non poterit, quæ proximitatis nomine fratris defertur. prætorem enim non solum mortis tempus, sed etiam id, quo bonorum possessio petitur, intueri palam est.

Vlpia-

IIII. VLPIANVS.

SI spurius intestato decesserit: iure consanguinitatis aut adgnationis hæreditas eius ad nullũ pertinet: quia consanguinitatis, itemq; adgnationis iura à patre oriuntur. proximitatis autem nomine mater eius, aut frater eadem matre natus, bonorum possessionem eius ex edicto petere potest.

V. POMPONIVS.

LEgitimis capite deminutis non datur bonorum possessio iure hæredis legitimi: quia non eadem caussa eorum est, quæ liberorum. sed gradu cognatorum rursus uocantur.

VI. VLPIANVS.

COgnatis accusatio nihil obest ad successionem, si accusauerint cognatos suos.

VII. MODESTINVS.

IS, qui aliqua ratione seruus factus est, manumissione nulla ratione recipit cognationem.

VIII. IDEM.

MOdestinus respondit. non ideo minus ad auiæ maternæ bona ab intestato nepotes admitti, quod uulgo quæsiti ꝓponantur.

IX. PAPINIANVS.

OCtaui gradus adgnato iure legitimi hæredis, & si non exstiterit hæres, possessio defertur: ut proximo autem cognato, quamuis exstiterit hæres, non defertur. Fratris filius pro parte hæres institutus, cum patruũ surdum fuisse contenderet, atq; ideo testamentum facere non potuisse, & possessionem ut proximus cognatus accepisset: ex die mortis temporis haberi rationẽ placuit: quia uerisimile nõ uidebatur, tam coniunctum consanguinei defuncti ualetudinẽ ignorasse.

X. SCAEVOLA.

INtestata reliquit sororem Septiciã diuerso patre natam, & prægnantem matrẽ ex alio marito. quæro, si mater hæreditatem repudiauerit, dum adhuc prægnans est, posteáq; enixa fuerit Sempronium: an etiam Sempronia bonorum Titiæ possessionem accipere possit? respondit. si mater hæreditate excluſa esset, eáq; (ut proponeretur) postea nata esset, accipere posse.

DE SVCCESSORIO EDICTO. Tit. IX.

I. VLPIANVS.

SVccessorium edictum idcirco propositum est, ne bona hæreditaria uacua sine domino diutius iacerent, & creditoribus longior mora fieret. bene igitur prætor putauit præstituere tempus his, quibus bonorum possessionem detulit, & dare inter eos successionem: ut maturius possint creditores scire, utrum habeant, cũ quo congrediantur: an uero bona uacantia fisco sint delata: an potius ad possessionem bonorũ procedere debeant, quasi sine successore defuncti. Vnusquisq; aũt suã bonorum possessionẽ repudiare potest, alienam non potest. proinde procurator meus sine mea uoluntate meam bonorũ possessionem repudiare non potest. Per seruum delatam bonorum possessionem dominus repudiare potest. Tutor impuberis an possit repudiare bonorum possessionem, uideamus. & magis est, ne possit. sed ille ex authoritate tutoris repudiare potest. Furiosi curator nequaquam poterit repudiare: quia nec dum delata est. Qui semel noluit bonorũ possessionem petere, perdidit ius eius, & si tempora largiantur. ubi enim noluit: iam cœpit ad alios pertinere bonorum possessio, aut fiscum inuitare. Decretalis bonorũ possessio an repudiari possit, uideamus. & quidem diebus finiri potest. sed repudiari eam non posse, uerius est: quia nondum delata est, nisi cum fuerit decreta. rursum postea, quàm decreta est, sera repudiatio est: quia quod adquisitum est, repudiari nõ potest. Si intra centesimum diem mortuus sit prior, statim sequens admitti potest. Quod dicimus, intra dies centum bonorũ possessionem peti posse: ita intelligendũ est, ut & ipso die centesimo bonorum possessio peti possit, quemadmodum intra calendas etiam ipsæ calendæ sint. idem est, & si in diebus centum dicatur. Quibus ex edicto bonorum possessio dari potest, si quis eorum aut dari sibi noluerit, aut in diebus statutis non admiserit: tunc cæteris bonorum possessio perinde competit, ac si prior ex eo numero non fuerit. Sed uidendũ est, an inter cæteros ipse quoq; qui excluſus est, admittatur. utputa filius est in potestate. delata est ei bonorum possessio ex prima parte, unde liberis defertur. excluſus est tẽpore, aut repudiatione. nunc cæteris defertur. sed utrũ ipse sibi succedat ex hac successoria parte? & magis est, ut succedat, & VNDE LEGITIMI possit petere: & post hos suo ordine ex illa parte, unde proximi cognati uocantur. & hoc iure utimur, ut admittantur. poterit igitur ex sequenti parte succedere ipse sibi. itemq; hoc dici poterit & in secundum tabulas bonorum possessione: ut si secundum tabulas non petierit bonorum possessionem is, qui potuit & ab intestato succedere: ipse sibi succedat. Largius tempus parentibus libe-

liberisq; petendæ bonorũ possessionis tribuitur in honorem sanguinis: uidelicet quia artandi non erant, qui penè ad propria bona ueniũt. ideóq; placuit eis præstitui annum: scilicet ita moderate, ut neq; ipsi ut gerentur ad bonorum possessionis petitionem, neque bona diu iacerent. sanè nonnunquam urgentibus creditoribus interrogandi sunt in iure, an sibi bonorum possessionem admittant: ut si repudiare se dicant, sciant creditores, quid sibi agendum sit. si deliberare se adhuc dicant: præcipitandi non sunt. Si quis autem à patre suo impuberi filio sit substitutus: non intra annum, sed intra diem centesimum bonorum possessionem petere poterit. Non solum autem, cum suo nomine ueniũt liberi parentesq;, hoc eis tribuitur: uerumetiam si seruus eius, qui ex liberis parentibusq; est, hæres institutus sit, intra annum competit bonorum possessio. persona enim ea meruit, quæ hoc beneficium pætat. sed & si pater emancipati filij bonorum possessionẽ contra tabulas accipere uelit: anni tempus ei competere constat. & generaliter ait Iulianus, ex omnibus cauſſis liberis parentibusq; intra annum bonorum possessionem competere.

II. PAPINIANVS.

INferioris gradus cognatus beneficium edicti successorij non habuit, cum prior ex propria parte bonorum possessionẽ accepisset. nec ad rem pertinuit, quod abstinendi facultatem ob auxilium ætatis prior cognatus acceperat. igitur fisco uacantia bona recte deferri placuit.

DE GRADIBVS ET ADFINIBVS, ET NOminibus eorum. Tit. X.

I. CAIVS.

GRadus cognationis alij superioris ordinis sunt, alij inferioris, alij ex trãsuerso, siue à latere. superioris ordinis sunt parentes: inferioris, liberi: ex transuerso siue à latere, fratres, & sorores, liberiq; eorum. sed superior quidem & inferior cognatio à primo gradu incipit: ex transuerso uero siue à latere nullus est primus gradus, & ideo incipit à secundo. itaq; in primo gradu cognationis, superioris quidem & inferioris ordinis cognati possunt concurrere: ex transuerso uero nunquam eo gradu quisquam concurrere potest. at in secundo, & tertio, & deinceps in cæteris: possunt etiam ex transuerso quidam concurrere cũ superioris ordinis cognatis. sed admonẽdi sumus, si quãdo de hæreditate uel bonorũ possessione quæramus: non semp eos, qui eiusdẽ gradꝰ sunt, cõcurrere.

Primo gradu sunt supra, pater mater: infra, filius filia. Secundo

gradu sunt supra, auus auia: infra, nepos neptis: ex transuerso, frater soror. Tertio gradu sunt supra, proauus proauia: infra, pronepos proneptis: ex transuerso, fratris sororisq; filius filia: & conuenienter patruus, amita, auunculus, matertera. Quarto gradu sunt supra, abauus abauia: infra, abnepos abneptis: ex transuerso fratris sororisq; nepos neptis: & conuenienter patruus magnus, amita magna, id est auifrater soror, auunculus magnus, matertera magna, id est auiæ frater soror. item fratres patrueles, sororesq; patrueles, id est qui quæũe ex duobus fratribus progenerantur. item consobrini, consobrinæ, id est qui quæũe ex duabus sororibus nascuntur, quasi consororini. item amitini, amitinæ, id est qui quæũe ex fratre & sorore propagãtur. sed uulgus ferè omnes istos communi appellatione consobrinos uocat. Quinto gradu sunt supra, atauus atauia: infra, adnepos adneptis: ex transuerso, fratris & sororis pronepos proneptis: & conuenienter propatruus, proamita, id est proaui frater & soror, proauunculus, promatertera, id est proauiæ frater & soror. item fratris patruelis, sororis patruelis filius filia: & similiter cõsobrini cõsobrinæ, item amitini amitinæ filius filia, propius sobrino, propius sobrina. isti sunt patrui magni, amitæ magnæ, auunculi magni, materteræ magnæ filius filia.

II. VLPIANVS.

HOc est patris eius, de cuius cognatione quæritur, consobrinus cõsobrina, siue frater patruelis.

III. CAIVS.

SExto gradu sunt supra, tritauus tritauia: infra, trinepos trineptis: ex transuerso, fratris & sororis abnepos abneptis. & conuenienter abpatruus, abamita, id est abaui frater & soror: abauunculus, abmatertera, id est abauiæ frater & soror. item patrui magni, amitæ magnæ, auũculi magni, materteræ magnæ nepos neptis. item fratris patruelis, sororis patruelis, consobrini, consobrinæ, amitini, amitinæ nepos neptis. propatrui, proamitæ, proauunculi, promaterteræ filius filia. item qui ex fratribus patruelibus, aut consobrinis, aut amitinis undiq; propagãtur, qui proprie sobrini uocantur. In septimo gradu quàm multæ esse possint personæ, ex his, quæ diximus, satis apparet. admonendi tamen sumus parentum liberorumq; personas semper duplari. auũ etenim & auiam, tam maternos, quàm paternos intelligimus: item nepotes neptesq; tam ex filio, quàm ex filia. quam rationẽ scilicet deinceps in omnibus gradibus supra infraq; sequemur.

IIII. MODESTINVS.

NOn facile autem, quod ad nostrum ius attinet, cum de naturali cognatione quæritur, septimũ gradũ quis excedit: quatenus ultra

cum

eum ferè gradum rerum natura cognatorum uitam consistere non patitur. Cognati ab eo dici putantur, quod quasi unà communiterue nati, uel ab eodem orti, progenitiue sint. Cognationis substantia bifariam apud Romanos intelligit̃. nam quædã cognationes iure ciuili, quædã naturali continentur: nonnunq; & utroq; iure concurrente & naturali & ciuili copulatur cognatio. & quidẽ naturalis cognatio per se sine ciuili cognatione intelligit̃, quæ per fœminas descendit, quæ uulgo liberos pariũt. ciuilis aũt per se (quæ etiã legitima dicitur) sine naturali fit cognatione per adoptionẽ. utroq; iure cõsistit cognatio, cũ iustis nuptijs contractis copulatur. sed naturalis quidem cognatio hoc ipso nomine appellatur: ciuilis autem, licet ipsa quoq; per se pleniſſime hoc nomine uocetur, proprie tamen adgnatio uocatur, uidelicet quæ per mares contingit. Sed quoniam quædam iura inter adfines quoq; uersantur: nõ alienum est, hoc loco de adfinibus quoq; breuiter disserere.

Adfines sunt uiri & uxoris cognati: dicti ab eo, quod duæ cognationes, quæ diuersæ inter se sunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit. nanq; coniungendæ adfinitatis causſa fit ex nuptijs. Nomina uero eorũ hæc sunt: socer, socrus, gener, nurus, nouerca, uitricus, priuignus, priuigna. Gradus autem adfinitatis nulli sunt. & quidem pater uiri uxorisq; socer, mater autem eorum socrus appellatur: cum apud Græcos proprie uiri pater ἑκυρὸς, mater uero ἑκυρὰ: & uxoris pater πενθερὸς, mater uero πενθερὰ uocetur. filij autẽ uxor nurus, filiæ uero uir gener appellatur. uxor liberis ex alia uxore natis nouerca dicitur, matris uir ex alio uiro natis uitricus appellatur: eorum uterq; natos aliunde priuignos priuignasq; uocant. Potest etiam sic definiri socer. socer dicitur uxoris meæ pater, ego illius sum gener. socer magnus dicitur uxoris meæ auus, ego sum illius progener. & retro pater meus uxoris meæ socer est, hæc illi nurus: & auus meus socer magnꝰ est, illa illi pronurus. item prosocrus mihi uxoris meæ auia est, ego illius sum progener. & retro mater mea uxoris meæ socrus est, illa huic nurus: & auia mea socrus magna est, uxor mea illi pronurus. priuignus autem est uxoris meæ filius ex alio uiro natus, ego illorum uitricus. & in contrarium uxor mea liberis, quos ex alia uxore habeo, nouerca dicitur: liberi mei illi priuigni sunt. uiri frater leuir est, apud Græcos δαὴρ appellatus, ut est apud Homerum relatum. sic enim Helena ad Hectorem dicit:

Δᾶερ ἐμοῖο κυνὸς κακομηχάνου ὀκριοέσσης.

Viri soror glos dicitur, apud græcos γάλωσ: duorũ fratrũ *uxores dicuntur apud græcos εἰνάτερες, quod uno uersu idem Homerus significat:

δαέρων, ἢ γαλόων, ἢ εἰνατέρων ἐϋπεπλων.

*als. uxores ianitri cas dicuntur, apud græcos ἔμβατες.

Hos itaque, qui adfinitatis causſa inter ſe parentum loco liberorumq; habentur, matrimonio copulari nefas eſt. Sciendum eſt, neque cognationem, neque adfinitatem eſſe poſſe, niſi nuptiæ interdictæ non ſint, ex quibus adfinitas coniungitur. Libertini liberti næq; inter ſe adfines eſſe poſſunt. In adoptionem datus, aut emancipatus, quaſcunq; cognationes adfinitatesq; habuit, retinet: adgnationis iura perdit. ſed in ea familia, ad quam per adoptionem uenit, nemo illi cognatus eſt, præter patrem, eosue, quibus adgnaſcitur. adfinis autem ei omnino in earum familia nemo eſt. Is, cui aqua & igni interdictum eſt, aut aliquo modo capite deminutus eſt ita, ut libertatem & ciuitatem amiſerit: cognationes & adfinitates oēs, quas ante habuit, amittit.

V. PAVLVS.

SI filium naturalem emancipauero, & alium adoptauero, non fieri eos fratres: ſi filio meo mortuo Titium adoptauero, uideri eū defuncti fratrem fuiſſe, Arrianus ait.

VI. VLPIANVS.

LAbeo ſcribit, nepotis ex filia mea nati uxorem, nurum mihi eſſe. Generi & nurus appellatione ſponſus quoq; & ſponſa continentur. atenim ſoceri & ſocrus appellatione ſponſorum parentes contineri non uidentur.

VII. SCAEVOLA.

PRiuignus etiam is eſt, qui uulgo conceptus, ex ea natus eſt, quæ poſtea mihi nupſit. æque & is, qui cum in concubinatu erat mater eius, natus eſt ex ea, quæ poſtea alij nupta ſit.

VIII. POMPONIVS.

SEruius recte dicebat: ſoceri, & ſocrus, & generi, & nurus appellationem etiam ex ſponſalibus adquiri.

IX. PAVLVS.

Στέμματα cognationum directo limite in duas lineas ſeparantur: quarum altera eſt ſuperior, altera inferior. ex ſuperiore autem & ſecundo gradu tranſuerſæ lineæ pendent, quas omnes latiore tractatu habito in librum ſingularem contexuimus.

X. IDEM.

IVriſconſultus cognatorum gradus & adfinium noſſe debet: quia legibus hæreditates, & tutelæ ad proximum quenq; adgnatum redire conſueuerunt. ſed & edicto prætor proximo cuiq; cognato dat bonorum poſſeſſionem. præterea lege iudiciorum publicorū contra adfines & adgnatos teſtimonium inuiti dicere nō cogimur. Nomen cognationis à græca uoce συγγενικῆς dictū uidetur. συγγενεῖς enim illi uocant, quos nos cognatos appellamus. cognati ſunt, & quos adgnatos

lex

lex duodecim tabularum appellat. sed hi per patrẽ cognati sunt ex eadem familia. qui autem per fœminas coniunguntur, cognati tantum nominantur. proximiores ex adgnatis sui dicũtur. Inter adgnatos igitur & cognatos hoc interest, quod inter genus & speciem. nam qui est adgnatus, & cognatus est: non utiq; autem qui cognatus est, & adgnatus est. alterum enim ciuile, alterum naturale nomen est. Non participes his cognationum nominibus etiam in seruis. itaq; parentes, & filios, fratresq; etiam seruorum dicimus. sed ad leges seruiles cognationes non pertinent. Cognationis origo & per fœminas solas contingit. frater enim est, & qui ex eadem matre tantũ natus est. nam qui eundem patrem habent, licet diuersas matres, etiã adgnati sunt. Parentes autem apud Romanos usq; ad tritauum proprio uocabulo nominantur: ulteriores, qui non habent speciale nomen, maiores appellantur. item liberi usq; ad trinepotem: ultra hos posteriores uocantur.

Sunt & ex lateribus cognati, ut fratres, sororesq;, & ex his prognati: item patrui, amitæ, auunculi, & materteræ. At quoties quæritur, quoto gradu quæq; persona sit: ab eo incipiendum est, cuius de cognatione quærimus. Et si ex inferioribus aut superioribus gradibus est: recta linea susum uersum, uel deorsum tendendo, facile inueniemus gradus, si per singulos gradus proximum quenq; numeramus. nam qui mihi proximo, gradu proximus est, is secundo gradu est mihi. similiter enim accedẽtibus singulis, crescit numerus. Idem faciendum in transuersis gradibus. sic frater secundo gradu est: quoniã patris uel matris persona, per quos coniungitur, prior numeratur. Gradus aũt dicti sunt ad similitudinem scalarum, locorumúe procliuium, quos ita ingredimur, ut à proximo in proximum, id est in eum, qui quasi ex eo nascitur, transeamus. Transeamus nunc, & singulos gradus numeremus. PRIMO GRADV cognationis sunt susum uersum duo, pater & mater: deorsum uersum duo, filius & filia, qui tamen & plures esse possunt. SECVNDO GRADV duodecim personæ continentur hæ. Auus, hoc est patris & matris pater. item auia, similiter tam paterna, quàm materna. Frater quoq; per utrunq; parentem accipitur, id est, aut per matrem tantum, aut per patrem, aut per utrunq;, id est ex utroq; eodem parente. sed hic numerum non auget: quod nihil differat ab eo, qui eundem patrem habet tantum, nisi quod is eosdem cognatos tam paternos, quàm maternos habet. & ideo euenire solet in his, qui diuersis parentibus nati sunt: ut qui meo fratri frater est, meus cognatus non sit. pone me fratrem habere ex eodem tantũ patre, fratrem illum habere ex eadem matre. illi inter se fratres sunt, mihi alter cognatus nõ est. Soror. ea similiter numeratur, ut frater. Nepos quoq;

dupliciter intelligitur, ex filio, uel filia natus. idem eſt & in nepte.

TERTIO GRADV perſonæ continentur trigintaduæ. Proauus, qui quadrifariter intelligitur. eſt enim aui paterni aut materni pater: item auiæ paternæ aut maternæ pater. Proauia quoq; quatuor perſonas cõplectitur. eſt enim aui paterni, aut auiæ paternæ mater: item aui materni, & ſimiliter auiæ maternæ mater. Patruus. is autem eſt patris frater: & ipſe dupliciter intelligendus eſt, ex patre, uel matre. puta auia paterna mea nupſit patri tuo, peperit te: aut auia paterna tua nupſit patri meo, peperit me. ego tibi patruus ſum, & tu mihi. Idem euenit, ſi mulieres altera alteri9 filio nupſerint. nã qui ex his maſculi nati ſunt, ĩjs maſculi inuicem patrui ſunt, fœminæ inuicem amitæ. idem in fœminis. maſculi enim ſimiliter illis patrui, fœminæ amitæ ſunt. Et ſi uir & mulier ille filiam eius duxerit, illa filio eius nupſerit: qui ex patre adoleſcentis nati erunt, ex matre puellæ natos fratris filios: illi eos patruos & amitas appellabunt. Auunculus. is matris eſt frater, & eadem ſignificatione, qua in patruo diximus, contingit. ſi duo uiri alter alterius filiam duxerint: qui ex his maſculi nati fuerint, ĩjs maſculi inuicẽ auunculi, fœminæ inuicem materteræ erunt: & eadem ratione maſculi puellis auunculi, illæ illis erunt materteræ. Amita. ea eſt patris, ſoror ſicut ſupra accipiendi. Matertera. ea eſt matris ſoror ſimiliter, ut ſupra. Illud notandum eſt: non quemadmodum patris matriſq; fratres ſorores, patrui, amitæ, auunculi, materteræ dicuntur, ita fratris ſororiſq; filios filias nomen ſpeciale cognationis habere: ſed ita demonſtrari fratris ſororiſq; filios filias. quod quidem & in alijs accidere, ex poſteriori bus apparebit. Pronepos quoq; & proneptis quadrifariter intelliguntur. aut enim ex nepote ex filio, aut ex nepote ex filia deſcendunt: aut ex nepte ex filio, aut ex nepte ex filia propagat̃. QVARTO GRADV perſonæ continentur octoginta. Abauus, cuius intellectus in octo perſonas porrigitur. eſt enim proaui paterni aut materni pater, quos ſingulos duplici modo intelligendos diximus: aut proauiæ paternæ aut maternæ pater, quæ & ipſæ ſingulæ dupliciter accipiũtur. Abauia. & hæc octies numeratur. eſt enim ,paui paterni aut materni, item proauiæ paternæ aut maternæ mater. Patruus magn9. is eſt frater aui. ſed auus, item frater, cum duobus modis intelligantur: quatuor perſonas id nomen amplectitur: ut ſit aui paterni uel materni frater, qui uel eodem patre id eſt proauo, uel tantum matre eadem id eſt proauia natus eſt. qui aũt mihi eſt patruus magnus, is patri meo uel matri meæ patruus eſt. Amita magna. ea eſt aui ſoror. auus autem, item ſoror (ut ſupra diximus) dupliciter intelliguntur: & ideo hic quoq; quatuor perſonas intelligimus. ſimiliter quæ patri meo uel matri meæ amita eſt,

mihi

mihi erit amita magna. Auũculus magn9. hic eſt auiæ frater. quatuor perſonæ huic nomini eadẽ ratione ſubiectæ ſunt: mihiq́ is eſt auunculus magnus, qui patri meo uel matri meæ auũculus eſt. Matertera magna. ea eſt auiæ ſoror. quatuor modis & hæc ob eandẽ cauſſam intelligitur: et quæ matri meæ uel patri meo matertera eſt, mihi matertera magna uocat̃. Eodẽ gradu ſunt & illi, qui uocãtur fratres patrueles, item ſorores patrueles, amitini amitinæ, cõſobrini cõſobrinæ. hi autẽ ſunt, qui ex fratrib9, uel ſororib9 naſcunt̃: quos quidã ita diſtinxerũt, ut eos quidem, qui ex fratribus nati ſunt, fratres patrueles: item eas, quæ ex fratribus natæ ſunt, ſorores patrueles: ex fratre autem & ſorore, amitinos, amitinas: eos uero & eas, qui quæũe ex ſororibus nati natæũe ſunt, conſobrinos, conſobrinas, quaſi conſororinos. ſed pleriq́ fere omnes conſobrinos uocant, ſicuti Trebatius. Sub hac nominum appellatione perſonæ cadunt ſedecim hæ. patrui filius, item filia, bifariam (ſicut ſupra) numerantur. nam patris mei frater eſſe poteſt, uel ex eodem patre, uel etiam ex matre ſola. amitæ filius, item filia: auunculi filius, item filia: materteræ filius, item filia. amitæ, auunculo, materteræ acceptis duplici intellectu, ratio eſt ſeruanda ſecundum patrui nomen. Fratris ſororiſq́ nepos ac neptis eodẽ gradu ſunt: & frater, item ſoror, neposũe & neptis dupliciter accepti, continebunt perſonas ſedecim ſic. fratris eodem patre nati nepos ex filio, nepos ex filia: fratris eadem matre, alio patre nati nepos ex filio, nepos ex filia: fratris eodẽ patre nati neptis ex filio, neptis ex filia: fratris alio patre eademq́ matre nati neptis ex filio, neptis ex filia. eaq́ cauſſa octo perſonæ efficientur, ut aliæ octo accedant. ex ſorore natorum nepotes neptesq́. & ſimiliter numerant̃ â nobis. fratris aũt mei nepos neptisq́ me patruũ magnũ appellãt. fratrũ ſororũq́ meorũ nepotes, neptesq́ item, mei inter ſe conſobrini ſunt. Abnepos, abneptis. hi ſunt, pnepotis proneptisũe filio filia, nepotis neptisũe nepos neptis, filij filiæũe, pnepos, pneptis. pſonas cõtinebũt ſedecim: nepote uel ex filio nato uel ex filia, nepte uel ex filio nata uel ex filia acceptis, ut ad ſingulas pſonas gradu deſcẽdamus ſic. filius, nepos, pnepos, abnepos: filius, nepos, pronepos, abneptis: filius, nepos, proneptis, abnepos: filius, nepos, proneptis, abneptis: filius, neptis, pronepos, abnepos: filius, neptis, pronepos, abneptis: filius, neptis, proneptis, abnepos: filius, neptis, proneptis, abneptis. ſimiliter hæ perſonæ numerabuntur præpoſita filia, & ſic fient ſedecim.

QVINTO GRADV perſonæ continentur centũ octogintaquatuor. Atauus ſcilicet & atauia. atauus eſt abaui uel abauiæ pater, proaui uel proauiæ auus, aui auiæq́ proauus, matris uel patris abauus. huius appellatio perſonas complectitur ſedecim, enumeratione facta tam

per mares, quàm per fœminas, ut ſic ad ſingulas perueniamus. pater, auus, proauus, abauus, atauus: pater, auus, proauus, abauia, atauus: pater, auus, proauia, abauus, atauus: pater, auia, proauus, abauus, atauus: pater, auia, proauus, abauia, atauus: pater, auia, proauia, abauus, atauus: pater, auus, proauia, abauia, atauus: pater, auia, pauia, abauia, atauus. ſimiliter matris pſona præpoſita numeratio fiet. Atauia totidē perſonas cōtinet, eadē ratione numeratas, id eſt ſedecim. Patruus maior. is eſt proaui frater, patris uel matris patruus magnus. ſub hoc nomine erunt perſonæ octo, & ſic enumerabuntur. pater, auus, proauus, abauus, frater proaui: pater, auus, pauus, abauia, frater proaui: pater, auia, proauus, abauus, frater proaui: pater, auia, proauus, abauia, frater proaui. totidem erunt matris perſona, & proauo eius præpoſitis. ideo autem fratrem proaui enumerantes ante abauum ponimus, quod (ut ſupra ſignificauimus) non aliter perueniatur ad eum, de quo quæritur, niſi per eos tranſitum fuerit, ex quibus naſcitur. Auunculus maior. is eſt proauiæ frater, patris uel matris auunculus magnus. eadem dinumeratione hic quoq; octo perſonas computabimus: hoc tantum immutato, ut his frater proauiæ præponatur. Amita maior. ea eſt proaui ſoror, patris uel matris amita magna. quo ad numerum & expoſitionem perſonarum, eadem erunt: immutato hoc, ut proaui ſoror ad extremum ponatur. Matertera maior. hæc eſt ſoror proauiæ, patris uel matris matertera magna. numerus perſonarum idem eſt, ut in nouiſſimo ponatur proauiæ ſoror. hos omnes à patruo maiore, quos retulimus, quidā appellant ita: ppatruus, proauunculus, proamita, promatertera. quos tamen ego ita nomino, illi contra fratris uel ſororis pronepotē me demōſtrant. Patrui magni filius filia. hi ſunt fratris aui filius filia; proaui aut proauiæ nepos neptis ex filio, patris uel matris conſobrinus conſobrina. octo perſonas & hic computabimus, quod auus & frater (ut iam dictum eſt) dupliciter accipiuntur. & ideo patrui magni filius quatuor implet, totidem filia. Amitæ magnæ filius filia. hi ſunt aui ſororis filius filia, proaui aut proauiæ nepos neptis ex filia, patris uel matris conſobrinus conſobrina. numerus perſonarū idem, qui ſupra. Auunculi magni filius filia. hi ſunt auiæ fratris filius filia, proaui aut proauiæ nepos neptis ex filio, patris uel matris conſobrinus conſobrina. numerus idem. Materteræ magnæ filius filia. hi ſunt auiæ ſororis filius filia, proaui aut proauiæ nepos neptis ex filia, patris uel matris conſobrinus conſobrina. computatio eadem perſonarū, quas enumerauimus. Patrui magni filius ei, de cuius cognatione quæritur, propius ſobrino uocatur. nam (ut Maſurius ait) eum quis appellat propius ſobrino, qui eſt patris matriſue conſobrinus aut conſobri

ſobrina: ab eo conſobrini conſobrinæue filius filia nominatur. Patrui nepos neptis. hi ſunt aui paterni uel auiæ paternæ, pnepos proneptis ex nepote uel ex nepte filio natis, conſobrini conſobrinæ filius filia. perſonas octo continebunt, quatuor nepos, quatuor neptis: quia & patruus dupliciter accipitur, & nepos uel neptis ſub ſingulis patruorũ perſonis duplicatur. Amitæ nepos neptis. hi ſunt aui paterni uel auiæ paternæ pronepos, pneptis ex nepote uel ex nepte filia natis, conſobrini conſobrinæ filius filia. numerus idem eſt. Auunculi nepos neptis. hi ſunt aui materni uel auiæ maternæ pronepos proneptis ex nepote uel ex nepte filio natis. cætera eadem, quæ in patrui nepote uel nepte diximus. Materteræ nepos neptis. hi ſunt aui materni uel auiæ materneæ pronepos proneptis ex nepote uel ex nepte filia natis. perſonarum numerus idem, qui ſupra. his omnibus, quos â patrui nepote propoſuimus, is, de cuius cognatione quæritur, propius ſobrino eſt. nam patris uel matris eorum conſobrinus eſt. Fratris pronepos proneptis. hi continebunt perſonas ſedecim: fratre dupliciter, & pronepote, ac pronepte ſingulis quadrifariam (ut ſupra demonſtrauimus) acceptis. Sororis pronepos proneptis, ſimiliter ſedecim perſonas cõtinebũt. Adnepos adneptis. hi ſunt abnepotis uel abneptis filius filia, pronepotis uel proneptis nepos neptis, nepotis uel neptis pronepos proneptis, filij uel filiæ abnepos abneptis. numerabũtur ſub hac appellatione triginta duæ perſonæ: quia abnepos ſedecim habet, & totidẽ abneptis. SEXTO GRADV continentur perſonæ quadringentæ quadraginta octo hæ. Tritauus. is autem eſt patris & matris atauus, aui uel auiæ abauus, proaui uel pauiæ auus, abaui uel abauiæ auo, ataui uel atauiæ pater: dictus quaſi *tertius auus. perſonas autem complectitur triginta duas. geminetur enim neceſſe eſt, qui numerus in atauo fuit, immutatione per ſingulas perſonas propter atauum iam facta, ut ſedecies tritauus intelligatur ataui pater, & toties atauiæ. Tritauia ſimiliter enumerata faciet perſonas triginta duas. Patruus maximus. is eſt abaui frater, ataui & atauiæ filius, patris uel matris patruus maior. perſonas continebit ſedecim ſic. pater, auus, proauus, abauus, atauus, abaui frater: pater, auus, proauus, abauus, atauia, frater abaui: pater, auus, pauia, abauus, atauus, frater abaui: pater, auia, pauus, abauus, atauus, frater abaui: pater, auia, pauus, abauus, atauia, frater abaui: pater, auia, proauia, abauus, atauus, frater abaui: pater, auus, proauia, abauus, atauia, frater abaui: pater, auia, pauia, abauus, atauia, frater abaui. totidem erunt matris appellatione præpoſita. Auunculus maximus. is eſt abauiæ frater, patris uel matris auunculus maior. & numero idem, & perſonarũ expoſitio eadẽ, quæ ſupra: hoc dũtaxat immutato,

*al's. tertij aui auus.

ut pro abaui fratre abauiæ fratrem ponas. Amita maxima. ea est abaui soror, patris uel matris amita maior. cætera, ut in patruo maximo: hoc tantũ immutato, ut ubi est abaui frater, ponat abaui soror. Matertera maxima. ea est abauiæ soror, patris uel matris matertera maior. cætera, ut supra, ad extremum duntaxat pro abauiæ fratre præposita abauiæ sorore. hos omnes, quos à patruo maximo proposuimus, quidam his nominibus designant: abpatruus, abauunculus, abamitas, abmatertera. itaq; & nos indifferenter hos ponemus. quos autem ego appello abpatruos, abauũculos, abamitas, abmaterteras: illi demonstrãt me fratris sororisq; abnepotem. Patrui maioris filius filia. hi sunt proaui fratris filius filia, abaui abauiæ per proauum nepos neptis ex filio. personæ sub hoc erũt sedecim: enumeratione sic ducta, ut in quinto gradu, cum patruum maiorem demonstraremus, fecimus: adiecto duntaxat filio filia: quia filius patrui maioris totidem necesse est personas cõplectatur, quot patruus maior, id est octo. totidemq; ex filiæ persona computatis, is numerus efficietur, quem supra posuimus. Amitæ maioris filius filia. hi sunt proaui sororis filius filia, abaui abauiæ per proauum nepos neptis ex filia. & hic eadem ratione personas denumerabimus totidem. Auunculi maioris filius filia. hi sunt proauiæ fratris filius filia, abaui abauiæ per proauiam nepos neptis ex filio. eadem hic denumeratio facienda est, quæ in patrui maioris filio filia. Materteræ maioris filius filia. hi sunt proauiæ sororis filius filia, abaui abauiæ per proauiam nepos neptis ex filia. circa numerum & personarum expositionem eadem, quæ supra. omnes, quos proposuimus à patrui maioris filio, auo auiæ eius, de cuius cognatione quæritur, fratribusq; & sororibus utrius eorũ, consobrini cõsobrinæue sunt: at patri matriq; eiusdem fratribusq; & sororibus utrius eorum propius sobrinis. Patrui magni nepos uel neptis: amitæ magnæ nepos uel neptis, auuunculi magni nepos uel neptis, materteræ magnæ nepos uel neptis. hæc simul nomina continent personas sexaginta quatuor. nam cum patrui magni (uerbi gratia) persona quadrifariam intelligatur, nepotis bifariam: geminatur is numerus nepote duntaxat adnumerato, & quadruplicatur is, qui geminatus erat: duplicatur etiã nepte computata. ac tantũ unius denumerationẽ proponemus exempli gratia. pater, auus, proauus, frater aui, qui est patruus magnus, filius eius, nepos eiusdẽ ex filio, item neptis: pater, auus, proauia, frater aui, qui est patruus magnus, filius eius, nepos eiusdem ex filio, item neptis: pater, auus, proauus, frater aui, qui est patruus magnus, filia eius, nepos eiusdem ex filia, item neptis: pater, auus, proauia, frater aui, qui est patruus magnus, filia eius, nepos eiusdem ex filia, item neptis. totidem, & eadem ratione exponũtur matris

tris nomine antepoſito, id eſt ut & aui materni fratris nepotes & neptes cõputemus. item in amita magna, id eſt aui ſororis nepotes neptesq; enumerabimus. idemq; in auunculo magno, id eſt auiæ fratris. eadem ratio materteræ magnæ, id eſt auiæ ſororis. ex quibus uniuerſus numerus completur ſexagintaquatuor. hi omnes proauo, aut proauiæ eius, de cuius cognatione quæritur, pronepotes & proneptes: eiuſdem auo auiæue fratris ſororiſue nepotes, neptesue. & contra horum auus auia eidem patruus magnus, amita magna, auunculus magnus, matertera magna: horũ autem pater materue, fratresq; & ſorores utrius eorum eidem propius ſobrinis: ipſe his ſobrinus eſt, & inuicem huic illi ſobrini. Patrui pronepos proneptis continent perſonas octonas, & utriuſq; ſexus fiunt ſedecim ſic. pater, auus, patruus, filius patrui, nepos eiuſdem ex filio, pronepos eiuſdem ex nepote filio nato, item proneptis: pater, auia, patruus, filius patrui, nepos eiuſdem ex filio, pronepos ex nepote filio nato, item proneptis: pater, auus, patruus, filia patrui, nepos eiuſdem ex filia, pronepos ex nepote filia nato, item proneptis: pater, auia, patruus, filia patrui, nepos eius ex filia, pronepos ex nepote filia nato, item proneptis: pater, auus, patruus, filius patrui, neptis eiuſdem ex filio, pronepos ex nepte filio nata, item proneptis: pater, auia, patruus, filius patrui, neptis eiuſdem ex filio, pronepos ex nepte filio nata, item proneptis: pater, auus, patruus, filia patrui, neptis eiuſdem ex filia, pronepos ex nepte filia nata, item proneptis: pater, auia, patruus, filia patrui, neptis eiuſdem ex filia, pronepos ex nepte filia nata, item proneptis. Amitæ pronepos, proneptis. totidem perſonas eadem ratione & hi continẽt: pro patruo tamen amita ſumpta. Auunculi pronepos proneptis. item pro patruo auunculo poſito. Materteræ pronepos, proneptis. & hic ubi patruus poſitus eſt, matertera numerata, eundem numerum perſonarum inueniemus. hi omnes eius, de cuius cognatione quæritur, conſobrinorum nepotes neptesue ſunt. Fratris ſororiſq; abnepos abneptis efficiunt perſonas ſexagintaquatuor, ut ex ſupraſcriptis apparere poteſt. Trinepos trineptis. hi ſũt filij filiæue adnepos adneptis, nepotis neptisue abnepos abneptis, pnepotis proneptisue, pnepos pneptis, abnepotis abneptisue nepos neptis, adnepotis adneptisue filius filia. hæ appellationes demonſtrãt perſonas ſexagintaquatuor. nã trigintaduo trinepos complet, totidẽ trineptis. à nepote enim numerus quadruplatus in ſe efficit trigintaduo: ipſo nepote duas ſignificante, pronepote quatuor, abnepote octo, adnepote ſedecim. his accedũt trinepos trineptis, uni ex adnepote, alteri ex adnepte nati. per ſingulos aũt gradus ideo geminatio fit, quia maribus adijciunt fœminæ, ex quibus proximus quiſq; progignit: & enumerabunt ſic. filius, nepos, prone-

pronepos,abnepos,adnepos,trinepos,item trineptis:filia,nepos,pronepos,abnepos,adnepos,trinepos, itē trineptis: filius, neptis, pronepos,abnepos,adnepos,trinepos,itē trineptis:filia,neptis,pnepos,abnepos,adnepos,trinepos, itē trineptis: filius,nepos, pneptis, abnepos, adnepos,trinepos, itē trineptis: filia, nepos, proneptis, abnepos, adnepos,trinepos,item trineptis:filius,neptis,proneptis,abnepos,adnepos, trinepos,item trineptis:filia,neptis,proneptis,abnepos,adnepos,trinepos,item trineptis:filius,nepos,pronepos,abneptis,adnepos,trinepos, item trineptis:filia,nepos,pronepos,abneptis,adnepos,trinepos, item trineptis:filius,neptis,pronepos,abneptis,adnepos,trinepos, item trineptis:filia,neptis, pronepos,abneptis,adnepos, trinepos, item trineptis· filius,nepos, proneptis, abneptis, adnepos ,trinepos, item trineptis:filia,nepos,pneptis,abneptis,adnepos,trinepos, itē trineptis:filia,neptis,proneptis,abneptis,adnepos,trinepos,itē trineptis:filia,neptis, proneptis,abneptis,adnepos,trinepos,item trineptis:filius,nepos, pronepos,abnepos, adneptis,trinepos, item trineptis: filia, nepos, pronepos,abnepos,adneptis,trinepos,item trineptis:filius,neptis,pronepos, abnepos,adneptis,trinepos,item trineptis:filia,neptis,pronepos,abnepos, adneptis, trinepos, item trineptis: filius, nepos, proneptis, abnepos,adneptis,trinepos,item trineptis:filia, nepos,proneptis, abnepos, adneptis trinepos,item trineptis:filius, nepos,pronepos,abneptis,adneptis,trinepos, item trineptis: filia,nepos, pronepos,abneptis, adneptis,trinepos, item trineptis:filius, neptis, proneptis, abnepos, adneptis,trinepos,item trineptis:filia,neptis, proneptis,abnepos, adneptis, trinepos,item trineptis: filius, neptis, pnepos,abneptis,adneptis, trinepos,item trineptis:filia,neptis,pronepos, abneptis, adneptis, trinepos,item trineptis:filius,nepos,proneptis,abneptis,adneptis,trinepos, item trineptis:filia,nepos proneptis,abneptis,adneptis,trinepos,item trineptis:filius,neptis,proneptis,abneptis,adneptis. trinepos,item trineptis:filia,neptis,proneptis,abneptis, adneptis,trinepos, item trineptis. SEPTIMO GRADV personæ continentur mille uigintiquatuor hæ. Tritaui,itemq; tritauiæ,pater mater.personas efficiũt centũ uigintiocto.tritaui enim patres tot sunt, quot ipsius tritaui: item eiusdem matres totidem,fiunt sexagintaquatuor.idem numerus tritauiæ patris matrisq;. Ataui atauiæ frater soror.hi sunt tritaui filius filia: abaui abauiæ patruus,auunculus, amita,matertera:proaui, proauiæ patruus magnus, auunculus magnus,amita magna, matertera magna:aui auiæue propatruus, proauunculus, proamita, promatertera. fiunt personæ ataui fratris trigintaduæ.nam sedecim,quas atauus explet, accedant totidem propter fratris duplicem personam,necesse est.

eſt.nam ſedecim fratres ataui ex patre computãtur,& ſedecim ex matre:ſimiliter ataui ſorores trigintaduæ fiunt,ſexagintaquatuor:& totidem atauiæ fratris,item ſororis. Patrui maximi filius filia. hi ſunt ataui nepos neptis ex filio,abaui fratris filius filia.Amitæ maximæ filius filia. hi ſunt ataui nepos neptis ex filia, abaui ſororis filius filia. Auunculi maximi filius filia. hi ſunt ataui nepos neptis ex filio, abauiæ fratris filius filia. Materteræ maximæ filius filia. hi ſunt ataui nepos neptis ex filia,abauiæ ſororis filius filia.hæ omnes perſonæ,quas à patrui maximi filio enumerauimus,proauo proauiæq; eius, de cuius cognatione quæritur, conſobrini ſunt: auo auiæq; eiuſdem propius ſobrinis.ſingulæ appellationes continent perſonas ſenas denas: quia cũ patruus maximus ſedecim efficiat,filius eius eandem habet enumeratiõem,totidemq; filia.& ſic ex omnibus his,quas à patrui maximi filio comprehendimus, ductis per octo ſedecies, fiunt centum uiginti octo. Patrui maioris nepos perſonas continet ſedecim. eſt enim abaui abauiæue pronepos: & cũ abauus octies numeretur,nepotes bis octies computati,ſupra dictum numerũ efficiunt:totidemq; patrui maioris neptis. auunculi item maioris nepos neptis,eadem ratione perſonas complebunt trigintaduas. amitæ maioris nepos neptis,eadem ratione. item materteræ maioris nepos neptis. & ſic ex omnibus colliguntur centum uigintiocto.his perſonis auus auia eius,de cuius cognatione quæritur,propius ſobrinis ſunt:pater mater ſobrinus ſobrina:is, de cuius cognatione quæritur,ſobrino natus eſt: hic proximo nomine definitur parenti ſuo ſobrinus, ut Trebatius ait. rationem quoq; nominis hanc reddidit, quod ultimi gradus cognationum ſobrinorũ ſint. itaq; ſobrini filium recte proximum nomen ab eo ipſo huius ſobrini filius dicetur.& ideo eos,qui ex ſobrinis nati ſunt, inter ſe proximum nomen appellarent. hos enim nullũ proprium habere nomen, quo inter ſe uocentur. Patrui magni pronepos proneptis,auunculi magni pronepos proneptis,amitæ magnæ pronepos proneptis,materteræ magnæ pronepos proneptis. ex his omnibus centum uiginti octo perſonæ efficiuntur: quia ſingulæ appellationes ſedecim complent. nam cum (exempli gratia) patruus magnus quadrifariam intelligat̃: ad ſingulorũ patruũm maiorũ perſonas quadruplicatus pronepos,item proneptis,trigintaduas perſonas reddẽt: totq; quater numeratæ,illam,quæ poſita eſt,ſummam efficiunt. eorum patres matresq; ei,de cuius cognatione quæritur,ſobrini ſobrinæq; ſunt: ipſe uero ijs de ſobrino ſobrinaue natus. Patrui abnepos abneptis, auunculi abnepos abneptis, amitæ abnepos abneptis, materteræ abnepos abneptis,hæc ſingula uocabula ſenas denas continent perſonas.patrui

enim (uerbi gratia) abnepos sic enumerabitur, ut bifariam patruo accepto, quater pronepos, toties proneptis ducatur: & sic ad eorum filios ueniatur sedecies computatos, eadem ratione ad filiam, item ad cæteros: & per hoc ex omnibus efficietur numerus personarum centum uigintiocto. hi sunt ei, de cuius cognatione quæritꝫ, consobrinorũ, pnepotes proneptesq;. his ille, de cuius cognatione quæritur, patrui maximi, auunculi maximi, amitæ maximæ, materteræ maximæ filiæ filia: itẽ proaui proauiæ cõsobrinus. Fratris sororisq; abnepos abneptis. & hi personas continẽt centũ uiginti octo. Trinepotis filius, itẽ filia: trineptis filius, item filia. hi centum uigintiocto fiunt: quod cum trinepos trineptis (ut supra demonstrauimus) sexaginta quatuor implẽant: filius eorum eadem numeratione, totidemq; filia, computabitur.

VNDE VIR ET VXOR. Tit. XI.

VLPIANVS.

VT bonorum possessio peti possit VNDE VIR ET VXOR: iustum esse matrimonium oportet contractum. cæterum si iniustum fuerit matrimoniũ: nequaquam bonorum possessio peti poterit: quemadmodum nec ex testamento adiri hæreditas, uel secundum tabulas peti bonorum possessio potest. nihil enim capi propter iniustum matrimonium potest. Vt autem hæc bonorum possessio locum habeat: uxorẽ esse oportet mortis tempore. sed si diuortium quidem secutum sit, uerum tamen iure durat matrimonium: hæc successio locum non habet. hoc autem in huiusmodi speciebus procedit. liberta ab inuito patrono diuertit. lex Iulia de maritandis ordinibus retinet istam in matrimonio, dum eam prohibet alij ntibere inuito patrono. Item Iulia lex de adulterijs, nisi certo modo diuortium factum sit, pro infecto habet.

DE VETERANORVM ET MILITVM successione. Tit. XII.

I. MACER *lib.* II. *de re militari.*

MIliti, qui capite puniri meruit, testamentum facere concedendum Paulus & Menander scribunt: eius q; bona intestati, si punitus sit, ad cognatos eius pertinere: si tamẽ ex militari delicto, non ex communi, punitus sit.

Papini

II. PAPINIANVS.

BOna militis intestatò defuncti castrensia fisco non uindicantur, cum hæres legitimus ad finẽ quinti gradus exstitit, aut proximus cognatus eiusdem gradus infra tempus possessionem accepit.

QVIBVS NON COMPETIT BONORVM possessio. Tit. XIII.

I. IVLIANVS.

SEruo meo hærede instituto dolo feci, ne testamentũ mutaretur, eumq; postea manumisi. quæsitum est, an actiones ei denegandæ essent? respondi. hic casus uerbis edicti non continetur. sed est æquum, si dominus dolo fecerit, ne testamentum mutaretur, quo seruus eius hæres scriptus erat (quamuis manumissus adierit hæreditatem) ei denegari: cum etiam emancipato filio denegentur, si pater dolo fecerit, ne testamentum mutaretur.

VT EX LEGIBVS SENATVSVE CONSULtis bonorum possessio detur. Tit. XIIII.

I. VLPIANVS.

PRætor ait. VTI ME QVAQVE LEGE SENATVS'VE CONSVLTO BONORVM POSSESSIONEM DARE OPORTEBIT, ITA DABO. Nũquã bonorũ possessio, quæ ex alia parte edicti agnita est, impedit istam bonorum possessionem. Cum ex lege duodecim tabularũ quis habet hæreditatem: hinc non petit, sed inde TVM QVEM EI HAEREDEM ESSE OPORTET: quippe cum nõ aliàs hinc competat bonorũ possessio, quàm si lex specialiter deferat bonorum possessionem.

QVIS ORDO IN BONORVM POSSESsione seruetur. Tit. XV.

I. MODESTINVS.

INtestati hi gradus uocantur: primum sui hæredes, secundo legitimi, tertio proximi cognati, deinde uir & uxor. Siue tabulæ testamenti exstent, siue non exstent: si secundum eas, uel contra eas bonorum possessionẽ nemo accepit: intestati datur bonorũ possessio. Intestati pa-

tris liberis bonorum possessio datur, non tantum his, qui in potestate parentis usq; in mortis tempus fuerunt, sed & emancipatis.

II. VLPIANVS.

VTile tempus est bonorum possessionum admittendarum. ita autem utile tempus est, ut singuli dies in eo utiles sint: scilicet ut per singulos dies & scierit & potuerit admittere. cæterum quacũq; die nescierit, aut non potuerit: nulla dubitatio est, quin dies ei non cedat. fieri autem potest, ut qui initio scierit, uel potuerit bonorum possessionem admittere: hic incipiat nescire, uel non posse admittere: scilicet si cum initio cognouisset eum intestatum decessisse, postea quasi certiore nuncio allato dubitare cœperit, nunquid testatus decesserit, uel nunquid uiuat, quia hic rumor postea repserat. idem & in contrarium accipi potest, ut qui ignorauit initio, postea scire incipiat. Dies bonorum possessionis utiles esse, palam est, sed non sessionum numerabuntur: si modo ea sit bonorum possessio, quæ de plano peti potuit. quod si ea, quæ caussæ cognitionem pro tribunali desiderat, uel quæ decretum exposcit: sessiones erunt nobis computandæ, quibus sedit is, quibusq; per ipsum prætorem factum non est, quo minus daret bonorum possessionem. In bonorum possessione, quæ pro tribunali datur, illud quæritur: si se dedit quidem prætor pro tribunali, sed postulationibus non dedit: potest dici, tempus ad bonorum possessionem non cedere: cum præses alijs rebus, aut militaribus, aut custodijs, aut cognitionibus fuerit occupatus. Si præses prouinciæ in proxima fuerit ciuitate: accedere debet ad utilitatẽ temporis spacium itineris, scilicet numeratione uiginti milium passuum facta. nec enim exspectare debemus, ut præses prouinciæ ueniat ad eum, qui bonorũ possessionem petiturus est. Si uenter in possessionem missus sit: bonorum possessionis tempus nõ cedere sequẽtibus, nequaquam ambigendum est: nec tantum intra centesimum diem, uerum etiam quàmdiu nasci possit. nam & si natus fuerit, ante ei deferri bonorum possessionem scindum est. Scientiam eam obseruandam Pomponius ait, non quæ cadit in iuris prudentes, sed quam quis aut per se, aut per alios adsequi potuit: scilicet consulendo prudentiores, ut diligentiorem patremfamilias consulere dignum sit.

III. PAVLVS.

CIrca tempora bonorum possessionis patris scientia ignoranti filio non nocet.

IIII. IVLIANVS.

SI cohæredi tuo substitutus fueris, & bonorum possessionem acceperis: quandocũq; cohæres tuus constituerit nolle petere bonorũ possessi

possessionem,tibi tota delata intelligetur,& cohæres tuus amplius petendæ bonorum possessionis facultatem non habebit. Filius non solum si tanquam filius, sed & si tanquam adgnatus, uel tanquam cognatus ad bonorum possessionem uocaretur,annuũ spacium habet: sic & cũ filiũ manumisisset pater, quamuis ut manumissor bonorum possessionem accipiat, tamen ad bonorum possessionẽ accipiendam annuum spacium habet.

V. MARCELLVS.

CVm filiofamilias bonorum possessio delata est: dies, quibus certiorare patrem nõ potest,ut uel iubeat agnosci bonorũ possessionem,uel ratam habeat agnitionem bonorum possessionis,non cedũt. fingamus statim primo die, quo fuerit delata, agnouisse eum bonorũ possessionẽ:certiorare patrem,ut cõprobet,non posse. non cedent dies centum. incipient autem cedere,cum certior fieri potuerit.præteritis autem centum diebus frustra ratum habebit. Quæri potest,si cũ posset filius petere bonorum possessionem,patre ita absente, ut certiorare eum non possit,uel etiam furente,petere neglexerit:an petiamplius non possit? sed quid noceat non petitam bonorum possessionem, quæ si petita esset,tamen non ante adquireretur,quàm pater comprobasset? Si seruus alienus hæres instítutus uenisset:quæritur,an poste riori domino dies bonorum possessionis petendæ imputari oporteat? & placet,quantum priori domino superfuerit,ei imputari.

DE SVIS ET LEGITIMIS HAEREDIbus. Tit. XVI.

I. VLPIANVS.

INtestati proprie appellantur, qui cum possent testamentum facere, testati non sunt. sed & is, qui testamentum fecit, si eius hæreditas non est adita, uel ruptum, uel irritum est testamentum: intestatus non improprie dicetur decessisse. planè qui testari non potuit, proprie non est intestatus,puta impubes,furiosus,uel cui bonis interdictum est. sed hos quoq; pro intestatis accipere debemus. eũ quoq;,qui ab hostib9 captus est: quoniã per legem Corneliam successio his defertur, quibus deferretur, si in ciuitate decessisset. nam & eius hæreditas fuisse creditur.

Quæri poterit,si ex ea,quæ in fidei cõmissa libertate moram passa est,cõceptus & natus sit:an suus patri existat? & cum placeat eum ingenuũ nasci (ut est à diuis Marco & Vero,& imperatore nostro Antonino Augusto rescriptum)cur non in totum pro manumissa hæc habe

atur,ut uxor ducta ſuum pariat: nec mirum ſit,ex ſerua ingenuum naſci:cum ex captiua reſcriptum ſit,ingenuum naſci. quare auſim dicere,& ſi pater huius pueri eiuſdē ſortis,cuius & mater moram paſſa in libertate fideicommiſſa,ipſeq; moram paſſus ſit:ſuum eum patri naſci exemplo captiuorum parentum,cum quibus redijt. ergo ſiue poſtea pater eius poſt moram manumittatur, recipiet eum in poteſtate: ſiue ante deceſſerit,definiendum erit ſuum exiſtere. Suos hæredes nacci pere debemus,filios,filias,ſiue naturales,ſiue adoptiuos. Interdum etiam filius ſuus hæres excluditur,fiſco prælato: puta ſi perduellionis fuerit damnatus pater poſt mortem ſuam:hoc quoq;,ut nec iura ſepulchrorum hic filius habeat. Si filius ſuus hæres parentis eſſe deſijt:iis eiuſdem partem ſuccedunt omnes nepotes neptesq; ex eo nati, qui in poteſtate ſunt.quod naturali æquitate contingit.filius autem ſuus hæres eſſe deſinit,ſi capitis deminutione uel magna uel minore exierit de poteſtate.quod ſi filius apud hoſtes ſit:quàmdiu uiuit,nepotes non ſuccedunt.proinde & ſi fuerit redemptus,nondum ſuccedunt ante luitionem.ſed ſi interim deceſſerit:cum placeat,eum ſtatu recepto deceſſiſſe:nepotibus obſtabit.Sed ſi quis non deſijt eſſe in poteſtate,ſed nunq; cœpit:utputa ſi filius meus uiuo patre meo ab hoſtib9 captus eſt, mox ibi me patrefamilias facto deceſſit: nepotes in eius locum ſuccedunt. Nō minus autem neptes,quàm nepotes ſuccedent in locum parentū. Interdum licet parens alicuius in poteſtate eſſe non deſierit,ſed nec coperit:tamen dicimus,ſuccedentes ei liberos ſuos exiſtere.utputa adrogaui eum,cuius filius ab hoſtibus erat captus,nepos autem in ciuitate. mortuo filio adrogato,mortuo & captiuo apud hoſtes: pronepos iſte ſuus hæres mihi erit. Sciendum autem eſt,nepotes & deinceps interdum,etiam ſi parentes eos mortis tempore præceſſerūt,tamen poſſe ſuos hæredes exiſtere, quamuis ſucceſſio in ſuis hæredibus non ſit. quod ita procedit, ſi paterfamilias teſtamento facto deceſſit exhæredato filio,mox deliberante hærede inſtituto filius deceſſit,poſtea deinde repudiauit hæres inſtitutus.poterit nepos ſuus hæres eſſe,ut & Marcellus libro decimo ſcripſit:quoniā nec delata eſt filio hæreditas. idem erit dicendū,& ſi filius ex aſſe ſub conditione,quæ fuit in arbitrio ipſius,uel nepos ſub cōditione inſtitutus,nō impleta cōditione deceſſerit. nā dicendū erit,ſuos poſſe ſuccedere:ſi mō mortis teſtatoris tēpore,uel in rebus humanis,uel ſaltē concepti fuerint.idq; & Iuliano & Marcello placet. Poſt ſuos ſtatim cōſanguinei nocantur.conſanguineos aūt Caſſius definit eos,qui ſanguine inter ſe cōnexi ſunt.& eſt uerū,eos eſſe cōſanguineos,etiā ſi ſui hæredes non exſtiterunt patri,utputa exhæredatos.ſed & ſi pater eorum deportatus fuerit:nihilominus hos inter ſe conſan

consanguineos esse, licet patris sui hæredes non exstitissent. & qui nunquàm in potestate fuerunt, erunt sibi consanguinei: utputa qui post captiuitatem patris nascuntur, uel post mortem. Non solum autem naturales, uerũetiam adoptiui quoq; iura consanguinitatis habebunt cum his, qui sunt in familia, uel in utero, uel post mortem patris nati.

II. IDEM.

Post consanguineos admittuntur adgnati, si cõsanguinei nõ sunt. merito. nam si sunt consanguinei: licet nõ adierint hæreditatem, legitimis non defertur. sed hoc sic erit accipiendum, si nec sperantur esse. cæterum si uel nasci cosanguineus, uel de captiuitate reuerti potest: adgnati impediuntur. Adgnati autem sunt cognati uirilis sexus ab eodem orti. nam post suos & cõsanguineos statim mihi proximus est consanguinei mei filius, & ego ei: patris quoq; frater, qui patruus appellatur, deinceps q; cæteri (si qui sunt) incerti in infinitum. Hæc hæreditas proximo adgnato, id est ei, quem nemo antecedit, defertur: & si plures sint eiusdem gradus, omnibus competere incipit. utputa duos fratres habui, uel duos patruos. unus ex his unum filium, alius duos reliquit. hæreditas mea in tres partes diuidetur. Parui autem refert, adgnatus hic natiuitate, an adoptione sit quæsitus. nam qui adoptat: ijsdem fit adgnatus, quibus pater ipsius fuit: & legitimam eorum hæreditatem habebit, uel ipsi eius. Legitima hæreditas tantum proximo defertur. nec interest, unus solus sit, an ex duobus prior pluribusúe, an duo pluresúe ab eodem gradu uenientes, qui uel cæteros antecedãt, uel soli sint: quia is est proximus, quem nemo antecedit: & is ultimus, quem nemo sequitur: & interdum idem primus postremus q;, qui solus occurrit. Interdum ulteriorem adgnatum admittimus. utputa fecit quis testamentum, cum haberet patruum & patrui filium. delirante hærede scripto patruus decessit, mox hæres institutus repudiauit hæreditatem. patrui filius admittetur. ergo & bonorum possessionem petere potest. Proximum non eum quærimus, qui tunc fuit, cũ moreretur paterfamilias: sed eum, qui tunc fuit, cum intestatum decessisse certum est. secundum quæ, & si suus erat, qui præcedebat, uel consanguineus: si nemo eorum, cum repudiatur hæreditas, uiuit: proximum eum accipimus, qui tunc, cum repudiatur hæreditas, primus est. Vnde uel quæri potest, an post repudiationem adhuc demus successionẽ? propone hæredem scriptum rogatum restituere hæreditatem, repudiasse eam: cum nihilominus compelli potuit adire hæreditatem, & restituere, utdiuus Pius rescripsit. finge eũ superuixisse centũ diebus (uerbi gratia) & interim proximum decessisse: mox & eum, qui erat rogatus restituere. dicendum, posteriorẽ admitti cum onere fideicõmissi.

Idem.

III. IDEM.

INteſtato liberto mortuo primum ſuis deferri hæreditatem, uerum eſt. ſi hi non fuerint: tunc patrono. Libertum accipere debemus eum, quem quis ex ſeruitute ad ciuitatem Romanam perduxit, ſiue ſponte, ſiue neceſſitate: quoniã rogatus fuit eum manumittere. nam & ad huius legitimã hæreditatẽ admittitur. ſed & ſi dotalem quis ſeruum manumiſit: ipſe patronus habebitur, & ad legitimam hæreditatem admittetur. is planè, quem hac lege emi, ut manumittam, & ſi ex conſtitutione diui Marci peruenerit ad libertatem: tamen (ut eadem conſtitutione expreſſum eſt) meus libertus eſt, & legitima eius hæreditas mihi deferetur. Quid ſi necem domini detexit, & ex ſenatuſconſulto libertatem meruit? ſiquidẽ adſignauit prætor, cuius libertus ſit: ſine dubio eius erit, & ei legitima hæreditas deferet. quod ſi non adſignauit: efficietur quidem ciuis Romanus, ſed eius erit libertus, cuius proxime fuit ſeruus, & ad legitimam hæreditatem ipſe admittetur: niſi ſicubi quaſi indigno deneganda fuerit hæreditas. Si quis libertam ſic iureiurando adegit, ne illicite nubat: non debere incidere in legem Aeliam Sentiam. ſed ſi intra certum tempus ne ducat, neue aliã, quàm de qua patronus conſenſerit, uel non niſi conlibertam, aut patroni cognatam: dicendũ eſt, incidere eũ in legem Aeliam Sentiam, nec ad legitimam hæreditatem admitti. Si municipes ſeruum manumiſerint: admittentur ad legitimam hæreditatem in bonis liberti uel libertæ inteſtatorum. Miles manumittendo ſeruum peculiarem, ſuum faciet libertum, & ad legitimam hæreditatem eius admittetur. Principem ad bona libertorum ſuorum admitti, plus cẽ manifeſtum eſt. Vtiq; & ex lege duodecim tabularum ad legitimam hæreditatem is, qui in utero fuit, admittitur, ſi fuerit editus. inde ſolet remorari inſequentes ſibi adgnatos, quibus præfertur, ſi fuerit editus. inde & partem facit his, qui pari gradu ſunt: utputa frater unus eſt & uterus, uel patrui filius unus natus & qui in utero eſt. Eſt aũt tractatum, pro qua parte faciat, quia ex uno utero plures naſci poſſunt. & placuit, ſi in rerum natura certum ſit, hanc, quæ ſe dicit, prægnantem non eſſe: ex aſſe iam eſſe hæredem hunc, qui natus eſt: quoniam & ignorans hæres fit, & ſi medio tempore deceſſerit, integram hæreditatem ad hæredem ſuum tranſmittit. Poſt decem menſes mortis natus non admittetur ad legitimam hæreditatem. de eo autem, qui centeſimo octogeſimo ſecundo die natus eſt, Hippocrates ſcripſit, & diuus Pius pontificibus reſcripſit, iuſto tempore uideri natum: nec uideri in ſeruitute conceptũ, cum mater ipſius ante centeſimũ octogeſimũ ſecundum diẽ eſſet manumiſſa.

IIII. POMPONIVS.

Si quo

HI quorum parens capite minutus est, legitimæ hæreditatis ius & cæteris personis, & inter se retinent, & alij aduersus eos.

V. VLPIANVS.

SI quis cum haberet fratrem & patruum, decesserit testamento facto: deinde pendente conditione hæredum scriptorum frater intestato decesserit, mox conditio defecerit: patruum posse utriusq; adire hæreditatem legitimam constat.

VI. IVLIANVS.

TItius exhæredato filio extraneum hæredem sub conditione instituit. quæsitum est, si post mortem patris pendente conditione filius uxorem duxisset, & filium procreasset, & decessisset, deinde conditio instituti hæredis defeciſſet: an ad hunc postumum nepotem legitima hæreditas aui pertineret? respondi. qui post mortem aui sui concipitur, is neq; legitimam hæreditatem eius tanquam suus hæres, neq; bonorum possessionem tanquam cognatus accipere potest: quia lex duodecim tabularum eum uocat ad hæreditatem, qui moriente eo, de cuius bonis quæritur, in rerum natura fuerit.

VII. CELSVS.

VEl si uiuo eo conceptus est: quia conceptus quodammodo in rerum natura esse existimatur.

VIII. IVLIANVS.

ITem prætor edicto suo proximitatis nomine bonorum possessionem pollicetur his, qui defuncto mortis tempore cognati fuerint. nam quod ex consuetudine nepotes cognati appellantur etiam eorũ, post quorum mortem concepti sunt: non proprie, sed per abusionem uel potius ἀναφορικῶς accidit. Si quis prægnantem uxorẽ reliquisset, & matrẽ, & sororem: si uiua uxore mater mortua fuisset, deinde uxor mortuum peperisset: ad sororem solam legitima hæreditas pertinere: quia certum esset, matrem eo tempore decessisse, quo legitima hæreditas ad eam non pertinebat.

IX. MARTIANVS.

SI ex pluribus legitimis hæredibus quidã omiserint hæreditatem, uel morte, uel qua alia ratione impediti, quo minus adeant: reliquis, qui adierint, adcrescit illorum portio. & licet decesserint ante, cꝫ adcresceret: hoc ius ad hæredes eorum pertinet. alia causa est instituti hæredis & cohæredis substituti. huic enim uiuo defertur ex substitutione hæreditas: non etiam, si decesserit, hæredem eius sequitur.

X. MODESTINVS.

SI ad patrẽ manumissorẽ filij intestati legitima hæreditas peruenerat, uel non manumissori bonorũ possessio cõpetat: mater defuncti submouebitur.

XI. IDEM.

CApitis deminutione pereunt legitimæ hæreditates, quæ ex lege duodecim tabularum ueniunt: siue uiuo aliquo, siue ante quàm adeatur hæreditas eius, capitis deminutio interceſſit: quoniam deſinit ſuus hæres uel adgnatus recte dici. quæ autem ex legibus nouis aut ex ſenatuſconſultis: non utiq;.

XII. IDEM.

FIlius patri adgnatus proximus eſt.

XIII. CAIVS.

NVlla fœmina aut ſuos habet hæredes, aut deſinere habere poteſt propter capitis deminutionem.

XIIII. IDEM.

IN ſuis hæredibus aditio non eſt neceſſaria: quia ſtatim ipſo iure hæredes exiſtunt.

XV. PAPINIANVS.

SI pater apud hoſtes moriatur, defuncto iam in ciuitate filio: credimus patrẽfamilias deceſſiſſe, quamuis patria poteſtate, quàmdiu uixerit, nõ fuerit in plenum liberatus. itaq; hæredem habiturus eſt iſte non reuerſo patre. ſed etſi poſtliminio redierit pater iam defuncto filio: quidquid medio tempore per eum quæſitum eſt, habebit. & non eſt mirum, ſi peculium quoq; defuncti pridem filij defertur patri: cum ex eo natus poteſtatis ipſius fiat per ſuſpenſi iuris conſtitutionem.

XVI. IDEM.

PAter inſtrumento dotali comprehendit, filiam ita dotem accepiſſe, ne quid aliud ex hæreditate patris ſperaret. eam ſcripturam ius ſucceſſionis non mutaſſe conſtat. priuatorum enim cautione legum authoritati non noceri.

AD SENATVSCONSVLTVM TERTYLlianum & Orphitianum. Tit. XVII.

I. VLPIANVS.

SIue ingenua, ſiue libertina mater eſt, admitti poſſunt liberi ad hæreditatem eius ex ſenatuſconſulto Orphitiano. Si ea ſit mater, de cuius ſtatu dubitatur, utrum materfamilias ſit, an filiafamilias: utputa quoniam pater eius ab hoſtibus captus ſit: cum certum eſſe cœperit matremfamilias eſſe, liberi eius admittentur. unde tractari poteſt, an medio tempore, dum ſtatus pendet, ſuccurri eis per prætorem debeat: ne ſi medio tempore deceſſerint, nihil ad hæredem tranſmittant. & magis eſt

gis est, ut subueniatur: ut in multis casibus placuit. Sed & uulgo quæsiti admittentur ad matris legitimam hæreditatem. Interdum & in seruitute quæsito erit concedenda hæreditas legitima: ueluti si post moram fideicommissariæ libertatis matri suæ factam natus sit. certe si post manumissionem matris fuerit natus: licet in seruitute conceptus, ad legitimam eius hæreditatem admittetur. sed & si apud hostes conceptus, captiua procreatus, cum ea rediit: secundũ rescriptum Imperatoris nostri & diui patris eius ad Quinium Tertyllum poterit ex hoc senatusconsulto admitti, quasi uulgo quæsitus filius. Qui mortis matris tempore ciuis Romanus fuit, si ante aditã hæreditatem in seruitutem deducatur: legitima hæreditas non defertur, nec si post ea liber factus sit: nisi forte seruus pœnæ effectus beneficio principis sit restitutus. sed & si matris exsecto uentre filius editus sit: magis dicendũ est, hunc quoq; ad legitimam hæreditatẽ admitti. nam & institutus secundum tabulas, & ab intestato VNDE COGNATI, & multo magis VNDE LEGITIMI bonorum possessionem petere potuit. argumento est, quod uenter in possessionem ex omni parte edicti mittitur. Qui operas suas, ut cũ bestijs pugnaret, locauit, quiũe rei capitalis damnatus, neq; restitutus est: ex senatusconsulto Orphitiano ad matris hæreditatem non admittebatur. sed humana interpretatione placuit eum admitti. idem erit dicendum, & si hic filius in eius sit potestate, qui in caussa supra scripta sit, posse eũ ex Orphitiano admitti. Sed si mater testamento facto filium hæredem unum scripserit sub cõditione, cum plures haberet: si conditione pendente bonorum possessionem petierit, & postea conditio defecerit: æquũ est, cæteris etiã filijs legitimam hæreditatem non auferri. quod & Papinianus libro decimosexto quæstionum scripsit. Capitis deminutio saluo statu contingens, liberis nihil nocet ad legitimam hæreditatem. nam uetus sola hæreditas, quæ lege duodecim tabularum defertur, capitis deminutione perimitur: nouæ uel ex lege uel ex senatusconsulto delatæ, non perimuntur capitis deminutione. Proinde siue quis ante delatã, siue post delatam, capite minuatur: ad legitimam hæreditatem admittetur: nisi magna capitis deminutio interueniat, quæ uel ciuitatem adimat, utputa si deportetur. SI NEMO FILIORVM EORVM, QVIBVS SIMVL LEGITIMA HAEREDITAS DEFERTVR, VOLET AD SE EAM HAEREDITATEM PERTINERE: IVS ANTIQVVM EST. hoc ideo dicit, ut q̃diu uel unus filius uult legitimã hæreditatẽ ad se pertinere, ius uetus locũ non habeat. itaq; si ex duobus alter adierit, alter repudiauerit hæreditatem: ei portio adcrescet. & si forte sit filius & patronus: repudiante filio, patrono defertur. Si quis adita matris hæreditate per in integrum re

ſtitutionem fuerit abſtentus: an ius antiquum poſſit locum habere? uerba admittunt, ut poſſit, SI VOLET AD SE (inquit) EAM HAEREDITATEM PERTINERE. nam & hic non uult, & ſi aliquando uoluit. & dico, poſſe ius antiquum locum habere. Vtrum autem ei defertur ſucceſſio, qui tunc legitimus deprehenditur: an uero, qui tunc fuit, cũ filio defertur? utputa proponamus fuiſſe defunctæ conſanguineum, eiuſq; filium: deliberante filio, defunctæ conſanguineum obiſſe, mox filium repudiaſſe matris hæreditatem. an conſanguinei filius admitti poſſit? & Iulianus recte putat circa Tertyllianum, locum eſſe ſucceden-ti adgnato. Quod ait ſenatus, QVAE IVDICATA, TRANSACTA, FINITA VE SVNT, RATA MANEANT, ita intelligendum eſt: ut iudicata debeamus ab eo accipere, cui iudicandi ius fuit: tranſacta, ſcilicet bona fide, ut ualeat tranſactio: finita, uel conſenſu, ue longo ſilentio ſopita.

II. IDEM.

SIue ingenua ſit mater, ſiue libertina: habebit Tertylliani commodũ. filium aũt uel filiã accipere debemus, ſiue iuſte ſint procreati, uel uulgo quæſiti. idq; in uulgo quæſitis, & Iulianus libro quinquageſimo octauo digeſtorum ſcribit. ſed ſi filius uel filia libertini ſint effecti: mater legitimam hæreditatem uindicare nõ potuit: quoniam mater eſſe huiuſmodi filiorum deſijt: idq; & Iulianus ſcripſit, & conſtitutum eſt ab Imperatore noſtro. Sed ſi in ſeruitute conceperit filiũ, & manumiſſa ediderit: ad legitimam eius hæreditatem admittetur. idemq; & ſi ſerua pœnæ concepit, & reſtituta edidit. hoc idem & ſi libera concepit, & edidit ſerua pœnæ, mox reſtituta eſt. ſed & ſi libera cõcepit, in ſeruitutem redacta edidit, mox manumiſſa eſt: ad legitimam hæreditatem eius admittetur. Item ſi adhuc prægnans manumiſſa eſt, dicendũ erit prodeſſe. Et in ſeruitute editi filij ad legitimam hæreditatem mater admittetur: utputa ſi poſt moram factam in fideicommiſſa libertate peperit: uel apud hoſtes, & cum eo redijt: uel ſi redempta edidit. Si mulier ſit famoſa: ad legitimam hæreditatem liberorum admittetur.

Impuberem, cui pater ſecundas tabulas fecit, tunc certum eſt inteſtatum deceſſiſſe, cum omiſerint ſubſtituti hæreditatem eius. quare & ſi impubes ſit adrogatus: dicendum eſt matrem ad bona eius admitti, quæ haberet, ſi inteſtatus deceſſiſſet. Liberi defuncti ſui quidẽ obſtabunt matri eius, tam uirilis ſexus, quãm fœmini, tam naturales, q̃ adoptiui: matremq; eius excludent bonorum poſſeſſione etiam non ſui, & quidem ſoli naturales. Adoptiui autem liberi poſt emancipationem ita admittuntur, ſi ex liberis naturalibus fuerint: utputa nepos naturalis ab auo adoptatus. nam licet ſit emancipatus: bonorum poſſeſſione accepta, matri obſtabit. ſi uero apud hoſtes eſt filius, uel naſci ſperatur

ratur: pendet ius matris, donec redierit, uel nascatur. sed si sint sui hæredes, uerum hæreditas ad eos non pertineat: uideamus, an mater admittatur. utputa abstinuit se hæreditate. Africanus & Publicius tenant dicere in casu, quo se abstinent sui, matrem uenire: ut tunc ei obstent, quoties rem habeant, ne nudum nomen sui hæredis noceat matri. quæ sententia æquior est. Sed si quis decessisset relicta filia, quam in adoptionem dederat, & matre relicta: diuus Pius decreuit cessare senatusconsultum Tertyllianum, & simul esse admittendas ad bonorum possessionem VNDE PROXIMI COGNATI matrem & filiam, sed quod idem Iulianus scripsit, matrem ex senatusconsulto non posse admitti, si filia in bonorum possessione petenda cessauerit: uerum non erit. succedit enim filiæ. & ideo dicendum erit: matrem, donec filia bonorum possessionem petere potest, bonorum possessionem accipere non posse: quoniam succedere quasi legitima speratur. Si bonorum possessione accepta, filius emancipatus abstinuerit se hæreditate per in integrum restitutionem: uerum est, senatusconsultũ posse locum habere. sed si rursus fuerit immissus: rursus debet mater abstinere. Si quis ex liberis, dum est in utero, in possessionem missus sit, mox natus sit, & ante bonorum possessionem acceptam decesserit: an matri noceat, quasi bonorum possessor, uidendum. & puto, non nocere, si non suus patri adgnascitur. neq; enim sufficit mitti in possessionẽ, nisi natus quoq; acceperit bonorum possessionẽ. igitur & si furioso decreto petita sit possessio, & prius q̃ ipse mentis compos factus bonorũ possessionẽ petierit, decesserit: matri non obstabit. Sed si quis, cũ status controuersiam pateretur, Carboniana sola acceperit: an noceat matri bonorum possessio, quæsitũ est quidem: sed cum hæc tempore finiatur, dicendum est, matri post tempus non nocere: aut si impubes decesserit, matrem posse admitti. Sed si infanti per tutorem petita sit possessio: licet statim decesserit, dicendum erit, matri obstitisse. non enim similis est ei, quæ furioso datur. Ita demum autem mater à senatusconsulti beneficio excluditur, si filius adijt legitimam hæreditatem. cæterũ si omiserit legitimã hæreditatem: mater ex senatusconsulto Tertylliano admittetur. sed si non sit solus iste filius legitimus hæres, sed sint, qui cum eo admittantur: nec in partem eorum mater ex senatusconsulto erit uocanda. Obijcitur matri pater: siue in utriusque bonis, tam filij, quàm filiæ hæres, siue bonorum possessor existat. Sed neque auus, neque proauus in Tertylliano matri nocent, quamuis fiduciam contraxerint. pater autem tantum naturalis, & non etiam adoptiuus matri nocet. uerius enim est, cum pater esse desierit, matre eum excludi: sed nec ad bonorum possessionem

contra tabulas eum admitti, cum pater esse desierit. undecumq; autem acceperit bonorũ possessionem pater naturalis: siue ut legitimus, siue contra tabulas: ex quauis parte excludit matrem. Si sit adgnatus defuncti, & naturalis pater in adoptiua familia sit, & mater: admittimus matrem, quoniam patrem adgnatus excludit. Si sit consanguinea soror defuncti, item mater & pater adoptatus, uel emancipatus: si consanguinea uelit habere hæreditatem: matrem ex senatusconsulto unà cum ea uenire, & patrem excludi placet. si consanguinea repudiet: matrem ex senatusconsulto propter patrem non uenire. & quãuis aliàs non solet mater exspectare consanguineam, uelit, nec ne, adire hæreditatem: nunc tamen exspectatur, an consanguinea sit, quæ patrem excludat. repudiante ergo cõsanguinea: bonorum possessionem habebit mater cum patre quasi cognata. sed & in hac moram patietur: nec ante accipiet bonorum possessionem, quàm pater petierit: quoniã omittente eo potest ex senatusconsulto succedere. Sed ipsa mater eadem sit, & soror consanguinea (utputa quoniam pater matris nepotem suum ex filia adoptauit) sit præterea & pater naturalis: hæc mater siquidem quasi consanguinea ueniat: excludet patrem. si ius cõsanguineæ repudiauit, uel capitis deminutione amisit: ex senatusconsulto uenire propter patrem non potest. repudiante uero patre: rursus ex senatusconsulto potest uenire. Si mater hæreditatem filij filiæúe nõ adierit ex senatusconsulto Tertylliano: in bonis eorum antiquum ius seruandum est. cum enim est prælatio: matre omittente senatusconsulti beneficium, ius succedit uetus. sed si mater repudiauerit bonorũ possessionẽ, de adeunda autem hæreditate deliberet: dicendum erit, adgnatum non succedere: quoniam nondum uerum est, nõ adijsse matrem. quod autem diximus, ius antiquũ seruari, matre non adeunte: cui personæ deferatur hæreditas, uidendum: utrum ei, quæ nunc proxima inuenitur, cum mater repudiat: an ei quæ fuit, cũ intestatò decessisse certum esset. utputa fuit patruus, cum intestatò decederet, & patrui filius, cum mater repudiasset: patruo nondum delata hæreditate, atq; adeo defuncto eo matre deliberante: patrui filium uocari. Si mater non petierit tutores idoneos filijs suis, uel prioribus excusatis reiectisúe, nõ confestim aliorum nomina ediderit: ius non habet uindicandorum sibi bonorum intestatorum filiorum. & quidem si nõ petijt: in constitutionem incidit. ait enim, VEL NON PETIERIT. sed à quo non petierit? loquitur quidem de prætore constitutio. sed puto & in prouincijs locum habere, etiam si à magistratibus municipalibus non petat: quoniam & magistratibus municipalibus dandi necessitas iniungit. Quid ergo si petijt, sed admonita uel à libertis, uel à cognatis? an incidat in se

natus

natuſconſultũ? & puto eam incidere, ſi compulſa fecerit, non ſi cũ pe-
teret non cunctaretur, admonita eſt. Quid ſi pater ei peti tutorem prohi
buerat: quoniam per matrem rem eorum adminiſtrari uoluit? incidet
ſi nec petat, nec legitime tutelam adminiſtret. quod ſi penitus egenis ſi
lijs non petit: ignoſcendum eſt. ſed ſi forte abſens à libertis præuẽta eſt,
uel ab alijs: dicendum eſt, eam non excludi: niſi forte cum fruſtraretur,
id contigit. filijs autem non petendo punitur: utiq; & filiabus. & quid ſi
nepotibus? ſimiliter non petendo punitur. quid ſi curatores non petit?
uerba reſcripti deficiunt. ſed dicendum eſt, ſiquidem impuberibus cu-
ratores non petijt: eandem eſſe rationem. ſi iam puberibus: ceſſare de-
bere. quid ſi cum prægnans eſſet, bonis non petijt curatorem? dico in
ſententiam incidere. nam & ſi apud hoſtes habuerit impuberẽ, idem
erit dicendum. quid ſi furioſo tutorem, uel curatorem non petijt? ma-
gis eſt, ut incidat. Non ſolum autem, quæ non petijt, coërcetur: ſed
& quæ defunctorie petijt (ut reſcripto declaratur) uel priuilegio muni-
tum, uel oneratum (puta) tribus tutelis. ſed ita demũ, ſi data opera hoc
fecit. Quid ergo ſi tales petijt, & ſuſceperunt nihilominus, uel detenti
ſunt? excuſata erit mater. quid ſi indignos, uel minus habiles ad tute-
lã petierit, cum ſciebat prætorem eos non daturũ? quid tandem ſi de-
dit eos prætor, matris petitionem ſecutus? iam quidem prætoris deli-
ctum eſt. ſed & matris punimus conſiliũ. igitur ſi forte excuſati ſint il
li, uel improbati: debet mater alios ſine mora petere. ergo ſiue nõpetie
rit, ſiue non idoneos petierit: punietur, etiam ſi dati fuerint minus ido
nei, prætore errante. Idoneos autem utrum facultatibus, an & mo-
ribus petere debeat, dubitationis eſſe poteſt. puto autem facile ei igno
ſci, ſi locupletes ſint hi, quos petijt. ſed ſi prioribus excuſatis reiectisue
non confeſtim aliorum nomina ediderit: punitur. Quid ergo ſi non
fuerint omnes excuſati, uel non omnes reiecti? uidendum, an ei impu-
tetur, cur in locum excuſati nõ petierit. & puto imputandum. quid ſi
deceſſerint quidam? puto (licet uerba deficiant) ſententiam conſtitu-
tionis locum habere. Sed quod diximus REIECTI, utrum ſic ac-
cipimus, à prætore nõ dati, an & ſi ſuſpecti fuerint remoti, uel ob negle
gentiam, uel ignauiam repulſi? etiam hos quis reiectos recte dicet. ergo
& ſi latitent. ſed hoc longũ eſt. nam nec hoc ei imputatur, cur ſuſpectos
non fecerit. alioquin ſi latitarẽt, potuit edicto deſiderare, ut eos prætor
adeſſe iuberet, & ſuſpectos eos remoueret, ſi deeſſent. Quid ſi nõ com-
pulit eos miſcere ſe tutelæ? cum plenum officium à matre deſidera-
mus: & hæc ei curãda ſunt, ne in hæreditate ei obſtent. CONFESTIM
autem ſic erit accipiendum, ubi primum potuit, id eſt prætoris copi-
am habuit huic rei ſe dantis: niſi forte infirmitate impedita eſt, uel alia

magna

magna cauſſa, quæ etiam mandare eam ad petendos tutores impediret: ita tamen, ut nullo modo annale tempus excederet. ſi enim mortalitate filij præuenta eſt, nihil matri imputetur. Tractari poteſt, ſi pupillo amplum legatũ ſub conditione ſit relictum, SI TVTORES NON HABVERIT, & (puta) propterea ei mater non petierit, ne conditione deficeretur: an conſtitutio ceſſet. & puto ceſſare, ſi damnum minus ſit cumulo legati. quod & in magiſtratibus municipalib9 tractatur apud Tertyllianum. & putat dandam in eos actionem, quatenus plus eſſet in damno, quàm in legato. niſi forte quis putet, cõditionem hanc quaſi utilitati publicæ oppugnantem remittendam, ut alias pleraſq; : aut uerba cauillatus imputauerit matri, cur curatores non petierit. fingẽ autem plenius conditionem conſcriptam: non ne erit matri ignoſcendum? aut hoc imputabitur matri, cur non deſiderauerit à principe, conditionem remitti? & puto, non eſſe imputandum. ergo etiam ſi mater ei, qui ſoluendo non erit, non petijt tutorem: puto ignoſcendum. conſuluit enim ei, ut minus inquietetur, quaſi indefenſus. Et ſi forte quis uxorem communis filij, matrem hæredẽ ſcripſerit, rogauitq; remiſſa etiam ſatiſdatione, ut filio pubere facto reſtitueret hæreditatẽ, nec mater ei petijt tutores: debet dici, ceſſare conſtitutionem, cum patris uoluntatem ſecuta ſit, & nihil habenti filio tutores non petierit. quod ſi ei remiſſa ſatiſdatio non fuerit: contra erit: quoniam uel propter hoc debuit tutores habere. ſed ſi forte impubes poſt matris ceſſationẽ fuerit adrogatus, & impubes obierit: dicendum erit, matri aduerſus adrogatorem non competere ex ſtipulatu actionem. Videndum eſt, matre prohibita ius ſuum uindicare, utrũ cæteros admittamus, atq; ſi mater non eſſet: an ipſam hæredem dicamus fieri, uel aliud nomen ſucceſſionis inducere. ſed denegamus ei actiones: & inuenimus reſcriptũ ab imperatore noſtro Antonino Auguſto & diuo patre ei9, Mammæ Maximæ pridie idibus Aprilibus Plautiano iterum conſule, matre remota eos admitti, qui uenirent, ſi mater nõ fuiſſet. ergo & adgnati, cæteriq; ſuccedent: aut, ſi nemo ſit, bona uacabunt.

III. MODESTINVS.

PAtrem adoptiuum matri non obeſſe, pleriq; probant.

IIII. IDEM.

MAtris inteſtatò defunctæ hæreditatẽ ad omnes eius liberos pertinere, etiam ſi ex diuerſis matrimonijs nati fuerint, iuris eſt.

V. PAVLVS.

AEquiſſimum eſt, omnes filios matri præferri, etiam ſi per adoptionem in familia relicti ſint. ſed & nepos ex adoptiuo filio natus ex uerbis ſenatuſconſulti matri obſtabit. Si ex filio nepotem

auus

auus manumiserit, isq; patre & auo & matre superstitib9 decesserit: po test quæri, quis potior esse debeat? nam si mater excluserit auum manumissorem, qui patri anteponitur: edicto prætoris inducetur pater defuncti. quo admisso, desinet senatusconsulto locus esse, & rursus auus uocabitur, itaq; rectius est auo ius suum conseruare, qui & contra scripto hæredes bonorum possessionem accipere solet.

VI. IDEM.

Filij mater ex hoc senatusconsulto, & si in aliena potestate sit, ad hæreditatem admittitur. Filius, qui se nolle adire hæreditatem matris dixit: an possit mutata uoluntate adire ante, quàm consanguineus uel adgnatus adierit, uidendum propter hæc uerba, SI NEMO FILIORVM VOLET HAEREDITATEM SVSCIPERE: quia extensiua sunt, & cum & ipsa filij bonorum possessio annalis sit.

VII. IDEM.

SI quis intestatus decesserit, relicta matre, & fratre consanguineo, uel sorore, quamuis per adrogationem quæsitis: eadem iura in persona matris seruantur, quæ & naturalibus exstantibus liberis.

VIII. CAIVS.

IN suspenso est ius matris, si filius defuncti emancipatus deliberet de bonorum possessione petenda.

IX. IDEM.

SAcratissimi principis nostri oratione cauetur, ut matris intestatæ hæreditas ad liberos, tametsi in aliena potestate sint, pertineat.

X. POMPONIVS.

SI filiusfamilias miles non sit testatus de his, quæ in castris adquisierit: an ea ad matrem pertineant, uidendum est. sed non puto. magis enim iudicio militum hoc beneficium cõcessum est, non ut omni modo quasi patresfamiliarum in ea re sint. Quando in pendenti est, an quædam personæ possint obstare matri, & casus tulerit, ut non inducantur: matri ius integrum erit, quod medio tempore adprenderit. ueluti si filio intestato mortuo, postumus ei filius potuerit nasci, nec natus sit, aut mortuus editus: uel etiam quod filius eius, qui in hostium potestate erat, postliminio non sit reuersus.

DIGESTORVM SEV PANDECTARVM LIBER TRIGESIMVSNONVS.

DE NOVI OPERIS NVNCIATIONE. Tit. I.

I. VLPIANVS.



Hoc edicto permittitur,ut siue iure,siue iniuria opus fieret,& per nunciationem inhiberetur: deinde remitteretur prohibitio hactenus, quatenus prohibendi ius is, qui nunciasset, non haberet. Hoc aũt edictum, remediumq; noui operis nunciationis aduersus futura opera inductum est, non aduersus præterita:hoc est,aduersus ea,quæ nondum facta sunt, ne fiant. nam si quid operis factum fuerit,quod fieri non debuit:cessat edictum de noui operis nũciatione, & erit transeundum ad interdictum QVOD VI AVT CLAM, quod factum erit,ut restituatur: sed & qd' in loco sacro,religiosoue, & quod in flumine publico,ripaue publica factũ erit.nam his interdictis restituetur,si quid illicite factum est. Nunciatio ex hoc edicto non habet necessariam prætoris aditionem.potest enim nunciare quis,etsi eum non adierit.item nunciationem, & nostro, & alieno nomine facere possumus. item nunciatio omnibus diebus fieri potest. Et aduersus absentes,etiã inuitos,& ignorantes,noui operis nunciatio procedit. In operis autem noui nunciatione possessorem aduersarium facimus. Sed & si is,cui nouum opus nunciatum est, ante remissionem ædificauerit, deinde cœperit agere,sibi ius esse ita ædificatum habere:prætor actionẽ ei negare debet,& interdictum in eum de opere restituendo reddere. Potest autem quis nunciare etiam ignorans,quod opus fieret. Et post operis noui nunciationem committunt se litigatores prætoriæ iurisdictioni. Inde quæritur apud Celsum libro duodecimo digestorũ,si post nouum opus nunciatum conueniat tibi cum aduersario,ut opus faceret:an danda sit conuentionis exceptio? & ait Celsus,dandam: nec esse periculum,ne pactio priuatorum iussui prætoris antepositа uideatur. quid enim aliud agebat prætor,quàm ut controuersias eorum dirimeret? à quibus si sponte recesserint:debebit id ratum habere. Opus nouum facere uidetur,qui aut ædificando,aut detrahẽdo aliquid,pristinã faciem operis mutat. Hoc autem edictum non omnia opera com-

plecti

ctitur:sed ea sola, quæ solo coniuncta sunt, quorum ædificatio uel demolitio uidetur opus nouum cõtinere. Idcirco placuit, si quis messem faciat, arborem succidat, uineam putet: quanquam opus faciat, tamen ad hoc edictum non pertinere: quia ad ea opera, quæ in solo fiunt, pertinet hoc edictum. Si quis ædificium uetus fulciat: an nouũ opus ei nunciare possimus, uideamus. & magis est, ne possimus. hic enim non nouũ opus facit, sed ueteri sustinendo remedium adhibet. Siue aũt intra oppida, siue extra oppida in uillis uel agris opus nouum fiat: nunciatio ex hoc edicto locum habet: siue in priuato, siue in publico opus fiat. Nunc uideamus, quibus ex caussis fiat nunciatio, & quæ personæ nuncient, quibusq; nunciẽ, & in quibus locis nunciatio fiat, & quis effectus sit nunciationis. Nunciatio fit, aut iuris nostri conseruandi caussa, aut damni depellendi, aut publici iuris tuendi gratia. Nunciamus aũt, quia ius aliquod prohibendi habemus, uel ut damni nobis infecti caueatur ab eo, qui forte in publico, uel in priuato quid molitur: aut etiã si quid cõtra leges edictaue principũ, quæ ad modum ædificiorum facta sunt, fiet: uel in sacro, uel in loco religioso, uel publico, ripaue fluminis: quibus ex caussis & interdicta proponuntur. Quod si quis in mari, uel in litore ædificet: licet in suo non ædificet, iure tamen gentiũ suum facit. Si quis igitur uelit ibi ædificantem prohibere, nullo iure prohibet: neq; nouum opus nũciare, nisi ex una caussa, potest: si forte damni infecti sibi caueri uelit. Iuris nostri conseruãdi, aut damni depellendi caussa nouum opus nunciare potest is, ad quem res pertinet. Vsufructuarius autem nouum opus nunciare suo nomine non potest: sed procuratorio nomine nunciare poterit, aut uindicare usum fructum ab eo, qui nouũ opus faciat. quæ uindicatio præstabit ei, quod eius interfuit, nouum opus factum non esse.

II. IVLIANVS.

SI autem domino prædij nunciauerit: inutilis erit nunciatio. neq; enim, sicut aduersus uicinum, ita aduersus dominũ agere potest, ius ei non esse inuito se altius ædificare. sed si hoc facto ususfructus deterior fiat: petere usumfructum debebit.

III. VLPIANVS.

IN prouinciali etiam prædio si quid fiat, noui operis nunciatio locũ habebit. Si in loco communi quid fiat: nunciatio habebit locum aduersus uicinum. planè si unus nostrum in communi loco faciat: nõ possum ego socius nouum opus ei nunciare, sed eum prohibebo communi diuidundo iudicio, uel per prætorem. Quod si socius meus in communi insula nouum opus faciat, & ego propriam, cui noceatur, habeam: an opus nouum ei nunciare possim? Et putat Labeo, nuncia-

re non posse: quia possim alia eum ratione prohibere ædificare, hoc est per prætorem, uel per arbitrum communi diuidundo. quæ sententia uera est. Si ego superficiarius sim, & opus nouũ fiat uicino: an possim nunciare? mouet, quod quasi inquilinus sum. sed prætor mihi utilem in rem actionem dat. ut ideo, & seruitutum causſa actio mihi detur, & operis noui nunciatio debet mihi concedi. Si in publico aliquid fiat: omnes ciues opus nouum nunciare possunt.

IIII. PAVLVS.

NAm reipublicæ interest, quàm plurimos ad defendendam suam causſam admitti.

V. VLPIANVS.

DE pupillo quæsitũ est. & Iulianus libro duodecimo digestorum scripsit, pupillo non esse noui operis nunciationis exsecutionem dandam, nisi ad ipsius priuatum commodum res pertineat: ueluti si luminibus eius officiatur, aut prospectui obsit. non aliter autem pupilli rata habebitur nunciatio, quàm intercedente tutore authore. Seruo etiam nunciari opus nouum potest: ipse uero nũciare non potest, neq; nunciatio ullum effectum habet. Nunciationem autem in re præsenti faciendam, meminisse oportebit, id est eò loci, ubi opus fiat: siue quis ædificet, siue incohet ædificare. Nunciari autem non utiq; domino oportet. sufficit enim in re præsenti nunciare ei, qui in re præsenti fuit: usq; adeo, ut etiam fabris, uel opificibus, qui eò loci operantur, opus nouũ nunciari possit. & generaliter ei nunciari opus nouũ potest, qui in re præsenti fuit domini operisue nomine: nec refert, quis iste sit, uel cuius conditionis, qui in re præsenti fuerit. nam etsi seruo nuncietur, uel mulieri, uel puero, uel puellæ: tenet nunciatio. sufficit enim in re præsenti noui operis nunciationem factam sic, ut domino possit renunciari. Si quis forte in foro domino opus nouũ nunciat: hanc nunciationem nullius esse momenti, exploratissimum est. in re enim præsenti, & (penè dixerim) in ipso opere, hoc est in re ipsa nunciatio facienda est. quod idcirco receptum est, ut confestim per nũciationem ab opere discedatur. cæterum si alibi fiat nunciatio: illud incommodi sequitur, quod dum uenitur ad opus, si quid fuit operis per ignorantiam factum: euenit, ut cõtra edictum prætoris sit factum. Si plurium res sit, in qua opus nouum fiat, & uni nuncietur: recte facta nunciatio est, omnibusq; dominis uidetur denunciatum. Sed si unus ædificauerit post noui operis nunciationem: alij, qui non ædificauerint, non tenebuntur. neq; enim debet nocere factum alterius ei, qui nihil fecit.

Si plurium dominorum rei opus noceat, utrum sufficiat unius ex socijs nunciatio, an uero omnes nunciare debeant? & est uerius, unius nunci

nunciationem omnibus non sufficere, sed esse singulis nunciare necesse: quia & fieri possit, ut nunciatorum alter habeat, alter non habeat ius prohibendi. Si quis ipsi prætori uelit opus nouum nunciare: debet, ut interim testetur, non posse se nunciare. & si nunciauit postea: & qd retro ædificatum erit, destruendũ erit, quasi repetito die nunciationẽ facta. Sed & si in ædes nostras quid immittitur, aut in loco nostro ædificatur: æquum est, nos operis noui nunciatione ius nostrũ nobis conseruare uelle. Sextus Pedius definit, noui operis nunciationis triplicem esse causſam: aut naturalẽ, aut publicam, aut imposititi̇ã. naturalem: cum in nostras ædes quid immittitur, aut in nostro ædificatur. publicam causſam: quoties leges, uel senatusconsulta, constitutiones q̃ principum per noui operis nunciationem tuemur. imposititi an & cum quis postea, quàm ius suum deminuit, alterius auxit, hoc est postea quàm seruitutem ædibus suis imposuit, contra seruitutem fecit. Meminisse autem oportebit, quoties quis in nostro ædificare, uel in nostrũ immittere, uel proijcere uult: melius esse eum per prætorem, uel per manum, id est per lapilli ictum prohibere, quàm operis noui nunciatione. cæterum noui operis nunciatione possessorem eũ faciemus, cui nunciauimus: at si in suo quid faciat, quod nobis noceat: tũc noui operis denunciatio erit necessaria. & si forte in nostro aliquid facere perseueret quis: æquissimum erit aduersus eum QVOD VI AVT CLAM, aut VTI POSSIDETIS interdicto uti. Si quis * riuos uel cloacas uelit reficere, uel purgare: operis noui nunciatio nõ immerito prohibetur: cũ publicæ salutis & securitatis interſit, & cloacas & riuos purgari. Præterea generaliter prætor cætera quoq; opera excepit, quorum mora periculum aliquod allatura est. nam in his quoq; cõtemnendam putauit operis noui nunciationem. quis enim dubitat, multo melius esse, obmitti noui operis nunciationem, quàm impediri operis necessarij urgentem exstructionem? Toties autem hæc pars locũ habet, quoties dilatio periculum allatura est. proinde si quis, cum opus hoc mora periculũ allaturum esset, nunciauerit opus nouum: ueluti si in cloacis, uel * ripa reficiẽdis aliquid fieret: dicemus apud iudicẽ quæri debere, an talia opera fuerint, ut contemni nũciatio deberet. nã si apparuerit, uel in cloaca, riuoũe, eoũe, cuius mora periculũ allatura esset: dicendũ est, non esse uerendũ, ne nũciatio noceret. Qui opus nouũ nunciat, iurare debet, non calumniæ causſa nouũ opus nunciare. hoc iusiurandũ authore prætore defertur. idcirco non exigit̃, ut ante iuret is, qui iusiurandũ exigit. Qui nũciat, necesse habet demõstrare, in quo loco opus nouũ nunciet: scituro eo, cui nunciatum est, ubi possit ædificare, & ubi interim abstinendũ sit. Toties aũt demõstratio facienda est, q̃ties in

*aliàs. ripas.

*aliàs. riuis.

parte fit nunciatio. cæterum si in totũ opus fiat: non est necesse demonstrare, sed hoc ipsum dicere. Si in pluribus locis opus fiat: utrũ una nunciatio sufficiat, an uero plures sint necessariæ? & ait Iulianus libro quadragesimonono digestorum: quia in re præsenti fit nunciatio, plures nunciationes esse necessarias, & consequenter plures remissiones.

Si is, cui nunciatum erit, ex noui operis nunciatione satisdederit, repromiserit ue, aut per eum non fiet, quominus boni uiri arbitratu satisdetur, repromittaturue: perinde est, ac si noui operis nunciatio omissa esset. habet autem hoc remedium utilitatem. nam remittit uexationem ad prætorem ueniendi, & desiderandi, ut missa fieret nunciatio.

Qui procuratorio nomine nunciauit, si non satisdabit, eam rẽ dominum ratam habiturum: nunciatio omni modo remittitur, etiam si uerus sit procurator. Qui remissionem absentis nomine desiderat: siue ad priuatũ, siue ad publicum ius ea remissio pertinet: satisdare cogitur. sustinet enim partes defensoris. sed hæc satisdatio nõ pertinet ad ratihabitionem, sed ad noui operis nunciationem. Si procurator autem nouum opus nunciauerit mihi, & satis acceperit: deinde interdicto aduersus eum utar, ne uim mihi faciat, quominus ædificem: ex interdicto eum oportet iudicatũ solui satisdare: quia partes sustinet defensoris.

VI. PAVLVS.

ET ideo neq; exceptiones procuratoriæ opponi ei debent, nec satisdare cogendus est, ratam rem dominum habiturum.

VII. VLPIANVS.

ETsi satisdationem non dabit: submouendus erit ab exsecutione noui operis: & actiones, quas domini nomine intendit, debent * aliàs ei denegari. Et tutori, *(uel actori) & curatori nouum opus recte desunt. nunciatur.

VIII. PAVLVS.

NOn solum proximo uicino, sed etiam superiori facienti nouum opus nunciare potero. nam & seruitutes quædam, interuenientibus medijs locis uel publicis uel priuatis esse possunt. Qui nouũ opus nunciat, si quid operis iam factum erit: in testationem referre debet, ut appareat, quid postea factũ sit. Si cum possem iure te prohibere, nũciauero tibi nouũ opus: nõ aliàs ædificandi ius habebis, cẽterũ si satisdederis. Quod si nunciauero tibi, ne quid contra leges in loco publico facias: promittere debebis: quoniam de eo opere iure alieno contendo, non meo, & tanquam alieni iuris petitor repromissione contentus esse debeo. Sciendum est, facta noui operis nunciatione: eum, cui nunciatũ est, abstinere oportere, donec caueat, uel donec remissio nunciationis fiat. tunc enim, si ius ædificandi habet, recte ædificabit.

Sed ut probari possit, quid postea ædificatum sit: modulos sumere debet

debet is, qui nunciat. qui ut sumantur, conferanturq; prætor decernere solet. Morte eius, qui nunciauit, exstinguitur nunciatio, sicut alienatione: quia his modis finitur ius prohibẽdi. quod si is, cui nouum opus nunciatum erat, decesserit, uel ædes alienauerit: non exstinguit nunciatio noui operis. idq; ex eo apparet, quod in stipulatione, quæ ex hac causa interponitur, etiam hæredis mentio fiat.

IX. CAIVS.

CReditori, cui pignoris nomine prædiũ tenetur, permittendum est de iure, id est de seruitute, nouum opus nunciare. nam ei uindicatio seruitutis datur.

X. VLPIANVS.

OPeris noui nunciatio in rem fit, non in personã. & ideo furioso & infanti fieri potest, nec tutoris authoritas in ea nũciatione exigit.

XI. PAVLVS.

CVilibet enim intelligenti (ueluti fabro) nunciatum, infantem & furiosum tenet.

XII. IDEM.

EX operis noui nunciatione si caueatur: stipulatio tanti committetur, quanti iudicatum sit.

XIII. IDEM.

CVm procurator opus nouum nunciat, & satisdat rem ratam dominum habiturum: & remissio in domini personam confertur.

Si dominus nouum opus nunciauerit: intra diem, quæ stipulatione ex noui operis nunciatione interposita comprehensa est: committitur stipulatio. sed ea, si præterita die dominus nunciauit, non committitur. nam & ipsi domino, cum semel nunciauit, non permittitur iterum nunciare, quamdiu stipulatio ex noui operis nunciatione tenet.

Si in remissione à parte eius, qui nouum opus nunciauit, procurator interueniat: id agere prætorẽ oportet, ne falsus procurator absenti noceat: cũ sit indignũ, quolibet interueniente beneficium prætoris amitti.

XIIII. IDEM.

QVi uiam habet, si nouum opus nunciauerit aduersus eum, qui in uia ædificat: nihil agit, sed seruitutem uindicare non prohibet.

XV. AFRICANVS.

SI prius, quàm ædificatũ esset, ageretur ius uicino nõ esse altius ædes tollere, nec res ab eo defenderetur: partes iudicis non alias futuras fuisse ait, quàm ut eum, cum quo ageretur, cauere iuberet, non prius se ædificaturũ, quàm ultro egisset ius sibi esse altius tollere. Idemq; è contrario, cum agere uellet quis sibi ius esse altius tollere: eo non defendente, similiter (inquit) officio iudicis continebitur, ut cauere aduersarium

sarium iubeat, nec opus nouum se nunciaturum, nec ædificanti uim facturum. eaq; ratione hactenus is, qui rem non defendet, punietur, ut de iure suo ꝓbare necesse habeat. id enim est petitoris partes sustinere.

XVI. VLPIANVS.

SI opus nouum prætor iusserit nunciari, deinde prohibuerit: ex priore nunciatione agi non potest, quasi aduersus edictum eius factū sit.

XVII. PAVLVS.

SI procurator opus nouum facientem prohibuerit: domino competit QVOD VI AVT CLAM interdictum.

XVIII. PAPINIANVS.

AEdibus communibus, si ob nouum opus nūciatio uni fiat: siquidem ex uoluntate omnium opus fiat: omnes nunciatio tenebit. si uero quidam ignorēt: in solidum obligabitur, qui cōtra edictum prætoris fecerit. nec ad rem pertinet, cuius solum sit, in quo opus fiat: sed quis eius soli possessor inueniatur, modo si eius nomine opus fiat.

XIX. PAVLVS.

SCiendum est, denegata exsecutione noui operis, nihilominus integras legitimas actiones manere: sicut in his quoq; caussis manent, in quibus ab initio operis noui nunciationem prætor denegat.

XX. VLPIANVS.

PRætor ait. QVEM IN LOCVM NVNCIATVM EST, NE QVOD NOVVM OPVS FIERET, QVA DE RE AGITVR: QVOD IN EO LOCO, ANTE QVA'M NVNCIATIO MISSA FIERET, AVT IN EA CAVSSA ESSET, VT REMITTI DEBERET, FACTVM EST: ID RESTITVAS. Interdictum hoc proponitur ex huiusmodi caussis. edicto expressum est, ne post noui operis nunciationem quidquam operis fiat, ante q̄ uel nunciatio missa fiat, uel uice nunciationis remissæ satisdatio de opere restituendo fuerit interposita. qui ergo facit: & si ius faciendi habuit: tamen contra interdictū prætoris facere uidetur, & ideo hoc destruere cogitur. Siue autem locus uacuus sit, ubi nunciatū est, siue ædificatus: æque huic interdicto locus erit. Ait prætor: QVOD FACTVM EST, RESTITVAS. & quod factum est, iubet restitui: neq; interest, iure factum sit, an non. siue enim iure factum est, siue non iure factū est: interdictum locū habebit. Quidquid autem ante remissionem fit, uel illud, quod remissionis loco habetur: pro eo habendum est, atq; si nullo iure factū esset. Si quis paratus fuerit satisdare, deinde actor stipulari nolit: in ea caussa est, ut remitti debeat. nam cum per actorem fiat: apparet in ea caussa esse, ut remitti debeat. Hoc interdictum perpetuō datur: & hæredi, cæterisq; successoribus cōpetit. aduersus ipsum quoq;, qui opus fecit, uel factum ratum habuit, interdicto locus erit.

plane

Planè si quæratur,an in hæredem eius,qui opus fecit, interdictum hoc competat:sciendum est,Labeonem existimasse in id,quod ad eum peruenit, duntaxat dari oportere: uel si quid dolo malo ipsius factum sit, quo minus perueniret. nonnulli putant, tam in factum esse dandam, quàm interdictum.quod uerum est. Deinde ait prætor.QVEM IN IN LOCVM NVNCIATVM EST, NE QVID NOVI OPERIS FIERET: QVA DE RE AGITVR, SI DE EA RE SATISDATVM EST: QVOD EIVS CAVTVM SIT, AVT PER TE STET, QVO MINVS SATISDETVR: QVO MINVS ILLI EO IN LOCO OPVS FACERE LICEAT, VIM FIERI VETO. Hoc interdictũ prohibitorium est, ne quis prohibeat uolentem eum facere,qui satisdedit.etenim pertinet ad decus urbiũ ædificia non derelinqui:nec quidquam interest,iure quis ædificet,an non iure:cum sit securus is,qui nouum opus nunciauit, postea quàm ei cautum est. Hoc autem interdictum competit ei,qui satisdedit. Adijcitur & illud, AVT SI PER TE STET, QVO MINVS SATISDETVR. proinde si satisdatum non est,sed repromissum:huic interdicto locus non erit.neq; enim permittendum fuit in publico ædificare,prius quàm appareat, quo iure quis ædificet. & si satisdatum sit, cautum tamen non perseueret: interdictum cessat. Si aliquando stetit per nunciatorẽ, quo minus satisdetur,nunc non stat:interdictum cessat. Hoc interdictum etiam post annum,& hæredi,cæterisq; successoribus cõpetit.

XXI. IDEM.

STipulatio de noui operis nunciatione interponi solet,quoties uicinus dicit,ius sibi esse prohibere uicinum nouum opus inuito se facere. Si quis autem uult post nouum opus nunciatum impune ædificare:offerre debet satis nunciatori. Quod si fecerit:utriq; consultum est,tam ei,qui nunciauit, quoniam cautum habet de opere restituendo:quàm ei,cui nunciatum est, quia molitio eius non impeditur. ante quàm enim caueat: quidquid ædificauerit, interdicto restitutorio destruere compellitur. Habet autem ista stipulatio conditionem:ut ita demum committatur, si iudicatum fuerit, siue ante rem iudicatam caussa quæ acciderit,neq; res defendatur:& de dolo malo subijciẽ clausula. Opus autem factum sic accipimus:non si unum, uel alterum cæmentum sit impositum: sed si proponatur instar quoddam & quasi facies quædam operis facta. Siue autem res iudicetur,siue res non defendatur,stipulatio in id committitur, ut uiri boni arbitratu res restituatur. Quod si ita restitutum non erit:quanti ea res erit,tantam pecuniam dabit, si hoc petitori placuerit. Quæsitum est, si plures domini ædificent:an omnes cauere debeant? & ait Labeo, unũ cauere debere:quia restitutio operis fieri pro parte nõ possit. Idem ait, & si plu

res nuncient: curandum esse, ut uni caueatur, si inter eos conueniat. Planè si non conueniat: etiam singulis erit cauendum. Idem dicendum esse in stipulatione, ut tantum præstetur, quanti uniuscuiusq; interfit, si hoc maluerint. cæterum si ita fuerit (inquit) cautum, QVANTI EA RES ERIT: dubitabit, utrum ad totius corporis æstimationē hæc uerba referātur: an uero ad hoc, quod eius interest, qui stipulatur. ego puto, & si sic fuerit cautū uni, QVANTI EA RES ERIT: defendi posse stipulationem sufficere. ad operis enim quantitatem ea refertur.

XXII. MARCELLVS.

CVi nouum opus nunciatum est, si ante remissam nunciationem opere facto decessit: debet hæres eius patientiam destruendi operis aduersario præstare. nam & in restituēdo opere eius, qui contra edictum fecit, pœna uersatur. porrò autem in pœnam hæres nō succedit.

XXIII. IABOLENVS.

IS, cui nouum opus nunciatum erat, uendidit prædium. emptor ædificauit. emptorem, an uenditorem teneri putas, quod aduersus edictum factum sit? respondi. cum noui operis nunciatio facta est, si quid ædificatum est: emptor, id est dominus prædiorum tenetur: quia nunciatio operis, non personæ fit: & is demum obligatus est, qui eū locum possidet, in quem nouum opus nunciatum est.

DE DAMNO INFECTO, ET DE SVGGRVNdis, uel protectionibus. Tit. II.

I. VLPIANVS.

CVm res damni infecti celeritatē desiderat, & periculosa dilatio prætori uidet, si ex hac caussa sibi iurisdictionem reseruet: magistratibus municipalibus delegatum hoc recte putabit.

II. CAIVS.

DAmnum infectum est, damnum nondum factum, quod futurum ueremur.

III. PAVLVS.

DAmnum & damnatio ab ademptione, & quasi deminutione patrimonij dicta sunt.

IIII. VLPIANVS.

DIes cautioni præstitutus si finietur: prætoris uel præsidis officij erit, ex caussa uel renouare, uel protelare eam: & si hoc localem exigit inquisitionem, ad magistratus municipales hoc remittere Si intra diem â prætore constituendum non caueatur: in possessionē eius rei

rei mittendus est. EIVS REI sic accipitur: siue tota res sit, siue pars rei. An tamen is, qui non admittit, etiam pignoribus à magistratibus coërceatur, non puto: sed in factum actione tenebitur. nam etsi a prætore missus nõ admittatur: eadem actione utendum est. Duas ergo res magistratibus municipalibus prætor uel præses iniunxit, cautionem, & possessionem: cætera suæ iurisdictioni reseruauit. Si forte duretur non caueri: ut possideri liceat (quod cognita caussa fieri solet) non dum uiuiros, sed prætores uel præsides permissuros: item ut ex hac caussa decedat de possessione. Prætor ait. DVM EI, QVI ABERIT, PRIVS DOMVM DENVNCIARI IVBEAM. Abesse autem uidetur, & qui in iure non est: quod & Pomponius probat. uerecunde autem prætorem denunciari iubere, non extrahi de domo sua. sed DOMVM DENVNCIARI sic accipere debemus, ut & si in aliena domo habitet, ibi ei denuncietur. quod si nec habitationem habeat: ad ipsum prædium erit denunciandũ, uel procuratori eius, uel certe inquilinis. Toties autem prætorem exigere denũciationem intelligendum est: si sit, cui denuncietur. cæterum si non sit: ueluti quod hæreditaria insula est, nec dum hæreditas adita est: uel si hæres non exstet, nec inhabitetur: cessat hæc pars edicti. est tamen tutius, libellum ad ipsas ædes proponere. fieri enim potest, ut ita monitus, defensor existat. In eum, qui quid eorum, quæ supra scripta sunt, non curauerit: quanti ea res est, cuius damni infecti nomine cautum non erit, iudiciũ datur: quod non ad quantitatem refertur, sed ad id, quod interest, & ad utilitatem uenit, non ad pœnam. Hoc autem iudicium certam conditionem habet, si postulatum est. cæterum qui non postulabit: experiri non potest. postulare autem proprie hoc dicimus, pro tribunali petere, non alibi. Si tamen uicinũ urbi municipium sit, ut magistratus se non interponere potuit, prætor tamẽ uel præses adiri: potest dici cessare hanc actionẽ aduersus magistratus, quasi nihil intersit: cum in tua potestate fuerit, à prætore uel præside desiderare in possessionem mitti. Hæc autem actio, cum rei habeat persecutionem, & hæredi, & in hæredẽ, & perpetuò dabitur.

V. PAVLVS.

PRætoris officium est, ut missus in possessionẽ etiam eam per longi temporis spacium in suum dominium capere possit. Si plures sint domini, qui cauere debent, & aliquis non caueat: in portionẽ eius mittetur. & cõtra, si aliquot sint, qui caueri sibi desiderant, & alius præcioſiores, alius uiliores habeat ædes: siue unius domus plures habeant dispares partes: tamẽ non pro magnitudine dominij quisq; sed æquali ter mittentur oẽs in possessionẽ. Si & dominus proprietatis, & fructuarius desiderat sibi caueri damni infecti: uterq; audiendus est. nec enim

iniuriam sentiet, pmissor, non plus cuiq; præstaturus, q̃ quod eius interfit.

VI. CAIVS.

EVenit nonnunquam, ut damno dato nulla nobis competat actio, non interposita antea cautione: ueluti si uicini ædes ruinosæ in meas ædes ceciderint: adeo, ut plerisq; placuerit, non cogi quidē eum posse, ut rudera tollat: si modo omnia, quæ iaceant, p derelicto habeat.

VII. VLPIANVS.

PRætor ait. DAMNI INFECTI SVO NOMINE PROMITTI, ALIENO SATISDARE IVBEBO EI, QVI IVRAVERIT, NON CALVMNIAE CAVSSA ID SE POSTVLARE, EVM VE, CVIVS NOMINE AGET, POSTVLATVRVM FVISSE, IN EAM DIEM, QVAM CAVSSA COGNITA STATVERO. SI CONTROVERSIA ERIT, DOMINVS SIT, NEC NE, QVI CAVEBIT: SVB EXCEPTIONE SATISDARI IVBEBO. DE EO OPERE, QVOD IN FLVMINE PVBLICO RIPA VE EIVS FIET: IN ANNOS DECEM SATISDARI IVBEBO. EVM, CVI ITA NON CAVEBITVR: IN POSSESSIONEM EIVS REI, CVIVS NOMINE VT CAVEATVR POSTVLABITVR, RECTE IRE EVM, CVIVS CAVSSA IVSTA ESSE VIDEBITVR: ETIAM POSSIDERE IVBEBO.

IN EVM, QVI NEQVE CAVERIT, NEQVE IN POSSESSIONE ESSE, NEQVE POSSIDERE PASSVS ERIT: IVDICIVM DABO, VT TANTVM PRAESTET, QVANTVM PRAESTARE EVM OPORTERET, SI DE EA RE EX DECRETO MEO, EIVS VE, CVIVS DE EA RE IVRISDICTIO FVIT, QVAE MEA EST, CAVTVM FVISSET. EIVS REI NOMINE, IN CVIVS POSSESSIONEM MISERO, SI AB EO, QVI IN POSSESSIONE ERIT, DAMNI INFECTI NOMINE NON SATISDABITVR: EVM, CVI NON SATISDABITVR, SIMVL IN POSSESSIONE ESSE IVBEBO. Hoc edictum prospicit damno nondū facto: cum cæteræ actiones ad damna, quæ contigerunt, sarcienda pertineant: ut in legis Aquiliæ actione, & alijs. de damno uero facto nihil edicto cauetur. cum enim animalia, quæ noxam commiserunt, non ultrà nos soleant onerare, q̃ ut noxæ ea dedamus: multo magis ea, quæ anima carent, ultrà nos onerare non debent: præsertim cum res quidem animales, quæ damnum dederunt, ipsæ exstent: ædes autem, si sua ruina damnum dederunt, desierint exstare. Vnde quæritur: si ante quàm caueretur, ædes ceciderint, neq; dominus uelit rudera legere, eaq; derelinquat: an sit aliqua aduersus eum actio? & Iulianus consultus, si prius, q̃ damni infecti stipulatio interponeretur, ædes uicinæ corruissent, quid facere deberet is, in cuius ædes rudera decidissent, ut damnum sarciretur: respondit, si ædiū dominus rudera, quæ cæciderunt, uellet tollere: non aliter permittendum, quàm ut omnia, id est, & quæ inutilia

sunt

sunt,auferret.nec solum de futuro,sed de præterito quoq; damno cauere eum debere.quod si dominus ædiũ, quæ deciderũt,nihili faceret: interdictum reddendũ ei,in cuius ædes rudera decidissent, per quod uicinus compelleretur, aut tollere,aut totas ædes pro derelicto habere.

VIII. CAIVS.

QVod forte tunc recte dicetur,cum nõ ipsius neglegentia,sed propter aliquod impedimentum sibi non prospexit.

IX. VLPIANVS.

HOc amplius Iulianus ait:posse dici, compellendum eum, ut etiam de præterito damno caueret. quod enim re integra custoditur,hoc nõ inique etiam post ruinã ædium præstabitur.integra autem re unusquisq; cogitur,aut de damno infecto cauere,aut ædibus carere, quas non defendit.denicq; (inquit) si quis propter angustias temporis, aut quia reipublicæ caussa aberat, non potuit damni infecti stipulari: non inique prætorem curaturũ,ut dominus uiciosarum ædiũ aut damnum sarciat,aut ædibus careat.sententiam Iuliani utilitas comprobat. De his autẽ,quæ ui fluminis importata sunt, an interdictum dari possit,quæritur.& Trebatius refert,cum Tyberis abundasset,& multas multorum res in aliena ædificia detulisset: interdictum à prætore datum,ne uis fieret dominis,quo minus sua tollerẽt,auferrent:si modo dãni infecti repromitterẽt. Alfenus quoq; scribit: si ex fundo tuo crusta lapsa sit in meum fundum,eamq; petas:dandum in te iudicium de damno *infecto:idq; Labeo ꝓbat.nam arbitrio iudicis, apud quem res ꝓlapsæ petantur, damnũ, quod ante sensi,non contineri:nec aliter dandam actionem,quàm ut omnia tollantur,quæ sint prolapsa. ita demum autem crustam uindicari posse,idem Alfenus ait,si non coaluerit,nec unitatem cum terra mea fecerit: quemadmodũ nec arbor potest uindicari à te ea,quæ translata in agrum meum cum terra mea coaluerit.sed nec ego potero tecum agere ius mihi non esse ita crustã habere,si iam cum terra mea coaluit:quia mea facta est. Neratius autem scribit:si ratis in agrum meum ui fluminis delata sit:non aliter tibi tollendi potestatem faciendam,cꝫ si de præterito quoq; damno mihi cauisses. Quæsitum est:si solum sit alterius, superficies alterius: superficiarius utrum repromittere damni infecti, an satisdare debeat: & Iulianus scribit, quoties superficiaria insula uiciosa est:dominum & de soli & ædificij uicio repromittere:aut eum,ad quem superficies pertinet,de utroq; satisdare. quod si uterq; cesset: uicinum in possessionẽ mittendum. Celsus certe scribit,si ædium tuarum ususfructus Titiæ sit: damni infecti aut dominum repromittere,aut Titiam satisdare debere.sed si in possessionem missus fuerit is, cui damni infecti cauendũ

*al's. iam facto.

fuit: Titiam uti frui prohibebit. idem ait, eum quoq; fructuariũ, qui non reficit, à domino uti frui prohibendũ. ergo & si de damno infecto non cauet, dominusq; compulsus est repromittere: prohiberi debet frui.

X. CAIVS.

QVamuis alienus ususfructus sit: dominum promittere oportere, Cassius ait: ni siq; proprietarius in totum repromittat, uel fructuarius satisdet: mitti oportet in possessionem eum, cui non cauetur. sed nisi proprietario repromittenti fructuarius caueat: denegandam ei fructus petitionẽ, Iulianus scribit. sed si fructuarius de soli uicio quid præstiterit: ius dominij ad eum transferri oportet.

XI. VLPIANVS.

QVid de creditore dicemus, qui pignus accepit: utrum repromittere, quia suum ius tuetur: an satisdare, quia dominus non est, debebit? quæ species est in contrario latere apud Marcellũ agitata: an creditori pignoraticia damni infecti caueri debeat? & ait Marcellus, inutiliter ei caueri. idemq; etiam de eo cauendum, qui à non domino emit. nam nec in huius persona cõmitti stipulationem. æquissimum tamen puto, huic prospiciendum* (id est creditori) per stipulationem.

*al's deest

XII. PAVLVS.

HIs, qui pignori rem acceperunt potior est is, cui damni infecti nõ cauetur: si possidere, & per longũ tempus rẽ capere ei permissum fuerit.

XIII. VLPIANVS.

QVi bona fide à non domino emit: uidendum est, nunquid repromittat, non etiam satisdet, quod quibusdam uidetur. habet autẽ rationem, ut magis repromittat, quàm satisdet. suo enim nomine id facit. Siue corporis dominus, siue is, qui ius habet (utputa seruitutem) de damno infecto caueat: puto eum repromittere debere, non satisdare, quia suo nomine id facit, non alieno. Cum inter ædes meas & tuas sint aliæ ædes non uicioſæ: uidendum est, utrum tu solus mihi cauere debeas: an uero & is, cuius ædes uicioſæ nõ sunt: an ille solus? & magis est, ut ambo cauere debeant: quia fieri potest, ut ædes uicioſæ in ædes non uicioſas incidentes damnum mihi dent: quãuis possit quis dicere, nõ uicio incolumium ædium hoc factum, si aliæ in eas incidentes ei damni causſam præbuerint. sed cum prospicere sibi potuit per damni infecti cautionem, nec prospexit: merito conuenietur. Qui damni infecti caueri sibi postulat, prius de calumnia iurare debet. quisquis igitur iurauerit de calumnia, admittitur ad stipulationem: & non inquiretur, utrum interſit eius, an non: uicinas ædes habeat, an non habeat. totum tamen hoc iurisdictioni prætoriæ subijciendum est, cui cauendum sit, cui non. cæterũ neq; ei, qui in meo deambulet, neq; ei, qui

in meo

in meo lauet,uel in mea taberna diuertat,caueri debet. uicinis planè, inquilinisq; eorum,& inquilinorum uxoribus cauendum esse, ait Labeo:item his,qui cum his morantur. De illo quæritur, an inquilinis suis dominus ædium cauere possit? & Sabinus ait,inquilinis nõ esse cauendum.aut enim ab initio uicioſas ædes conduxerunt,& habent, quod ſibi imputent:aut in uicium ædes inciderunt,& possunt ex conducto experiri.quæ ſententia uerior eſt. Si quis iuxta monumentum ædificauerit,uel iuxta ædificium ſuum monumentum fieri paſſus ſit: de damno infecto ei poſtea cauendum non erit:quia rem illicitam admiſit.aliàs autem,ſi monumento ædificiũ noceat, in quo nihil ſit, qđ imputari poſſit ei,ad quem ius monumenti pertinet:cauendum eſt ei, ad quem ius monumenti pertinet. Et ſuperficiarium,& fructuariũ, damni infecti ſtipulari utiliter hodie conſtat:ſed ei,qui bona fide à non domino emit,damni infecti ſtipulationem non competere,Marcellus ait. Si quis nouum opus nunciauerit:an nihilominus damni infecti caueri ei debeat,Iulianus tractat. & magis probat, caueri oportere. nam ei,qui egit,ius aduerſario non eſſe altius tollere ædificium:caueri debere.item eum,aduerſus quem interdictum QVOD VI AVT CLAM competit,cauere debere,Iulianus ait:quia non eſt cautum, neq; de uicio ædium,neq; de damno operis. Si quis,quia ſibi non cauebatur: in poſſeſſionem ædium miſſus fuerit:deinde is,cuius ædes fuerint,cum præter eas alias ædes haberet,deſideret ab eo,qui in poſſeſſionem miſſus eſt,ut ſibi damni infecti harum ædium nomine,quarum in poſſeſſionem miſſus eſt,caueret: an ſit audiẽdus,uideamus.& Iulianus ſcribit. is,qui uicioſis ædibus ceſſit,ſi integras retinuerit:nunquid improbè ab eo,qui uicioſas ædes cœperit poſſidere,cautionẽ exigat:cum ideo poſſeſſionem amiſerit, quia ipſe damni infecti ſatis nõ dederit? & ſanè parum probe poſtulat ab eo caueri ſibi earum ædium nomine,quarũ ipſe cauere ſuperſedit.quæ ſententia uera eſt. Si quis ſtipulaturus iurauerit,nec fuerit ſtipulatus:an poſtea ei ſtipulari uolenti iurandum ſit,uideamus.& puto,iterum iurandum:quia poſſit fieri,ut aut tunc,aut modo calumnietur. Si alieno nomine caueri mihi damni infecti poſtulẽ: iurare debeo non calumniæ cauſſa id eum,cuius nomine cautum poſtulo,fuiſſe poſtulaturũ.ſed ſi eius nomine poſtularem, qui ſi ipſe poſtularet,iurare non cõpelleretur (ueluti patronus, uel parens:) dicendũ eſt,locũ iuri iurando non eſſe.de quo enim ille non iuraret: nec qui uice eius poſtulat,in hac ſtipulatione debet iurare. Huic ſtipulationi debet dies eſſe inſertus,intra quem ſi quid damni contigerit, cautio locum habet.neq; enim in infinitũ obligatus eſſe debet ſtipulatione. ipſe igitur prætor diem dabit ſtipulationi: æſtimatione habita ex cauſſa,

& ex

& ex qualitate eius damni, quod contingere speratur.

XIIII. PAVLVS.

IN causſæ cognitione etiam longinquitas soli & operis magnitudo spectanda est.

XV. VLPIANVS.

SI finita sit dies statuta in cautione: iterum arbitratu prætoris ex integro erit cauendum. si uero sine adiectione diei stipulatio fuerit interposita: siquidem ex conuentione, quandocunq; fuerit cõmissa: ex stipulatu agitur. si uero per errorem: magis est illud dicendum, finito die, in quem alioquin caueri solet, desiderandum esse à prætore, ut liberetur. Deinde ait prætor, DE EO OPERE, QVOD IN FLVMINE PVBLICO RIPA'VE EIVS FIET: IN ANNOS DECEM SATISDARI IVBEBO. hic exigitur satisdatio, & tempus stipulationi præstituitur iccirco, quia in publico fit. cum autem in alieno fit: satisdationem prætor iniũgit. Notandum, quod non etiã de loci uicio, sed de operis tantum cauetur: quamuis si in priuato fiat, & de loci & de operis uicio caueatur. sed cum locus publicus sit: non erat necesse ibidem opus facienti de alio uicio satisdare, quàm operis damni infecti. Si quid igitur damni intra decem annos acciderit: id stipulatione continetur. & quod ait prætor DE EO OPERE: sic accipe, de eo damno, quod ex opere fiet.

Si quid in uia publica fiat: quia in alieno fit, satisdandum est. sed prætor causſa cognita tempus pro conditione operis determinabit. siue autem quis minuat uiam, siue quid aliud in uia publica faciat: debebit cautio locum habere, ne hoc damno priuati contingat. de cæteris locis publicis nihil specialiter cauetur: uerum & generali sermone, quasi in alieno fiat, satisdari debebit damni infecti. Si publicus locus publice reficiatur: rectissime Labeo scribit, eoq; iure utimur, de damno infecto non esse cauendum. Si quid uicio loci aut operis fiat: certe legem dandam operi talem, ne quid noceatur uicinis, damniũe detur. Ex hoc edicto, si non caueatur, mittitur in possessionem à prætore in eam partem, quæ ruinosa uidetur. An uero in totas ædes missio locum habeat, uideamus. & exstat Sabini sententia, in totas ædes mittendũ. alioquin si ex superficie (inquit) damnum timeatur: non habebit res exitum: nec profuturum in possessionem eius rei mitti, quam quis possidere non possit, aut ei non expediat. & uerior est Sabini sententia. Sed & si in plures partes domus diuisa sit: utrum in partem, an in totam domum possidendam mitti quis debeat, uideamus. & si tam ampla domus sit, ut & spacia inter uicinam partem intercedant, & eam, quæ uicium non facit: dicendum est in eam solam partem mitti. si uero iuncta sit cõtextu ædificiorum: in totam. itaq; & in spacioſis domibus melius

lius dicetur,in eam partem domus mittendum,quæ uicioſæ parti unita ſit.cæterum ſi modica portiuncula ædium ampliſſimarum uicium faciat: quale erit dicere, totas ædes iubendum poſſidere eum, cui damni infecti non caueretur, cum ſint ampliſſimæ? item quid dicemus, ſi inſula adiacens domui uicium faciat? utrum in inſulæ poſſeſſionem, an uero in totius domus poſſeſſionem mittendum ſit? & magis eſt,ut non in domus poſſeſſionem, ſed in inſulæ mittatur. Si plures ſunt, qui poſtulant,ut caueatur:omnes ſimul mitti in poſſeſſionem ſolent. idemq; Labeo probat,etſi prius quis in poſſeſſionem miſſus ſit, & alius mitti deſideret.nam non ſpectabimus ordinem,ſed habebunt ambo poſſeſſionem. quod ſi iam prior poſſidere iuſſus ſit, & alius damni infecti caueri deſideret:tunc niſi caueat,mittetur in poſſeſſionẽ poſterior. Iulianus ſcribit eum,qui in poſſeſſionem damni infecti nomine mittitur,non prius incipere per longum tempus dominium capere, q̃ ſecundo decreto à prætore dominus conſtituatur. Si ante hoc decretũ alius quoq; in poſſeſſionẽ miſſus fuerit:æqualiter ambo ædium fient domini,ſcilicet cum iuſſi fuerint poſſidere.ſi uero iam conſtituto domino eo,qui primus in poſſeſſionem miſſus eſt, Titius damni infecti ſibi caueri deſiderat:ceſſante primo nec cauente,ſolus Titio erit in poſſeſſione. Cum autem plures mittuntur in poſſeſſionẽ: æqualiter mittuntur,non pro rata damni, quod unumquenq; contingeret. & merito.nam & cum unus mittitur: non pro portione damni mittitur, ſed in totũ. Cum igitur plures mittuntur: æqualiter omnes quaſi in totum miſſi concurſu partes habebunt.ſed ſi quis eorum miſſus in poſſeſſionem ſumptum fecerit, deinde iubeatur poſſidere: an ſumptũ conſequi poſſit is,qui fecit,& quo iudicio? & placet,communi diuidundo iudicio conſequi poſſe. Si quis autem in poſſeſſionem miſſus, nondum poſſidere iuſſus ſit: an dominus decedere poſſeſſione debeat,uideamus.& ait Labeo,non decedere, ſicuti nec cum creditores uel legatarij mittuntur.idq; uerius eſt. Non autem ſtatim,ubi miſit prætor in poſſeſſionem,etiam poſſidere iubet:ſed tunc demum,cum iuſta cauſſa uidebitur. ergo interuallum aliquod debebit intercedere, quo aut pro derelicto ædes longo ſilentio dominus uideat̃ habuiſſe,aut etiam miſſo in poſſeſſionẽ,& aliquàmdiu immorato nemo caueat. Si forte dominus reipublicæ cauſſa abſit,aut ex alia iuſta cauſſa,aut in ea ſit ætate,cui ſubueniri ſolet:probandum eſt, non debere prætorẽ feſtinare ad decernendũ,ut iubeat poſſidere.ſed etſi decreuerit:nemo dubitat,in integrum reſtitutionem indulturum. Vbi autem quis poſſidere iuſſus eſt: dominus deijciendus erit poſſeſſione. Si qua ſint iura debita his, qui potuerũt de damno infecto ſatiſdare: deneganda erit

eorum persecutio aduersus eum, qui in possessionem missus est. & ita Labeo probat. Itē quæritur in pignoraticio creditore, an pignoris persecutio denegetur aduersus eum, qui iussus sit possidere? & magis est, ut si neq; debitor repromisit, neq; creditor satisdedit: pignoris persecutio denegeť. quod & in fructuario recte Celsus scribit. Si de uectigalibus ædibus non caueatur: mittendum in possessionem dicendus, nec iubendum possidere. nec enim dominium capere quis possidendo potest. sed decernendum, ut eodem iure sit, quo foret is, qui non cauerat. post quod decretum uectigali actione uti poterit. sed in uectigali prædio, si municipes non cauerint, dicendum est, dominium per longum tempus adquiri. Eleganter quæritur, si dum prætor de danda stipulatione deliberat, damnum contigerit: an sarciri possit? & missio quidem cessabit. prætor tamen decernere debet, quidquid damni contigerit, ut de eo quoq; caueatur: aut si putat, quod utiliter actionem daturus sit, decernat. Si pupillus tutorē non habeat, quo authore damni infecti, pmittat: quasi non defendatur, missio in possessionē locū habebit. Si quis damni infecti in possessionē missus sit: fulcire eum, & reficere insulā debere: sunt qui putent, eum quoq; culpam præstare exemplo eius, qui pignora accepit. sed alio iure utimur. cū enim ob hoc tantum missus sit, ut uice cautionis in possessionem sit: nihil ei imputari, si non refecerit. Item uideamus, si cautio ei offeratur postea, quàm missus est: an non prius decedere debeat, quàm si ei caueatur etiā de eo damno, quod contigit postea, quàm missus est in possessionem. quod quidem magis probatur. repetita igitur die promittendū erit. hoc amplius de impensis quoq;, si quas fecit, cauendum erit. Illud quæritur, ex quo tempore damni infecti ratio habeatur: utrū ex quo in possessionem uentum est, an uero ex quo prætor decreuit, ut eatur in possessionem? Labeo, ex quo decretum est: Sabinus, ex quo uentum est in possessionē: ego puto, caussa cognita modo hanc, modo illam sententiam probandā. plerunq; eiñ subuenitur etiam ei, qui missus in possessionē, aliqua ex caussa aut nō uenit, aut tardius uenit in possessionē. Post ea aūt, quàm quis possidere iure dominij à prætore iussus est: nequaq; locus erit cautionis oblationi. & ita Labeo. cæterum nullus (inquit) finis rei inuenietur. & est hoc uerissimum: sepositio eo, quod quibusdam uel ætate, uel qua alia iusta caussa subuenitur. Si iam ruerint ædes: an in possessionē ruinæ uel areæ mittendus sit nihilominus is, cui cautum non est, uideamus. & magis est, ut mitti debeat. & ita Labeo. sed adijcit. si postea, quàm decreuit prætor eum in possessionem mittendum, tunc ædes deciderint. & puto Labeonis sententiam ueram. proinde etsi refecerit aliquid: erit probandum, non prius eum discessurum,

quàm

quàm si ei sarciatur, & de præterito caueatur. potest autẽ & in factum actione recipere hoc, quod impendit: sed nõ amplius, q̃ quod boni uiri arbitratu factum sit. idem est, & si alius iussu rogatuue meo eorũ quid sine dolo malo fecerit, & eo nomine condemnatus sim, aut dederim si ne dolo malo. Si quis metu ruinæ discesserit de possessione: siquidẽ cum aduuare rem nõ posset, id fecit: Labeo scribit, integrum ius eum habere perinde, ac si in possessione perseueraſſet. quod si cũ posset succurrere, maluerit eam relinquere: amisisse eum prætoris beneficium: neq; si postea succurri sibi uelit, audiendum eum. Cassius autem ait, si metu ruinæ recesserit, non hoc animo, ut ædificia derelinqueret: restituendum eum in possessionẽ. eum tamen, qui missus in possessionem non accesserit: si ædificia ruerint, beneficium prætoris amisisse scribit. hoc ita accipiendum erit, si uenire in possessionem neglexerit: non si, dum uenit, ruerint. Si quis ex hoc edicto à prætore in possessionem missus non est admissus: in factum actione uti poterit, ut tantum præstetur ei, quantum præstari ei oporteret, si de ea re cautum fuisset. extenditur enim actio in id tempus, quo damnum committitur.

XVI. PAVLVS.

ANte quàm damnum detur, impunitum est factum eius, qui neq; præmisit, neq; admisit in possessionem: si tamẽ ante damnum datum uel cauit, uel possessione cessit.

XVII. VLPIANVS.

SI quis missum in possessionem, cum esset in aliena potestate, non admisit: pleriq; putant, noxalem actionem nomine eius competere. quid deinde, si procurator prohibuerit? utrum in ipsum, an in dominum dabimus? sed uerius est, in ipsum dandam. sed & in actore municipũ, & tutore, cæteris q̃, qui pro alijs interuenerint, idem erit dicendũ.

Actio ista, quæ in factum est, in perpetuũ dabitur: & hæredi, & in hæredem, cæterasq̃, itemq̃ cæteris personis. Iudex, qui de damno infecto cognoscit, etiam alienato prædio ab eo, cum quo actum fuerit, damnum æstimare solet omne, quodcunq; ante iudicium contingit.

XVIII. PAVLVS.

DAmni infecti stipulatio competit non tantum ei, cuius in bonis res est, sed etiam cuius periculo res est. sed quod opere facto consecutus sit dominij capione promissor: non eum teneri eo nomine, Pomponius ait: quia nec loci, nec operis uicio, sed publico iure id consecutus sit. Ei, cuius ususfructus ædium est, de uicio earundem ædium caueri non oportet, *& si alias uicinas habeat, quia reficiendi habet facultatem. nam qui uiri boni arbitratu uti debet: reficiendi quoq; potestatem consequitur. ergo nec proprietarius audiri debet, si uelit sibi

*aliàs. sed si.

caueri à fructuario ædium nomine, quas uicinas fructuarius habeat: quia habet cum fructuario actionem, ut uiri boni arbitratu his fruatur. sed inquilino meo, si uicinas ædes habeat, cauere debebo damni infecti propter eas ædes. Ei, qui in conducto solo superficiem imposuit: dominus soli, quod uicio soli damnũ futurum sit, cauere non debebit, nec soli domino superficiarius: quia inuicem ex conducto & locato actiones habent, in quas tamen actiones ultra culpam nihil uenit. plus autem in stipulatione uenit damni infecti, quod quidem uicium eius esse dicitur. Si is, qui unas ædes habebat, stipulatus fuerit, deinde uicinas comparauerit: an earum quoq; nomine, quas post interpositam stipulationem comparasset, promissorem obligaret, quæsitum est. Iulianus scribit: uidendũ, ne earum duntaxat nomine cautũ habeat, de quibus inter eũ & promissorẽ initio actum fuerit. Cui cõsequens uideri posse putamus, ut & cum ædium communium nomine duo socij stipulentur: de eo duntaxat damno caueri uideatur, quod in parte ædium cuiq; socio datum fuerit. siue ergo redemerit alteram partem quis ex his, siue adiudicatæ fuerint: nõ augeri promissionis obligationem. Pomponius relatam Iuliani scripturam dicit non se improbare. Si aũt res aliquas post stipulationẽ interpositam in *dominio habere cœperit stipulator, quæ ex ruina uicinarum ædium ruerint: agere ex stipulatu potest, licet & tunc, cũ stipularetur, hæ res illius non fuerint.

*aliàs. domo.

Emptor prædij si ante traditionem stipulatus sit: cautum habebit de eo damno, quod post traditionem factum erit. uenditorem autem ædium prius, quàm possessionem tradat, stipulari oportet: quia huius quoq; rei culpam præstat. Sed quid fiet, si uenditor sine culpa stipulari non potuerit, & ob hoc emptor stipulatus fuerit? num damnum non patitur? an hic damnum in aliena re accidit, reuoluitur autem ad emptorem, quia actionem ex empto nõ habet? sed nihil in hac caussa proficit stipulatio, nisi in id, quod post traditionem accidit: quia dum in uenditoris custodia est, is stipulari debet, omnemq; diligentiã emptori præstare: & quod alia actione quæri potest, id in stipulatione damni infecti omnino non deducitur. sed si uenditor interposuerit stipulationem: etiam id damnum continebit, quod post traditionem emptori contigerit. quod esse iniquissimum Aristo ait: quoniam si emptor quoq; damni infecti stipulatus esset, duobus promissor eiusdem nomine obligaretur. nisi id forte contra se habeat, quia in hoc fit stipulatio, quanti ea res erit: ut possit uideri, nihil interesse iam uenditoris stipulationem damni infecti interpositam. Sabini sententia uera est existimantis: ut si dum ædificatur, intra diem stipulatione comprehensum supra parietem meum domus deciderit, eumq; uiciauerit:

licet

licet post diem stipulationis paries decidat, possim agere: quia damnũ iam tunc acceperim, cum paries uitiosus factus sit. nec quidquam obstare, quo minus etiam ante, quàm decidat, agi possit. etsi ita concussus sit paries, ut nulla ratione refici possit, ideoq; deponendus sit: non minoris litem æstimandam, quàm si decidisset. Si uicinas ædes habeamus, & inuicem desideremus damni infecti caueri: nihil obstabit, quo minus & ego in tuarum ædium possessionem mittar, tu in mearum.

Si pupillus prohibuit iri in possessionem damni infecti: placet in eũ non iniuste competere hanc in factum actionem. Si mandatu meo alius prohibuerit: in me hæc actio competit. Non solum autem eũ punit prætor, qui in possessionẽ est: sed etiam eũ, qui possidere passus non fuerit: cum alioquin si is, qui iussu prætoris cœperat possidere, & possidendo dominium capere, aut non admissus, aut reiectus inde fuerit: utile interdictum VNDE VI uel Publicianam actionem habere possit. Sed si in factũ actione egerit: his actionibus experiri non potest: cum prætor id agat, ne damnum *faciat actor, non ut in lucro uersetur. Si procurator meus damni infecti stipulatus sit: caussa cognita mihi ex ea stipulatione actio competit. *aliàs. patiatur.

XIX. CAIVS.

EOrum, qui bona fide absunt, in stipulatione damni infecti ius non corrumpitur: sed reuersus cauendi ex bono & æquo potestas datur: siue domini sint, siue alioqui in ea re ius habeant, qualis est creditor, & fructuarius, & superficiarius. Siue ædium uitio, siue operis, quod uel in ædibus, uel in loco urbano, aut rustico, priuato, publicoúe fiat, damni aliquid futurũ sit: curat prætor, ut timẽti damnũ caueatur.

XX. IDEM.

INter fructuarium & dominũ proprietatis ita damni infecti cautio locũ habet, si fructuarius quidem de soli uitio caueri sibi desideret, dominus uero proprietatis de operis uitio, si quid fructuarius ædificet. nam de ruina ædium neuter ab altero cautionem desiderare potest: fructuarius ideo, quia refectio ædium ad eum, non ipsius onus pertinet: proprietarius ideo, quia usitata stipulatio, qua de restituenda re fructuarius cauet, ad hunc quoq; casum porrigitur.

XXI. PAVLVS.

SI filiusfamilias inquilinus sit: uideamus, an damni infecti nomine in possessionem uicinarũ ædium mittendus sit. quæritur enim, an filiusfamilias non uideatur damnũ pati, si res peculiares sint: & an pater possit stipulari, si quid ei damni fiat? & placet, utrunq; eorum in possessionem mitti: nisi sic filius cõduxerit, ut eius periculo ædes essent. tunc enim, quia solus teneretur ex locato: recte dicetur, ipsum mittendum

dum in possessionem, nisi ei caueatur.

XXII. IDEM.

SI proprietarius de dãno infecto repromisisset, uel forte aliquid præstitisset, aut contra fructuarius aliquid præstiterit: iniquũ est, alterũ sine damno uti ædibus, aut ædes habere. & si obtulerit aliquid proprietarius: non est fructuario permittendum uti, nisi contulerit. idemq; fructuario præstandum est, ut proprietarius cogatur ei conferre. ergo & solum retinebit fructuarius, si ædes ceciderint, donec præstet ei damnũ: ut quod haberet uicinus missus in possessionẽ, id fructuarius habeat, qui id damnũ uicino sarciat. eadẽ erunt ergo, & si minimum damnũ detur.

PLAVTIVS. si ab eo, quẽ dominũ esse negarẽ, uellem sub hac exceptione SI DOMINVS NON ESSET, satisdari: ab eo uero, quem dominum dicerem esse, pure repromitti: constitit non debere me impetrare, sed debere me eligere, à quo uelim mihi caueri.

XXIII. VLPIANVS.

IN stipulatione damni infecti, quæ ædium nomine interponitur, nisi in solidum fuerit cautum, mittet in possessionem.

XXIIII. IDEM.

FLuminum publicorum communis est usus, sicuti uiarum publicarum, & litorum. in his igitur publice licet cuilibet ædificare, & destruere: dum tamen hoc sine incommodo cuiusquàm fiat. propter quæ operis dũtaxat nomine cum satisdatione cauetur, de uicio loci nihil cauetur. & hoc est operis, quod quis facit. cæterũ si ex loci uicio damnũ timeatur: minime dicendum est, damni infecti stipulationem interponi oportere. quis enim dubitat, neminem esse, à quo stipuletur: cum nemine nihil faciente locus ipse publicus damnum inferat sui natura? ad ea igitur opera stipulatio pertinet, quæcũq; priuatim fiant. Quid ergo si publice opus fiat? de uicio eius quid faciemus? & planè uel princeps adeundus est, uel si in prouincia fiat, præses prouinciæ. sed quod dictũ est de operis uicio, sic accipiendum est: etiam si proponas, non tantum tempore, quo opus fit, sed etiam si postea contingat. quid enim si ideo, quia male ædificatum erat, corruit? Adijcitur in hac stipulatione & hæredum nomen, uel successorum, eorumq;, ad quos ea res pertinet. successores autem non solum qui in uniuersa bona succedũt, sed & hi, qui in rei tantum dominium successerint, continentur his uerbis. Sed ut ne in operis, loci, ædiumúe uicio damnum factum sit: stipulatio interponitur de eo sine satisdatione, quæ non solũ ad totas ædes, sed etiã ad partes ædium pertinet. Vicium autem ædium & loci esse Labeo ait, quod accedens extrinsecus infirmiores eas facit. deniq; nemo dixit palustris loci uel arenosi nomine quasi uicioſi cõmitti stipulationem: quia

quia naturale uiciũ est. & ideo nec stipulatio interponitur,nec ea interposita cõmittitur. Hæc stipulatio utrum id solum damnum contineat,quod iniuria fit:an uero omne damnum,quod extrinsecus cõtingat? & Labeo quidem scribit,de damno dato non posse agi,si quid forte terræmotu,aut ui fluminis,alioue quo casu fortuito acciderit. Ser uius quoq; putat, si ex ædibus promissoris uẽto tegulæ deiectæ damnũ uicino dederint:ita eum teneri,si ædificij uicio id acciderit: non si uiolentia uẽtorum,uel qua alia ratione,quæ uim habeat diuinam. Labeo & rationem adijcit.quod si hoc non admittitur:iniquum erit.quod eñ tam firmum ædificium est,ut fluminis,aut maris,aut tempestatis, aut ruinæ,aut incendij,aut terræmotus uim sustinere possit? Idem Ser uius putat,si controuersia aquæ insulam subuerterit,deinde stipulatoris ædificia ceciderint:nihil eum ex stipulatu consecuturũ: quia id nec operis,nec loci uicio factũ sit. Si autem aqua uiciasset fundamentũ, & sic ædificium ruisset:committi stipulationem ait.multum enim interesse,quod erat alioquin firmum,ui fluminis lapsum sit protinus: an uero ante sit uiciatum,deinde sic deciderit. & id ita Labeo probat. etenim multum interest,(quod ad Aquiliam pertinet) sanum quis hominem occidat,an uero factum imbecilliorem. Quanquã autem stipulatio committitur,cum uicio operis damnum factum sit: tamen si opus factum est ab eo,quem promissor prohibere non potuit, stipulatio nõ committitur.planè si prohibere potuit:cõmittitur. sed si quis promissoris nomine fecerit,uel eius,pro quo,pmissum est,aut alius,quem prohibere potuerit:stipulatio ista cõmittetur. Præterea si furni nomine damni infecti fuerit cautum,deinde furnarij culpa damnum datũ fuerit:non uenire in hanc stipulationẽ plerisq; uidetur. Cassius quoq; scribit,quod contra ea damnum datum est,cui nulla ope occurri poterat:stipulationem non tenere. Item apud Viuianum relatum est:si ex agro uicini arbores ui tempestatis confractæ in meum agrum deciderint,eoq; facto uitibus meis uel segetibus noceant,uel ædificia demoliantur:stipulationem istam,in qua hæc comprehenduntur,SI QVID ARBORVM LOCI VE VICIO ACCIDERIT, non esse utilem: quia non arborum uicio,sed ui uentorum damnum mihi datum sit. planè si uetustate arborum hoc fiebat:possumus dicere uicio arborum damnum mihi dari. Idem ait. si damni infecti ædium mearum nomine tibi promisero, deinde hæ ædes ui tempestatis in tua ædificia ceciderint, eaq; diruerint:nihil ex ea stipulatione præstari:quia nullum damnum uicio mearum ædium tibi contigerit: nisi forte ita uicioſæ meæ ædes fuerint, ut qualibet uel minima tempestate ruerint. hæc omnia uera sunt. Sed & quod Labeo putat,uerum est:referre,utrum impulsu fluminis

minis ruat ædificium,an deterius ante factum postea ceciderit. Item uideamus,quando damnum dari uideatur.stipulatio enim hæc continet,quod uicio ædium,loci,operis damnum sit. utputa in domo mea puteum aperio:quo aperto,uenæ putei præcisæ sunt.an teneat? ait Trebatius,non me teneri damni infecti. neq; enim existimari operis mei uicio damnũ tibi dari in ea re,in qua iure meo usus sim. si tamen tam alte fodiam in meo,ut paries tuus stare non possit:damni infecti stipulatio committetur.

XXV. PAVLVS.

TRebatius ait,etiam eum accipere damnum, cuius ædium luminibus officiatur.

XXVI. IDEM.

PRoculus ait:cũ quis iure quid in suo faceret, quamuis promisisset damni infecti uicino,non tamen teneri eum ea stipulatione.uelut si iuxta mea ædificia habeas ædificia,ea q; iure tuo altius tollas:aut si in uicino tuo agro cuniculo uel fossa aquam meam euoces. quamuis enim & hic aquam mihi abducas, & illic luminibus officias: tamen ex ea stipulatione actionem mihi non competere: scilicet quia non debebat uideri is damnum facere,qui eo ueluti lucro, quo adhuc utebatur, prohibetur: multum q; interesse, utrum damnum quis faciat, an lucro, quod adhuc faciebat,uti prohibeatur.mihi uidetur uera esse Proculi sententia.

XXVII. IDEM.

PLures earundẽ ædiũ domini singuli stipulari debent sine adiectione partis:quia de suo quisq; damno stipulatur.quin imò pars adiecta partis partem faciet.contra si plures domini sint uiciosarũ ædium: pro sua quisq; parte promittere debet,ne singuli in solidum obligentur.

XXVIII. VLPIANVS.

INhanc stipulationem uenit quanti ea res erit. & ideo Cassius scribit eum,qui damni infecti stipulatus est, si propter metum ruinæ ea ædificia,quorum nomine sibi cauit,fulsit; impensas eius rei ex stipulatu consequi posse.idem q; iuris esse,cum propter uicium communis parietis qui sibi cauit damni infecti onerum eorum releuandorũ gratia,quæ in parietem incumbunt,ædificia sua fulsit.in eadem causa est detrimentum quoq; propter emigrationem inquilinorum,quod ex iusto metu factum est. Aristo autem non male adijcit. sicuti hic exigit Cassius,ut iustus metus migrandi caussam præbuerit:ita in eius persona,qui fulsit,eadem Cassium dicere debuisse,si iusto metu ruinæ fulcire coactus est.

XXIX. CAIVS.

Sed

SEd & si conducere hospitium nemo uelit propter uicium ædium: idem erit dicendum.

XXX. VLPIANVS.

DAmni infecti stipulatio pertinet, etiam si quid eius operis, quod in fundo meo aquæ ducendæ caussa fit, uicio damnũ mihi contigerit. fieret enim opus in alieno fieri, cum iure seruitutis, quam quis habet alieno agro impositam, opus in alieno faciat. Vtrum autem de hoc opere promittere, an satisdare debeat, uideamus. mouet, quod in alieno facit. qui autem de alieno cauet, satisdare debet. qui de suo: repromittere. Vnde Labeo putabat eum, qui modulorũ aut riui faciendi caussa opus faceret, etiam satisdare debere: quia in alieno solo faceret. sed cũ de opere, quod faciet, exigatur stipulatio: consequens erit dicere, sufficere repromissionẽ. quodammodo eñ de re sua cauet. quod dictum est aquæ ducendæ caussa: exempli gratia scriptum est. cæterũ ad omnia opera stipulatio accommodabitur.

XXXI. PAVLVS.

QVi uias publicas muniunt: sine damno uicinorum id facere debent. Si controuersia sit, dominus sit, nec ne is, à quo cautio exigitur: sub exceptione satisdare iubetur.

XXXII. CAIVS.

SI ædibus meis proximæ sint ædes meæ & tuæ: quæritur, an si hæ uicium mihi faciant, cauere mihi debeas pro damno propriarũ mearum ædium, scilicet pro qua parte dominus existis? & hoc plerisq; placet. sed mouet me, quod ipse meas ædes reficere possim, & impensas pro socio, aut communi diuidundo iudicio pro parte consequi. nam etsi unas ædes communes tecum habuerim, hæcq; uiciũ faciant, & circa refectionem earum cessare uidearis: nostri præceptores negant cauere te debere: quia ipse reficere possim, recepturus pro parte, quod impenderim, iudicio societatis aut communi diuidundo. & ideo interposita cautionẽ minus utilem futuram: quia alia ratione mihi damnũ posset sarciri. & est planè nostrorum præceptorũ hæc sententia: ut credamus inutilem esse damni infecti stipulationem, quo casu damnum alia actione sarciri possit. quod & in superiore casu intelligendum est.

XXXIII. VLPIANVS.

INquilino non datur damni infecti actio: quia posset ex cõducto agere, si dominus eum migrare prohiberet.

XXXIIII. PAVLVS.

VTiq; si pro præterita pensione etiã satisfacere paratus sit. alioqui iustaretentio pignoris domino fieri uidet. sed etsi quasi pignora retinuerit, & ea interierint ruina uicinarum ædium: potest dici etiam pi-

u

am pignoraticia actione locatorem teneri, si poterit eas res in locum tutiorem transferre.

XXXV. VLPIANVS.

IN parietis communis demolitione ea quæri oportet: si satis aptus fuerit oneribus ferendis, an non fuerit aptus.

XXXVI. PAVLVS.

SEd ita idoneum esse plerique dixerunt: si utrarumq; ædium onera, quæ modo iure imponantur, communis paries sustinere possit.

XXXVII. VLPIANVS.

NAm si non sit idoneus: utiq; demoliri eum te oportuit: nec debet, si quid damni ex hac caussa contigit, is, qui demolitus est, teneri: nisi sumptuose, aut parũ bono nouus paries sit restituto. Quod si fuerit paries idoneus, qui demolitus est: in actionem damni infecti uenit id, quanti interfuit actoris eum parietem stare. & merito. nam si nõ debuerit demoliri: restituere eum debet, pprio sumptu. sed & si quis reditus ob demolitionem amissus est: consequenter restitui eum Sabinus uoluit. Si forte habitatores migrauerunt, aut non tam commode habitare possunt: imputari id ædificatori potest.

XXXVIII. PAVLVS.

CVm emptor ædium ante traditam sibi possessionem ideo inutiliter stipulatur, quia uenditor omnem diligentiam ei præstare debet: tunc certe utiliter stipulatur, cum omnis culpa à uenditore aberit: ueluti si precariò emptori in his ædibus esse permisit, custodiamq; ei abfuturus tradidit. Si agri nomine non caueatur: in eam partẽ agri mittendus est, ex qua periculum timetur. eiusq; rei ratio hæc est: quod in ædificijs partes quoq; reliquæ à uiciosa parte traherentur. at in agris non idem est. sed dicendum est, ut in domibus quoq; maioribus interdũ caussa cognita prætor statuere debeat, in cuius partis possessionem is, cui non caueatur, mitti debeat. Deducto ueteris parietis precio, si quid amplius sit, æstimari debet: & si quid ex ueteri in nouum coniectum sit, deduci æstimationem oportet.

XXXIX. POMPONIVS.

INter quos paries communis est: ædificiorũ nomine, quæ quisq; propria habeat, stipulari damni infecti solet. sed tunc ea cautio necessaria est, cum aut alter solus ædificat, & uicium ex opere futurum est: aut alter precioſiora ædificia habeat, & plus damni sensurus sit decidente pariete. alioquin si æquale periculum est: quantum quis uicino præstat, tantum ab eo consequitur. Si domus in controuersia sit: dicendum est, damni infecti onus possessoris esse: cum id, quod præstiterit, imputari domino prædij possit. quod si non caueat: possessionẽ ad petito-

titorem,qui damni infecti ſibi caueri uelit,trãsferendã.nam iniquũ eſt, ſtipulatorem compelli,relicto prædio, ex quo damnum uereatur, dominum quærere. Damni infecti ſtipulatio latius pãtet. & ideo & ei, qui ſuperficiariam inſulam habet, utilis eſt ea ſtipulatio, ſi quid in ſuperficie damni datum fuerit: & nihilominus etiam ſoli domino utilis eſt,ſi ſolo damnum datum fuerit,ut ſi tota ſuperficies tolleretur.fraudabitur enim dominus ſoli in penſione percipienda. Alieno nomine ſtipulari ita licet,ut quod damnum domino datum ſit,compræhendatur. cauere autem debebit is, qui ſtipulabitur dominum ratam rem habiturum:exceptioq; procuratoria ſtipulationi inſerenda erit, ſicut in ſtipulatione legatorum. quod ſi ei non cauebitur: mittendus eſt in poſſeſſionem procurator omnimodo, ut ei exceptio procuratoria nõ noceat. In æſtimando nouo pariete ratio haberi debet eius impenſæ,quæ modũ probabilem non *excedit: in uetere, eius cultum,qui nõ aggrauet. XL. VLPIANVS.

als *excedit in ueteri eius cultu,nõ qui aggrauet.

EX damni infecti ſtipulatione non oportet infinitam uel immoderatam æſtimationem fieri,utputa ob tectoria, uel ob picturas. licet enim in hoc magna erogatio facta eſt:attamen ex damni infecti ſtipulatione moderatam æſtimationẽ faciendam:quia honeſtus modus ſeruandus eſt,non immoderata cuiuſq; luxuria ſubſequenda. Quoties communis parietis uicio quid accidit, ſocius ſocio nihil præſtare debet,cum cõmunis rei uicio contigerit.quod ſi,quia alter eum preſſerat,uel onerauerat, idcirco damnum contigit: conſequens eſt dicere, detrimentum hoc,quod beneficio eius contigit,ipſum ſarcire debere. quod ſi æqualiter utriuſq; oneribus preſſus decidit: rectiſſime Sabinus ſcripſit, parem utriuſq; cauſſam eſſe.ſed ſi alter plures, uel precioſiores res amiſerit:melius eſt dicere,quia ambo onera impoſuerunt,neutri aduerſus alterũ competere actionem. Quoties ex damni infecti plures agunt, quia in eadem re damnum paſſi ſunt, id eſt in ædibus: nõ debet unuſquiſq; eorum in ſolidum agere, ſed in partem experiri. neq; enim damnum, quod pluribus datum eſt, unicuiq; in ſolidum, ſed in partem datum eſſe uidetur. & ideo unicuiq; in partem competere actionem, Iulianus ſcripſit. item ſi plurium ſint ædes, quæ damnoſe imminent: utrũ aduerſus unumquenq; dominorum in ſolidum competit,an in partem? & ſcripſit Iulianus,quod & Sabinus probat,pro dominicis partibus conueniri eos oportere. Si plures domini ſint ædium, qui damni infecti ſibi proſpicere uolunt,nec quiſquam eis damni infecti caueat: mittendi omnes in poſſeſſionem erunt, & quidem pro æqualibus partibus,quamuis diuerſas portiones dominij habuerint.& ita Pomponius ſcribit,

XLI. POMPONIVS.

IN reficiendo communi pariete ei potius facultas ædificandi præstatur, qui magis idonee reficere parietem uelit. idemq; dicendum est, & si de eodem itinere riuoue reficiẽdo inter duos uel plures quæratur.

XLII. IVLIANVS.

SI seruus communis damni infecti stipulatus fuisset: perinde habetur, ac si ipsi domini sua uoce pro partibus stipularentur.

XLIII. ALFENVS.

DAmni infecti quidam uicino repromiserat. ex eius ædificio tegulæ uento deiectæ ceciderant in uicini tegulas, easq; infregerant. quæsitum est, an aliquid præstari oporteat? respondit. si uicio ædificii & infirmitate factum esset: præstari debere. sed si tanta uis uenti fuisset, ut quauis firma ædificia conuelleret: non debere. & quod in stipulatione est SIVE QVID IBI RVET, non uideri id ruere, quod aut uento, aut omnino aliqua ui extrinsecus admota caderet, sed quod ipsum per se concideret. Cum parietem communem ædificare quis cum uicino uellet, prius q; ueterem demoliretur, damni infecti uicino repromisit, adeoq; restipulatus est. postea, quàm paries sublatus esset, & habitatores ex uicinis cœnaculis emigrassent: uicino ab eo mercedẽ, quam habitatores non redderent, petere uult. quæsitum est, an recte peteret? respondit. non oportuisse eos, cum communem parietem ædificarent, inter se repromittere, neq; ullo modo alterum ab altero cogi potuisse. sed & si maxime repromitterent: tamen nõ oportuisse amplius, quàm partis dimidiæ: quo amplius ne extraneo quidem quisquam, cum parietem communem ædificaret, repromittere deberet. sed quoniam iam in totum repromisisset: omne detrimentum, quod ex mercede uicinus fecisset, præstaturum. Idem consulebat, posset'ne, quod ob eam rem dedisset, rursus repetere: quoniã restipulatus esset à uicino, si quid ob eam rem, quod ibi ædificium factum esset, sibi damnum datũ esset, id reddi: cum & ipsam hanc pecuniam, quam daret, propter illud opus perderet? Respondit. non posse: propterea, quia nõ operis uicio, sed ex stipulatione id amitteret.

XLIIII. AFRICANVS.

CVm postulassem, ut mihi damni infecti promitteres, noluisti: & prius, quàm prætor adiretur, ædes tuæ corruerunt, & damnũ mihi dederunt. potius esse ait, ut nihil noui prætor constituere debeat, & mea culpa damnũ sim passus: quia tardius experiri cœperim. at si cum prætor, ut promitteres, decreuisset, & te non promittente me ire in possessionem iussisset, & prius, quàm eò uenissem, corruissent: perinde omnia seruanda esse existimauit, atq; si postea, quàm in possessionem ue-

ueniſſem,damnum datum eſſet. Damni infecti nomine in poſſeſſionem miſſus poſſidendo dominium cepi. deinde creditor eas ſibi pignori obligatas perſequi uult. non ſine ratione dicetur:niſi impenſas, quas in refectione fecerim, mihi præſtare ſit paratus: inhibendam aduerſus me perſecutionem. Cur ergo non emptori quoq; id tribuendum eſſe,ſi forte quis inſulam pignoratam emerit:non recte hæc inter ſe comparabuntur: quando is,qui emit,ſua uoluntate negocium gerat: ideoq; diligentius à uenditore ſibi caueri & poſſit & debeat. quod non æque & de eo,cui damni infecti non promittatur,dici poteſt.

XLV. SCAEVOLA.

A Quo fundus petetur, ſi ab illo ædificatum habes: ago tibi ius non eſſe ædificatum habere. ſi non defenderis: ad me poſſeſſio transferenda eſt: non quidem ut protinus deſtruatur opus (iniquum enim eſt,demolitionem protinus fieri.)ſed ut id fiat,niſi intra certum tempus egeris,ius tibi eſſe ædificatum habere.

XLVI. PAVLVS.

AD curatoris reipublicæ officium ſpectat, ut dirutæ domus à domino exſtruantur. Domum ſumptu publico exſtructam,ſi dominus ad tempus pecuniam impenſam cum uſuris reſtituere noluerit,iure eum reſpublica diſtrahit.

XLVII. NERATIVS.

QVod cōclaue * binarium dominus ex aliis ædibus in aliarū uſum aſs*bina conuertit:non ſolum ſi contignatio,qua id ſuſtinebitur, orietur rū ædiū. ex parte earum ædium, in quarum uſum conuerſum erit,earum fiet: ſed etiam ſi tranſuerſa contignatio tota in aliarum ædium parietibus ſedebit. ſed & Labeo libris poſteriorum ſcribit. binarum ædium domi num utriſq; porticum ſuperpoſuiſſe,inq; eam aditu ex alteris ædibus delato,alteras ædes ſeruitute oneris porticus ſeruandæ impoſita uendidiſſe. totam porticū earum ædium eſſe, quas is retinuiſſet: cum per longitudinem utriuſq; domus extenſa eſſet tranſuerſæ contignationi, quæ ab utraq; parte parietibus domus, quæ ueniſſet, ſuſtineretur. nec tamen conſequens eſt, ut ſuperior pars ædificij, quæ nulli coniuncta ſit, neque aditum aliunde habeat: alterius ſit, quàm cuius eſt id, cui ſuperpoſita eſt.

XLVIII. IDEM.

SI quis ad demoliendum negociandi cauſſa uendidiſſe domum parte mûe domus fuerit conuictus: ut emptor & uenditor ſinguli precium,quo domus diſtracta eſt,præſtent, conſtitutum eſt. ad opus autem publicum ſi transferat marmora,uel columnas: licito iure facit.

DE AQVA, ET AQVAE PLVVIAE arcendæ Tit. III.

I. VLPIANVS.

SI cui aqua pluuia damnum dabit: aquæ pluuiæ arcendæ actione auertetur aqua. Aquam pluuiam dicimus, quæ de cælo cadit, atq; imbre excreſcit: ſiue per ſe hæc aqua cæleſtis noceat (ut Tubero ait) ſiue cum alia miſta. Hæc autem actio locum habet in damno nõdum facto, opere tamen iam facto, hoc eſt de eo opere, ex quo damnum timetur: totieſq; locum habet, quoties manufacto opere agro aqua nociturа eſt: id eſt cum quis manufecit, quo aliter flueret, quàm natura ſoleret: ſi forte immittendo eam aut maiorem fecerit, aut citiorem, aut uehementiorem: aut ſi comprimendo redundare effecit. quod ſi natura aqua noceret: ea actione non continẽ. Neratius ſcribit. opus, quod quis fecit, ut aquam excluderet, quæ exundante palude in agrum eius refluere ſolebat: ſi ea palus aqua pluuia amplietur, eaq; aqua repulſa eo opere agro uicini noceat: aquæ pluuiæ arcẽdæ cogetur tollere. De eo opere, quod agri colendi cauſſa aratro factum ſit, Quintus Mutius ait, non competere hanc actionem: Trebatius autem, non quod agri, ſed quod frumenti duntaxat quærendi cauſſa aratro factum ſit, ſolum excepit. Sed & foſſas agrorum ſiccandorum cauſſa factas, Mutius ait fundi colendi cauſſa fieri oportere: non tamen deriuãdæ aquæ cauſſa fieri. ſic enim debere quem meliorem agrum ſuum facere, ne uicini deteriorem faciat. Sed & ſi quis arare & ſerere poſſit etiam ſine ſulcis aquarijs: teneri eum, ſi quid ex his fecit: licet colendi agri cauſſa uideatur feciſſe. quod ſi aliter ſerere non poſſit, niſi ſulcos aquarios fecerit: non teneri. Ofilius autem ait, ſulcos agri colendi cauſſa directos ita, ut in unam uergant partem, ius eſſe facere. Sed apud Seruĳ auditores relatũ eſt: ſi quis poſuerit ſalicta, & ab hoc aqua reſtagnet: aquæ pluuiæ arcẽdæ agi poſſe, ſi ea aqua uicino noceat. Labeo etiam ſcribit ea, quæcunq; fructuũ frugumq; recipiendorũ cauſſa fiunt, extra hanc cauſſam eſſe: neq; referre, quorum fructuum percipiendorũ cauſſa id opus fiat. Item Sabinus ac Caſſius opus manufactum in hanc uenire actionẽ aiunt: niſi ſi quid agri colendi cauſſa fiat. ſulcos tamen aquarios, qui græce ὑδροχόακες appellantur, ſi quis faciat; aquæ pluuiæ arcẽdæ eum teneri. Iidem aiunt. ſi aqua naturaliter decurrat: aquæ pluuiæ arcendæ actionem ceſſare. quod ſi facto opere aqua aut in ſuperiorem partẽ repellatur, aut in inferiorem deriuetur: aquæ pluuiæ arcendæ actionem compe

competere. Iidem aiunt, aquam pluuiam in suo retinere, uel super fluentem ex uicini in suum deriuare, dum opus in alieno non fiat, omnibus ius esse. prodesse enim sibi unūquēq; , dum alij non noceat, non prohiberi: nec quenquam eo nomine teneri. Deniq; Marcellus scripsit. cum eo, qui in suo fundo fodiens uicini fontem auerterit, nihil posse agi. sed nec de dolo actio est. & sanè non debet habere, si non animo nocendi uicino, sed suum agrum meliorem faciendi, id fecit.

Item sciendum est, hanc actionem uel superiori aduersus inferiorem competere, ne aquam, quæ natura fluat, opere facto inhibeat per suum agrum decurrere: uel inferiori aduersus superiorē, ne aliter aquā recipiat, quàm fluere solet natura. Illud etiam huic adplicandum: nunquam competere hanc actionem, cum ipsius loci natura nocet. nā (ut utrius quis dixerit) non aqua, sed loci natura nocet. In summa puto ita demum aquæ pluuiæ arcendæ actionem locum habere: si aqua pluuia, uel quæ pluuia crescit, noceat, non naturaliter, sed opere facto: nisi si agri colēdi caussa id factum sit. imbre autem crescere eam aquā, quæ colorem mutaret, uel increscere t. Item sciendum, hanc actionem non aliàs locum habere, quàm si aqua pluuia agro noceat. Cæterum si ædificio, uel oppido noceat: cessat hæc actio. agi autem ita poterit: ius non esse stillicidia & flumina immittere. & ideo Labeo & Cascelius aiunt, aquæ quidem pluuiæ arcendæ actionem specialem esse, de fluminibus & stillicidijs generalē, & ubiq; agi ea licere. itaq; aqua, quæ agro nocebit, per aquæ pluuiæ arcendæ actionem coërcebitur. nec illud quæramus, unde oriatur. nam & si publico loco oriēs, uel sacro per fundum uicini descendat, isq; opere facto in meum fundum eam auertat: aquæ pluuiæ arcendæ teneri eum Labeo ait. Cassius quoq; scribit. si aqua ex ædificia urbano noceat, uel agro, uel ædificio rustico: agē dum de fluminibus & stillicidijs. Apud Labeonem autem inuenio relatum, si ex agro meo aqua fluens noceat loco, qui est intra continentia *(hoc est ædificia:) non posse me aquæ pluuiæ arcendæ conueniri. * aliàs desunt.
qd' si ex cōtinentibus profluens in meū agrū defluat, eiq; noceat: aquæ pluuiæ arcendæ esse actionē. Sicut aūt opus factū, ut aqua pluuia minoceat, in hanc actionē uenit: ita per contrariū quæritur, an possit aquæ pluuiæ arcendæ agi, si uicinus opus fecerit, ne aqua, quæ alioquin decurrēs agro meo, perderat, huic prosit. Ofilius igit & Labeo putāt, agi nō posse, etiā si intersit mea ad me aquam peruenire. hanc eiñ actionem locum habere, si aqua pluuia noceat, non si non prosit. Sed & si uicinus opus tollat, & sublato eo aqua naturaliter ad inferiorem agrū perueniens noceat: Labeo existimat aquæ pluuiæ arcendæ agi non posse. semper enim hanc esse seruitutem inferiorū prædiorum, ut natura profluentem

fluentem aquã excipiant. quæ planè si propter id opus sublatum uehementius profluat, uel corriuet: aquæ pluuiæ arcendæ actione agi posse, etiã Labeo confitetur. Deniq; ait conditionibus agrorũ quasdam leges esse dictas, ut quibus agris magna sint flumina, liceat mihi scilicet in agro tuo aggeres uel fossas habere. si tamen lex non sit agro dicta: agri naturam esse seruandam, & semper inferiorem superiori seruire: atq; hoc incommodum naturaliter pati inferiorem agrum a superiore, compensare q; debere cum alio commodo. sicut enim omnis pinguitudo terræ ad eũ decurrat, ita etiam aquæ incommodum ad eum defluere. si tamen agri lex non inueniatur: uetustatem uicem legis tenere. sanè enim in seruitutibus hoc idem sequimur, ut ubi seruitus nõ inuenitur imposita, quàmdiu usus est seruitute neq; ui, neq; clam, neq; precariò: habuisse longa consuetudine uelut iure impositam seruitutem uideatur. non ergo cogemus uicinum aggeres munire: sed nos in eius agro muniemus, erit q; ista quasi seruitus. in quam rem utilẽ actionem habemus, uel interdictum.

II. PAVLVS.

IN summa tria sunt, per quæ inferior locus superiori seruit: lex, natura loci, uetustas, quæ semper pro lege habetur, minuendarum scilicet litium caussa. Apud Labeonem proponitur, fossa esse uetus agrorum siccandorum caussa, nec memoriam exstare, quando facta esset. hanc inferior uicinus non purgabat. sic fiebat, ut ex restagnatione eius aqua fundo nostro noceret. dicit igitur Labeo, aquæ pluuiæ arcendæ cum inferiore agi posse, ut aut ipse purgaret, aut pateretur te in pristinum statum eam redigere. Præterea si in confinio fossa sit, neq; purgari uicinus patiatur eam partem, quæ tibi accedat: posse te magis agere aquæ pluuiæ arcendæ, Labeo ait. Cassius autem scribit: si qua opera aquæ mittendæ caussa publica authoritate facta sint: in aquæ pluuiæ arcendæ actionem non uenire. in eadem caussa esse ea, quorum memoriam uetustas excedat. Apud Ateium uero relatum est, eam fossam, ex qua ad inferiorem fundum aqua descendat, cogendum esse uicinũ purgare: siue exstet fossæ memoria, siue non exstet. quod & ipse puto probandum. Item Varus ait. aggerem, qui in fundo uicini erat, uis aquæ deiecit. per quod effectum est, ut aqua pluuia mihi noceret. Varus ait. si naturalis agger fuit: non posse me uicinum cogere aquæ pluuiæ arcendæ actione, ut eum reponat, uel reponi sinat. idem q; putat, & si manufactus fuit, neq; memoria eius exstat. quod si exstet: putat aquæ pluuiæ arcendæ actione eum teneri. Labeo autem, si manufactus sit agger: etiam si memoria eius nõ exstet, agi posse, ut reponatur. nam hac actione neminem cogi posse, ut uicino prosit: sed ne noceat, aut

inter

interpellet id facientem, quod iure facere possit. Quanq; tamen deficiat aquæ pluuiæ arcendæ actio: attamen opinor utilem actionem, uel interdictum mihi competere aduersus uicinum: si uelim aggerem restituere in agro eius, qui factus mihi quidem prodesse potest, ipsi aũt nihil nociturus est. hæc æquitas suggerit, etiã si iure stricto deficiamur.

Apud Namusam relatum est, si aqua fluens iter suũ stercore obstruxerit, & ex restagnatione superiori agro noceat: posse cum inferiore agi, ut sinat purgari. hanc eñ actionem nõ tantum de operibus esse utilem manufactis, uerum etiam in omnibus, quæ nõ secundum uoluntatem sint. Labeo contra Namusam probat. ait enim, naturam agri ipsam à se mutari posse. & ideo cum per se natura agri fuerit mutata: æquo animo unumquenq; ferre debere: siue melior, siue deterior eius conditio facta sit. idcirco etsi terræmotu, aut tẽpestatis magnitudine soli caussa mutata sit: neminẽ cogi posse, ut sinat in pristinam loci conditionem redigi. sed nos etiam in hunc casum æquitatem admisimus. Idem Labeo ait, si in agro tuo aquarum concursus locũ excauarit, aquæ pluuiæ arcendæ agi tecum non posse à uicinis. planè si fossam iure factã, aut cuius memoria non exstat: agi tecum posse aquæ pluuiæ arcendæ, ut reficias. Idem Labeo ait, cum quæritur, an memoria exstat facto opere: non diem & consulem ad liquidum exquirendum, sed sufficere si quis sciat factum, hoc est, si factum esse non ambigatur. nec utiq; necesse esse supereſſe, qui meminerint: uerum etiam si qui audierint eos, qui memoria tenuerint. Idem Labeo ait. si uicinus flumen torrens auerterit, ne aqua ad eũ perueniat, & hoc modo fit effectum, ut uicino noceatur: agi cum eo aquæ pluuiæ arcendæ non posse. aquam enim arcere hoc esse, curare, ne influat. quæ sententia uerior est: si modo non hoc animo fecerit, ut tibi noceat, sed ne sibi noceat. Illud etiam uerũ puto, quod Ofilius scribit: si fundus tuus uicino seruiat, & propterea aquam recipiat: cessare aquæ pluuiæ arcendæ actionem, si tamen non ultra modum noceat. Cui consequens est, quod Labeo putat: si quis uicino cesserit, ius ei esse aquam immittere: aquæ pluuiæ arcendæ eum agere non posse.

III. VLPIANVS.

APud Trebatium relatum est: eum, in cuius fundo aqua oritur, fullonicas circa fontem instituisse, & ex his aquam in fundum uicini immittere cœpisse. ait ergo, non teneri eum aquæ pluuiæ arcendæ actione, si tamen aquã corriuet, uel spurcam quis immittat: posse eum impediri plerisq; placuit. Idem Trebatius putat eũ, cui aquæ fluentes calidæ noceãt: aquæ pluuiæ arcendæ cum uicino agere posse. quod uerum non est. neq; enim aquæ calidæ, aquæ pluuiæ sunt. Si

uicinus,qui aruũ ſolebat certo tempore anni irrigare, pratum illic fecerit,cœperitq; aſſidua irrigatione uicino nocere:ait Ofilius, neq; damni infecti,neq; aquæ pluuiæ arcendæ actione eũ teneri:niſi locum compla nauerit,eoq; facto citior aqua ad uicinũ uenire cœperit. Aquæ pluuiæ arcendæ non niſi eum teneri, qui in ſuo opus faciat, receptum eſt, eoq; iure utimur.quare ſi quis in publico opus fecerit:hæc actio ceſſat: ſibiq; imputare debet is,qui damni infecti cautione ſibi nõ proſpexerit. ſi tamen in priuato opus factũ ſit,& publicũ interueniat:de toto agi poſſe aquæ pluuiæ arcendæ, Labeo ait. Neq; fructuarius, neq; cum eo aquæ pluuiæ arcendæ agi poteſt.

IIII. IDEM.

QVanquam autem cum domino operis tantum aquæ pluuiæ arcendæ actio ſit:tamen Labeo ſcribit,ſi quis ſepulchrum ædificauerit,ex quo aqua noceat: & ſi operis dominus eſſe deſierit loco factoreligioſo : attamen magis probandum eſſe, (inquit) aquæ pluuiæ arcendæ eum teneri.fuit enim dominus,cum opus faceret. & ſi iuſſu iudicis compulſus opus quis ſepulchri reſtituerit: non eſſe ſepulchri uiolati actionem. Iulianus quoq; ſcribit. ſi poſt iudiciũ aquæ pluuiæ arcendæ ſuſceptum fundum alienaſſet is, cũ quo actum eſſet de præterito damno & de opere reſtituẽdo:id ſtatuere iudicem debere, quod iudicaret,ſi nulla alienatio facta eſſet.nam & fundo alienato nihilominus iudicium manere: & damni rationẽ uenire eius etiam, quod poſt alienationẽ contigit. Idem Iulianus ſcribit, aquæ pluuiæ arcendæ actionẽ non niſi cum domino eſſe: idcirco,quod ſi colonus ignorante domino opus fecerit,dominus fundi nihil amplius,quàm patientiam præſtare debeat:colonus autem interdicto QVOD VI AVT CLAM impenſam quoq; reſtituendi operis, & damnum, ſi quod ex eo datũ fuerit,præſtare cogendus ſit. ſi dominus tamen deſideret caueri ſibi dãni infecti ab eo,ex cuius prædio nocetur:æquiſſimum erit, caueri ei oportere. Item ſi non ego,ſed procurator meus tale opus fecerit,ut aqua pluuia noceat uicino:aduerſus me hactẽnus erit actio, quatẽnus aduerſus colonũ. ipſe autem procurator interdicto QVOD VI AVT CLAM conueniri poterit ſecundum Iuliani ſententiã,etiam poſt opus reſtitutum.

V. PAVLVS.

SI colonus inſciente domino opus fecerit, ex quo aqua uicino noceat:Labeo reſpondit,colonum interdicto QVOD VI AVT CLAM teneri:dominum uero fundi aquæ pluuiæ arcendæ actione:quia is ſolus reſtituere opus poſſit. ſed patientiam duntaxat eum præſtare debere,ſi ei damni infecti ſtipulatione caueatur:& ſi quam impenſam in reſtitutionem operis fecerit,conſecuturum actione locati à colono: niſi

ſi quis

si quis ideo non putet, quoniam non fuerit necesse ipsum restituere. sed si iussu domini fecisset: etiam interdicto dominum teneri.

VI. VLPIANVS.

Si tertius uicinus opus fecerit, unde decurrens aqua per fundum primi uicini mei mihi noceat: Sabinus ait, posse me uel cum primo, uel cum tertio primo omisso agere. quæ sententia uera est. Si ex plurium fundo decurrens aqua noceat, uel si plurium fundo noceatur: pro cuius (eoq; iure utimur) ut siue plurium fundus sit, singuli in partem experiantur, & condemnatio in partem fiat: siue cum pluribus agatur, singuli in partem conueniantur, & in partem fiat condemnatio. Inde quæritur, si cõmuni agro meo & tuo ex proprio agro tuo aqua noceat; an agi possit aquæ pluuiæ arcendæ? & puto agendum: sic tamen, ut pars damni præstetur. uersa quoq; uice si communis ager sit, qui noceret proprio: poterit aquæ pluuiæ arcendæ agi, ut quis damnum consequatur: sed in partem. Si quis prius, q̃ aquæ pluuiæ arcendæ agat, dominium ad alium transtulerit fundi: desinit habere aquæ pluuiæ arcendæ actionem, eaq; ad eum transibit, cuius ager esse cœpit. cum enim damnum datum futurum contineat: ad eum, qui dominus erit, incipiet actio pertinere: quamuis cum alterius dominium esset, opus à uicino factum sit. Aquæ pluuiæ arcendæ actionem sciendum est, non in rem, sed personalẽ esse. Officium autem iudicis hoc erit, ut siquidem à uicino opus factum sit: eum iubeat restituere, damnumq; sarcire, si quod post litem contestatam contigit. quod si ante litẽ contestatam damnum contigit: tantum opus restituere debebit, damnum non sarcire. Celsus scribit, si quid ipse feci, quo tibi aqua pluuia noceat: mea impẽsa tollere me cogendũ. si quis alius, qui ad me nõ pertineat: sufficere, ut patiar te tollere. sed si seruus meus, aut is, cui hæres sum, hoc fecerit: seruũ quidem noxæ dedere debeo. quod autem is, cui hæres sum, fecit: perinde est, exstatq;, quasi ipse fecissem. æstimationem aũt iudex faciet ex rei ueritate, hoc est eius damni, q̃d apparuerit datũ.

VII. PAVLVS.

IS, cum quo aquæ pluuiæ arcendæ agitur, quod opus fecerit: licet cedere loco paratus sit, cogitur accipere iudicium: quoniam ex suo nomine conuenitur, ut opus tollat. aliud est in bonæ fidei emptore. hic enim tantum patientiam præstat. igitur & si fundo cedat, audiendus est: plus enim præstat.

VIII. VLPIANVS.

IN concedendo iure aquæ ducendæ non tantum eorum, in quorum loco aqua oritur, uerum etiam eorum, ad quos eius aquæ usus pertinet, uoluntas exquiritur, id est & eorũ, quibus seruitus aquæ debeba-

tur.nec immerito.cum enim minuatur ius eorum:consequens fit exquiri, an consentiant. & generaliter siue in corpore, siue in iure loci, ubi aqua oritur, uel in ipsa aqua habeat quis ius: uoluntatem esse eius spectandam placet.

IX. PAVLVS.

IN diem addicto prædio, & emptoris uoluntas, & uenditoris exquirenda est:ut siue manserit penes emptorem, siue recesserit: certum sit uoluntate domini factam aquæ cessionem. ideo autem uoluntas exigitur,ne dominus ignorans iniuriam accipiat.nullam enim potest uideri iniuriam accipere,qui semel uoluit. Nõ aũt solius eius,ad quem ius aquæ pertinebit,uoluntas exigetur in aquæ cessione:sed etiã domini locorum,& si dominus uti ea aqua non possit:quia recidere ius solidum ad eum potest.

X. VLPIANVS.

SI autem plures sint eiusdem loci domini,unde aqua ducitũr:omnium uoluntatem esse sequendam,non ambigitur. iniquũ enim uisum est,uoluntatem unius ex modica forte portiuncula domini præiudicium socijs facere. an tamen subsequi uoluntas possit, uideamus. & placet nihil interesse,utrum præcedat uoluntas aquæductionem, an subsequatur:quia & posteriores uoluntates prætor tueri debet. Si flumen nauigabile sit:non oportere prætorem concedere ductionẽ aquæ ex eo fieri,Labeo ait:quia flumẽ minus nauigabile efficiat. idemq; est, & si per hoc aliud flumen fiat nauigabile.

XI. PAVLVS.

SVpra iter alienum arcus aquæ ducendæ caussa non iure fiet. nec is, cui iter,actus debetur:* pontem, quà possit ire agere, iure exstruet. at si specum, nõ cuniculum sub riuo aget:aqua corrumpetur:quia suffosso eo,aqua manabit,& riuus siccabitur. Cassius ait. siue ex cõmuni fundo,siue communi aqua noceatur:uel unũ cum uno agere posse, uel unum separatim cum singulis, uel separatim singulos cum uno, uel singulos cum singulis.Si unus egerit,& restitutio operis,litisq; æstimatio facta sit:cæterorum actionem euanescere. item si cum uno actũ sit,& is præstiterit:cæteros liberari: idq;,quod sociorũ nomine datum sit,per arbitrium communi diuidundo recuperari posse ex socijs.non utiq; cum eo agendum,qui opus fecit:nec minùs eum quoq; damnum restituere debere,qui author operis fuit. Apud Ferocem Proculus ait:si cum uno dominorũ actum sit, qui opus non fecerit: debere eum restituere opus sua impensa: quia communi diuidundo actionem habeat.sed sibi magis placere,patientiam duntaxat eum præstare oportere:quia sua culpa actor id patiatur,qui non agat cum eo,à quo opus factum

*al's.faciet:sed põtem.

ctum sit. & est iniquum, eum, qui non fecit, id restituere oportere: quoniam communi diuidundo agere potest. quid enim fiet, si socius eius soluendo non fuerit? Officium autem iudicis inter duos accepti quale futurum sit, dubitare se Iulianus ait: si forte *ius in fundo, cuius aqua noceat, siue in quo opus factum, sit plurium, & cũ uno eorum agatur, utrum & eius damni nomine, quod post litem contestatam sit datum, & operis non restituti in solidum condemnatio fieri debeat, quemadmodum cum serui communis nomine noxali iudicio cũ uno agitur, condemnatio in solidũ fit, quoniam quod præstiterit, potest à socio recipere: an uero is, cum quo agitur, pro parte sua & damni dati & operis non restituti nomine damnandus sit, ut in actione damni infecti fit, cum eius prædij, ex quo damnũ metuitur, plures domini sint, & cum uno eorum agatur: licet opus, ex quo damnum futurum sit, in diuiduum sit, & ipsæ ædes solumq; earum non possit pro parte duntaxat dãmnum dare: nihilominus eum, cum quo agitur, pro sua parte condemnari. magisq; existimat, id seruandum in aquæ pluuiæ arcendæ actione, quod in actione damni infecti: quia utrubiq; nõ de præterito, sed de futuro damno agitur. Quod si is fundus, cui aqua pluuia nocet, plurium sit: agere quidem uel singulos posse: sed damni, quod post litem cõtestatam datum sit, non amplius parte sua consecuturos. item si opus restitutum non fuerit: non amplius, quàm quod pro parte eorum interfuit opus restitui, condemnationem fieri oportere. Si ex priuato agro in agrum communem immittatur aqua: Ofilius ait, socium cum eo agere posse. Trebatius existimat, si de opere agatur, quod manufactum sit: omnimodo restituendũ id esse ab eo, cum quo agit. si uero ui fluminis ager deletus sit, aut glarea iniecta, aut fossa limo repleta: tunc patientiam duntaxat præstandam.

als uniq; fundus.

XII. IDEM.

EMptor (nisi simulata uenditio est) cæteriq; successores, uel restituere opus factum (si uelint) uel patientiã præstare debent. nam actori moram suam nocere debere manifestum est. in eadem causa est etiam socius eius, qui opus fecerit, si ipse author non fuit. idemq; in donato fundo legatoue est.

XIII. CAIVS *ad edictũ prætoris urbani, tit. de aquæ pluuiæ arcendæ.*

SEd uenditor, aut donator interdicto QVOD VI AVT CLAM de damno & impensis ab actore factis tenebitur.

XIIII. PAVLVS.

ATeius ait, si is, qui opus fecerit, potentiori uẽdiderit prædiũ: quatenus desierit dominus esse, agendum cum eo QVOD VI AVT CLAM: quod si annus præterierit: de dolo iudicium dandum. Cum

agit aquæ pluuiæ arcendæ:de eo facto,quod nocet, quæritur. ideoq; si uicio loci pars aliqua soli subsederit:quãuis per eam caussam aqua pluuia inferiori noceat:nulla tamen competit actio. idem fortasse dicitur, si in agro manufactum aliquid subsederit. In hoc iudicium,sicut in damni infecti,futurum damnum uenit:cum reliquis ferè omnibus iudicijs præteritum præstetur. De eo, quod ante est datum, QVOD VI AVT CLAM agendum est:de eo,quod post sententiam iudicis futurum est,damni infecti caueri oportet:uel ita opus restituendum est, ut nullum periculũ damni supersit. De eo opere,quod post litem cõtestatam factum est,nouo iudicio agendum est.

XV. IDEM.

SEd interdũ opus,& quod post litem contestatam factũ est,tolletur:. Si id,quod antecessit,tolli sine eo non potest.

XVI. POMPONIVS.

POst uenditionem & traditionem,quod nocitũ sit ei fundõ,de quo ante iudiciũ acceptum est aquæ pluuiæ arcendæ: nihilominus eo iudicio uenditorem posse consequi: non quia uenditori, sed quod rei damnum datum sit, idq; eum emptori restituere debere. sed si ante, quàm noceat,is,cum quo actum sit,uendat:statim agendum est cum emptore: uel intra annum cum eo, qui uendiderit, si iudicij euitandi caussa id fecerit.

XVII. PAVLVS.

SI prius nocturnæ aquæ seruitus mihi concessa fuerit, deinde postea alia cessione diurnæ quoq; ductus aquæ cõcessus mihi fuerit,& post constitutum tempus nocturna dũtaxat aqua usus fuerim: amitto seruitutem aquæ diurnæ,quia hoc casu plures sunt seruitutes diuersarum caussarum factæ. Placuit,non aliàs per lapidem aquam duci posse, nisi hoc in seruitute constituenda cõpræhensum sit.non enim consuetudinis est,ut qui aquam habeat, per lapidem stratum ducat. illa autẽ, quæ ferè in consuetudine esse solent, ut per fistulas aqua ducatur (etiã si nihil sit compræhensum in seruitute constituenda) fieri possunt: ita tamen,ut nullum damnum domino fundi ex his detur. Via publica intercedente haustus seruitutem constitui posse placuit. & est uerũ. sed non solum si uia publica interueniat, sed & si flumen publicũ:eodẽ scilicet casu, quo interueniente flumine publicæ uiæ,itineris,actus seruitus imponi potest.idem,si non sit impedimento transeunti magnitudo fluminis. * Si nõ proximo meo prædio seruitutem uicinus debeat,sed ulteriori:agere potero,ius esse mihi ire agere ad illum fundũ superiorem,quamuis seruitutem ipse per fundum meum non habeã: sicut interueniente uia publica uel flumine,quod uado transiri potest,

*al's. licet si non.

sed

Sed lóco ſacro, uel religioſo, uel ſancto interueniente, quo fas non ſit uti: nulla earũ ſeruitus imponi poterit. Sed ſi fundus medius alterius inter me & te intercedat: hauſtus ſeruitutẽ fundo tuo imponere potero, ſi mihi medius dominus iter ad tranſeundũ ceſſerit: quemadmodũ ſi ex flumine publico perenni hauſtu uelim uti, cui flumini ager tuus proximus ſit, iter mihi ad flumen cedi poteſt.

XVIII. IABOLENVS.

SI in publico opus factum eſt, quo aqua pluuia noceret, agi non poteſt: interueniente loco publico, agi poterit. cauſſa eius rei hæc eſt: quod ea actione non tenetur, niſi dominus ſolus. Sine permiſſu principis aqua per uiam publicam duci non poteſt.

XIX POMPONIVS.

LAbeo ait: ſi patiente uicino opus faciam, ex quo ei aqua pluuia noceat: non teneri me actione aquæ pluuiæ arcendæ.

XX. IDEM.

SEd hoc ita, ſi non per errorem, aut imperitiam deceptus fuerit. nulla enim uoluntas errantis eſt.

XXI. IDEM.

SI in meo fundo aqua erumpat, quæ ex tuo fundo uenas habeat: ſi eas uenas incideris, & ob id deſierit ad me aqua peruenire: tu non uideris uim feciſſe, ſi nulla ſeruitus mihi eo nomine debita fuerit: nec interdicto QVOD VI AVT CLAM teneris.

XXII. IDEM.

SI uſusfructus fundi legatus fuerit: aquæ pluuiæ arcendæ actio & hæredi & cum hærede eius eſt, cuius prædium fuerit. quod ſi ex eo opere incommodum aliquod patiatur fructuarius: poterit quidem interdum uel interdicto experiri QVOD VI AVT CLAM. quod ſi ei non cõpetet: quærẽdum eſt, an utilis ei quaſi domino actio aquæ pluuiæ arcendæ dari debeat: an uero etiam contendat ius ſibi eſſe uti frui? ſed magis eſt, utilem aquæ pluuiæ arcendæ actionem ei accõmodari. Non aliter reſtituiſſe rem uidetur is, qui opus fecit, quàm ſi aquam coërceat. ſed & ſi fructuarius opus fecerit, per quod aqua pluuia alicui noceat: erit quidem actio legitima cum domino proprietatis. an uero etiã utilis in fructuarium actio aquæ pluuiæ arcendæ danda ſit, quæſitum eſt? & magis eſt, ut detur.

XXIII. PAVLVS.

QVod principis aut ſenatus iuſſu, aut ab his, qui primi agros conſtituerunt, opus factum fuerit: in hoc iudicium non uenit. Hæc actio etiam in uectigalibus agris locum habet. Aggeres ſi iuxta flumen in priuato facti ſint: in arbitriũ aquæ pluuiæ arcendæ ueniunt, etiã ſi trans

si trans flumen noceant: ita si memoria eorum exstet, & si fieri non debuerint.

XXIIII. ALFENVS.

VIcinus loci superioris pratum ita arabat, ut per sulcos intercapedines aqua ad inferiorem ueniret. quæsitum est, an per arbitrium aquæ pluuiæ arcendæ possit cogi, ut in alteram partem araret, ne sulci in eius agrum spectarent. respondit. non posse eum facere, quo minus agrũ uicinus, quemadmodũ uellet, araret. Sed si quos sulcos transuersos aquarios faceret, per quos in eius agrum aqua defluueret, eumq; operiret: arbitrio aquæ pluuiæ arcendæ cogi posse. sed & si fossas fecisset, ex quibus aqua pluuia nocere posset: arbitrum (si appareat futurum, ut aqua pluuia noceret) cogere oportere fossas eum explere, & nisi faceret, condemnare: tametsi ante, cũ adiudicaret, aquæ per fossas nunquã fluxisset. Lacus cum aut crescceret, aut decrescceret: nũquam neq; decessionem in eo uicinis, neq; accessionem facere licere.

XXV. IDEM.

IS, cuius fundo uia debetur, aquæ pluuiæ arcẽdæ agere potest fundi sui nomine: quoniam deteriore uia facta fundo nocetur.

XXVI. SCAEVOLA.

SCæuola respondit. solere eos, qui iuri dicundo præsunt, tueri aquæductus, quibus authoritatẽ uetustas daret, tametsi ius non præbaret.

DE PVBLICANIS, ET VECTIGALIBVS, & commissis. Tit. IIII.

I. VLPIANVS.

PRætor ait. QVOD PVBLICANVS, SEV QVIS PVBLICANI NOMINE VI ADEMERIT, QVOD'VE FAMILIA PVBLICANORVM: SI ID RESTITVTVM NON ERIT, IN DVPLVM: AVT SI POST ANNVM AGETVR, IN SIMPLVM IVDICIVM DABO. ITEM SI DAMNVM INIVRIA, FVRTVM'VE FACTVM ESSE DICETVR: IVDICIVM DABO. SI ID AD QVOS EA RES PERTINEBIT, NON EXHIBEBITVR: IN DOMINVM SINE NOXAE DEDITIONE IVDICIVM DABO. Hic titulus ad publicanos pertinet. publicani aũt sunt, qui publico fruuntur. nã inde nomen habent: siue fisco uectigal pendant, uel tributum consequantur. & omnes, qui quid à fisco conducunt, recte appellantur publicani.

Dixerit aliquis: quid hoc utiq; edictum propositum est? quasi prætor nõ & alibi præuiderit furtis, damnis, & ui raptis? sed è re putauit, & specialiter aduersus publicanos hoc edictũ proponere. quod quidem edictum in aliqua parte mitius est, quippe quod in duplum datur: cum ui bo-

ui bonorum raptorum in quadruplum sit, & furti manifesti æque in quadruplũ. Et restituendi facultas publicano ui abreptũ datur. quod si fecerit: omni onere exuitur, & pœnali actione ex hac parte edicti liberatur. unde quæritur, si quis uelit cum publicano non ex hoc edicto, sed ex generali ui bonorum raptorum, damni iniuriæ, uel furti agere: an possit? & placet posse: idq; & Põponius quoq; scribit. est enim absurdum, meliorẽ esse publicanorum, quàm cæterorum caussam effectam opinari. Familiæ nomen hic non ad seruos publicanorum tantũ referemus, uerum & ad eos, qui in numero familiarium sunt publicanorum. siue igitur liberi sint, siue serui alieni, qui publicanis in eo uectigali ministrant: hoc edicto continebuntur. proinde & si seruus publicani ruit, non tamen in ea familia constitutus, quæ publico uectigali ministrat: hoc edictũ cessabit. Quod nouissime prætor ait, SI ID NON EXHIBEBITVR, IN DOMINVM SINE NOXAE DEDITIONE IVDICIVM DABO: hoc proprium est huius edicti, quod si non exhibeantur serui, competat iudicium sine noxæ deditione: siue eos habeant in potestate, siue non: siue possint exhibere, siue non possint.

II. CAIVS.

NEc licebit domino absentem defendere.

III. VLPIANVS.

CVm si exhibuissent, noxali iudicio conuenirentur. idcirco autem tam dura conditio eorum effecta est: quia debent bonos seruos ad hoc ministerium eligere. Quod ait IN DOMINVM: sic accipiendum est, & in socios uectigalis, licet domini nõ sint. Ante autẽ acto rem dicere oportet, quem, uel quos desideret exhiberi: ut si non exhibeantur, hinc agatur. sed & si dicat, EXHIBE OMNES, VT POSSIM DIGNOSCERE, QVIS SIT: puto audiendũ. Si plures serui id furtum uel damnum admiserint: hoc debet seruari, ut si tantum præstetur, quantum si unus liber feciſſet, absolutio fiat.

IIII. PAVLVS.

SI publicanus, qui ui ademit, decesserit: Labeo ait, in hæredem eius, qui locupletior factus sit, dandam actionẽ. De rebus, quas in usus aduehendas sibi mandant præsides, diuus Hadrianus præsidibus rescripsit, ut quoties quis in usus aut eorũ, qui prouinciis exercitibusúe præsunt, aut procuratorũ suorũ, aut usus sui causſa mittet quendã emptum: significet libello manu sua subscripto, eumq; ad publicanũ mittat: ut si quid amplius, quàm mandatum est, transferat, id munificium sit. In omnibus uectigalibus ferè consuetudo spectari solet: idq; etiam principalibus constitutionibus cauetur.

V. CAIVS *ad edictũ prætoris urbani tit. de publicanis.*

HOc edicto efficitur, ut ante acceptum quidem iudicium restituta re actio euanescat: post acceptum uero iudicium nihilominus pœna duret. sed tamen absoluendus est etiam, qui post acceptum iudicium restituere paratus est. Quærentibus autem nobis, utrũ duplum totum pœna sit, & præterea rei sit persecutio: an in duplo sit & rei persecutio, ut pœna simpli sit: magis placuit, ut res in duplo sit.

VI. MODESTINVS.

SI multi publicani sint, qui illicite quid exegerunt: nõ multiplicatur dupli actio, sed omnes partes præstabunt: & quod ab alio præstari non potest, ab altero exigetur, sicuti diuus Seuerus & Antoninus rescripserunt. nam inter criminis reos & fraudis participes, multum interesse constituerunt.

VII. PAPINIANVS.

IMperatores Antoninus & Verus rescripserunt, in uectigalibus ipsa prædia, non personas conueniri. & ideo possessores etiam præteriti temporis uectigal soluere debere: eoq; exemplo actionem, si ignorauerint, habituros. Iidem quoq; rescripserunt, pupillo remittere se pœnã commissi, si intra diem tricesimum uectigal intulisset.

VIII. IDEM.

FRaudati uectigalis crimen ad hæredem eius, qui fraudẽ contraxit, commissi ratione transmittitur. Sed si unus ex pluribus hæredibus rem communem caussa uectigalis subripiat: portiones cæteris nõ auferũtur.

IX. PAVLVS.

LOcatio uectigaliũ, quæ calore licitantis ultra modum solitæ conductionis inflatur, ita demum admittenda est: si fideiussores idoneos & cautionem is, qui licitatione uicit, offerre paratus sit. Ad conducendũ uectigal inuitus nemo compellitur. & ideo impleto tempore cõductionis *licitatores alloquendi sunt. †Licitatores uectigaliũ ad iterandam conductionem ante, quàm superiori conductioni satisfaciant, admittendi non sunt. Debitores fisci, itemq; reipublicæ, uectigalia conducere prohibentur: ne ex alia caussa eorum debita onerentur: nisi forte tales fideiussores obtulerint, qui debitis eorum satisfacere parati sint. Socij uectigalium si separatim partes administrent: alter ab altero minus idoneo in se portionem transferre iure desiderat.

*al's. de nuo ea locanda.

†al's. reliquatores

Quod illicite publice priuatimq; exactũ est: cum altero tanto passis iniuriam exsoluitur. per uim uero extortum cum pœna tripli restituitur. amplius etiã extra ordinẽ plectuntur. alterũ enim utilitas priuatorum, alterum uigor publicæ disciplinæ postulat. Earum rerum uectigal, quarum nunquam præstitum est, præstari non potest. quod si præstari cõsuetum indiligentia publicani omiserat: alius exercere non prohi

prohibetur. Res exercitui paratas præstationi uectigaliũ subiici non placuit. Fiscus ab omnium uectigalium præstationibus immunis est: mercatores autem, qui de fundis fiscalibus mercari cõsueuerũt, nullam immunitatẽ soluendi publici uectigalis usurpare possunt.

X. HERMOGENIANVS.

VEctigalia sine Imperatorum præcepto, neq; præsidi, neq; curatori, neq; curiæ constituere, nec præcedentia reformare, & his uel addere, uel deminuere licet. Nondum solutis uectigaliũ pensionibus, uel repellere conductores, necdum etiam tempore conductionis completo: uel ab his usuras ex more exigere permittitur.

XI. PAVLVS.

COtem ferro subigendo necessariam hostibus quoq; uenundari, ut ferrum, & frumentum, & sales non sine periculo capitis licet.

Agri publici, qui in perpetuum locantur, à curatore reipublicæ sine authoritate principali reuocari non possunt. Dominus nauis si illicite aliquid in naue uel ipse, uel uectores imposuerint: nauis quoq; fisco uindicatur. quod si absente domino id à magistro, uel gubernatore, aut proreta, nautaũe aliquo factum sit: ipsi quidem capite puniuntur commissis mercibus, nauis autem domino restituitur. Illicitarum mercium persecutio hæredem quoq; afficit. Eam rem, quæ commisso uindicanda est, dominus emere nõ prohibetur, uel per se, uel per suos, uel per alios, quibus hoc mandauerit. Qui maximos fructus ex redemptione uectigaliũ consequuntur: si postea tanti locari non possunt: ipsi ea prioribus pensionibus suscipere compelluntur.

XII. VLPIANVS.

QVantæ audaciæ, quantæq; temeritatis sint publicanorum factiones: nemo est, qui nesciat. idcirco prætor ad compescendã eorum audaciam hoc edictum proposuit. QVOD SI FAMILIA PVBLICANORVM FVRTVM FECISSE DICETVR, ITEM SI DAMNVM INIVRIA FECERIT: ET ID, AD QVOS EA RES PERTINET, NON EXHIBEBITVR : IN DOMINVM SINE NOXAE DEDITIONE IVDICIVM DABO. Familiæ autem appellatione hic seruilem familiam continẽri sciendũ est. sed & si bona fide publicano alienus seruus seruit, æque continebitur: fortassis & mala fide. plerunq; enim uagi serui & fugitiui in huiusmodi operis etiam à scientibus habentur. ergo & si homo liber seruiat, hoc edictum locum habet. Publicani autem dicuntur, qui publica uectigalia habent conducta.

XIII. CAIVS.

SEd & hi, qui salinas, & arenarias, & cretifodinas, & metalla habent, publicanorum loco sunt. Præterea & si quis uectigal cõductum

à republica cuiusdam municipij habeat: hoc edictum locũ habet. Sí-ue autem uendidit seruum, uel manumisit, uel etiam fugit seruus: tene bitur serui nomine, qui tam factiosam familiam habuit. quid tamen, si seruus decesserit? uidendum, an publicanus teneatur, quasi facti sui nomine. sed puto, quia facultaté non habet exhibendi, nec dolus eius interceſſit: debere eum liberari. Hanc actionem perpetuam dabi-mus & hæredi, cæteris'q; successoribus.

XIIII. VLPIANVS.

COmmissa uectigalium nomine etiam ad hæredem transmittun-tur. nam quod cõmissum est, statim desinit eius esse, qui crimen commisit: dominium'q; rei uectigalis adquiritur. ea propter commissi persecutio, sicut aduersus quemlibet possessorẽ, sic aduersus hæredem cõpetit.

XV. VLPIANVS.

CAesar cum insulæ Cretæ cotorias locaret, legem ita dixerat. NE QVIS PRAETER REDEMPTOREM POST IDVS MARTIAS CO-TEM EX INSVLA CRETA FODITO, NE'VE EXIMITO, NE'VE AVEL LITO. cuiusdam nauis onusta cotibus ante idus Martias ex portu Cre tæ profecta, à uento relata in portũ erat: deinde iterum post idus Marti as profecta erat. consulebatur, num contra legem post idus Martias ex insula Creta cotes exisse uiderentur? respondi. tametsi portus, qui in insula essent, omnes eius insulæ esse uiderentur: tamen eum, qui ante idus Martias profectus ex portu, & relatus tempestate in insulam dedu ctus esset, si inde exisset, non uideri contra legẽ fecisse: propterea quod iam initio euectæ cotes uiderentur, cũ & ex portu nauis profecta esset.

XVI. MARTIANVS.

INterdum nec uendendus est seruus, qui in commissum ceciderit, sed pro eo æstimatio à domino danda est. diui enim Seuerus & An-toninus rescripserunt: cum is seruus, qui actum domini gessisse dicere tur, in commissum cecidisset: uenire non debuisse, sed pro eo uiri boni arbitratu æstimationem oportuisse dari. Iidem etiam eadem epistó-la rescripserunt: si quis improfessus seruus fuerit, & probetur in com-missum cecidisse, & aut uxorem corrupisse domini dicatur, aut aliud quid grauius admisisse: ut cognoscat procurator. & si in his caussis com-pertus sit: æstimetur, & ad pœnam domino tradatur. Iidem diui Se uerus & Antoninus rescripserunt: mancipijs commissis, res peculiares non esse in eadem caussa: nisi hoc, quod proprio nomine in caussam commissi incidit. Quoties quis mancipia inuecta professus non fue rit, siue uenalia, siue usualia: pœna commissi est: si tamen nouicia man cipia fuerint, non etiam ueterana. sunt autem ueterana, quæ anno con tinuo in urbe seruierunt: nouicia autem mancipia intelliguntur, quæ

anno

anno nondum seruierint. Serui, qui in fuga sunt, in commissum non cadunt, cum sine uoluntate domini fines egressi sunt. & ita principalibus constitutionibus cauetur. sic et diuus quoq; Pius sæpissime rescripsit. ne (inquit) in potestate seruorum sit, inuitis uel ignorantibus dominis fugæ se tradendo, potestati dominorum se subtrahere. Licet quis se ignorasse dicat: nihilominus eum in pœnam uectigalis incidere, diuus Hadrianus constituit. Diui quoq; Marcus & Commodus rescripserunt: non imputari publicano, quod nõ instruxerit transgredientem. sed illud constituendum, ne decipiat profiteri uolentem species pertineptes ad uectigal. puta cinnamomũ, piper longum, piper album, folium pentasphærum, folium barbaricum, costum, costamomum, nardi stachys, cassia turiana, xylocassia, smyrna, amomum, zingiberi, malabathrũ, aroma Indicum, chalbane, laser, † agallochus, sarcocolla, onyx Arabicus, cardamomum, xylocinnamomum, opus byssinum, pelles Babylonicæ, pelles Parthicæ, ebur, ferrum Indicum, carbasum, lapis uniuersus, margarita, sardonyx, ceraunium, hyacinthus, smaragdus, adamas, sapphirus, callainus, beryllus, chelidoniæ, † omnia Indica, uela Sarmatica, metaxa, uestis serica uel subserica, uela tincta, carbasea, nema sericum, spadones, Indici leones, leænæ, pardi, leopardi, pantheræ, purpura, item *lana, fucus, capilli Indici, & cætera.

† aliàs. alchelucia.

† quidã legũt, opera.

* quidã legunt, lana sucata.

Si propter necessitatem aduersæ tempestatis expositum onus fuerit: non debere hoc cõmisso uindicari, diui fratres rescripserunt. Diuus quoq; Pius rescripsit: cum quidam intra legitimã ætatem esse diceretur, & usus sui causa mãcipia duxisset, & in sola professione errasset: ei ignoscendũ esse. Diui quoq; fratres rescripserunt: cum quidam non per fraudem, sed per errorem in causam commissi incidissent: ut duplo uectigali contenti publicani seruos restituerent. Sed Marcus Antoninus rescripsit: si colonus, uel seruus domini prædij furtum illicite in prædio fecerit, ignorante domino: nulla pœna dominum teneri. Si quis professus apud publicanum fuerit, non tamen uectigal soluerit, hoc cõcedente publicano, ut solent facere: diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, res in commissum non cadere. cum enim (inquiunt) professiones recitantur, commissum cessat: cum poterit satisfieri fisco ex bonis publicanorum, uel fideiussorum. Pœnæ ab hæredibus peti non possunt: si non est quæstio mota uiuo eo, qui deliquit. & hoc, sicut in cæteris pœnis, ita & in uectigalibus est. Si quid autem indebitum per errorem soluentis publicanus accepit: retro eum restituere oportere, diui Seuerus & Antoninus rescripserunt.

DE DONATIONIBVS. Tit. V.

I. IVLIANVS.

DOnationes complures sunt. Dat aliquis ea mente, ut statim uelit accipiẽtis fieri, nec ullo casu ad se reuerti: & propter nullam aliam causſam facit, quàm ut liberalitatem & munificentiam exerceat. hæc proprie donatio appellatur. Dat aliquis, ut tunc demum accipientis fiat, cum aliquid secutum fuerit. ea non proprie donatio appellabitur, sed totum donatio sub conditione est. Item cum ipse ea mente dat, ut statim quidem fiat accipientis: si tamen aliquid factum fuerit, aut non fuerit, uelit ad se reuerti. ea non proprie est donatio, sed totum donatio dicitur, quæ sub conditione soluatur, qualis est mortis causſa donatio. Igitur cum dicimus inter sponsum & sponsam donationem ualere: propria appellatione utimur, & factum demonstramus, quod ab eo proficiscit, qui liberalitatis aliquid dat, ut confestim faciat accipientis, nec unquã ullo facto ad se reuerti uelit. cũ uero dicimus, si hac mẽte donat spõsus sponsæ, ut nuptijs non secutis, res auferatur, posse repeti: non contrarium priori dicimus, sed concedimus inter eas personas fieri donationẽ eam, quæ sub conditione soluatur.

II. IDEM.

SI cum filiusfamilias pecuniam donare uellet, patris iussu eam promisit: ualet donatio perinde, ac si fideiussorẽ dedisset. Si uero pater donaturus Titio pecuniam, iusserit filium suum promittere eam: poterit dici interesse, an debitor filius patri suo fuerit, nec ne. nam si tantundem filius patri debuit, quantum promisit: ualere donatio intelligitur perinde, ac si quemlibet alium debitorem pater iussisset pecuniam promittere. cum uero ego Titio pecuniam donaturus, te, qui mihi tantundem donare uolebas, iussero Titio promittere: inter oĩes personas donatio perfecta est. aliud iuris est, si pecuniam, quam me tibi debere existimabam, iussu tuo spoponderim ei, cui donare uolebas. exceptione enim doli mali tueri me potero. præterea incerti condictione stipulatorem compellam, ut mihi acceptum faciat stipulationem. Item si ei, quem creditorem tuum putabas, iussu tuo pecuniam, quam me tibi debere existimabam, promisero: perentem doli mali exceptione submouebo: & amplius incerti agendo cum stipulatore consequar, ut mihi acceptum faciat stipulationem. Si pecuniã mihi Titius dederit absq; ulla stipulatione, ea tamen conditione, ut tunc demum mea fieret, cũ Seius factus consul esset: siue *uiuente eo, siue mortuo Seius consulatũ adeptus fuerit, mea fiet. Sed si quis donaturus mihi pecuniam dederit alicui, ut ad me perferret, & ante mortuus erit, quàm ad me perferret: non fieri pecuniam dominij mei constat. Titio decem donaui

*aliàs furente.

ea con

ea conditione, ut Stichũ ſibi emat. quæro, cum homo ante, quàm emeretur, mortuus ſit: an aliqua actione decẽ recipiam? Reſpondi. facti magis, quàm iuris quæſtio eſt. nam ſi Titio decem in hoc dedi, ut Stichum emeret, aliter non daturus: mortuo Sticho condictione repetam. ſi uero aliàs quoq; donaturus Titio decem, quia interim Stichũ emere poſſet, dixerim in hoc ei dare, ut Stichum emeret: cauſſa magis donationis, quàm conditio dandæ pecuniæ æſtimari debebit: & mortuo Sticho, pecunia apud Titium remanebit.

III. VLPIANVS.

ET generaliter hoc in donationibus definiẽdum eſt: multum intereſſe, cauſſa donandi fuerit, an conditio. ſi cauſſa fuit: ceſſare repetitionem. ſi conditio: repetitioni locum fore.

IIII. POMPONIVS.

ETiam per interpoſitam perſonam donatio conſummari poteſt.

V. VLPIANVS.

AFfectionis gratia neq; honeſtæ, neq; inhoneſtæ donationes ſunt prohibitæ. honeſtæ, erga benemerentes amicos, uel neceſſarios: inhoneſtæ, circa meretrices.

VI. IDEM.

QVi ſaxum mihi eximere de ſuo permiſit donationis cauſſa: ſtatim cum lapis exemptus eſt, meus fit: neq; prohibẽdo me euehere, efficit, ut meus eſſe deſinat: quia quodam modo traditione meus factus eſt. planè & ſi mercenarius meus exemerit: mihi exemit. ſed & ſi is, qui à me emerat, ſine mercede conduxerat, ut paterer eum ſibi iure eximere: ſi ante, quàm eximat, me pœnituerit: meus lapis durat. ſed poſtea ipſius factum auocare non poſſum. quaſi traditio enim facta uidetur, cum eximitur domini uoluntate. quod in ſaxo eſt, idem erit, etiam ſi in arbore cæſa, uel dempta acciderit.

VII. IDEM.

FIliusfamilias donare non poteſt, neq; ſi liberam peculij adminiſtrationem habeat. non enim ad hoc ei conceditur libera peculij adminiſtratio, ut perdat. quid ergo ſi iuſta ratiõe motus donet? nũquid poſſit dici locum eſſe donationi? quod magis probabitur. Item uidea mus, ſi quis filiofamilias liberam peculij adminiſtrationem cõceſſerit, ut nominatim adijceret, ſic ſe ei concedere, ut donare quoq; poſſit: an locum habeat donatio? & non dubito donare quoq; eum poſſe. Nõ nunq; etiam ex perſona poterit hoc colligi. pone eum filiũ eſſe ſenatoris, uel cuius alterius dignitatis. quare non dicas, uideri patrẽ, niſi ei ſpecialiter donandi facultatẽ ademit, hoc quoq; cõceſſiſſe, dũ liberam dat peculij adminiſtrationem? Pari autem ratione, qua donare filiusfamilias

milias prohibetur,etiam mortis cauſſa donare prohibebitur.quamuis em̃ ex patris uoluntate mortis quoq; cauſſa donare poſſit: attamen cũ ceſſat uoluntas,inhibebitur hæc quoq; donatio. Sed enim meminiſſe oportebit,& ſi cui donare quoq; permiſſum eſt(niſi ſpecialiter etiã mortis cauſſa donare fuerit permiſſum) non poſſe cauſſa mortis donare. hæc omnia locum habebunt in paganis.cæterum qui habent caſtrenſe peculium, uel quaſi caſtrenſe:in ea conditione ſunt, ut donare & mortis cauſſa,& non mortis cauſſa poſſint,cũ teſtamenti factionẽ habeant.

VIII. PAVLVS.

QVæ liberti impoſita libertatis cauſſa præſtant,ea non donantur. res enim pro his interceſſit.

IX. POMPONIVS.

IN ædibus alienis habitare gratis,donatio uidetur.id enim ipſum capere uidetur,qui habitat,quod mercedem pro habitatione non ſoluit.poteſt enim & citra corporis dationem ualere donatio:ueluti ſi donationis cauſſa cum debitore meo paciſcar,ne ante certum tempus ab eo petam. Ex rebus donatis fructus percepti in rationẽ donationis nõ computantur. ſi uero non fundum,ſed fructus perceptionẽ tibi donem:fructus etiã percepti ueniẽt in cõputationẽ donationis. Quod filiusfamilias patris iuſſu aut uoluntate donabit:perinde eſt,ac ſi pater ipſe donauerit:aut ſi mea uoluntate rem meam,tu tuo nomine Titio dones. Donari non poteſt,niſi quod eius fit, cui donatur.

X. PAVLVS.

ABſenti:ſiue mittas,qui ferat,ſiue quod ipſe habeat,ſibi habere eũ iubeas: donari recte poteſt.ſed ſi neſciat rẽ, quæ apud ſe eſt, ſibi eſſe donatã,uel miſſam ſibi nõ acceperit: donatæ rei dominus non fit, etiam ſi per ſeruum eius,cui donabatur,miſſa fuerit:niſi ea mente ſeruo eius data fuerit, ut ſtatim eius fiat.

XI. CAIVS.

CVm de donatione quæritur: neq; partus nomine, neq; fructuum, neq; penſionum,neq; mercedum ulla donatio uidetur eſſe facta.

XII. VLPIANVS.

QVi ex donatione ſe obligauit, ex reſcripto diui Pij in quantum facere poteſt, conuenitur. ſed enim id, quod creditoribus debetur,erit detrahendum. hæc uero, de quibus ex eadem cauſſa quis obſtrictus eſt,non debebit detrahere.

XIII. IDEM.

QVi mihi donatum uolebat,ſeruo cõmuni meo & Titij rem tradidit.ſeruus uel ſic accepit,quaſi ſocio adquiſiturus:uel ſic,quaſi mihi & ſocio. quærebatur, quid ageretur? & placet, quamuis ſeruus hac

hac mente acceperit,ut socio meo,uel mihi & socio adquirat:mihi tamen adquiri.nam & si procuratori meo hoc animo rem tradiderit, ut mihi adquirat,ille quasi sibi acquisiturus acceperit:nihil agit in sua persona,sed mihi adquirit.

XIIII. CAIVS.

QVi alienum fundum donationis caussa excolit, nullam retentionem propter impensas faciet:quia domini res ab eo iniectas continuo efficit.

XV. MARTIANVS.

POst contractũ capitale crimen donationes factæ nõ ualent ex constitutione diuorum Seueri & Antonini,si condemnatio secuta sit.

XVI. VLPIANVS.

EX hac scriptura,SCIANT HAEREDES MEI ME VESTEM VNIVERSAM AC RES CAETERAS, QVASCVNQVE IN DIEM MORTIS MEAE MECVM HABVI, ILLI ET ILLI LIBERTIS MEIS VIVVM DONASSE, dominiũ ad libertos benigna interpretatione pertinere dixi.

XVII. IDEM.

SI in stipulatum iudicatum nouationis caussa deductum sit, & stipulatio donationis caussa acceptò lata: dicendum est,liberationem locum habere.

XVIII. IDEM.

ARisto ait,cum mistum sit negocium cum dõnatione, obligatiõnem non contrahi eo casu,quo donatio est.& ita & Pomponius eum existimare refert. deniq; refert Aristonem putare: si seruum tibi tradidero ad hoc,ut eum post quinquennium manumittas: non posse ante quinquenniũ agi,quia donatio aliqua inesse uideatur:aliter, atq; (inquit)si ob hoc tibi tradidissem,ut cõtinuo manumitteres.hic enim nec donationi locum esse.& ideo esse obligationem.sed etiam superiore casu,quid acti sit,inspiciendum Pomponius ait.posse em̃ quinquennium non ad hoc esse positum, ut aliquid donetur. Idem Aristo ait:si donationis caussa in hoc tradatur seruus, ut post quinquennium manumittatur,sit autem alienus: posse dubitari,an usucapiatur: quia aliquid donationis interuenit.& hoc genꝰ quæstionis in mortis caussa donationibus uersari,Pomponius ait. & magis putat, si ita donetur, ut post quinquennium manumittatur: posse dici usucapionem sequi.

Labeo ait:si quis mihi rem alienam donauerit, inq; eam sumptus magnos fecerim,sic & mihi euincatur: nullam mihi actionem contra donatorem competere. planè de dolo posse me aduersus eum habere actionem, si dolo fecit.

XIX. IDEM.

HOc iure utimur, ut in rebus publicis, cum de donatione quæritur, illud solum spectetur, utrum ob causſam aliquam iustam rei publicæ promittat quis, uel polliceatur, an non. ut si ob honorem aliquem ꝓmittat: teneatur. si minus: non. Labeo scribit, extra causſam donationum esse talium officiorum mercedes: utputa si tibi adfuero, si satis pro te dedero, si qualibet in re opera uel gratia mea usus fueris.

Non potest liberalitas nolenti adquiri. Si quis dederit pecuniam mutuam Titio reddendam Seio, cui donatum uolebat, deinde Titius mortuo donatore Seio dediſſe proponatur: erit consequens dicere, pecuniam Seij fieri: siue mortuum sciuit, siue ignorauit is, qui dabat: quia pecunia fuit dantis. sed si quidem ignorauit mortuum: erit liberatus, si sic mutuam pecuniam accepit soluendam Seio. sin autem mandauero tibi, ut pecuniã Titio des, cui donare uolebam, & tu ignorans me mortuum hoc feceris: habebis aduersus meos hæredes mandati actionem. si sciens: non habebis. Si quis seruo pecuniam crediderit, deinde is liber factus eam expromiserit: non erit donatio, sed debiti solutio. idem in pupillo, qui sine tutoris authoritate debuerit, dicendum est: si postea tutõre authore promittat. Sed & hæ stipulationes, quæ ob causſam fiunt, non habent donationem. deniq; Pegasus putabat, si tibi centum spopondero hac conditione, si iuraſſes te nomen meũ laturum: nõ esse donationem: quia ob rem facta est, & res secuta est.

XX. MARCELLVS.

SI patronus ex debita parte hæres instituatur, & libertus fidei eius commiſit, ut quid daret, & hoc stipulanti fidei commiſſario promiserit: non erit cogendus soluere: ne pars ex legibus uerecundiæ patronali debita minuatur. De illo dubitari potest, qui quod per Falcidiam retinere poterat, uoluntatem testatoris secutus spopondit se daturum. sed magis est, ut non possit suæ confessioni obuiare. quemadmodum enim si soluiſſet, fidem testatori suo adimpleſſe uidebatur, & nulla ei repetitio conceſſa fuerat: ita & stipulatione præcedente contra fidem testatoris, quam agnouit, uenienti ei merito occurretur.

XXI. CELSVS.

VT mihi donares, creditori meo delegante me, promiſiſti. factum ualet. ille enim suum recepit. sed si debitorem meum tibi donationis causſa promittere iussi: an submouearis donationis immodicæ exceptione, nec ne, tractabitur. & meus quidem debitor exceptione te agentem repellere non potest: quia perinde sum, quasi exactam à debitore meo summam tibi donauerim, & tu illam ei credideris. sed ego (siquidẽ pecuniæ â debitore meo nondũ solutæ sunt) habeo aduersus debitorem meũ resciſſoriam in id, quod supra legis modum tibi promiſit

misit:ita,ut in reliquum tantummodo tibi maneat obligatus. sin autem pecunias à debitore meo exegisti:in hoc,quod modum legis excedit,contra te condictionem habeo.

XXII. MODESTINVS.

EVm,qui donationis causſa pecuniam,uel quid aliud promisit:demora ſolutionis pecuniæ uſuras præſtare non debere, ſummæ æquitatis eſt:maxime,cum in bonæ fidei contractibus donationis ſpecies non deputetur.

XXIII. IDEM.

MOdeſtinus reſpondit. creditorem futuri temporis uſuras & remittere,& minuere pacto poſſe:nec in ea donatione ex ſumma quantitatis aliquid uicij incurrere. Modeſtinus reſpondit. mente captum donare non poſſe.

XXIIII. IABOLENVS.

FIdeiuſſori eius,qui donationis cauſſa pecuniã ſupra legis modum promiſit,exceptio dari debet etiam inuito reo:ne ſi forte reus ſoluendo non fuerit,pecuniam fideiuſſor amittat.

XXV. IDEM.

SI tibi dederim rem,ut Titio meo nomine dares,& tu eam tuo nomine ei dederis: an factam eius putes? Reſpondi. ſi rem tibi dederim, ut Titio meo nomine donares, eamq; tu tuo nomine ei dederis: quantum ad iuris ſubtilitatem,accipientis facta non eſt,& tu furti obligaris. ſed benignius eſt,ſi agam contra eum,qui rem accepit,exceptione doli mali me ſubmoueri.

XXVI. POMPONIVS.

NVda ratio non facit aliquem debitorem:utputa quod donare libero homini uolumus,licet referamus in rationes noſtras,debere nos:tamen nulla donatio intelligitur.

XXVII. PAPINIANVS.

AQuilius Regulus iuuenis ad Nicoſtratum rhetorem ita ſcripſit. quoniam & cum patre meo ſemper fuiſti,& me eloquentia & diligentia tua meliorem reddidiſti:dono,& permitto tibi habitare in illo cœnaculo, eoq; uti. defuncto Regulo controuerſiam habitationis patiebatur Nicoſtratus. & cum de ea re mecum contuliſſet: dixi, poſſe defendi non meram donationem eſſe,uerum officium magiſtri quadam mercede remuneratum Regulum.ideoq; nõ uideri donationem ſequentis temporis irritam eſſe. quod ſi expulſus Nicoſtratus ueniat ad iudicem,ad exemplum interdicti,quod fructuario ꝓponitur,defendendus erit:quaſi loco poſſeſſoris conſtitutus, qui uſum cœnaculi accepit.

XXVIII. IDEM.

HAereditatem pater sibi relictam filiæ sui iuris effectæ donauit. creditoribus hæreditarijs filia satisfacere debet: uel si hoc minime faciat, & creditores contra patrem ueniant: cogenda erit per actionem præscriptis uerbis, patrem aduersus eos defendere.

XXIX. IDEM.

DOnari uidetur, quod nullo cogente iure conceditur.

XXX. IDEM.

QVidam in iure interrogatus, nihil sibi debere tutoris hæredes fe= spondit. eum actionem iure amisisse respondi. licet enim non transactionem, sed donationis hæc uerba esse quis accipiat: attamen eum, qui in iure confessus sit, suam confessionem infirmare nō posse.

Donationem quidem partis bonorum proximæ cognatæ uiuentis nullam fuisse constabat. uerum ei, qui donauit, ac postea iure prætorio successit: quoniam aduersus bonos mores & ius gentiū festinasset: actiones hæreditarias in totum denegandas respondi.

XXXI. MARTIANVS.

NAm ei, ut indigno aufertur hæreditas.

XXXII. PAPINIANVS.

DOnationes in concubinam collatas non posse reuocari conuenit. nec si matrimonium inter eosdem postea fuerit cōtractum, ad irritum recidere potest, quod ante iure ualuit. an autem maritalis honor & affectio pridem præcesserit: personis comparatis, uitæ coniunctione considerata, perpendendum esse respondi. neq; enim tabulas facere matrimonium. Species extra dotem à matre filiæ nomine uiro traditas, filiæ, quæ præsens fuit, donatas, & ab ea uiro traditas uideri respondi. nec matrem offensam è re petitionē habere, uel recte eas res uindicare, eo quod uir cauisset extra dotē usibus puellæ sibi traditas: cum ea significatione non modus donationis declaretur, nec ab usu proprietas separetur, sed peculium à dote puellæ distinguatur. iudicem tamen æstimaturum, si mater iure contra filiam offensam eas reuocare uelit: & uerecundiæ maternæ congruam, boniq; uiri arbitrio competentem ferre sententiam. Pater, qui filiæ, quam habuit in potestate, mancipia donauit, & peculium emancipatæ non ademit. ex postfacto donationem uidebatur perfeciſſe. Eiusmodi lege, DEPOSITA MILLE DE ARCA VT EA IPSE SOLVS, QVI DEPOSVIT, TOLLERET, AVT POST MORTEM DOMINI AELIVS SPERATVS, non uideri celebratam donationem respondi. Perfectæ donationes esse nō possunt post crimen perduellionis contractū: cum hæredem quoq; teneat, & si nondum postulatus de uita decesserit.

XXXIII. SCAEVOLA.

Lucius

LVcius Titius epistolã talem misit. Ille illi salutem. hospitio illo, quàmdiu uolueris, utaris in superioribus diætis omnibus gratuito, idq; te ex uoluntate mea facere hac epistola notum tibi facio. quæro, an hæredes eius habitatione eum prohibere possint? Respondit. secundũ ea, quæ proponerentur, hæredes eius posse mutare uoluntatẽ.

XXXIIII. HERMOGENIANVS.

QVi id, quod ex caussa donationis stipulanti spoponderat, solui constituit: actione pecuniæ cõstitutæ non in solidũ, sed in quantum facere potest, conuenitur. caussam enim & originem constitutæ pecuniæ, non iudicij potestatem prævalere placuit. sed & condemnatus ex caussa donationis, in actione iudicati non frustra desiderat, in quantum facere potest, conueniri. Ea lege donationis caussa Titio pecunia numerata, ut statim donatori mutuo detur: non impeditur dominij translatio: ac propterea numis ijsdem donatori creditis, nouũ dominium in his quæritur. Mutus & surdus donare non prohibentur. Si cũ Primus tibi donare uellet, & tu donandi Secũdo uoluntatem haberes, Primus Secundo ex uoluntate tua stipulanti promiserit: perficitur donatio. & quia nihil Primus Secundo, à quo conuenitur, donauit: & quidem in solidum, non in id, quod facere potest, cõdemnatur: idq; custoditur, & si delegante eo, qui donationem erat accepturus, creditori eius donator promiserit. hoc etenim casu creditor suum negocium gerit.

XXXV. PAVLVS.

SI pater emancipati filij nomine donationis animo pecuniam fœnerauerit, eamq; stipulatus est filius: & ipso iure perfectam donationem, ambigi non potest. Si quis aliquem à latrunculis uel hostibus eripuit, & aliquid pro eo ab ipso accipiat: hæc donatio irreuocabilis est. nam merces eximij laboris appellanda est: quod contemplatione salutis certo modo æstimari non placuit.

XXXVI. SCAEVOLA.

AD eum, quem manumiserat, epistolã misit in hæc uerba. Titius Sticho liberto salutem. cum te manumiserim: peculiũ quoq; tuum omne, quidquid habes, tam in nominibus, cq; in rebus mouẽtibus, siue in numerato: me tibi cõcedere, hac epistola manu mea scripta notum tibi facio. eundem libertũ testamento ex besse scripsit hæredem, Semproniũ ex triente, nec peculiũ Sticho legauit, nec actiones præstari iussit. quæsitũ est, utrum in asse Sticho actio detur eorundem nominũ, quæ in peculio habuit: an utrisq; hæredibus pro portionibus hæreditarijs? Respondit. secundũ ea, quæ ꝓponerentẽ, utrisq; hæredibus pro hæreditarijs portionibus cõpetere. Lucius Titius fundum Mæuio

donauit,& ante traditionem eũdem fundum poſt dies paucos Seio pignori obligauit,& intra dies triginta Mæuium in uacuam poſſeſſionẽ eiuſdem fundi induxit.quæro,an donatio perfecta ſit? Reſpondit.ſecũdum ea,quæ proponerentur,perfectam eſſe:uerum creditorem firmã pignoris obligationem habere. Auia ſub nomine Labeonis nepotis ſui mutuam pecuniam dedit,& ſemper uſuras percepit:ſed & inſtrumenta debitorum ad Labeonem recepit,quæ in hæreditate eius inuenta ſunt.quæro,an donatio perfecta eſſe uideatur? Reſpondit. cum debitor Labeoni obligatus eſſet:perfectam donationem eſſe.

DE MORTIS CAVSSA DONATIONIbus & capionibus. Tit. VI.

I. MARTIANVS.

MOrtis cauſſa donatio eſt,cum quis habere ſe uult magis, q̃ eum,cui donat:magis q̃ eum, cui donat, q̃ hæredem ſuum .ſic & apud Homerum Telemachus donat Pireo.

II. VLPIANVS.

IVlianus libro decimoſeptimo digeſtorum tres eſſe ſpecies mortis cauſſa donationum ait unam,cum quis nullo præſentis periculi metu conterritus,ſed ſola cogitatione mortalitatis donat. aliam eſſe ſpeciem mortis cauſſa donationum ait,cum quis imminente periculo cõmotus ita donat,ut ſtatim fiat accipientis.tertium genus eſſe donationis ait,ſi quis periculo motus non ſic det, ut ſtatim faciat accipientis, ſed tunc demum,cum mors fuerit inſecuta.

III. PAVLVS.

MOrtis cauſſa donare licet, non tantum infirmæ ualetudinis cauſſa: ſed periculi etiam propinquæ mortis,uel ab hoſte, uel à prædonibus, uel ab hominis potentis crudelitate, aut odio , aut nauigationis ineundæ,

IIII. CAIVS

AVt per inſidioſa loca iturus,

V. VLPIANVS.

AVt ætate feſſus.

VI. PAVLVS.

HAec enim omnia inſtans periculum demonſtrant.

VII. VLPIANVS.

SI aliquis mortis cauſſa donauerit,& pœna fuerit capitis affectus:remouetur donatio,ut imperfecta:quamuis cæteræ donationes, ſine ſuſpitione pœnæ factæ,ualeant.

Idem

VIII. IDEM.

QVi precio accepto hæreditatem prætermisit: siue hæreditas ad substitutum peruentura sit ab eo, siue ab intestato successurus: mortis caussa capere uidetur. nam quidquid propter alicuius mortem obuenit, mortis caussa capitur. quam sententiam & Iulianus probat, & hoc iure utimur. Nã & quod â statulibero conditionis implendæ caussa capitur, uel â legatario, mortis caussa accipitur: & quod pater dedit propter mortem filij, uel cognati, mortis caussa capi, Iulianus scripsit. Deniq; & sic posse donari ait, ut si conualuerit, recipiatur.

IX. PAVLVS.

OMnibus mortis caussa capere permittitur, qui scilicet fideicõmissa & legata accipere possunt.

X. VLPIANVS.

EI, cui mortis caussa donatũ est, posse substitui constat in hunc modũ: ut, si mittat alicui, si ipse capere nõ possit, uel sub alia cõditione.

XI. IDEM.

MOrtis caussa filij sui donare pater recte poterit, etiam constante matrimonio filij.

XII. IDEM.

SI mulier uentris nomine per calumniam, ut in possessione mitti desideret, pecuniam accepit: forte dum substituto patrocinatur, ut institutum aliqua ratione excludat: mortis caussa eam capere, Iulianus sæpius scribit.

XIII. IVLIANVS.

SI alienam rem mortis caussa donauero, eaq; usucapta fuerit: uerus dominus eam condicere non potest: sed ego, si cõualuero. MARCELLVS notat. in mortis caussa donationibus etiam facti quæstiones sunt. nam & sic potest donari ut omnimodo ex ea ualetudine donatore mortuo res non reddatur: & ut reddatur, etiam si prior ex eadem ualetudine donator decesserit: si tamen mutata uoluntate restitui sibi uoluerit. sed & sic donari potest, ut non aliter reddatur, quàm si prior ille, qui acceperit, decesserit. potest quoq; donari mortis caussa, ut nullo casu sit eius repetitio. & ideo, ne si conualuerit quidẽ donator, reuocabit.

XIIII. IVLIANVS.

SI mortis caussa donatus fundus exstet, & in eum impensæ necessariæ, atq; utiles factæ sint: fundum uindicantes, doli mali exceptione submouentur, nisi precium earũ restituant. Item MARCELLVS notat. cũ testamento relinquendi, cui uelint, adepti sint filijfamiliarum milites liberã facultatem: credi potest, ea etiam permissa, quæ in donationibus mortis caussa fieri debent. PAVLVS notat. hoc etiam con

constitutum est, & ad exemplum legatorum mortis caussa donationes reuocatæ sunt.

XV. IVLIANVS.

MOrtis caussa donatio etiam dum pendet, an conualescere possit donator, reuocari potest.

XVI. IDEM.

ET si debitor consilium creditorum fraudandorum nõ habuisset: cauelli tamen ab eo res mortis caussa donata debet. nam cum legata ex testamento eius, qui soluendo non fuerit, omnimodo inutilia sint: potest uideri etiam donationes mortis caussa factas rescindi debere: quia legatorum instar obtinent.

XVII. IDEM.

MOrtis caussa capimus non tunc solum, cum quis suæ mortis caussa nobis donet: sed & si propter alterius mortem id faciat. ueluti si quis filio uel fratre suo moriente, donet Mæuio ea conditione, ut si conualuerit alteruter eorum, reddatur sibi res: si decesserit, maneat apud Mæuium. Si donaturus mihi mortis caussa debitorem tuum creditori meo delegaueris: omnimodo capere uideor tantã pecuniã, in quantum à creditore meo liberatus fuero. quod si ab eodẽ stipulatus ego fuero: eatẽnus capere existimandus ero, quatẽnus debitor soluendo fuerit. nam etsi conualuisset creditor, idemq; donator: condictione, aut in factum actione debitoris obligationem duntaxat reciperet. Titia chirographa debitorũ suorum Septicij & Mæuij donatura illis Ageriæ dedit: & rogauit eam, ut si ea decessisset, illis daret: si conualuisset, sibi redderet. morte secuta, Mæuia Titiæ filia hæres exstitit: Ageria autem, ut rogata erat, chirographa Septicio & Mæuio suprascriptis dedit. quæritur, si Mæuia hæres summam, quæ debebatur, ex chirographis suprascriptis petat, uel ipsa chirographa: an exceptione excludi possit? respondi. Mæuiam uel pacti conuenti, uel doli mali exceptione submoueri posse. Qui hominẽ noxæ nomine, uel aliàs obligatum mortis caussa acceperit: tantum cepisse intelligendus est, quanti is homo uenire potuisset. idem in fundo, qui obligatus est, obseruari poterit, ut precium excutiatur.

XVIII. IDEM.

SI filiofamilias res mortis caussa fuerit donata, & conualuisset donator: actionem de peculio cum patre habet. at si paterfamilias, cum mortis caussa donationem accepisset, in adoptionẽ se dederit: res ipsa à donatore repetitur. nec huic similis est is, qui rem, quã mortis caussa acceperat, alij porrò dederit. nam donator huic non rem, sed precium eius condicet.

Idem

XIX. IDEM.

EI qui non amplius parte capere poterat, legatus est fundus, si decem dedisset hæredi. non totam summam dare debet, ut partem fundi habeat: sed partem duntaxat pro rata, qua legatū cōsequitur.

XX. IDEM.

EVm, qui ut adiret hæreditatem, pecuniam accepisset: plerique (in quibus Priscus quoque) responderunt, mortis caussa eum capere.

XXI. AFRICANVS.

IN mortis caussa donationibus non tempus donationis, sed mortis inquirendum est, an quis capere potuisset.

XXII. IDEM.

SI filiofamilias mortis caussa donatum sit, & uiuo donatore moriatur filius, & pater uiuat: quæsitum est, quid iuris sit? respondit mortē filij conditionem competere: si modo ipse filio potius, quàm patri donaturus dederit. alioquin si quasi ministerio eius pater usus sit: ipsius patris mortem spectandam esse. idque iuris fore, & si de persona serui quæratur.

XXIII. IDEM.

QVod debitori acceptum factum esset mortis caussa, si conualuerit donator, etiam tempore liberato ei posse condici. nanque acceptilatione interueniente, abitum ab iure pristinæ obligationis, eamque in huiusmodi conditionem transfusam.

XXIIII. MARTIANVS.

TAm is, qui testamentum facit, quàm qui non facit: mortis caussa donare potest. Filiusfamilias, qui non potest facere testamentum, nec uoluntate patris: tamen mortis caussa donare, patre permittēte, potest.

XXV. IDEM.

SI hi, qui inuicem sibi mortis caussa donauerūt, pariter decesserint: neutrius hæres repetit: quia neuter alteri superuixit. idem iuris est, si pariter maritus & uxor sibi donauerint.

XXVI. IDEM.

VBi ita donatur mortis caussa, ut nullo casu reuocetur: caussa donandi magis est, quàm mortis caussa donatio. & ideo perinde haberi debet, atque alia quæuis inter uiuos donatio. ideoque inter uiros & uxores non ualet: & in ea nec Falcidia locum habet quasi in mortis caussa donatione.

XXVII. MARCELLVS.

AVunculo suo debitori mortis caussa donaturus, quæ debebat, ita scripsit. tabulæ uel chirographum tot, ubicunque sint, inanes esse, neque eū soluere debere. quæro, an hæredes, si pecuniam ab auunculo defuncti petant, exceptione doli mali tueri se possint? Marcellus respōdit,

A posse

posse. nimirũ enim contra uoluntatẽ defuncti hæredes petere ab eo.

XXVIII. VLPIANVS.

SI mortis caussa res donata est, & conualuit, qui donauit: uidendum, an habeat in rem actionẽ. & siquidem quis sic donauerit, ut si mors contigisset, tunc haberet, cui donatum est: sine dubio donator poterit rem uindicare: mortuo eo, tunc is, cui donatũ est. si uero sic, ut iã nũc haberet, redderet autẽ, si cõualuisset, uel de prælio, uel peregre rediisset: potest defendi in rem competere donatori actionem, si quid horum contigisset: interim autem ei, cui donatum est. sed & si morte præuentus sit is, cui donatum est: adhuc quis dabit in rem donatori.

XXIX. IDEM.

QVi mortis caussa donauit: ipse ex pœnitentia condictionem, uel utilem in rem habet.

XXX. CAIVS.

MOrtis caussa capitur, cum propter mortem alicuius capiendi occasio obuenit: exceptis his capiendi figuris, quæ proprio nomine appellantur. certe enim & qui hæreditario, aut legati, aut fideicommissi iure capit: ex morte alterius nanciscitur capiendi occasionem. sed quia proprio nomine hæ species capiendi appellantur: ideo ab hac definitione separantur. Iuliano placet, licet soluendo non sit debitor, cui acceptò latum est: uideri ei mortis caussa donatum. Sine donatione autem capitur pecunia, quam statuliber, aut legatarius alicuius conditionis implendæ gratia numerat: siue extraneus sit, qui accipit, siue hæres. in eodem numero est pecunia, quam quis in hoc accepit, ut uel adeat hæreditatem, uel non adeat: quicq; in hoc accepit pecuniam, ut legatum omittat. sed & dos, quam quis in mortem mulieris à marito stipulatur. mortis caussa capitur: cuius generis dotes receptitiæ uocantur. rursus id mortis caussa donatur, quod aut in periculo mortis datur, aut cogitatione mortalitatis, quod nos quandoq; morituros intelligimus. Si iusseris mortis caussa debitorem tuum mihi aut creditori meo expromittere decem: quid iuris sit, quæritur, si iste debitor soluendo non sit? & ait Iulianus. si ego stipulatus fuerim: tantam pecuniam uideri me accepisse, in quantum debitor soluendo fuisset. nam et si conualuisset (inquit) donator: obligationem debitoris duntaxat recipere deberet. si uero creditor meus stipulatus fuerit: tantam pecuniam uideri me accepisse, in quantum à meo creditore liberatus essem. Per acceptilationem quoq; egenus debitor liberatus, totam eam pecuniam, qua liberatus est, cepisse uidetur.

XXXI. VLPIANVS.

NOn uidetur perfecta donatio mortis caussa facta, ante cq; mors insequatur.

Paulus

XXXII. PAVLVS.

QVi alienam rem mortis cauſſa traditã uſucepiſſet: non uideri ab eo accepiſſe, cuius res fuiſſet: ſed ab eo, qui occaſionem uſucapionis præſtaſſet.

XXXII. MARCELLVS.

MOrtis cauſſa donatio etiam conſtitui poteſt, ut quis ſtipuletur in annos ſingulos, quoad uiueret: ſcilicet ut poſt mortem promiſſoris incipiat exactio.

XXXIIII. PAVLVS.

SEnatus cẽſuit, placere mortis cauſſa donationes factas in eos, quos lex prohibet accipere: in eadẽ cauſſa haberi, quæ eſſet, ſi teſtamento his legata data eſſent, quibus per legẽ capere nõ liceret. ex hoc ſenatuſconſulto multæ uariæq; quæſtiones agitantur, de quibus pauca referamus. Donatio dicta eſt à dono, quaſi doni datio, tracta à Græcis. nam hi dicunt, δῶρον καὶ δωρεᾶν. ſed mortis cauſſa donatio longe differt ab illa uera & abſoluta donatione: quæ ita proficiſcitur, ut nullo caſu reuocetur: & ibi, qui donat, illum potius, quàm ſe habere mauult. at is, qui mortis cauſſa donat: ſe cogitat. atqui ea amore uitæ recepiſſe potius, quàm dediſſe mauult. & hoc eſt, quare uulgo dicatur: ſe potius habere uult, quàm eum, cui donat: illũ deinde potius, quàm hæredem ſuum. ergo qui mortis cauſſa donat, qua parte ſe cogitat, negociũ gerit: ſcilicet ut cum conualuerit, reddatur ſibi. nec dubitauerunt Caſſiani, quin condictione repeti poſſit, quaſi re non ſecuta, propter hanc rationẽ: quod ea, quæ dantur, aut ita dantur, ut aliquid facias, aut ut ego aliquid faciam, aut ut Lucius Titius, aut ut aliquid obtingat: & in iſtis condictio ſequitur. Mortis cauſſa donatio fit multis modis. aliàs extra ſuſpitionem ullius periculi à ſano, & in bona ualetudine poſito, & cui ex humana ſorte mortis cogitatio eſt: aliàs ex metu mortis, aut ex præſenti periculo, aut ex futuro. ſiquidem terra mariq;, & tam in pace, q; in bello, tam domi, q; militiæ, multis generibus mortis periculũ metui poteſt. Nam & ſic poteſt donari, ut omnimodo ex ea ualetudine donatore mortuo, res non reddantur: & ut reddant̃, etiã ſi prior ex ea ualetudine deceſſerit: ſi tamen uoluntate mutata reſtitui ſibi uoluerit. Et ſic donari poteſt, ut non aliter reddantur, quàm ſi prior ille, qui accepit, deceſſerit. ſic quoq; poteſt donari mortis cauſſa, ut nullo caſu fiat repetitio: id eſt, ne ſi conualuerit quidem donator. Si quis ſocietatem per donationem cauſſa mortis inierit: dicendum eſt, nullam ſocietatem eſſe. Si duobus debitoribus mortis cauſſa donaturus creditor, uni acceptum tulerit, & conualuerit: eligere poteſt, utri eorũ condicet. Sed qui mortis cauſſa in annos ſingulos pecuniam ſtipulatus

tus est: non est similis ei, cui in annos singulos legatum est. nam licet multa legata essent, stipulatio tamē una est: & conditio eius, cui expromissum est, semel intuenda est.

XXXV. VLPIANVS.

QVod conditionis implendæ caussa datur, licet nō ex bonis mortui proficiscatur: capere tamen supra modum non poterit is, cui certum modum ad capiendum lex concessit. certe quod à statulibero conditionis implendæ caussa datur, indubitanter modo legati concesso imputatur: sic tamen, si mortis tempore in peculio id habuit. cæterum si post mortem, uel etiam si alius pro eo dedit: quia non fuit ex his bonis, quæ mortis tempore testator habuit: in eadē erunt caussa, in qua sunt, quæ à legatarijs dantur.

XXXVI. IDEM.

ILlud generaliter meminisse oportebit: donationes caussa mortis factas legatis cōparatas. quodcunq; igitur in legatis iuris est, id in mortis caussa donationibus erit accipiendum. Iulianus ait. si quis mortis caussa seruum sibi donatum uendiderit, & hoc uiuo donatore fecerit: precij condictionem donator habebit, si conualuerit, & hoc donator elegerit. alioquin & ipsum seruum restituere compelletur.

XXXVII. MARCELLVS.

INter mortis caussa donationem, & ea, quæ mortis caussa quis cœperit, est earum rerum differentia. nam mortis caussa donatur, quod præsens præsenti dat. at mortis caussa capi intelligitur, & quod non cadit in speciem donationis. etenim cū testamento suo quis Pamphilum seruum suum liberum esse iusserit, si mihi decem dederit: nihil mihi donasse uidebitur: & tamen si accepero à seruo decem, mortis caussa accepisse me conuenit. idem accidit, cum quis sic hæres institutus est, si mihi decem dederit. nam accipiendo ab eo, qui hæres ita institutus est, conditionis eius explendæ caussa: mortis caussa capio.

XXXVIII. PAVLVS.

SI is, cui mortis caussa seruus donatus est, eum manumisit: tenetur condictione in precium serui: quoniam scit posse sibi condici, si conualuerit donator.

XXXIX. PAPINIANVS.

SI mortis caussa inter uirum & uxorem donatio facta sit: morte secuta reducitur ad id tempus donatio, quo interposita fuit.

XL. IDEM.

QVod statuliber uni ex hæredibus de peculio dedit: ei, qui accepit, in Falcidiæ rationem uenit, & in hæreditatis petitionem: item ex Trebelliano restituitur. ex peculio autem uidetur dari, quod statuliber

ber donatum accepit,& dedit.& quod ab alio nomine ipſius præſente eo datur,proprie eſt,ut ab ipſo datum intelligatur.

XLI. IDEM.

SEia cum bonis ſuis,traditionibus factis,Titio cognato donationis cauſſa ceſſiſſet: uſumfructũ ſibi recepit,& cõuénit,ut ſi Titius ante ipſam deceſſiſſet,proprietas ad eum rediret:ſi poſtea ſuperſtitibus liberis Titij mortua fuiſſet, tunc ad eos bona pertinerent. Igitur ſi res ſingulas hæredes Lucij Titij uindicent: doli non inutiliter opponetur exceptio. bonæ fidei autem iudicio conſtituto: quærebatur, an mulier promittere debeat,ſe bona,cum moreretur,filijs Titij reſtituturam? incurrebat hæſitatio non extorquendæ donationis,quæ nondum in perſoña filiorum initium acceperat:ſed nunquid interpoſita cautione prior donatio,quæ dominio translato pridẽ perfecta eſſet,propter legem in exordio datam perimetur,dum ſecunda permittitur. utrum ergo certæ conditionis donatio fuit,an quæ mortis conſilium haberet? ſed negari non poteſt mortis cauſſa factam uideri.ſequitur,ut ſoluta priore donatione, quoniam Titio Seia ſuperſtes fuit, ſequens extorqueri uideatur.muliere denicq; diem functa,liberi Titij ſi cautionem ex conſenſu mulieris acceperint,contributioni propter Falcidiam ex perſona ſua tenebuntur. Cum pater in extremis uitæ conſtitutus emancipato filio quædam ſine ulla conditione redhibendi donaſſet, ac fratres & cohæredes eius bonis contribui donationes Falcidiæ cauſſa uelint:ius antiquum ſeruandum eſſe reſpondi. nõ enim ad alia conſtitutionem pertinere,quàm quæ lege certa donarentur,& morte inſecuta quodammodo à bonis auferrentur, cauſſa retinendi perempta. eum autem, qui abſolute donaret, non tam mortis cauſſa, quàm morientem donare.

*als.retine retur,nõ ſe cunda prore titur.

XLII. NERATIVS.

FVLCINIVS. inter uirum & uxorem mortis cauſſa donationem ita fieri, ſi donator iuſtiſſimum mortis metum habeat. NERATIVS. ſufficere exiſtimationem donantis hanc eſſe, ut moriturum ſe putet:quàm iuſte, nec ne,ſuſceperit, non eſſe quærendum. quod magis intuendum eſt.

XLIII. PAVLVS.

SI ſeruo mortis cauſſa donatum ſit: uideamus, cuius mors inſpici debeat,ut ſit locus condictioni: domini,an ipſius ſerui. Sed magis eius inſpicienda eſt,cui donatum eſt. ſed tamen poſt mortem eius ante apertas tabulas teſtamenti manumiſſum hæc donatio nõ ſequitur.

DIGESTORVM
SEV PANDECTARVM LIBER QVADRAGESIMVS.

DE MANVMISSIONIBVS. Tit. I.

I. VLPIANVS.



Lacuit: eum, qui calendis ianuarijs natus sit post sextam noctis pridie calendas: quasi annum uicesimum compleuerit, posse manumittere. non enim maiori uiginti annis permittit manumittere, sed minorem manumittere uetatur. iam autē minor non est, qui diem supremum agit anni uicesimi.

II. IDEM.

SI hæres deliberante legatario seruum legatum manumiserit, mox legatarius repudiauerit: manumissum fore liberum placet.

III. PAVLVS.

SEruus pignori datus, & si debitor locuples sit, manumitti non potest.

IIII. VLPIANVS.

IS, qui suis numis emitur, epistola diuorum fratrū ad Vrbium Maximum in eā conditionem redigit, ut libertatē adipiscatur. & primo quidem numis suis non proprie uidetur dici emptus, cum seruus numos suos habere non possit. uerum conniuentibus oculis credendum est suis numis eum redemptū: cum non numis eius, qui eum redemit, comparetur. proinde siue ex peculio, quod ad uenditorem pertinet, siue ex aduenticio lucro, siue etiam amici beneficio, uel liberalitate, uel prorogante eo, uel repromittente, uel se delegante, uel in se recipiente debitum, redemptus sit: credendū est, suis numis eum redemptum. satis enim est, quod is, qui emptioni suum nomen accōmodauerit, nihil de suo impendit. Si ab ignoto emptus sit, postea autem precium suum obtulerit: dicendum erit, non esse audiendum. ab initio enim hoc agi debet, ut imaginaria fiat emptio, & per fidem contractus inter emptorem & seruum agatur. siue igitur non hoc ab initio est actum, ut suis numis redimeretur: siue hoc acto, numos seruus non dedit: cessabit libertas. unde quæri poterit: si cum hoc ab initio esset actū, emptor festinauit, & precium numerauit: an postea ei satisfacto, seruus constitutione uti possit? & puto posse. proinde & si ei numos prorogauit emptor, cum ei paruerit: poterit ad libertatem peruenire. Siue autē exprimatur

matur in contractu (uelut in emptione) hoc, ut manumittatur, siue nō exprimatur: uerius est, libertatem competere. ergo & si forte quis sic comparauerit suis numis, ne eum manumittat: benigna est opinio dicentium, hunc ad libertatem peruenire: cum ei nomen emptionis imaginarius iste emptor accommodet, & præterea nihil ei absit. Nihil autem interest, à quo quis suis numis ematur: à fisco, uel à ciuitate, uel à priuato cuiusq; sit sexus is, qui emit. Sed & si minor sit uiginti annis, qui uendidit: interueniet constitutio. Nec cōparantis quidē ætas spectatur. nam & si pupillus emat: æquum est, eum fidem implere: cum sine damno eius hoc sit futurum. idem & si seruus est. In illis sanè seruis non interuenit constitutio, qui in totum ad libertatē perduci nō possunt: utputa exportandus, uel si hac lege uenierit, uel testamēto hāc conditionem acceperit, ne unquam manumitteretur. Suis autem numis redemptus, & si totum preciū non numerauerit: ex operis tamē ipsius accesserit aliquid, ut repleri precium possit: uel si quid suo merito adquisierit: dicendum est, libertatem competere. Quod si partē suis numis redemerit, cum partem serui haberet: ad cōstitutionem nō pertinebit: non magis, quàm qui cum proprietatem haberet, usumfructum redemit. sed qui cum fructuarius esset, proprietatē redemerit: in ea conditione est, ut ad constitutionem pertineat. Sed si duo seruū redemerint, alter proprijs numis, alter serui: dicendū erit, cōstitutionē cessare: nisi forte is, qui proprijs numis redemit, manumittere fuerit paratus. Sed & si partem quis redemit, pars altera ex caussa lucratiua accesserit: dicendum erit constitutionem locum habere.

V. MARCELLVS.

SI quis dicat suis numis se emptum: potest consistere cum domino suo, cuius in fidem confugit: & quæri, quod ab eo non manumittatur: Romæ quidem apud præfectum urbi, in prouincijs uero apud præsides ex sacris constitutionibus diuorum fratrum. sub ea tamen denunciatione: ut is seruus, qui hoc intenderit, nec impleuerit, in opus metalli detur: nisi forte dominus reddi sibi eum maluerit, utiq; non maiorem ex ea caussa pœnā constiturus. Sed & si rationibus redditis liber esse iussus fuerit: arbiter in seruum & dominum, id est hæredem datur de rationibus excutiendis.

VI. ALFENVS.

SEruus pecuniam ob libertatē pactus erat, & eam domino dederat. dominus prius, quàm manumitteret, mortuus erat, testam entoq; liberū esse iusserat, & ei peculiū suum legauerat. consulebat, quam pecuniam domino dedisset ob libertatē, an eam sibi hæredes patroni reddere deberent, nec ne? Respondit. si eam pecuniā dominus postea, cū acce-

pisset

pisset,in suæ pecuniæ ratione habuisset:statim desijsse eius peculij esse. sed si interea,dum eum manumitteret,acceptum seruo retulisset:uideri peculij fuisse,& debere hæredes eam pecuniam manumisso reddere.

VII. IDEM.

DVo filijfamilias peculiares seruos separatim uterq; habebant. ex his alter seruum suum peculiarem uiuo patre manumiserat.pater utriq; testamento peculium prælegauerat. quærebatur, seruus iste utrum amborum,an eius,à quo manumissus fuerat,libertus esset? Respondit.si prius testamentum pater fecisset, quàm filius eum liberum esse iussisset: unius esse libertum ideo, quod eum in peculio quoq; legasse uideretur.sed si postea testamentũ pater fecisset: non uideri eam mentem eius fuisse,ut eum,qui manumissus fuisset,legaret:eumq; seruum, quoniam prælegatus non esset, mortuo patre amborũ seruum fuisse.

VIII. MARTIANVS.

QVi pœnæ serui efficiuntur,indubitate manumittere nõ possunt: quia & ipsi serui sunt.sed nec rei capitaliũ criminum manumittere seruos possunt suos,ut & senatus censuit. Diuus quoq; Pius Calpurnio rescripsit: libertates ab eo,qui iam lege Cornelia damnatus esset, uel cum futurum prospiceret, ut damnaretur: seruis datas non competere.sed ne illos quidem ad iustã libertatẽ peruenire diuus Hadrianus rescripsit,qui ideo manumissi sunt,ut crimini subtrahantur.

IX. PAVLVS.

SEruus hac lege uenditus,ne manumittatur,uel testamento prohibitus manumitti, uel à præfecto,uel à præside ,phibitus ob aliquod crimen manumitti:ad libertatem perduci non poterit.

X. IDEM *Imperialiũ sententiarũ in cognitionib.prolatarũ ex lib.sex,secũdo.*

AElianus debitor fiscalis Euhemeriam ancillam ante annos multos lege hac emerat,ut manumitteret:eamq; manumiserat.procurator cum bona debitoris nõ sufficientia quæreret, etiam Euhemeriæ status quæstionem faciebat.placuit,non esse iuri fiscali locum,quo oĩa bona debitoris iure pignoris tenerẽtur:quia ea lege esset empta,ut & si non manumitteret , ex constitutione diui Marci ad libertatẽ perueniret.

XI. IDEM.

SEruum,qui sub conditione legatus est,interim hæres manumittendo liberum non facit.

XII. IDEM.

LEge Fauia prohibetur seruus,qui plagium admisit,pro quo dominus pœnam intulit,intra decem annos manumitti: in hoc tamen non testamenti facti,sed mortis tempus intuebimur.

XIII. POMPONIVS.

Ser-

SEruus furiosi ab adgnato curatore manumitti non potest: quia in administratione patrimonij manumissio non est. si autem ex fidei commissi caussa debet libertatē furiosus: dubitationis tollendæ caussa ab adgnato tradendum seruum, ut ab eo, cui traditus esset, seruus manumittatur, Octauenus ait.

XIIII. PAVLVS.

APud eum, cui par imperium est, manumittere non possumus. sed prætor apud consulem manumittere potest. Imperator, cum seruum manumittit, non uindictam imponit: sed cum uoluit, fit liber is, qui manumittitur, ex lege Augusti.

XV. MARCELLVS.

MOrtis caussa seruum manumitti posse, non est dubitandum. quod non ita intelligendū est, ut ita liber esse iubeatur: et si conualuerit dominus, non fiat liber: sed quemadmodum si uindicta eum liberaret absolute, scilicet quia moriturum se putet, mors eius exspectabit. Similiter & in hac specie in extremum tempus manumissoris uitæ confertur libertas: durante scilicet propter mortis caussa tacitam cōditionem uoluntate manumissoris: quemadmodum cum rem ita tradiderit, ut moriente eo fieret accipientis. quæ ita demum alienatur, si donator in eadem permanserit uoluntate.

XVI. MODESTINVS.

SI consentiente patre filius minor annis uiginti seruum eius manumiserit: patris faciet libertū, & uacabit caussæ probatio ob patris cō sensum.

XVII. IDEM.

SErui, quos filijfamiliarū in castris adquirunt, non in patris familia computabuntur. nec enim pater taleis filij seruos manumittere poterit.

XVIII. CAIVS.

ET eum, quem uendiderit, uenditor: & promissor, quem promiserit, manumittere possunt.

XIX. PAPINIANVS.

SI quis ab alio numos acceperit, ut seruos suos manumittat: & abinuito libertas extorqueri potest, licet plerunq; pecunia eius numerata sit: maxime, si pater, uel frater naturalis pecuniam dedit. uidebitur enim similis ei, qui suis numis redemptus est.

XX. IDEM.

CAussam minor uiginti annis, qui seruum donatum manumittendi gratia accepit, ex abundanti probat post diui Marci literas ad Aufidium Victorinū. ad libertatem enim seruus perueniet, etsi non manumiserit. non idē in fideicōmissaria libertate iuris est, cuius caussam minor debet probare. nam libertas nisi ita manumissō non com-

petit. Puellam ea lege uendidit, ut post annum ab emptore manumitteretur. quod si non manumisisset: conuenit, ut manū iniiceret, aut decem aureos emptor daret. non seruata fide, nihilominus ex sententia constitutionis liberam fieri respondi: quoniam manus iniectio plerunq; auxilij ferendi caussa interuenit. itaq; nec pecunia petetur, cum emolumentum legis uoluntate uenditoris secutum sit. Tempore alienationis conuenit, ut homo libertatis caussa traditus, post quintū annum impletum manumitteretur, & ut certam mercedem menstruam interea præberet. conditionem libertatis mercedes non facere, sed obsequio temporariæ seruitutis modū præstitutū esse respondi, neq; enim in omnibus libertatis caussa traditum comparari statu libero.

XXI. IDEM.

SEruum dotalem uir, qui soluendo est, constante matrimonio manumittere potest. sin autem soluendo non est: licet alios creditores non habeat: libertas serui impeditur, ut constante matrimonio deberi dos intelligatur.

XXII. IDEM.

NEpos ex filio uoluntate aui, ut filius patris uoluntate potest manumittere. sed manumissus patris uel aui libertus est.

XXIII. PAVLVS.

CAius Seius Pamphilam hac lege emit, ut intra annum manumitteretur. deinde intra annum Seius seruus pronunciatus est. quæro, an lege uenditionis finito anno Pamphila libertatem consecuta sit? Paulus respondit, cum ea conditione ancillam emptam domino adquisitam, cum qua uenisse proponeretur.

XXIIII. HERMOGENIANVS.

*als. Petronia. LEge Iunia *Patronia, si dissonantes pares iudicum sententiæ existant: pro libertate pronunciari uisum. sed etsi testes non dispari numero tam pro libertate, quàm contra libertatem dixerint: tamen pro libertate pronunciandum esse, sæpe constitutum est.

XXV. CAIVS.

IVris ratio efficit, ut infantibus quoq; competat libertas.

XXVI. IABOLENVS.

SEruum manumissum furiosum omni genere ad libertatē perduci posse, Labeo putat.

DE MANVMISSIS VINDICTA.
Tit. II.

Pom-

I. POMPONIVS.

APud prætorem eundemq; tutorem posse pupillum ipso authore manumittere constat.

II. VLPIANVS.

SI minor sit annis uiginti fructuarius: an possit libertati consentire? & puto, consentiendo posse ad libertatem perducere.

III. IDEM.

SI hæres seruum legatum manumittat, mox repudiet legatarius: retro competit libertas. idemq; est, & si pure duobus seruis legetur, & post alterius manumissionem alter repudiauerit. nam huic libertas retro competit.

IIII. IVLIANVS.

SI pater filio permiserit seruum manumittere, & interim decesserit intestatò, deinde filius ignorans patrem suum mortuum libertatem imposuerit: libertas seruo fauore libertatis contingit, cum non appareat mutatã esse domini uoluntatẽ. sin autẽ ignorante filio uetuisset pater per nuncium, & ante quàm filius certior fieret, seruum manumisisset: liber non fit. nam ut filio manumittente seruus ad libertatem perueniat, durare oportet patris uoluntatem. nam si mutata fuerit: non erit uerum, uolente patre filium manumisisse. Quoties manumittit seruum dominus: quamuis existimet alienum esse eum: nihilominus uerum est, uoluntate domini seruum esse manumissum, & ideo liber erit. & ex contrario si se Stichus non putaret manumittentis esse: nihilominus libertatem contingere. plus enim in re est, quàm in existimatione: & utroq; casu uerum est, Stichum uoluntate domini manumissum esse. idemq; iuris est, & si dominus & seruus in eo errore essent, ut neq; ille dominũ se, nec hic se seruum eius esse putaret. Minor uiginti annis dominus nec seruũ communem quidẽ sine consilio recte manumittit. PAVLVS notat. sed & si pignori obligatum sibi minor uiginti annis manumitti patiatur, recte manumittitur: quia non tam manumittere is, quàm non impedire manumittentẽ intelligitur.

V. PAVLVS.

AN apud se manumittere possit is, qui consiliũ præbet, sæpe quæsitum est. ego *quidem memini Iabolenum præceptorem meum in Africa seruos suos manumisisse, cum cõsilium præberet. & ego exemplum eius secutus, & in prætura, & consulatu meo quosdam ex seruis meis uindicta liberaui: & quibusdam alijs prætoribus consulentibus me idem suasi.

*al's. quẽ meruissem.

VI. IDEM.

SEruus communis, quin â minoribus uiginti annis dominis possit apud consilium manumitti: quamuis unus ex socijs causſam non approbauerit: dubium non est.

VII. CAIVS

NOn est omnino necesse pro tribunali manumittere. itaq; plerũq; in transitu serui manumitti solent: cum aut lauandi, aut gestandi, aut ludorũ gratia prodierit prætor, aut ꝓconsul, legatusue Cæsaris.

VIII. VLPIANVS.

EGo cum in uilla cum prætore fuissem: passus sum apud eum manumitti, & si lictoris præsentia non esset.

IX. MARTIANVS.

IVsta causſa manumissionis est, si periculo uitæ infamiæue dominũ seruus liberauit. Sciendum est: qualiscunq; causſa probata sit & recepta: libertatẽ tribuere oportere. nam diuus Pius rescripsit, causſas probatas reuocari non oportere, *(ne alienum seruum possit quis manumittere). nam causſæ probationi contradicendum, non etiã causſa iam probata retractanda est.

*hæc al's desunt.

X. IDEM.

SVrdi uel muti patris filius iussu eius manumittere poterit: furiosi uero filius non poterit manumittere.

XI. VLPIANVS.

SI minor annis uiginti manumittat: huiusmodi solent causſæ manumissionis recipi, ut si filius filiaue, frater sororue naturalis sit,

XII. IDEM.

VEl si sanguine eum contingat. habetur enim ratio cognationis.

XIII. IDEM.

SI collactaneus, uel educator: si pædagogus ipsius, uel nutrix, uel filius filiaue cuius eorum, uel alumnus, uel capsarius, id est, qui portat libros: uel si in hoc manumittatur, ut procurator sit, dummodo nõ minor annis decem & septem sit. præterea & illud exigitur, ut non utiq; unum seruũ habeat, qui manumittit. Item & si matrimonij causſa uirgo uel mulier manumittatur: exacto prius iureiurando, ut intra sex menses uxorem duci eam oporteat. ita enim senatus censuit.

XIIII. MARTIANVS.

ALumnos magis mulieribus est conueniens manumittere. sed & in uiris receptũ est. satisq; est permitti eum manumitti, in quo nutriendo propensiorem animum fecerint. Sunt, qui putant, fœminas posse etiam matrimonij causſa manumittere: sed ita, si forte & conseruus suus in hoc ei legatꝰ est. Et si spado uelit matrimonij causſa manumittere, potest. non idem in castrato.

Paulus

XV. PAVLVS.

ETiam conditionis implendæ cauſſa minori annis uiginti manumittere permittendum eſt: ueluti ſi quis ita hæres inſtitutus ſit, ſi ſeruum ad libertatem perduxerit. Ex præterito tempore plures cauſſæ eſſe poſſunt: ueluti quod dominum in prælio adiuuerit, contra latrones tutus ſit, quod eum ſanauerit, quod inſidias detexerit. & longũ eſt, ſi exſequi uoluerimus: quia multa merita incidere poſſunt, quibus honeſtum ſit libertatem cum decreto præſtare: quæ æſtimare debebit is, apud quem de ea re agitur.. Plures uindicta pariter manumitti poſſunt: & ſufficit præſentia ſeruorum, ut uel plures manumitti poſſint. Abſens quoq; cauſſam probare per procuratorem poterit. Si duo matrimonij cauſſa manumittent, recipi cauſſa non debet. Qui in Italia, uel alia prouincia domiciliũ habent: apud alterius prouinciæ præſidem conſilio adhibito, manumittere poſſunt.

XVI. VLPIANVS.

ILlud in cauſſis probandis meminiſſe iudices oportet: ut nõ ex luxuria, ſed ex affectu deſcendentes cauſſas probent. nec enim delicijs, ſed iuſtis affectionibus dediſſe iuſtam libertatem legem Aeliam Sentiam credendum. Si quis minori annis uiginti hac lege ſeruum dederit, ut precio accepto uel donationis cauſſa eum liberum faciat: poterit ille cauſſam manumiſſionis iſtius approbare, hoc ipſum allegans, legem datam eum perducere ad libertatem. ergo hic debet oſtendere, hoc inter ipſos actum: ut proinde uel ex lege donationis, uel affectione eius, qui dedit, res æſtimetur.

XVII. PAVLVS.

APud proconſulem, poſtquàm urbem egreſſus eſt, uindicta manumittere poſſumus. ſed & apud legatum eius poſſumus manumittere, ex quo prouinciam ingreſſus eſt.

XVIII. IDEM.

APud filiumfamilias magiſtratum pater manumittere poteſt, etiam ſi filiusfamilias manumittere non poteſt. Apud collegam ſuum prætor manumittere non poteſt. filius quoq; uoluntate patris apud patrem manumittere non poterit.

XIX. CELSVS.

SI minor annis apud conſiliũ matrimonij cauſſa prægnantẽ manumiſit, eaq; interim peperit: in pendenti erit, ſeruus, an liber ſit, quẽ ea peperit.

XX. VLPIANVS.

SI rogatus ſit annis uiginti minor manumittere per fideicõmiſſum: incunctanter debet ei permitti: niſi ſi pprium ſeruum rogatus fuit manumittere. hic eñ quantitas emolumenti conferenda, quæ ad eum

peruenit ex iudiciō eius,qui rogauit,cum precio eorum, quos rogatus est manumittere. Sed & si hac lege seruus fuerit donatus, ut manū mittatur:permittendum erit manumittere,ne constitutio diui Marci superueniens,cunctationem consulis dirimat. Matrimonij caussa manumittere si quis uelit,& sit,qui non indigne huiusmodi conditionis uxorem sortitus sit:erit ei concedendum. Mulieri quoq; uolenti filium naturalem suum,uel quem ex suprascriptis manumittere:permittendum esse,Marcellus scribit. Cōsul apud se potest manumittere,etiam si euenerit,ut minor uiginti annis sit.

XXI. MODESTINVS.

APud præfectum Aegypti possum seruum manumittere ex constitutione diui Augusti.

XXII. PAVLVS.

PAter ex prouincia ad filium sciens Romæ agentem epistolam fecit:qua permisit ei,quem uellet ex seruis, quos in ministerio secū hic habebat,uindicta liberare. post quam filius manumisit Stichū apud prætorē:quæro, an fecerit liberum? Respondit. quare hoc non concessum credamus patri, ut permittere posset filio ex his, quos in ministerio haberet,manumittere? solam enim electionem filio concessit. cæterum ipse manumisit.

XXIII. HERMOGENIANVS.

MAnumissio per lictores hodie domino tacente expediri solet:et uerba solennia,licet non dicantur,ut dicta accipiuntur.

XXIIII. PAVLVS *lib.* III. *ad Plautium.*

PVpillus,qui infans non est,apud consiliū recte manumittit. PAVLVS. scilicet authore tutore:ita tamen,ut peculiū eū nō sequatur.

XXV. CAIVS.

SI tutoris habēdi caussa pupillus manumittat:probationis esse caussam, Aufidius ait. Nerua filius contra sensit. quod uerius est. nanq; perabsurdū est, in eligendo tutore uideri firmū esse iudiciū ei pupillo, cuius in omnibus rebus ut infirmum iudicium tutore authore regit.

DE MANVMISSIONIBVS, QVAE SERVIS ad uniuersitatem pertinentibus imponunt. Tit. III.

I. VLPIANVS.

IVuis Marcus omnibus collegijs,quibus coëundi ius est, manumittendi potestatem dedit.

II. IDEM.

QVare hi q̄q legitimā hæreditatē liberti uindicabūt.

Papi

III. PAPINIANVS.

SErvus ciuitatis iure manumissus non ademptum peculiũ retinet. Ideoq; debitor soluendo liberatur.

DE MANVMISSIS TESTAMENTO. Tit. IIII.

I. VLPIANVS.

CVm sæpius donatur seruo libertas: placet eam fauore uallere, ex qua peruenit ad libertatem.

II. IDEM.

SI quis ita hæredẽ instituerit, TITIVS HAERES ESTO. SI TITIVS HAERES NON ERIT: STICHVS HAERES ESTO, STICHVS LIBER ESTO: non esse Stichum liberum Aristo ait, Titio hærede existente. mihi uidetur posse dici liberũ fore: quasi nõ utiq; alio gradu acceperit libertatem, sed dupliciter. quo iure utimur.

III. POMPONIVS.

NEc militi minori uiginti annis permittitur, posse testamẽto suo seruum manumittere.

IIII. PAVLVS.

SI quis ita scripserit, STICHVS LIBER ESTO, EI QVE HAERES MEVS DECEM DATO: nulla dubitatio est, quin debeantur, etiam si eũ paterfamilias uiuus manumiserit. Sed & si sic, STICHVS LIBER ESTO, SIVE STATIM, SIVE POST TEMPVS: EI QVE CVM LIBER ERIT, HAERES MEVS DECEM DATO: idem dicendum est. illud constat: si libertate sic data, fuerit ei legatum, EI QVE, SI EVM VINDICTA LIBERAVERO, HAERES MEVS DECEM DATO: licet ex nimia subtilitate separatũ est legatũ à testamento: attamen humanitatis intuitu ualebit legatum, si uiuus eum manumiserit.

V. IDEM.

IN libertatibus leuissima scriptura spectanda est, ut si plures sint, qua manumissio facilior fit, ea leuissima intelligatur. sed & in fideicõmissarijs libertatibus nouissima scriptura spectatur.

VI. VLPIANVS.

SI fructuariũ dominus proprietatis hæredem scripserit, & seruo sub conditione sit libertas data: quoniam interim sit hæredis, confusione facta ususfructus: si exstitit conditio, perueniet ad libertatem.

VII. IDEM.

NEratius scribit: ei9, cui libertas sic data est, SI FILIVS NVLLVS MIHI ERIT, CVM MORIAR, STICHVS LIBER ESTO: impediri liberta

bertatem postumo nato. sed dum speratur nasci, utrum in seruitute remanere dicimus: an uero ex postfacto respondemus retro liberum fuisse, nullo filio nato? quod magis arbitror probandum.

VIII POMPONIVS.

SI ita sit scriptum, STICHVS, SI DILIGENTER RATIONES TRACTASSE VIDEBITVR, LIBER ESTO: diligentia consideranda, quæ domino, non quæ seruo erit utilis, coniuncta bonæ fidei & in reliquis quoq; reddendis.

IX. VLPIANVS.

SI quis ita sit legatus, ut manumittatur: & si manumissus non fuerit, liber esse iussus sit, eiq; legetur: & libertatem competere, & legatum deberi, sæpe rescriptum est. Quod constitutum est, uetitum ad libertatem in testamento perduci, nõ posse manumitti: hoc ad eos pertinere puto, qui fuerunt testatoris, uel hæredis. seruõ enim alieno id interrogari non poterit.

X. PAVLVS.

SI peculium prælegatum, & uicarius liber esse iussus sit: liberũ eum esse constat. multum enim interest inter genus & speciẽ. speciem eñ eximi de genere placet. quod est in peculio legato & uicario manumisso. Si seruus legatus liber esse iussus est: liber est. sed si prius liber esse iussus, postea legatus sit: siquidem euidens uoluntas sit testatoris, qui ademit libertatem: cũ placeat hodie etiam libertates adimi posse: & legato eum cedere puto. quod si in obscuro sit: tunc fauorabilius respondetur, liberum fore.

XI. POMPONIVS.

SI legato seruo fideicommissaria libertas relicta est: uel hæres, uel legatarius eum cogitur manumittere. SI STICHVS ET PAMPHILVS DECEM DEDERINT, LIBERI SVNTO. potest alter quinq; dando liber esse, quamuis alter non dederit. Cum testamento seruus liber esse iussus est: uel uno ex pluribus hæredibus institutis adeunte hæreditatem, statim liber est.

XII. VLPIANVS.

SI quis libertatem sub iurisiurandi cõditione reliquerit: edicto prætoris locus non erit, ut iurisiurandi conditio remittatur. & merito. nam si quis remiserit conditionem libertatis: ipsam libertatem impedit: dum competere aliter non potest, quàm si paritum fuerit conditioni. Proinde & si quis cum libertate legatum acceperit: non aliter legatum habebit, nisi conditioni iurisiurandi paruerit. sed si pure libertatem acceperit, legatum sub iurisiurandi conditione: putat Iulianus libro tricesimo digestorum, remitti ei conditionem iurisiurandi. idem puto

puto dicendum,& si libertati quoq; iniecta cõditio sit, si testator uiuus eum manumiserit.nam & hæc conditio legati remittitur.

XIII. IDEM.

SI ita fuerit seruis duobus libertas data,si insulam ædificauerint,uel si statuam posuerint: diuidi hæc conditio non poterit. solummodo illud habebit dubitationem:an altero satis faciente, satisfactum uoluntati uideatur, ideoq; ad libertatem perueniat. quod magis est: nisi aliud expresserit testator.faciendo tamen,sibi conditionem impleuit, non alteri.quin imò exstinguitur ei conditio.non enim amplius conditioni parére potest,cum semel expleta sit. Idem quæri potest,& si fabris duob9 uel pictoribus,si membrũ depinxissent, uel fabricassent nauẽ;quid adscriptũ sit.nã uoluntatis erit quæstio,num alteri alterius facti conditionẽ iniunxerit. quæ res efficit,ut si alter cessat: alteri quoq; qui facere paratus est, conditio deficiat. quod si ex his,quæ scripsit,uel dixit,ostendatur contentus esse testator,uel alterum facere:res erit expedita. nam alter faciendo, aut sibi & socio proderit, aut sibi tantum: prout uoluisse testatorem apparuerit. Quæstio hæc & in eo tractatur,si quis libertatem dedit seruis duobus,si rationes reddiderint.Iulianus autem tractat, si alter reddere sit paratus,alter non sit: an alter per alterũ impediatur.& rectissime ait:siquidem separatim rationes gesserunt:sufficere ad libertatem adipiscendam ei,qui rationes suas reddit. si uero simul:non aliàs uideri alterum paruisse,nisi utriusq; reliqua exsoluerit. in reliquis accipere debemus, ut & ipsa rationum uolumina reddantur. Sed & si ancilla cũ filijs libera esse iussa sit,& si nullos habebet,erit libera:uel si habeat quidẽ,filij autẽ eius ad libertatem peruenire nõ possunt. Idẽ erit dicendũ,& si ipsa libera esse nõ possit,ut filij eius ad libertatem perueniant.nam hæc adiectio CVM FILIIS non facit conditionẽ: nisi mihi ꝓponas aliam sententiam testatoris fuisse. tunc eñ pro conditione erũt hæc uerba accipienda.conditionem autem nõ facere, argumento est edictum prætoris,quo ita cauetur. VENTREM CVM LIBERIS IN POSSESSIONEM ESSE IVBEBO. placet enim, etsi nulli de liberis sint, uentrem tamen ex edicto in possessionem mittendum.

XIIII. IDEM.

CVm seruus pure liber scribitur,& hæres sub conditione:placet deficiente conditione habere eum libertatem.

XV. IVLIANVS.

STICHVM SEMPRONIO DO LEGO. SI SEMPRONIVS STICHVM INTRA ANNVM NON MANVMISERIT, IDEM STICHVS LIBER ESTO. quæsitum est,quid iuris sit? Respondi. hoc modo libertate data, SI SEMPRONIVS NON MANVMISERIT, STICHVS LIBER ESTO:

Sempronio, nisi manumiserit, nihil iuris in Stichum habiturum, sed liberum eum futurum.

XVI. IDEM.

SI ita scriptū fuerit, CVM TITIVS ANNORVM TRIGINTA ERIT, STICHVS LIBER ESTO, EI QVE HAERES MEVS FVNDVM DATO, & Titius ante, quàm ad annum tricesimum perueniret, decesserit: Sticho libertas competet, sed legatum non debebitur. nam si fauore libertatis id receptum est, ut mortuo Titio tempus superesse uideatur, quo impleto libertas contingat: circa legatum defecisse conditio uidetur.

XVII. IDEM.

LIbertas, quæ in ultimum uitæ tempus confertur: ueluti CVM STICHVS MORIETVR, LIBER ESTO: nullius momenti existimanda est. Hæc autē scriptura, STICHVS, SI CAPITOLIVM NON ASCENDERIT, LIBER ESTO, ita accipienda est: si cum primum potuerit, capitolium nō ascenderit. isto enim modo perueniet Stichus ad libertatem, si facultate data ascendendi capitoliū abstinuerit. Hac scriptura testamenti PAMPHILVS LIBER ESTO, ITA VT FILIIS MEIS RATIONES REDDAT: an sub conditione data libertas uideatur, quæsitum est. Respondi. pure quidem datam libertatem uideri, & illam adiectionem ITA VT RATIONES REDDAT conditionem libertati non inijcere. sed tamen quia manifesta uoluntas testantis exprimitur: cogendum eum ad rationes reddendas. Post annos indistincte liber esse iussus, post biennium liber erit: idq; & fauor libertatis exigit, & uerba patiuntur: nisi aliud sensisse patremfamilias manifestissimis rationibus is, à quo libertas relicta est, probauerit.

XVIII. IDEM.

QVi duos hæredes instituebat, post alterius mortem seruum liberum esse iusserat. is, cuius ex morte libertas pendebat, uiuo testatore decesserat. Sabinus respondit, liberum futurum. Hæc conditio, CVM MORIAR, LIBER ESTO, uitæ tempus amplectitur, & idcirco inutilis esse uidetur. sed melius est uerba benignius interpretari, ut post mortem suā uideatur testator ei libertatē reliquisse. sed multo magis hæc AD ANNVM LIBER ESTO ita accipi potest, VEL POST ANNVM, QVA'M MORIAR, LIBER ESTO. & licet hoc modo accipiatur, POST ANNVM, QVA'M HOC TESTAMENTVM FACTVM ERIT, LIBER ESTO: si euenerit, ut intra annum testator decederet: inutilis non erit.

XIX. IDEM.

QVidam hæredem suum rogauerat, ut seruum manumitteret. deinde si hæres eum non manumisisse: liberum eum esse iusserat, eiq;

eiq; legauerat. licet enim hæres non manumiserit: pleriq; existimant, hunc ex testamento libertatem consequi. sed hoc legatũ quoq; ei debetur.

XX. AFRICANVS.

SEruos legauit, & cauit ita. ROGO TE, SI PROMERVERINT, DIGNOS ESSE LIBERTATE EXISTIMES. prætoris hæ partes sunt, ut cogat libertatem præstari: nisi quid tale hi serui admiserint, ut indigni sint, quo libertatem consequantur: non etiam ut talia officia ab his exigantur, pro quibus libertatẽ mereri debeant. arbitriũ tamen eius erit, qui rogatus est, quo tempore quenq; uelit manumittere: ita ut si uiuus non manumisisset, hæres eius statim libertatem præstare cogatur.

XXI. IDEM.

STICHVS, IMO' PAMPHILVS LIBER ESTO. Pamphilum liberum futurum respondit. quodammodo enim emendasse errorẽ suum testatorem. idemq; iuris fore, & si ita scriptum fuerit, STICHVS LIBER ESTO, IMO' PAMPHILVS LIBER ESTO.

XXII. IDEM.

QVi filium impuberẽ hæredem instituit, Stichum ratione argenti, quod sub cura eius esset, reddita, liberum esse iusserat. is seruus partẽ argẽti subtractã, cum tutore diuisit: atq; ita tutor ei parem rationem adscripsit. consultus, an Stichus liber esset? Respondit. non esse liberum. nam quod alioquin placet, si statuliber pecuniam dare iussus tutori det, uel per tutorem stet, quo minus pareatur conditioni, peruenire eum ad libertatem: ita accipiendum, ut bona fide & citra fraudem statuliberi & tutoris id fiat: sicuti & in alienationibus rerum pupillarium seruatur. itaq; & si offerente statulibero pecuniam tutor in fraudem pupilli accipere nolit: non aliter libertatem contingere, quàm si seruus fraude careat. eademq; & in curatore dicenda. Item quæsitum est, si rationem argenti reddere iussus est: in quem modum intelligendum sit cõditioni paruisse: id est, an si quædam uasa sine culpa eius perierint, atq; ita reliqua uasa hæredi bona fide adsignauerit, perueniat ad libertatem? respondit, peruenturum. nam sufficere, si ex æquo & bono rationem reddat. deniq; quam rationem bonus paterfamilias reciperet: & ea hæredi reddita, impletam conditionem uideri.

XXIII. MARTIANVS.

TEstamento manumissus ita demum fit liber, si testamentum ualeat, & ex eo adita sit hæreditas: uel si quis omissa caussa testamenti ab intestato possideat hæreditatẽ. Testamento libertas data competit: pure quidem data, statim, quàm adita fuerit hæriditas, uel ab uno ex hæredibus. si aũt in diem, uel sub conditione libertas data est: tunc competit libertas, cum dies euenerit, uel conditio exstiterit.

XXIIII. CAIVS.

NOminatim uidentur liberi esse iussi, qui uel ex artificio, uel officio, uel quolibet alio modo euidenter denotati sunt ueluti dispensator meus, cellarius meus, cocus meus, Pamphili serui mei filius.

XXV. VLPIANVS.

TEstamento liber esse iussus, tum fit liber, cum adita fuerit hæreditas qualibet ex parte: si modo ab eo gradu, quo liber esse iussus est, adita fuerit, & pure quis manumissus sit.

XXVI. MARTIANVS.

DIuus Pius & diui fratres fauorabiliter rescripserunt: cum seruo cum libertate substituto, legatum erat, si hæres non esset, non adscripta libertate: perinde haberi, atq; si adscripta ei esset libertas.

XXVII. PAVLVS.

QVi potuerint apud consilium manumittendo ad libertatem perducere: poterũt etiam necessarium hæredem facere, ut hæc ipsa necessitas probabilem faciat manumissionem.

XXVIII. IDEM.

STICHVS, SI CODICILLIS EVM NON VETVERO LIBERVM ESSE, LIBER ESTO. sic est, ac si diceret, SI IN CAPITOLIVM NON ASCENDERO, LIBER ESTO. nam & hæres sic instituí potest.

XXIX. SCAEVOLA.

VXorem prægnantem repudiauerat, & aliam duxerat. prior enixa filium exposuit. hic sublatus, ab alio educatꝰ, nomine patris uocitatus usq; ad uitæ tempus patris tam ab eo, quàm à matre: an in uiuorum numero esset, ignorabatur. mortuo patre, testamẽtoq; eius, quo filius neq; exhæredatus, neq; hæres institutꝰ fuit, recitato: filius & à matre, & ab auia paterna agnitus, hæreditatem patris ab intestato quasi legitimus possidet. quæsitum est. hi, qui testamento libertatem acceperunt, utrum liberi, an serui sint? Respondit. filium quidem nihil præiudicij passum fuisse, si pater eum ignorauit. & ideo cũ in potestate ignorantis patris esset: testamentum non ualere. Serui autem manumissi, si per quinquenniũ in libertate morati sunt, semel datam libertatem infirmari, contrarium studium fauori libertatis est.

XXX. VLPIANVS.

SI serui, qui apud hostes sint, liberi esse iussi sunt: ad libertatem perueniunt: quamuis neq; testamenti, neq; mortis tempore in potestate testantis, sed hostium fuerunt.

XXXI. IDEM.

CVm ex pluribus eodem nomine seruis uiuis, liber iussus non appareat quis sit: nullus liber est.

Pau-

XXXII. PAVLVS.

Libertas ad tempus dari non potest.

XXXIII. VLPIANVS.

Deoq; si ita scriptum sit, STICHVS VSQVE AD ANNOS DECEM LIBER ESTO: temporis adiectio est superuacua.

XXXIIII. PAVLVS.

Sciendum est, necessario hærede existente, quamuis se abstineat, tamen libertates competere: si modo non in fraudem legis Aeliæ Sentiæ datæ fuerint.

XXXV. IDEM.

Seruius existimabat, his posse seruis dari testamento directam libertatem, qui utroq; tempore, & quo testamentū factū est, & quo moritur, in testatoris fuerint potestate. quæ sententia uera est.

XXXVI. IDEM.

De seruo testaméto ita manumisso, SI IVRAVERIT SE CORNELIO FILIO MEO DECEM OPERAS DATVRVM, LIBER ESTO: quæritur, quid iuris sit? & sciendum est, iurando seruum conditionem implere. sed non teneri operarum nomine: quia nisi post manumissionem iuret, non obligatur.

XXXVII. IDEM.

Nominatim codicillis manumissus uidetur seruus, cuius nomen testamento continetur.

XXXVIII. IDEM.

Libertas testamennto seruo ita dari poterit, CVM PER LEGES LICEBIT, LIBER ESTO.

XXXIX. IDEM.

STICHVS SERVVS MEVS, SI EVM HAERES ALIENAVERIT, LIBER ESTO. inutiliter dabitur libertas, cum in id tempus differatur, quo alienus futurus sit. nec contrarium est, quod statuliber, etiam si uenierit, ex testamento libertatem consequitur: quippe utiliter libertas data facto hæredis non perimitur. At quid in legato eo modo dato dicemus? diuersum enim nulla dicetur ratione. nam inter libertatem & legatum (quantum ad hanc causam) nihil distat. igitur nec si directò dabitur libertas, SI HAEREDIS MEI ESSE DESIERIT, LIBER ESTO: quia nullum casum utilem habet.

XL. POMPONIVS.

IVlianus ait. cum idem homo, & per fideicōmissum detur alicui, & liber esse iubeatur: hæredē libertatem debere præstare. nō enim cogetur (inquit) ex caussa fideicōmissi æstimationem sufferre, cum debitam libertatem reddiderit. Sed & cum sub conditione seruo libertas

per fidei commissum detur,& ipse præsenti die daretur:non aliter tradere eum cogetur,quàm ut caueatur,existente conditione libertati eũ restitutum iri.nam in omnibus ferè caussis fideicommissas libertates pro directò datis habendas.Sed Ofilius ait.si adimendi legati caussa fideicommissam libertatem testator dedisset:ea uera esse.si uero onerari hæredem à testatore legatarius ostenderit:æstimationem nihilominus legatario præstandam.

XLI. IDEM.

SI ita fuerit libertas relicta, SERVVS STICHVS MEVS ANNO DVODECIMO POST, QVA'M EGO MORTVVS ERO, LIBER ESTO:uerisimile est,in principio duodecimi anni eum esse liberũ.nam hoc mortuum sensisse,& inter hos sermones, DVODECIMO ANNO, ET POST DVODECIM ANNOS,multum interesse:& ita loqui solemus, DVODECIMVS ANNVS EST,cum quantumlibet ex duodecimo anno uenisset, aut præterisset:& qui duodecimo anno liber esse iubetur,omnibus diebus anni liber esse iussus est. Sed si ita sit scriptum in testamento, STICHVS SERVVS MEVS HAEREDI MEO MILLE NVMOS ANNO, BIENNIO,TRIENNIO POST,QVA'M EGO MORTVVS ERO,SI SOLVERIT, SATIS'VE FECERIT,LIBER ESTO: non potest is seruus,nisi triennio præterito,liber esse:nisi præsentem eam pecuniam soluat,aut satisfaciat.compensanda enim est hæredi libertatis celeritas præmatura pecuniarum solutione. Labeo scribit:si sic libertas relicta sit,STICHVS INTRA ANNVM, QVA'M MORTVVS ERO, LIBER ESTO: statim eũ liberum esse. nam &si ita sit scriptum, SI INTRA ANNVM DECEM HAEREDI MEO DEDERIT, LIBER ESTO; statim soluendo,eum liberum sine mora futurum.

XLII. MARCELLVS.

SI quis ita scripserit, ILLVM ILLIVS LIBERTVM ESSE VOLO:& seruus libertatem petere potest,& ille ut habeat libertum.

XLIII. MODESTINVS.

LIbertates directæ,& testamento,& codicillis testamento confirmatis recte dantur:fideicommissariæ,& ab intestato,& codicillis non confirmatis relinqui possunt.

XLIIII. IDEM.

MAeuia decedens seruis suis nomine Sacco,& Eutychiæ,& Hirene sub cõditione libertatẽ reliquit his uerbis. SACCVS SERVVS MEVS, ET EVTYCHIA ET HIRENE ANCILLAE MEAE OMNES SVB HAC CONDITIONE LIBERI SVNTO, VT MONVMENTO MEO ALTERNIS MENSIBVS LVCERNAM ACCENDANT, ET SOLENNIA MORTIS PERAGANT. quæro.cum assidue monumento Mæuiæ Sac

cus

cus & Eutychiã, & Hirene non adsint: an liberi esse possunt? Modestinus respondit. neq; contextum uerborum totius scripturæ, neq; mentem testatricis eam esse, ut libertas sub conditione suspensa sit: cum liberos eos monumento adesse uoluerit. officio tamen iudicis eos esse compellendos, testatricis iussioni parere.

XLV. IDEM

QVod uulgo dicitur, sub pluribus conditionibus data libertate, leuissimam conditionem spectandam esse: ita uerum est, si separatim conditiones sunt datæ. quod si coniunctim datæ sunt: nisi omnibus paruerit, liber non erit.

XLVI. POMPONIVS.

ARisto Neratio Apiano rescripsit. testamento liber esse iussus cũ annorũ triginta esset, si antequàm ad eam ætatem peruenisset, in metallum damnatus sit, ac postea reuocetur: sine dubitatione cum libertate legatum ad eum pertinere, neq; metallorũ pœna ius eius mutari. nec aliud, si hæres esset sub conditione institutus. futurum enim eum etiam necessarium.

XLVII. PAPINIANVS.

CVm ex falsis codicillis per errorem libertas, licet non debita, præstita tamen ab hærede fuisset: uiginti solidos â singulis hominibus inferendos esse hæredi, princeps constituit. sed & si conditionis implẽdæ gratia seruum instituius manumiserit, ac postea filius de inofficioso agendo obtinuerit, uel testamentum falsum fuerit pronunciatum: consequens erit, idem & in hac specie fieri, quod in falsis codicillis constitutum est.

XLVIII. IDEM.

SI socius testamento libertatem ita dederit, PAMPHILVS, SI EVM SOCIVS MANVMISERIT, LIBER ESTO: Seruius respondit, socio manumittente, communem fieri libertum familiæ atq; manumissoris. neq; enim nouum, aut incognitum est, uario iure communi municipio libertatem contingere.

XLIX. IDEM.

TEstamento militis ita manumissam, SAMIAM IN LIBERTATE ESSE IVSSI, directam libertatem iure militiæ accepisse placuit.

L. IDEM.

QVod diuo Marco pro libertatibus conseruandis placuit, locum habet irrito testamento facto, si bona uenum itura sint. alioquin uacantibus bonis fisco uindicatis, non habere constitutionem locum, aperte cauetur. Seruos autem testamento manumissos, ut bona suscipiantur, iure cautionem offerre idoneam nõn minus, quàm cæteros,

defuncti

defuncti liberos, aut extrarios declarauit. quod beneficium minoribus annis hæredibus scriptis, auxilium bonis præstitutum more solito desiderantibus, non aufertur.

LI. IDEM.

TEstamento centurio seruos suos uenire prohibuit, ac petijt, pro ut quisq; meruisset, eos manumitti. libertates utiliter datas respõdi: cum si nemo eorũ offenderit, omnes ad libertatem peruenire possint. quibusdam autem per offensam exclusis: residui in libertatẽ peruenium. Cui ita testamento adscriptum esset, SERVI, QVI SINE OFFENSA FVERVNT, LIBERI SVNTO: conditionem adscriptam uideri placuit, cuius interpretationem placuit talem faciendam: ut de his in libertate danda cogitasse nõ uideatur, quos aut pœna coërcuit, aut ab honore administrandi, uel administrandæ rei negocio remouit.

LII. PAVLVS.

*aliàs de sunt.

*IMperatores Seuerus & Antoninus) Missenio Frontoni. testamẽto militis his uerbis adscripta libertate, STEPHANVM SERVVM MEVM LIBERVM ESSE VOLO, uel IVBEO: adita hæreditate libertas competit. & ideo ea, quæ postea adiecta sunt, SIC TAMEN, VT CVM HAEREDE MEO SIT, QVOADVSQVE IVVENIS SIT. QVOD SI NOLVERIT, AVT CONTEMPSERIT: IVRE SERVITVTIS TENEATVR: ad reuocandam libertatem, quæ competijt, non sunt efficacia. idem & in paganorum testamentis obseruatur.

LIII. IDEM.

LVcius Titius seruo libertatem dedit, si rationem actus sui ex fide dedisset Caio Seio filio suo. cũ annos pubertatis egressus fuisset Caius Seius, à curatoribus eiusdem conuentus seruus, etiam apud iudicem omnibus satisfecit: exactaq; cautione à curatoribus, pronunciatũ est liberũ eum esse. nũc Caius Seius filius testatoris negat curatoribus suis recte pecuniam illatam. quæro, an iure soluta sit quantitas? Paulus respondit. curatoribus quidem adolescentis reliquam rationem, ut conditio testamento adscripta impleatur, non iure solutam uideri. sed si præsente adolescente pecunia illata est, uel in rationibus eius relata: impletam conditionem uideri, ac si ipsa soluta fuisset.

LIIII. SCAEVOLA.

QVi habebat seruum Cratinum, testamento ita cauit, SERVVS MEVS CRATISTVS LIBER ESTO. quæro, an seruus Cratinus ad libertatem peruenire possit, cum testator seruum Cratistum non habeat, sed hunc solum Cratinum. Respondi. nihil obesse, quod in syllaba errasset. Scripti testamento hæredes ante aditam hæreditatem pacti sunt cum creditoribus, ut parte dimidia contenti essent: & ita decre-

to à

to à prætore interpoſito hæreditatem adierunt. quæro, an libertates in eo teſtamento datæ competierint? Reſpondi. ſi teſtator fraudandi conſilium non habuiſſet: competere libertates.

LV. MAETIANVS.

LIbertate ſub conditione data, huc iam decurſum eſt: ut ſi per ſtatu liberum non ſtet, quo minus cõditioni pareat: quamuis ne per hæredem quidem ſtet, tamẽ ad libertatem perueniat. quod credo reſpondẽti oportere, etſi per fideicommiſſum utiq; hæreditarijs ſeruis libertas data fuerit. non abſurde & de hæredis ſeruis idem dicetur. De his autem, quos redimendos habebit, nõ iniuſte dubitamus: ſiquidem eo caſu iniquum erit, hæredem perinde compelli debere redimere eos, atq; ſi conditio impleta eſſet: quod forte dominus prohiberet conditioni parére, ut precium perciperet, nec conditionem prorogaret.

LVI. PAVLVS.

SI quis ſeruo teſtamento reliquerit libertatem, & directò, & per fidei commiſſum: in poteſtate ſerui eſt, utrum uelit ex directo, an fideicommiſſo ad libertatẽ peruenire. & ita Marcus imperator reſcripſit.

LVII. CAIVS.

SI locuples egenti hæres exſtiterit: uideamus, an ea res teſtamento datis libertatibus proficiat, ut creditores fraudari non uideantur? & ſanè ſunt quidam, qui cum hæres locuples exſtaret, tale eſſe credide runt, quale ſi ipſe teſtator adiunctis poſtea facultatibus deceſſiſſet. ſed mihi traditum eſt, hoc iure nos uti, ut ad rem non pertineat, locuples, an egens hæres exſtiterit: ſed quarum facultatum teſtator deceſſerit. quam ſententiã Iulianus adeo ſequitur, ut exiſtimet, ne eum quidem libertatem conſecuturum, quem is, qui ſoluendo non eſſet, ita liberũ eſſe iuſſiſſet, CVM ALIENVM AES SOLVTVM ERIT, STICHVS LIBER ESTO. ſed hoc non eſt conſequens Sabini & Caſſij ſententiæ, quam & ipſe ſequi uidetur: qui exiſtimãt, conſilium quenq; manumittentis ſpectare debere. nam & qui ſub ea conditione ſeruum ſuum liberum eſſe iubet: adeo ſine fraudis conſilio liberũ eſſe iubet, ut apertiſſime curare uideatur, ne creditores ſui fraudarentur.

LVIII. MAETIANVS.

VErum eſt, eum, qui liber eſſe iuſſus eſt, alienatũ à teſtatore, ſi ante aditam eius hæreditatem rurſus hæreditarius fieret, mox adiretur hæreditas, ad libertatem peruenire.

LIX. SCAEVOLA.

TItia ſeruis quibuſdam & ancillis nominatim directas dedit libertates, deinde ita ſcripſit. ET PEDISEQVAS OMNES, QVARVM NOMINA IN RATIONIBVS MEIS SCRIPTA SVNT, LIBERAS ESSE

VOLO. quæsitum est, an Eutychia, quæ testamenti facti tempore inter pedisequas libertatem acceperat, mortis autem tempore inueniatur actori in contubernio tradita, ex generali capite pedisequarum libertatem consequi possit? Respõdit. nihil impediri libertatem pedisequæ, quod mortis demũ tempore pedisequa esse desijt. Qui purã & directã domini sui testamento libertatẽ Stichus acceperat, ex hæreditate multa per fraudem amouisse dicitur. quæsitum est, an ante in libertatẽ proclamare debeat, quàm ea, quæ ex hæreditate amouisse probari potuerit ab hæredibus, restituerit? Respondit. secundum ea, quæ proponerentur, eum, de quo quæritur, liberum esse. CLAVDIVS. uidetur absoluisse & id, de quo quæritur. nam hæredibus satis cõsultum est edicto de furtis. Lucius Titius testamẽto suo ita cauit. ONESIPHORE, NISI DILIGENTER RATIÒNEM EXCVSSERIS, LIBER NE ESTO. quæro, an Onesiphorus ex his uerbis libertatem sibi uindicare possit? Respondit. ex his uerbis, quæ proponerentur, libertatem adimi potius, quàm dari.

LX. IDEM.

TEstamento ita cauit. Εὐδόνι βάλομαι δοθῆναι νομίσματα χιλία, ἐπεὶ ἔφθασεν γεννηθῆναι μετὰ δὲ τὴν μητέρα αὐτὸ γενέσθαι ἐλευθέραν. quæro, an non Eudo, si probet se post manumissionem matris suæ natum, possit his uerbis testamenti libertatem consequi? respondit. non oportere huiusmodi consultationem præiudicium parare.

LXI POMPONIVS.

SCio quosdam testatores efficere uolentes, ne serui unquam ad libertatem perueniant, hactenus scribere solitos, STICHVS, CVM MORIETVR, LIBER ESTO. sed & Iulianus ait, libertatem, quæ in ultimum uitæ tempus conferatur, nullius momenti esse: cum testator impediendæ magis, quàm dandæ libertatis gratia ita scripsisse intelligatur. & ideo etiã si ita sit scriptum, STICHVS, SI IN CAPITOLIVM NON ASCENDERIT, LIBER ESTO: nullius momenti esse, si apparet in ultimum uitæ tempus conferri libertatem testatorem uoluisse: nec Mutianæ cautioni locum esse. & si ita in testamento scriptum fuerit, STICHVS, SI CAPVAM IERIT, LIBER ESTO: aliter liberum non esse, q̃m si Capuam ierit. Hoc amplius Octauenus aiebat: si quis in testamento sub qualibet conditione libertate data seruo ita scripsisset, ANTE CONDITIONEM NOLO EVM AB HAEREDE LIBERVM FIERI: nihil ualere hanc adiectionem.

DE FIDEICOMMISSARIIS LIBERTATIBUS. Tit. V.

Vlpia-

I. VLPIANVS.

SI quidam ex his, qui fideicommissam libertatem debeant, præsentes sint, alij ex iusta caussa absint, alij latitent: perinde is, cui fideicommissaria libertas relicta est, liber erit: atq; si soli, qui adessent, & q iusta ex caussa abessent, rogati essent. pars e rgo latitans his proficit.

II. IDEM.

SI quis intestatus decedens codicillis dedit libertatem, neq; adita est ab intestato hæreditas: fauor constitutionis diui Marci debet locũ habere & hoc casu: quæ iubet libertatẽ cõpetere seruo, & bona ei addici, si idoneos creditoribus cauerit de solido, quod cuiq; debet, soluendo.

III. IDEM.

IN quem etiam utiles actiones plerunq; creditoribus competunt.

IIII. IDEM.

ERgo quàmdiu incertum est, utrum existat successor, an non: cessabit constitutio. cum certum esse cœperit: tunc erit constitutioni locus. Si is, qui in integrum restitui potest, abstinuerit se hæreditate: an quàmdiu poterit in integrum restitui, existimamus constitutionem cessare, quia non est certum ab intestato neminem successorem exstare? est tamen uerius, admittendam constitutionem. quid ergo, si post addictionem libertatum conseruandarum caussa factam in integrum sit restitutus? utiq; non erit dicendum, reuocari libertates, quæ semel competierint. Illud uideamus, utrum præsentes esse debeant, qui libertatem acceperũt, an uero non. & cum inuitis alijs possint bona propter libertatem addici: utiq; etiam absentibus quibusdam poterũt addici. quid ergo, si præsentes sint quidam, quidam absentes? uideamus, an etiam absentibus competat libertas. & potest dici, exemplo aditæ hæreditatis, competere libertatem etiam absentibus. Si ex die data sit libertas: an dies exspectandus sit? & puto exspectandum. ante ergo nõ addicent. Quid deinde si sub conditione data sit libertas? & siquidem aliquæ pure, aliquæ sub conditione: utiq; addici statim possunt. si omnes sub conditione: quid consequens erit dicere? utrum exspectandum est, ut cõditio existat: an uero statim addicimus, & tũc demum competitura sit libertas, si exstiterit conditio? quod magis erit probandum. Addictis itaq; bonis directæ libertates pure datæ, statim competunt: ex die, cum dies uenerit: conditionales, cum conditio exstiterit. nec erit ab re, existimare etiam pendente cõditione libertatum (licet omnes sub conditione datæ sint) constitutionem locum habere. ubi enim libertatis spes est, ibi dicendum est uel modica data occasione (quod sine damno creditorum futurum est) addictionem

admittendam. Si ſub conditione dandorum decem libertas data ſit: ſiue hæredi dare iuſſus ſit, qui libertatem accepit, ſiue nō ſit dictum cui: an dando ei, cui bona addicenda ſunt, perueniat ad libertatē, quæri poteſt. & magis eſt, ut ei dari debeat, cui bona addicta ſunt, quaſi cōditio translata uideatur. certe ſi alij, quàm hæredi dare iuſſus ſit: ipſi, qui iuſſus eſt, dabit. Hi, qui fideicōmiſſam libertatem acceperunt, nō ſtatim, ubi bona addicta ſunt, liberi ſunt: ſed fideicommiſſam libertatem poſſunt conſequi, hoc eſt manumittendi ſunt ab eo, cui addicta bona ſunt. Addici ita demum bona uoluit, ſi idonee creditoribus cautum fuerit de ſolido, quod cuiq; debetur. ergo cauendum eſt idonee. quid eſt idonee? ſatiſdatò utiq;, aut pignoribus datis. ſed & ſi ei fides habita fuerit promittenti ſine ſatiſdatione, idonee cautum uidebitur. Creditoribus autem caueri quemadmodum debet: utrum ſingulis, an uero omnium nomine uni ab ipſis creato? & oportet officio iudicis cōſtitui, conuenire creditores, unumq; creare, cui caueatur omnium nomine. Illud uidendum eſt: an caueri debeat creditoribus, & ſic addici bona: an uero ſub cōditione hæc ſunt addicenda, ſi fuerit cautum. & puto ſic comprehendendum decreto, ſi omnia ex conſtitutione diui Marci facta ſunt. De ſolido utiq; ſic accipiemus, de ſorte & uſuris debitis. Hi, qui ad libertatem peruenerunt, quorum liberti fiant, conſtitutio oſtendit. ut qui directam libertatem acceperunt: orcini ſint liberti: niſi forte is, qui ſibi addici bona deſiderat, ita uelit addici, ut etiam hi, qui directam libertatem acceperunt, ipſius liberti fiant.

Qui autem uolunt ipſius liberti fieri, utrum manumittendi ſunt ab eo: an uero ipſa addictione hoc comprehendendum, hac conditione ſibi addici bona, ut hi etiam, qui directam libertatem acceperunt, ipſius fiant liberti? & puto hoc eſſe probandum, ut ipſa addictione hoc comprehendatur, idq; uerba conſtitutionis admittunt. Cum aūt ſeruus libertatem nactus eſt: utiq; etiam tutelam eius habebit, cui bona addicta ſunt. Si alienos ſeruos rogauerit hæredem manumittere: utrū dicimus conſtitutionem locū habere, an uero ceſſabit cōſtitutio? & magis eſt, ut locus ſit cōſtitutioni. addictis enim bonis, redimere, & præſtare libertatē cogitur à prætore. Si non hæres, ſed legatarius rogatus fuerit manumittere: nunquid ceſſet conſtitutio, quod legatis nō debitis, nec libertates poſſunt deberi? magisq; eſt, ut idem fauor ſit. omnibus enim generaliter uoluit libertatem præſtari, quibus competeret, ſi hæreditas adita fuiſſet. Eadē conſtitutio ꝓſpexit, ut ſi fiſcus bona admiſerit, æque libertates competāt. ergo ſiue iaceāt bona fiſco ſpernente, ſiue agnouerit: conſtitutio locū habet. cæterum ſi alia ratione agnoſcat: apparet ceſſare debere conſtitutionē. quare & ſi *qua ducis ſe

*al's. caducis.

cis legionis bona delata sunt, idem erit probandum. Item si minor uiginti annis dedit libertatem: dicemus non competere, nisi fideicommissam. hæc enim competeret (si modo potuit caussam probare minor uiginti annis) si uiuus manumitteret. Si in fraudem creditorum libertas data sit ab eo, qui mortis tempore soluendo non est: an competat? & siquidem fiscus bona non agnouerit: forte competet libertas, quia solidum creditori offertur. atquin si hæreditas adita fuerit: non competet. certe si fiscus agnouerit hæreditatem: facilius probabitur, cessare libertatem: nisi quis uerba constitutionis secutus, dixerit ipsum sibi imputare debere, qui addici sibi hac conditione bona uoluerit, ut libertates competant. Si quis autem exemplum aditæ hæreditatis fuerit secutus: directæ libertates non competent, si consilium & euentus fuerit fraudandorũ creditorum. nec fideicõmissæ præstabuntur, si euentu fraudẽtur creditores. Si bona fuerint à fisco non agnita, eaq; addicta libertatis conseruandæ gratia: an possit fiscus postea agnoscere? & magis est, ne possit. planè si non certioratis præfectis ærario bona fuerũt libertatis conseruandæ caussa addicta: uidendum est, an constitutioni locus sit. & siquidem talia fuerunt, ut agnosci debuerint: addictio cessat. si uero nõ fuerint: addictioni locus est. Is autem, cui bona addicta sunt: bonorũ possessori adsimilari debet, & secũdum hoc & iura sepulchrorum poterit habere. Item uideamus, an conueniri à creditoribus possit hæreditarijs actionibus: an uero non, nisi ex cautione, quam interposuit? magisq; est, ut non aliter conueniatur, q̃ ex ea cautione, quam interposuit. Si duobus pluribusue addicta fuerint bona: & communem rem, & communes libertos habebunt, & secum familiæ erciscundæ iudicio experientur.

V. PAVLVS.

IN fideicommissarijs libertatibus, si absente hærede prætor pronunciasset, libertatem deberi: est & liber, & defuncti libertus, si & seruus eius fuerit: aut hæredis, si seruus hæredis fuerit. imò & si fine successore hæres decesserit, conseruandã esse libertatẽ, senatus Hadriani tẽporibus cẽsuit.

VI. IDEM.

DEcem legata sunt, & rogatus est legatarius, Stichum emere & manumittere. sed Falcidia interuenit, & minoris seruus emi non potest. quidam putant dodrantem accipere legatarium, nec emere compellendum. item putant, si seruum suum etiam rogatus sit manumittere, & dodrantem ex legato acceperit: non esse compellendum manumittere. sed uideamus, ne utiq; in hac specie aliud dicendum sit. sed superiore casu sunt, qui putant, cogendũ legatarium redimere seruum, & se oneri subiecisse, dum accepit uel dodrantem. sed si paratus sit re-

tro restituere,quod accepit:an audiendus sit,uidendum. sed cogendus hæres tota decem præstare,perinde atq; si adiecisset testator,ut integra præstentur.

VII. VLPIANVS.

SI cui legata sint centum ita,ut seruum alienum redimat, & manumittat:& bonis hæredis uenditis,partem,non totum persequatur: non aliàs debet consequi legatum,quàm si cauerit se manumissurum. sed hoc tunc demum,si largiatur portio,quam accepit,ad serui pretiũ, paratusq; sit dominus tanti uendere.alioquin exceptione doli debebit legatarius repelli.

VIII. POMPONIVS.

EVm,cui mille numi legati fuissent,si rogatus fuisset uiginti seruũ manumittere:non cogi fideicommissam libertatem præstare,si legatum non caperet, constat.

IX. MARTIANVS.

CVm fidei hæredis commissum sit,ne seruus alienam seruitutem patiatur:experiri potest confestim,ut fuerit alienatus,& petere libertatẽ. ubi uero alienatio nõ est uolũtaria,sed necessitas alienandi ex caussa testatoris pendet:propè est,ut nondũ debeat præstari fideicõmissum:quod potest uideri,defunctum nihil sensisse de huiusmodi casu alienationis.

X. IDEM.

QVidam in testamento scripserat, ILLVM ET ILLVM SERVOS MEOS VENIRE NOLO. si ideo eos noluit uenundari,ut si uenearent,ad libertatem perueniant:præstanda erit libertas. nam & illi uidet libertas relicta,de quo ita scriptũ est: NOLO ALII, QVAM TIBI, SERVIAT. secundum hoc igitur,quoquo modo uendere tenuerit seruũ: confestim poterit peti libertas.nec quominus præstet libertatem, proderit hæredi,si eum redemerit:quia semel exstitit conditio. Is,cui libertas debebatur,uenit,si uult ab hærede manumitti:non erit interueniendum ei,cum hæres præsens erit,emptor latitat: quoniam poterit uti senatusconsulto,ut quasi ex testamento ad libertatem perueniat.

Is,cui ex fideicommisso libertas debebatur ab eo,qui soluendo nõ erat,passus est se bona fide emptori tradi: existimans in manumissum constituendam actionem exemplo eius,qui liberi hominis emptorem simulata seruitute decepit. ego quoq; adducor, ut putem recte aduersus uenditorẽ actionẽ cõpetere:& magis simile uideri statulibero, qui pridie,q̃ ex testamento ad libertatem perueniret, idem fieri passus est.

XI. MODESTINVS.

EX caussa fideicommissi seruo libertatem dare sine tutoris authoritate pupillus non potest.

Idem

XII. IDEM.

IMperator Antoninus, cũ Firmius Titiano tragœdos tres legasset, & adiecisset, QVOS TIBI COMMENDO, NE CVI ALII SERVIANT: publicatis bonis Titiani, rescripsit debere eos publice manumitti. Et legatarius non minus, quàm hæres rogari potest seruũ manumittere: & si ante manumissionem decesserit, successores eius debent manumittere. Diuus Antoninus & Pertinax rescripserũt: hæreditate fisco uindicata, quoniã tacite quis rogatus erat ei, qui capere nõ poterat, restituere hæreditatem: & directò, & per fideicõmissum datas libertates deberi.

XIII. IDEM.

SI prægnans ancilla moram, non studio manumissoris, sed fortuitũ patiatur, ne manumittatur: liberum quidem non pariet, sed cogetur, qui manumittere debuit, natum matri tradere, ut per eam perueniat ad libertatem.

XIIII. IDEM.

LVcius Titius testamento facto, Seiam uxorem suam, item Titiam filiam communem æquis partibus scripsit hæredes. item alio capite, EROTEM SERVVM MEVM, QVI ET PSYLLVS VOCATVR, LIBERVM ESSE VOLO, SI VXORI MEAE PLACEAT. cum itaq; Seia uxor Lucij Titij abstinuerit ab eadem hæreditate, & ex substitutione portio eius ad Titiam filiã peruenerit: quæro, an Eroti, qui & Psyllus uocatur, ex his uerbis suprascriptis libertas cõpetat? Modestinus, Eroti, quod uxor testatoris hæreditate se abstinuisset, non obesse respondit. Item quæro, an Seia uxor, quæ se hæreditate abstinuit, petenti Eroti libertatem iuste contradicere possit? Modestinus respondit. Seiæ dissensum nullius momenti esse.

XV. IDEM.

IS, qui ex caussa fideicommissi manumissurus est, nullo modo deteriorem eius serui conditionem facere potest. ideoq; nec uendere eũ interdum alij potest, ut ab eo, cui traditus est, manumittatur: & si tradiderit, redimere illum cogitur, & manumittere. interest enim nonnunquam à sene potius manumitti, quàm à iuuene.

XVI. LICINIVS.

LIbertates etiam per fideicommissum dari possunt, & quidem largius, & directò, nam non tantum proprijs, sed alienis seruis per fideicõmissum libertas dari potest: ita tamen, ut uulgaribus uerbis, & quibus euidenter uoluntas testatoris exprimi possit.

XVII. *Ex lib. VI. digestorum Scæuolæ*

CLAVDIVS notat. CVM TIBI VISVM FVERIT MANVMITTERE: utiliter datur fideicommissaria libertas.

Scæuo-

XVIII. SCAEVOLA.

TEstamento ita cauit. PAMPHILVS, SI BENE SE GESSERIT IN RATIONIBVS MEIS, LIBER ESTO. quæsitum est, cum manente eodem testamento post aliquot annos decesserit, nec ulli querelæ locus de Pamphilo circa rationes patroni sit: an ex testamento libertatem sit consecutus? Respondi. nihil proponi, cur non sit consecutus.

XIX. IDEM.

HAerede instituto marito, per fideicommissum libertatem seruis dedit, in quibus & Sticho actori mariti. quæsitū est. cum absente marito iste præsidem prouinciæ adijt, ut libertas sibi præstaretur, quasi ex iusta caussa hæres abesset, & præses prouinciæ pronunciauit libertatem deberi: an agi cum Sticho possit, ut rationem actus administrati à se reddere compellatur? Respondi. non posse. Vxori dotem & alias res plures legauit, & eius fidei commisit, ut Aquilinum seruum proprium mulieris apud cōsilium manumitteret. id negauit se facere debere, quia ipsius proprius esset. quæro, an libertas ei debeatur? Respondi. uxorem, si ex testamento non solum dotem, sed etiam cætera legata præstari uellet: compellendam ex caussa fideicommissi Aquilinum manumittere, eumq; cum liber erit, petiturū ea, quæ sibi legata sunt.

XX. POMPONIVS.

APud Iulianum ita scriptum est: si hæres rogatus manumittere seruum ex Trebelliano senatusconsulto hæreditatem restituerit: cogi debebit manumittere. etsi latitauerit, uel iusta ex caussa aberit: prætor caussa cognita secundum senatusconsulta ad eas caussas pertinentia pronunciare debebit. si uero seruum susceperit is, cui hæreditas restituta fuerit: ipsum conuenit manumittere. & eadem in persona eius obseruari conueniet, quæ circa emptores custodiri solent. an hæc uera putas? nam ego discendi cupiditate, quam solam uiuendi rationem optimam in octauum & septuagesimum annum ætatis duxi: memor sum eius sententiæ, quam dixisse fertur. κἂν τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῇ σωρῷ ἔχω, πρόσμαθέν τι βουλόμαι. & bellissime Aristo & Octauenus putabant hunc seruum, de quo quæreretur, fideicommissæ hæreditatis non esse: quia testator rogando hæredem, ut eum manumitteret, non uideretur de eo restituendo sensisse. si tamen per errorem ab hærede datus fuerit: ea dicenda sunt, quæ Iulianus scribit.

XXI. PAPINIANVS.

ROGO, NE STICHVS ALTERIVS SERVITVTEM EXPERIATVR. intelligi datam fideicommisso libertatem placuit principi. quid enim tam contrarium est seruituti, quàm libertas? nec tamen quasi post mortem hæredis data uidebitur. quod eò pertinet, ut si

uiuus

uiuus eum alienauerit, confestim libertas petatur: nec prosit ad impediendam libertatis petitionem, si redemerit eum, cuius semel conditio exstitit. Idem probandum est, & si non uoluntaria alienatio ab hærede facta est. nec refragabitur, quod non per ipsum alienatio facta est. fuit enim quasi statuliber, & quacunq; ratione conditio impleta est.

XXII. IDEM.

SI legatario fundi decē precij nomine relicta sunt in hoc, ut seruum suum manumittat: quamuis fundi legatum agnouerit: si tamen pecuniæ propter interuentum Falcidiæ non agnouerit: cogendus est & pecuniam accipere habita legis Falcidiæ ratione, & seruo fideicommissariam libertatem præstare, cum semel fundi legatum agnouit. A duobus hæredibus, qui tres seruos habebat, petijt, ut duos ex his, quos uoluissent, manumitterent. altero hæredum latitante, alter declarat, quos uelit manumittere. potest dici fieri liberos: ut perinde libertas competat, ac si præsens solus manumittere potuisset. Quod si ex seruis unus decesserit: siue ex iusta caussa absit hæres, siue fari non possit, à quo petitum est: decernente prætore duos, qui supersunt, fieri liberos conuenit. Cum is, qui fideicommissariam libertatem præstare debet, iusta ex caussa abest, aut latitat: aut quidam præsentes sunt, alij iusta ex caussa absunt, nonnulli fraudandi fideicommissi caussa copiam sui non faciunt: aut ei, qui libertatem debet, hæres non exstitit, aut si suus hæres hæreditate se abstinuit: prætor pronunciare debet, ex testamento Lucij Titij fideicommissariam libertatem competere. idq; senatusconsulto demonstratum est: quo senatusconsulto cōprehensum est, ne dubium & obscurum esset, cuius libertus fieret, prætorem pronunciare debere, qui ex iusta caussa, & qui detrectandæ libertatis gratia absit.

XXIII. IDEM.

FIdeicommissaria libertas prætextu expilatæ hæreditatis, aut rationis gestæ non differtur. Fideicōmissariam libertatem ab hærede non præstitam cogendus est hæredis hæres, qui restituit ex Trebelliano senatusconsulto hæreditatem, præstare: si eius personam eligat, qui manumittendus est. Seruum peculij castrensis, quem pater fideicommissi uerbis à legitimis hæredibus liberari uoluit, filiū militem, uel qui militauit (si patri hæres exstitit) manumittere cogendum respondi: quoniam proprium manumisisse defunctus post donationem in filium collatam existimauit. portionem enim à fratre domino fratrem eundemq; cohæredem citra damnum uoluntatis redimere nō cogendum: nec ob eundem errorem cætera, quæ pater in militiam profecturo filio donauit, fratri, qui mansit in potestate, conferen

da:cum peculium castrense filius & inter legitimos hæredes præcipuum retineat. Etiam fideicommissaria libertas à filio post certã ætatem eius data, si ad eam puer non peruenit, ab hærede filij præstituta die reddetur. quam sententiam iure singulari receptam ad cætera fideicommissa relicta porrigi non placuit. Seruum à filio post quinquennos, si eo tempore diurnam mercedẽ filio præstitisset, manumitti uoluit. biennio proximo uagatus non præstiterat. conditione defectus iudebatur. si tamen hæres filius, aut tutores eius ministerium seruo per biennium elegissent: eam rem (præterito, quod per hæredẽ stetisset) impedimento residuæ conditioni non esse constitit.

XXIIII. VLPIANVS.

GEneraliter dicemus, eos posse fideicommissariam libertatem adscribere, qui fideicommissum pecuniarium possunt relinquere. Et principis seruo, uel municipũ, & cuius alterius, fideicommissa libertas adscripta ualet. Hostium seruo si fideicommissaria libertas fuerit adscripta, potest tractari, an nõ sit inefficax. & fortassis quis dixerit, indignum esse, ciuem Romanum fieri hostium seruum. sed si in casu relinquatur, in quem noster esse incipit: quid prohibet? Si homini libero fuerit libertas per fideicommissum adscripta, & is in seruitutem redactus proponatur: petere potest libertatẽ, si modo mortis tempore, uel conditionis existentis, inueniatur seruus. Seruo eius, qui nondum in rebus humanis est, libertas recte per fideicõmissum relinquitur. Si seruus in metallum fuerit damnatus: libertatem sperare non poterit. Quid ergo si fideicommissaria libertas relicta sit, & pœna metalli indulgentia principis sit liberatus? & est rescriptum ab Imperatore nostro, hunc in dominium prioris domini non restitui. cuius tamen sit, non adijcitur. certe cum fisci efficiatur: sperare poterit fideicommissariam libertatem. Ex damnata in metallum concepto & nato fideicommissaria libertas dari poterit. quid mirum, cum etiam uenundari eũ posse quasi seruum, diuus Pius rescripserit? Si petitum à testatore fuerit, ne postea Stichus seruiret: placuit fideicommissariam libertatem datam uideri. nam qui hoc petit, ne postea seruiat: uidetur petere, ut libertas ei præstetur. Sed & si ita scripsit, NE EVM ALIENES, NE EVM VENDAS: idem erit dicendum: si modo hoc animo fuerit adscriptum, quod uoluerit testator eum ad libertatẽ perduci. cæterum si alia mente id scripsit: utputa quia consilium dabat hæredi retinere talem seruum, uel quia coërcere noluit seruum & cruciare, ne meliorem dominum experiretur, uel alia mente, non tribuendæ libertatis animo: dicendum est, cessare libertatis præstationem. & ita Celsus libro uicesimotertio digestorum scribit. non tantum enim uerba

ba fideicommiſſi,ſed & mens teſtatoris tribuere ſolet libertatem fidei commiſſariam.ſed cum ex præſumptione libertas præſtita eſſe uidetur:hæredis eſt,contrariam uoluntatem teſtatoris probare. Si quis tutorem ideo ſcripſit,quia liberum putauit:certiſſimum eſt, neq; libertatem peti poſſe,neq; tutelam libertatis præſtationi patrocinari. & ita Marcellus libro decimoquinto digeſtorum,& Imperator noſter cũ patre reſcripſit. Si quis ſeruo pignorato directam libertatem dederit: licet uidetur iure ſubtili inutiliter reliquiſſe:attamen & quaſi fideicommiſſariam libertatem relictam ſeruus petere poteſt,ut ex fideicõmiſſo liber fiat. fauor em̃ libertatis ſuadet, ut interpretemur, & ad libertatis præſtationem accedere teſtamenti uerba,quaſi ex fideicommiſſo fuerit ſeruus liber eſſe iuſſus. nec ignotum eſt, quod multa contra iuris rigorem pro libertate ſint conſtituta. Ex teſtamento, quod adgnatione poſtumæ ruptum eſt: neq; directas libertates competere,neq; fideicommiſſarias deberi, quas non à legitimis quoq; hæredibus pater familias reliquerit,ſatis conſtat. Si quis alienum,uel ſeruum ſuum rogatus ſit manumittere, & minus ſit conſecutus in eo, quod accepit ex iudicio teſtatoris, plus ſit in precio ſerui:an cogatur uel alienũ redimere,uel ſuum manumittere,uidendum eſt.& Marcellus ſcripſit:cum ceperit legatum, cogendum omnimodo ſuum manumittere. & ſanè hoc iure utimur:ut multum interſit, ſuum quiſq; rogatus ſit manumittere,an alienũ.ſi ſuum: cogetur manumittere, etiam ſi modicum acceperit.quod ſi alienum:nõ aliàs erit cogendus, quàm ſi tanti poſſit redimere,quantũ ex iudicio teſtatoris conſecutus ſit. Proinde conſequenter Marcellus ait,eum quoq;,qui hæres inſtitutus eſt:ſiquidẽ aliquid ad eum deducto ære alieno peruenit,cogendum eſſe ſuum manumittere.ſi uero nihil peruenit:non eſſe cogendum. Planè ſi minus forte relictum eſt alicui,uerũ creuit legatum ex aliqua cauſſa: æquiſſimũ erit,tanti eum cogi redimere, quantum ad eum peruenit: nec cauſſari debere, quod minus illi relictum ſit,cum creuerit eius legatũ per teſtamenti occaſionem.nam etſi ex mora fructus uſuræue fideicommiſſo acceſſiſſent:dicendum eſt,libertatem præſtandam. proinde etſi precium ſerui decreuit:dicendũ eſt,redimere cogendum. Quod ſi legatũ ſit imminutum: uidendum eſt,an cogatur ſeruum manumittere, qui ſperauit legatum ſe uberius conſecuturum.& putem,ſi legatum refundere ſit paratus,non eſſe cogendum:idcirco, quia alia contemplatione agnouit legatum,quod ex inopinato deminutum eſt.parato igitur eo à legato recedere,concedendum erit:niſi forte reſiduum legatum, quod apud eum remanet, ad precium ſufficiat. Quid ergo, ſi plures ſeruos rogatus ſit manumittere,& ad quorundam precium ſufficiat

at id,quod relictum est,ad omnium nō sufficiat:an cogendus sit quosdam manumittere:& putem,debere eum cogi uel eos,quorum precium patiatur,manumittere.quis ergo statuet,qui potius manumittantur:utrum ne ipse legatarius eliget,quos manumittat,an hæres? Et fortassis quis recte dixerit,ordinē scripturæ sequendum. quod si ordo nō pareat:aut sortiri eos oportebit,ne aliquā ambitionis uel gratiæ suspitionē prætor subeat:aut meritis cuiusq; allegatis,arbitrari eos oportet. Simili modo dicendū est,etsi redimere iussus fit,libertatēq; præstare,nec pecunia,quæ legata est,sufficiat ad redemptionē omniū,quibus libertas est data.nam & hic idem erit,quod supra,pbauimus. Si cui legatū relictum est,is rogatꝰ sit seruum ꝓprium manumittere,eiq; quod legatum est,præstare: an fideicōmissaria libertas præstanda sit? quosdam mouet: quia si fuerit coactus ad libertatem præstandam,ex necessitate ad fideicōmissi quoq; præstationem erit cogendus.& sunt, qui putant,non esse cogendum. nam etsi mihi legatum fuisset relictū, & id rogatus essem Titio restituere confestim,& præterea fideicommissam libertatem seruo meo præstare: sine dubio diceremus,nō esse me cogendum ad libertatis præstationem,quia nihil precij nomine uidear accepisse. Planè si forte post tempus fuerit rogatus restituere sibi legatum relictum:dici potest,propter medij temporis fructum cogendum eum manumittere. Si rogatus quis alij fundum,cum morietur,alij centum præstare, tantum ex fundi fructibus perceperit, quantum est in fideicōmisso:cogendum eum præstare.sic fit,ut in pendenti sit fideicommissum pecuniarium,& fideicommissariæ libertatis præstatio. Quoties autem fideicommissaria libertas relinquitur:efficaciter in ea causa est,ut neq; alienatione,neq; usucapione extingui possit. ad quemcunq; enim peruenerit is seruus, cui fideicōmissa libertas relicta est:cogi eum manumittere.& ita sæpissime constitutum est.cogetur igitur is, ad quem seruus peruenerit, fideicōmissam libertatem præstare:si hoc maluit is, qui rogatus est. latius enim acceptum est, ut & si sub conditione sit ei libertas relicta,& pendente conditione alienatus sit: attamen cum sua causa alienetur. quod si nolit manumitti ab eo,sed potius ab eo uelit ad libertatem perduci,qui erat rogatus manumittere: audiri eum oportere, diuus Hadrianus & diuus Pius rescripserunt. Quin imò etsi cum manumissus est,uelit tamē potius eius libertus fieri,qui erat rogatus eum manumittere:audiendum eum, diuus Pius rescripsit.sed etsi ex persona manumissoris uel quacūq; causa manumissus ostendere potest ius suum manumissione esse læsum: succurri ei ex his constitutionibus oportet,ne contra uoluntatem defuncti durior eius conditio constituatur. Planè si ea sit defuncti uoluntas,

tas,ut uel à quocunq; manumitti uoluerit: dicendum est, constitutiones supra scriptas cessare.

XXV. PAVLVS.

SI hæres,qui uẽdidit seruum,sine successore decesserit, emptor autem exstet,& uelit seruus defuncti libertus esse, non emptoris: non esse audiendum eum, Valens scripsit, ne emptor & precium & libertum perdat.

XXVI. VLPIANVS.

CVm uero is,qui rogatus est alienum seruum manumittere, mortalitatis necessitate,uel bonorum publicatione ad alium seruum perduxit:magis opinor constitutionibus esse locum, ne deterior conditio fideicomissariæ libertatis fiat. Nam & cum quidã rogatus esset, cum moreretur, seruum manumittere, isq; decessisset libertate seruo non data:perinde eum habendum cõstitutum est,atq; si ad libertatem ab eo perductus esset.potest enim eo testamento dare libertatem: utiq; cum dictum sit,ut quoties quis libertatem accepit fideicommissariã,si ab alio,quàm qui erat rogatus,manumittatur : auxilium constitutionum habeat,perindeq; habeatur,atq; si ab eo manumissus fuisset: quoniam fideicommissis libertatibus fauor exhibetur,nec intercidere solet destinata fideicõmissi libertas.qui enim ea donatus est, in possessione libertatis interim esse uidetur. Apparet igitur,subuentum fidei commissis libertatibus,ut in rem mora facta esse his uideatur. Et ex die quidẽ,quo libertas peti potuit, matri tradent manumittẽdi caussa: ex die uero,quo petita est, ingenui nascentur.plerunq; enim per ignauiam,uel per timiditatem eorũ,quibus relinquitur libertas fideicommissa,uel ignorantiam iuris sui, uel per authoritatem & dignitatẽ eorum,à quibus relicta est: uel serius petitur, uel in totum non petitur fideicommissa libertas.quæ res obesse libertati non debet. Quod igitur defendimus,ita determinandũ est:ut ingenui quidem exinde nascantur,ex quo mora libertati facta est. manumitti autem partum dici debeat,ex quo libertas peti potuit,quãuis petita non sit.certe minoribus uiginti qnq; annis,& in hoc tribuendũ est auxiliũ,ut uideatur in re mora facta esse.nã qua ratione decretũ est,& à diuo Marco cõstitutũ est, in re morã esse circa pecuniaria fideicõmissa,quæ minoribus relicta sunt: multo magis debet etiã in libertatibus hoc idẽ admitti. Cum quidã Cæcilius ancillã,quam pignori obligauerat,dimisso creditore,per fideicommissum manumitti uoluisset:& hæredibus creditorem non liberantibus,infantes, qui postea erant editi,uenissent à creditore: Imperator noster cum patre rescripsit secundum ea,quæ diuo Pio placuerant, ne pueri ingenuitate destinata fraudarentur:precio emptori restituto,

perinde eos ingenuos fore, ac si mater eorum suo tempore manumissa fuisset. Idem Imperator noster cũ patre rescripsit: si post quinquennium mortis testatoris tabulæ testamenti apertæ essent, uel codicilli, & partus medio tempore editus: ne fortuita mora seruitutem partui irrogaret: matri partũ tradendum, ut ab ea ad libertatem perducatur. Apparet igitur ex hoc rescripto, item eo, quod à diuo Pio rescriptum diximus: noluisse eos moram libertatis fortuitam nocere editis ex ea, cui fideicõmissa libertas data esset. Non tamen si ab substituto impuberis fideicommissa libertas data sit ancillæ, eaq; uiuo impubere partũ ediderit: uel si post tempus, uel sub conditione libertatem acceperit, & ante diem, uel conditionem partum ediderit: ad libertatem partus perducetur: quia horum alia cõditio est. non enim moram fortuitam, sed ex uoluntate testantis passi sunt. Si pro non scripto habitus sit seruus alicui legatus, cui seruo per fideicommissum libertas adscripta est: quæstionis est, num fideicõmissa libertas debeat intercidere: & an si seruus petat fideicõmissam libertatem ab eo, penes quem remansisset, pro non scripto habito legato, quod erat relictũ ei, qui eum rogatus fuerat manumittere: uel si ipse seruus, ut supra dictum est, fuerit legatus: an libertas non debeat intercidere? & putem, debere dici fideicommissam libertatem saluam esse: licet ad eum nihil peruenerit, qui eum rogatus erat manumittere. Cogetur igitur libertatẽ præstare is, ad quẽ peruenit legatum: quia libertas fideicommissa nullum impedimentũ pati debet. Subuentum libertatibus est senatusconsulto, quod factũ est temporibus diui Traiani sub Rubrio Gallo & Cælio Hispone consulibus in hæc uerba. SI HI, A' QVIBVS LIBERTATEM PRAESTARI OPORTERET, EVOCATI A' PRAETORE ADESSE NOLVISSENT: SI CAVSSA COGNITA PRAETOR PRONVNCIASSET LIBERTATEM HIS DEBERI: EODEM IVRE STATVM SERVARI, AC SI DIRECTO MANVMISSI ESSENT. Hoc senatusconsultum ad eos pertinet, quibus ex caussa fideicommissi libertas debetur. Proinde si libertas nõ debeatur, obreptum tamen prætori sit de libertate, pronunciatumq; ex hoc senatusconsulto libertas non competit. & ita Imperator noster cũ patre suo rescripsit. Euocari autem à prætore oportet eos, qui fideicommissariam libertatem debent. cæterum nisi fuerint euocati: cessat Rubrianum senatusconsultũ. proinde denunciationibus, & edictis, literisq; euocandi sunt. Hoc senatusconsultũ ad omnes pertinet latitantes, quos fideicommissariam libertatem præstare oportet. deinde siue hæres rogatur, siue quis alius: senatusconsulto locus est. omnes enim omnino, qui debent fideicõmissariam libertatem præstare, in ea caussa sunt, ut ad senatusconsultum pertineant. Quare si hæres quidem latitet

titet,legatarius autem uel fideicommissarius, qui rogatus sit libertatem præstare,præsens sit: senatusconsultum deficit,& nihilominus impeditur libertas.proponamus enim legatarium nondum dominium serui nactum esse.

XXVII. PAVLVS.

ITaque hoc casu princeps adeundus est, ut & in hoc casu libertati prospiciatur.

XXVIII. VLPIANVS.

SI eum seruum,cui erat fideicommissa libertas relicta, distraxit is, qui erat rogatus: & emptor quidem latitet, is autem, qui rogatus erat,præsens sit:an Rubriano senatusconsulto locus sit? & ait Marcellus Rubrianum locum habere: quia abest,quem manumittere oportet. Hæc autem uerba ADESSE NOLVISSENT,non utiq; exigunt, ut latitet is,qui libertatem præstare debebit. nam & si non latitet, contemnat autem uenire:senatusconsultũ locum habebit. Idem obseruatur, & si plures hæredes cõstituti fideicommissam libertatem præstare rogati,non iusta ex caussa abesse pronunciati fuerint. Eorum,qui iusta ex caussa absunt,& eorum,qui præsentes fideicommissæ libertati moram non faciunt: perinde libertus erit, atq; si soli, qui rogati essent,ad iustam libertatem perduxissent. Si quis seruum non hæreditarium manumittere rogatus latitet:factum est senatusconsulto Aemilio Iunco & Iulio Seuero consulibus in hæc uerba. PLACERE, SI QVIS EX HIS, QVI FIDEICOMMISSAM LIBERTATEM EX QVACVNQVE CAVSSA DEBERENT SERVO, QVI MORTIS TEMPORE EIVS, QVI ROGAVIT, NON FVERIT, ADESSE NEGABITVR:PRAETOR VT COGNOSCAT: ET SI IN EA CAVSSA ESSE VIDEBITVR, VT SI PRAESENS ESSET,MANVMITTERE COGI DEBERET:ID ITA ESSE PRONVNCIET. CVM QVE ITA PRONVNCIASSET: IDEM IVRIS FORE, QVOD ESSET, SI ITA, VT EX FIDEICOMMISSO MANVMITTI DEBVISSET, MANVMISSVS ESSET. Ex iusta caussa abesse eos demum dicendum est,qui nõ habeant iniustam caussam absentiæ: cum sufficiat,quod non in fraudem libertatis absint,quo magis uideãtur ex iusta caussa abesse. Cæterum non est necesse, ut reipublicæ caussa absint. Proinde si alibi domicilium quis habeat, alibi petatur fideicommissaria libertas:dicendum est,non esse necesse,uocari eum,qui fideicommissariam libertatem debere dicitur:quia etiam absente eo,(si constiterit libertatem deberi) pronunciari potest iusta de caussa eum abesse,nec libertum perdit.nanq; eos, qui apud ædes suas & domicilium suum sunt:nemo dubitabit ex iusta caussa abesse.

XXIX. PAVLVS.

Si

SI quis postea, quàm in ea causſa esſe cœperit, ut ex fideicommisſo manumitti deberet, alienatus sit: is quidem, cuius interim seruus erit, manumittere cogetur. sed hic non distinguitur, iusta, an non iusta ex causſa absit. omnimodo enim libertas ei seruatur.

XXX. VLPIANVS.

CVm quasi absente quodam decretũ esſet interpositum, iusta ex causſa eum abesſe, is autem mortuus esſet: Imperator noster rescripsit in hæredis personam transferendum decretum, eoq; loco ius eius esſe, quasi hunc ipsum ex eadem causſa pronunciasſet abesſe. Si infans sit inter eos, qui manumittere debent: senatus censuit, cũ minus ætas impedierit, ut liberi liberæq; sint hi, quibus libertates ex causſa fideicommisſi præstari oportet. Hoc idem erit dicendum, & si sõlus sit hæres institutus, qui fari non potest. Si uero pupillus tutorem habeat, isq; nolit ad libertatem præstandam author adesſe: adeo non debet impedimento esſe neq; pupillo, ut libertos non habeat, neq; libertati: ut diui fratres rescripserint, ex causſa fideicommisſi libertatem præstari debere seruo, perinde atq; si ab ipso pupillo tutore authore manumisſus esſet. Quicunq; igitur casus inciderit, quo is, qui fari non potest, fideicommisſæ libertati subiectus est: accommodabimus mentem senatusconsulti, quæ etiam ad hæredem infantem rogatum trahenda est. Adeundus est autem etiam ex hac causſa prætor: præsertim cum rescripto diui Pij effectum sit, ut si quidam ex rogatis præsentes sint, alij latitent, alij ex causſa absint: intercedẽte infantis persona, nõ omnium libertus efficiatur, sed tantum infantis & eorum, qui ex iusta causſa absunt, uel etiam præsentium. Si plures hæredes sint instituti, & inter eos is, qui fari non potest, sed non ipse rogatus sit seruum manumittere: non oportet intercidere libertatẽ ob hoc, quod cohæredibus suis uendere eum infans non possit. & exstat quidem senatusconsultũ Vitrasianum, sed & diuus Pius Cassio Dextro rescripsit, ita rem explicari, ut partes seruorum, quibus per fideicommisſum libertas data est, iusto precio æstimentur: atq; ita seruus ab his, qui rogati sunt, manumittatur. Hi autem, qui eos manumiserunt, precij nomine perinde fratribus & cohæredibus suis obligati erunt, atq; si ob eam rem ex iudicati causſa cum his agi possit. In furiosi persona diuus Pius rescripsit, fideicommisſam libertatem non impediri sub conditione scripti hæredis, quem compotem mentis non esſe affirmatur. Igitur si constiterit ei recte datam per fideicommisſum libertatem: decretum interponetur, quod idipsum cõplectatur. ad exemplũ ergo infantis & muto & surdo subuenietur. Sed & si quis sine hærede uel alio successore decesſerit, qui fideicommisſam libertatẽ præstare debebat: adito prætore

tore,libertatem præstandam esse, censuit senatus. Sed & si suus hæres se abstinuerit,libertati fideicommissæ per senatusconsultum subuentum est: tametsi nõ est sine hærede,qui suum hæredẽ habet, licet abstinentem se. Idem dicendum est, & si minor uigintiquinq; annis adierit hæreditatem eius,qui libertatem fideicommissam debebat,& in integrum sit restitutus abstinendi caussa. Quærendum est autem, cuius libertus sit. ex constitutione enim fauore libertas perinde competit, atq; si ex testamento libertatem consecutus esset. erit igitur libertus orcinus,non eius,qui fideicommissam libertatem debebat. Si alter sine successore decesserit,alter ex iusta caussa absit: exstat rescriptũ diuorum Marci & Seueri,perinde dicentium eum ad libertatẽ peruenturum, ac si ab eo,qui sine successore decessisset,& ab eo,qui ex iusta caussa abesset,ad libertatem ut oportuit perductus esset. Eleganter quæri potest: si is,à quo seruum ad libertatem oportuit perduci,sine successore decesserit:utrum exspectari debeat, donec certum sit hæredem,uel bonorum possessorem non exstaturum: an uero etiam dum incertum sit,si forte deliberante hærede scripto possit ad libertatẽ peruenire: & melius est exspectari oportere, quoad certum esse cœperit, successorem non exstaturum. Imperator noster Antoninus rescripsit eum, cui fideicõmissa libertas deberetur, sine libertate aliquid ex testamento hæredis accipere non posse. Diuus etiam Marcus rescripsit,fideicommissas libertates neq; ætate, neq; conditione, neq; mora non præstantium tardiusue reddentiũ corrumpi, aut in deteriorem statum perduci. Quanquam ex irritis codicillis libertates non debentur: attamen si hæres hos codicillos fractos habeat, & ex his quædam præstiterit, & seruos præstandæ fideicommissæ libertatis gratia in libertate morari uoluerit: ad iustam libertatẽ eos peruenisse,rescripto Imperatoris nostri & diui patris eius declaratur.

XXXI. PAVLVS.

Alieno seruo dari potest per fideicommissum libertas: si tamen eius sit,cum quo testamenti factio est. Cum intestatò moritus fidei filij commisisset,ut seruum manumitteret,& postumus ei natus fuisset: diui fratres rescripserunt,quia diuidi non potest, ab utroq; præstandum. Qui fideicommissariam libertatem debet, etiam eo tempore,quo alienare prohibitus erit,manumittere poterit. Si patronus contra tabulas bonorum possessionem acceperit,quia eũ præterierit libertus:non cogetur uendere seruum proprium,quem rogatus erat à liberto suo manumittere. Si is,cuius seruus est,nolit eum uendere,ut manumitteretur:nullæ prætoris partes sunt. idem est & si plus iusto uendere uelit. Sin autem certo quidem precio,quod non

prima facie uidetur esse iniquum, dominus seruum uendere paratus est: is uero, qui rogatus est manumittere, immodicum id esse putitur: prætoris partes erunt interponendæ, ut iusto precio uolenti domino dato, libertas ab emptore præstetur. Quod si & dominus uendere paratus sit, & seruus uelit manumitti: cogendus est hæres redimere & manumittere: nisi dominus uelit seruum manumittere, ut actio sibi precij in hæredem detur. idq; faciendum est, etiam si hæres latitet: & ita imperator Antoninus rescripsit.

XXXII. MARCELLVS.

SEd si alienare paratus sit quidem, non ante tamen id uelit facere, quàm sibi in precium satisfiat: non erit manumittere compellendus, ne & seruum manumittat, & interim nihil aut minus consequatur. Si forte is, qui rogatus est manumittere, soluendo non sit: inuito tamen seruo, neq; alij, neq; domino eam rem persequi concedendū est: quia non tale sit hoc fideicommissum, ex quo domino quid adquiratur. alioquin ipsi datum uideretur: quod potest cōtingere, si testator pluris eum seruum, quàm quanti est, redimi ac manumitti uoluit. nā & tunc domino erit fideicommissi persecutio, cuius interest, præter uerum precium, id, quod plus ei iussus est dare, consequi, ut seruus ad libertatem perueniat. Quod eueniet, & si rem alienam pecunia certa redimere, atq; alij præstare hæres uel legatarius intelligeretur. nanq; tunc & domino rei, & ei, cui eandē præstare deberet, persecutionē esse. Vtriusq; enim interesse: & domini, ut præter precium accipiat, quo pluris testator eum redimi iussit: & eius, cui relicta est, uti eam habeat.

XXXIII. PAVLVS.

SI filius defuncti rogatus fuerit seruum sui patris manumittere: dicendum est, posse eum & contra tabulas habere, & operas imponere. hoc enim potuisset, etsi directam libertatem accepisset, quasi patroni filius. Erit Rubriano senatusconsulto locus, etiam si sub conditione libertas data sit: si modo per ipsum seruum non fiet, quo minus conditioni pareat. nec refert in dando, an in faciendo, an in aliquo casu conditio consistat. Imò etiam amittit libertum hæres, si conditioni impedimentum fecerit, & si filius defuncti sit: quamuis alio iure habiturus sit libertum. nonnullam enim & hic pœnam patitur. nam etsi in seruitutem petierit, aut capitis accusauerit: perdit bonorum possessionem contra tabulas. Si is, cui seruus legatus est, fuerit rogatus, ut eum manumitteret, & nolit eum accipere: compellendus est, actiones suas ei præstare, cui seruus uelit, ne intercidat libertas.

XXXIIII. POMPONIVS.

INuitus is, cui fideicommisso libertas est relicta, non est tradendus

dus alij, ut ab eo manumittatur, & fiat alterius libertus, quàm qui rogatus est manumittere. Campanus ait. si minor uiginti annis rogauerit hæredem, ut proprium seruum manumittat: præstandam ei libertatem, quia hic lex Aelia Sentia locum non habeat. Seruus legatus erat Calpurnio Flacco, isq; rogatus erat, ut eum manumitteret: & si non manumisisset, idem seruus Titio legatus erat, & is æque rogatus erat, ut eum manumitteret: & si nō manumisisset, liber esse iussus erat. Sabinus dicit, inutiliter legatum fore, & ex testamento eum continuò liberum futurum.

XXXV. MODESTINVS.

CAij Cassij sententia recepta non est, existimantis & hæredi & legatario remittendam interdum proprij serui manumittendi necessitatē, si uel usus eius tam necessarius esset, ut eo carere non expediret: ueluti dispensatoris, pædagogi sui, siue liberorum: uel si tantū delictum est, ut ultio remittenda non esset. Visum enim est ipsos in sua potestate habuisse. nam potuisse discedere à caussa testamenti: qua non omissa, debere uoluntati defuncti obsequi.

XXXVI. IDEM.

NEque infantes, neq; furiosi, neq; ab hostibus capti, neq; hi etiam, q̄s religio, aut honestior caussa, uel calamitas aliqua, uel maior res familiaris, aut capitis famæue periculum, aut similis caussa moretur: Rubriano senatusc̄sulto continentur. ac ne pupilli quidem, qui tutores non habent: aut eos habent, quos earum quæq; caussa detinet. sed nec si hi data opera sui potestatem non faciunt, puto pupillis libertos eripi: quia & iniquum est facto tutoris, qui forsitan soluendo non sit, pupillū damno affici. & senatusconsulto non continet̄ alius, c̄q; qui ex caussa fideicommissi debet præstare libertatē. Quid ergo est? Dasumaiano senatusconsulto subuenitur his: quo cautum est de his, qui iusta ex caussa abessent: ut nec libertas impediatur, nec libertus eripiatur his, qui fraude careant. Si per procuratorē quis defendatur: semper iusta ex caussa abesse dicitur, nec libertus ei eripitur. Nihil facit ad interpellandam iurisdictionem eius, qui de fideicommissa libertate cognoscit, priuilegium cuiusq; uel ciuitatis, uel corporis, uel officij, in quo quisq; est, uel conditio personarum.

XXXVII. VLPIANVS.

SI pure data sit fideicommissa libertas, & is seruus rationes administrasse dicatur: diuus Marcus rescripsit, moram libertati non esse faciendam. ex continenti tamen arbitrum dandum esse, qui computationem ineat. uerba rescripti ita se habent. Aequius uidetur Trophimo ex caussa fideicommissi præstari libertatem, quam sine cōditione red-

dendarum rationum datam esse constat. neq; humanum fuerit ob rei pecuniariæ quæstionem libertati moram fieri: qua tamen repræsentata, confestim arbiter à prætore erit dandus, apud quem ratione, quam administrasse eum apparuit, ex fide reddat. tantũ igitur rationem reddere cogetur. Sed an & reliqua restituere debeat, nihil adijcitur. nec puto cogendum. nam de eo, quod in seruitute gessit, post libertatem conueniri non potest. corpora planè rationum, & si quas res, uel pecunias ex his detinet, cogendus est per prætorẽ restituere. item de singulis instruere.

XXXVIII. PAVLVS.

IN testamento, quod perfectum non erat, alumnæ suæ libertatem & fideicõmissa dedit. cum omnia ueluti ab intestato filij egissent: quæsijt Imperator, an ex caussa fideicommissi manumissa fuisset? & interlocutus est, & si nihil ab intestato pater petijsset: pios tamen filios debuisse manumittere eam, quam pater dilexisset. pronunciauit igitur recte eam manumissam, & ideo etiam fideicommissa ei præstanda.

XXXIX. IDEM.

PAulus respondit. & si alienus inueniatur seruus, quem ut suum testator ab uno ex hæredibus uoluit manumitti: tamen cogendum eum, qui est rogatus, redimere & manumittere: quoniam non putauit simile esse caussam libertatis & fideicommissi pecuniarij. Paulus respondit. his uerbis, πίστευσόν μοι ζώϊλε, ὅτι τὰς χάριτάς σοι ἀποδώσει ὁ υἱός μου Μαρτίαλ, καί σοι ἡ γυνὴ τοῖς παισίν σου. in plena uoluntate defuncti contineri circa benefaciendum coniunctis personis & Zoilum. quid si serui sunt? nihil tam gratũ his præstari posse, quàm libertatem. ideoq; præsidem debere sequi uoluntatem defuncti.

XL. VLPIANVS.

LVcius Titius Septiciæ filiæ suæ naturali Concordiam ancillam suam donauit. idem postea testamento filiæ suæ cum alijs quibusdam ancillam supra scriptam legauit, ut manumitteretur. quæro, an Septicia filia naturalis ancillã supra scriptã manumittere cogi possit? Paulus respondit. si uiuo patre naturali donatio ancillæ fuit, neq; patris naturalis iudicium in cæteris legatis filia agnouit: non posse compelli eam ancillam propriam ex caussa fideicommissi manumittere.

Lucius Titius Stichum seruum Mæuio legauit, & petijt, ut neq; ab eo, neq; ab hærede eius unquam manumitteretur. Paulus respondit. testatorem potuisse postea seruum hunc ad libertatẽ perducere: quia non sibi legem dixisset, sed legatario.

XLI. SCAEVOLA.

THAIS ANCILLA MEA CVM HAEREDI MEO SERVIERIT ANNIS DECEM: VOLO SIT LIBERTA MEA. quæritur, cũ libertam suam

ſuam eſſe uoluerit, nec id hæres facere potuerit, nec directa pure data ſit libertas, an etiam poſt decem annos in ſeruitute remaneret? reſpondit. nihil proponi, cur non Thaidi libertas debeatur. Lucius Titius ita cauit. MAEVI FILI CHARISSIME TE ROGO, VT SI STICHVS, ET DAMA, ET PAMPHILVS TE PROMERVERINT, AERE ALIENO LIBERATO, NE ALTERIVS, QVAM TVAM SERVITVTEM EXPERIANTVR. quæro, an ſi per hæredē ſteterit, quo minus æs alienū exſoluere̅t, ex cauſſa fideicōmiſſi libertatē conſequi poſſint? reſpōdit. non quidem imputandum hæredi, ſi pro commoditatibus rei ſuæ admini ſtrandæ æs alienum tardius exſoluerit. uerum ſi manifeſte ſtudiū non ſoluentis, ei rei paratum, ut libertatibus mora fieret, probaretur: repræſentandas libertates. Tutoris, quem & ipſo teſtamento liberis dederat, fidei commiſit de manumittendis ſeruis ipſius tutoris. ſed is à tutela excuſatus fuerat. quæro, an eiſdem ſeruis libertatem præſtare debeant tutores, qui in locum excuſati dati, tutelam adminiſtrarent? Reſpondit. ſecundum ea, quæ proponerentur, libertates & ab hæredibus ſcriptis uideri datas. SEIO AVRI LIBRAS TRES, ET STICHVM NOTARIVM, QVEM PETO MANVMITTAS. Seius eodem teſtamēto tutor datus, à tutela ſe excuſauit. quæri̅t, an nihilominus fideicōmiſſa libertas debeatur? reſpondit. nihil ,pponi, cur non debeatur. Sorore ſua hærede inſtituta de ſeruis ita cauit. Βέλομαι καὶ παρακαλῶ γλυκυτάτην μου ἀδελφὴν, ἐν παρακαταθήκῃ ἔχειν Στίχον καὶ Δάμαν τοὺς παγματευτὰς μου, οὓς ἐγὼ οὐκ ἠλευθέρωσα, ἄχρις ἂν τοὺς ὑφ' ἃς ἀποκατασήσωσιν· ἐὰν δὲ καί σοι ἀρέσωσιν, ἐμπύυσά σοι τὴν γνώμην μου. quæro, ſi paratis actoribus rationes reddere, hæredes libertatem non præſtent, dicendo eos non placere ſibi: an audiendi ſint? reſpondit. non ſpectandum, quid hæredibus diſpliceat: ſed id, quod uiro bono poſſit placere, ut libertatem conſequantur. Lucia Titia hæredum fidei commiſit, uti Pamphilam ancillam Seiæ cum filijs eius redimerent, & manumitterent: & iuridicus, quanti ſinguli eſſent redimendi, æſtimauit. medio tempore Pamphila, ante quàm pecunia ſolueretur, peperit. quæro. id, quod natum eſt ex Pamphila, utrū ad hæredes Titiæ, an ad hæredem Seiæ pertineat? reſpōdit. id, quod natum eſt ex Pamphila, eius quidē eſſe, cuius ea fuerat tunc, cum pareret. uerum hæredem, ſi moram fideicommiſſæ libertati fecit: compellendū quoq; partū ad libertatē perducere.

Lucius Titius ita teſtamento cauit. MEDICOS TIBI COMMENDO ILLVM ET ILLVM. IN TVO IVDICIO ERIT, VT HABEAS BONOS LIBERTOS ET MEDICOS. QVOD SI EGO LIBERTATEM EIS DEDISSEM: VERITVS SVM, QVOD SORORI MEAE CHARISSIMAE FECERVNT MEDICI SERVI EIVS MANVMISSI AB EA, QVI SALARIO EX

PLETO RELIQVERVNT EAM. quæro, an fideicommissa libertas suprascriptis competere potest? respondit. secundum ea, quæ proponerentur, non necessitatem hæredibus impositam, sed arbitrium remissum. Titius Sticho seruo suo libertatem sic dedit, si rationes dederit. quæro an ratio per eum gesta ita putari debeat, ut damna, quæ casu contigerunt, ad onus reliquorum non pertineant? respondit. in negocio, quod uoluntate domini administrasse proponatur: ea damna, quæ casu ita acciderunt, ut seruo nihil imputari possit, non pertinere ad reliquorum onus. Item quæro, cum omne peculium reddere iussus sit, an ita peculium computari debeat, ut solum id peculij esse uideat, quod quaq; ex caussa domino debeat supereſſe? respõdit. in ea specie, de qua quæreretur, non debere deduci ex peculio, quod domino debeatur. Item quæro, an si ex reliquis in peculium aliquid cõuerterit, deduci hoc ex peculio reddendo debeat? Respondit. si id, quod ex caussa, quæ proponeretur, in peculium uersum est, reliquorum nomine dessolutum est: satisfieri conditioni, si id, quod reliquum est peculij, soluatur. Libertatem ita testamento dedit. CVPITVM SERVVM MEVM, CVM MARTIANVS FILIVS MEVS SEDECIM ANNOS IMPLEVERIT, RATIONIBVS REDDITIS LIBERVM ESSE VOLO. post mortem testatoris tutores Cupito exactionem cõmiserunt, isq; numos redactos expensauit eisdem tutoribus. deinde filius impubes decessit. cui mater hæres exstitit, & tutorem filij tutelæ iudicio condemnatum habuit. Cupitus ad libertatẽ proclamat eo tempore, quo si uiueret Martianus, annos sedecim ætatis habiturus esset: offerens rationes unius anni in die mortis testatoris, quo cæteræ subscriptæ fuerunt. quæsitum est, an eas quoq; rationes, quas tutores periculo suo egerũt, Cupitus reddere compelli debeat? Respondit. eum, de quo quæritur, conditioni rationis reddendæ ita uideri paruisse: si omne ex eo, quod gessit, & recte desiderari potest, reddiderit. nam alteram conditionem humaniore interpretatione ita accipi posse, ut defuncto pupillo, tempus, quo si uiueret, sedecim annos impleret, exspectare satis fuerit. STICHVS ET DAMA SERVI MEI, SI RATIONES REDDIDERITIS, LIBERI ESTOTE. quæsitum est, an non solum rationes, uerum si qua alia consilio & fraude eorum amota sunt, præstari ab his debeant, ut ad libertatem perueniant? Respondit. rationum reddendarum conditione cõtineri omne, quod quoq; genere serui actum fidemq; respiceret. Intra certa tempora conditioni reddendarum rationum non paruerunt. postea parati erant. quæsitũ est, an perueniant ad libertatẽ? Respondit. si per ipsos stetisset, quo minus intra tempora præscripta conditionibus parerent: non idcirco liberos fore, quod postea rationes uelint reddere.

AR. hæredi

HAEREDIBVS MEIS PETO, FIDEI QVE EORVM COMMITTO, CVM FILIVS MEVS QVINDECIM ANNOS IMPLEVERIT, STICHVM RATIONIBVS REDDITIS MANVMITTANT. quæro, an eundem seruum testator usq; in diem pubertatis filij sui actum agere uoluerit? Respõdit. manifestum est, testatorem huius quoq; actus rationem â Sticho reddi uoluisse. STICHVS SERVVS MEVS IVBEO, VT DET PRAESTET ET FILIAE, ET VXORI MEAE HAEREDIBVS MEIS SINE VLLA CONTROVERSIA TOT AVREOS: ET VT IPSVM MANVMITTANT, FIDEI EORVM COMMITTO. quæsitum est, cum uxor ab hæreditate abstinuerit, utrum duabus, an filiæ præstare debeat? Respõdit. filiæ, quæ hæres ex asse extitisse proponeretur, pro solido dandum. Hærede filio suo ex asse instituto, libertatẽ dedit in hæc uerba. DECEMBER DISPENSATOR MEVS, SEVERVS VILLICVS, ET VICTORINA VILLICA SEVERI CONTVBERNALIS, IN ANNOS OCTO LIBERI SINT, QVOS IN MINISTERIO FILII MEI ESSE VOLO. TE AVTEM SEVERE FILI CHARISSIME PETO, VTI DECEMBREM ET SEVERVM COMMENDATOS HABEAS: QVIBVS PRAESENTEM LIBERTATEM NON DEDI, VT IDONEA MINISTERIA HABERES, QVOS SPERO TE LIBERTOS IDONEOS HABITVRVM. quæro. cum eo tempore, quo Titius testamẽtum faciebat, filius natus annorum fuerit nouem, & Titius post biennium & sex menses decesserit: anni octo, in quos libertas erat dilata, ex testamenti facti tempore, an uero ex mortis numerari debeant? Respondit. posse uideri, testatorem eos annos octo dilatæ libertatis comprehẽdisse, qui computandi sunt â die testamenti facti: nisi aliud uoluisse testatorẽ probaret. SPONDOPHORVS, CVM FILIA IN MEA FAMILIA NVPSERIT, SI RATIONES IDONEE FILIAE MEAE ADMINISTRATAS REDDIDERIT, LIBER ESTO. filia cum adhuc impubes esset, uiuo patre decessit, & ex substitutione Seius hæres exstitit. quæro, cum Spondophorus rationes pupillæ non administrauerit, & uiuo patrefamilias desierit ipsius rationes administrare, & si uiueret Titia, annos haberet amplius duodecim: an ex testamento liber sit? respondit. secũdum ea, quæ proponerentur, liberum esse: si nullas rationes administraret, quas reddere hæredi deberet. STICHVM RATIONIBVS REDDITIS MANVMITTI VOLO. Stichus arcarius probante domino nomina fecit, & rationes â domino scriptas exhibuit, nec postea nomen ullũ fecit. quæro, an si qui minus soluendo fuerint debitores, quibus alij exactores erant applicati, nondum uideatur conditioni satisfactum? Respondit. secundum ea, quæ proponerentur, non pertinere ad onus reddendarum rationum, quod soluendo non sint debitores.

XLII. MARTIANVS.

Antoni-

ANtoninus Pius Augustus noster, quo militũ suorum per omnia rata esset suprema uoluntas: cum & institutus & substitutus in continenti prius, quàm adirent hæreditatem, decessissent: eos, quibus ab his & libertas & hæreditas à milite per fideicommissum data erat, perinde liberos & hæredes esse iussit, ac si utrunq; directò accepissent. eorum autem, qui à pagano libertatem & hæreditatem per fideicommissum acceperant, cum æque in continenti & institutus & substitutus decessissent: satis habuit libertatem confirmare.

XLIII. CAIVS.

FIdeicommissaria libertas non debetur ei, quem postea uinxit dominus.

XLIIII. POMPONIVS.

DE libertate fideicommissaria præstanda seruus cum domino recte contendit.

XLV. VLPIANVS.

SI debitor rogatus sit à creditore, ancillam suam pignoratam manumittere: dicendum est, fideicommissariam libertatem utiliter esse relictam à debitore. quid enim interest, certa quantitas ab eo relinquatur, an fideicommissaria libertas? et siue plus sit in precio, siue minus, cogitur libertatem præstare: si modo semel agnouit uoluntatem creditoris. Agnouisse aũt sic accipimus: si forte, cum conueniretur ab hærede, usus est exceptione, uel aliàs uoluntatem suam ostendit. nam si cõueniatur debitor ab hærede creditoris: doli exceptione uti potest in id, quod interierit debitoris ancillam suam habere. In fideicommissariam libertatem, quamuis modicum quis legatum fuerit consecutus, necesse habet seruum suum manumittere. pecuniarium enim fideicommissum, si diuisum fuerit, sanè iniuriam facit tam libertati, quàm fideicõmissario. sanctius est igitur eum, qui agnouit legatũ, onerari, quàm libertatem intercidere. Quoties seruo uel ancillæ fideicommissaria libertas relinquitur: in ea conditione est, ut quoad manumittatur, seruilis conditionis sit. & quidem si nullam moram præstandæ libertati, qui præstare debet, fecit: nihil de statu eorum mutatur. ideoq; eos interim legari posse, sed cum sua causſa, constat.

XLVI. IDEM.

FIdeicommissa libertas ita dari potest, HAERES, SI VOLVERIS, FIDEI TVAE COMMITTO, VT STICHVM MANVMITTAS. quamuis nihil aliud in testamento potest ualere ex nutu hæredis. planè & ita, SI STICHVS VOLVERIT, poterit ei libertas adscribi. Sed & si ita adscriptũ sit, SI SEIVS VOLVERIT, STICHVM LIBERVM ESSE VOLO: mihi uidetur posse dici, ualere libertatem: quia conditio potius est, quẽ admodum

dum si mihi legatum esset, SI TITIVS CAPITOLIVM ASCENDERIT.

Quod si ita scriptum sit, SI HAERES VOLVERIT: non ualebit: sed ita demum, si totum in uoluntate fecit hæredis, si ei libuerit. Cæterum si arbitrium illi quasi bono uiro dedit: non dubitabimus, quin libertas debeatur. nam & eam libertatem deberi placuit, SI TIBI VIDEBITVR, PETO, VT MANVMITTAS. ita enim hoc accipiendum, si tibi quasi bono uiro uidebitur. nam & ita relictũ, SI VOLVNTATEM MEAM PROBAVERIS: puto deberi, quẽadmodum, SI TE MERVERIT QVASI VIRVM BONVM, uel SI TE NON OFFENDERIT QVASI VIRVM BONVM, uel SI COMPROBAVERIS, uel SI NON REPROBAVERIS, uel SI DIGNVM PVTAVERIS. nam & cum quidam græcis uerbis ita fideicommissum reliquisset, τῷ δέξνι ἐὰν δοκιμάσῃς, ἐλεύθερίαν δοθῆναι βούλομαι: à diuo Seuero rescriptũ est, fideicõmissum peti posse. Quanq; aũt in hæredis arbitriũ conferri an deberetur non posset: quãdo tamen debeat, cõferri potest. Quidam cũ tres seruos legasset, fidei hæredis sui cõmisit, ex his duos, quos uellet, manumittere. fideicõmissa libertas ualebit: & quos ex his uolet hæres, manumittet. quare si eos uindicarit legatarius, quos hæres uult manumittere: exceptione dolimali repelletur.

XLVII. IVLIANVS.

SI pater duos filios hæredes instituerit, & adgnatione postumi ruptum testamentum fuerit: quamuis hæreditas pro duabus partibus ad eos pertineat: tamen fideicommissæ libertates præstari non debent, sicuti nec legata quidem aut fideicommissa præstare coguntur.

Si cum alienum seruum hæres rogatus sit manumittere, item communem uel eum, in quo ususfructus alienus est, latitet: non inique senatusconsulto libertatibus succurretur. Si Sticho libertas per fideicommissum data fuit sub conditione, si rationes reddidisset, & is absente hærede paratus sit reliqua soluere: prætoris officio continetur, ut uirum bonum eligat, cuius arbitrio rationes computentur: & pecuniam, quæ ex computatione colligitur, deponat: atq; ita pronunciet libertatem eorum ex caussa fideicommissi deberi. hoc autem fieri conueniet, si hæres ex iusta caussa aberit. nam si latitauerit: satis erit, liquere prætori, per seruum non stare, quo minus conditioni pareat: atq; ita pronunciare de libertate oportebit. Cum sub conditione legato seruo libertas datur: non aliter fideicommissario tradi debet, quàm ut caueatur, existente conditione traditum eum iri. Quædam cum in extrema esset ualetudine, præsentibus honestis uiris compluribus, & matre sua, ad quam legitima eius hæreditas pertinebat, ita locuta est, ANCILLAS MEAS MAEVIAM ET SEIAM LIBERAS ESSE VOLO, & intestata decessit. quæro, si mater ex senatusconsulto legitimam hæreditatem

ditatem eius non uindicasset, & hæreditas ad proximum cognatum pertinuisset: an fideicõmissa libertas debeatur? respondi, deberi. nam eam, quæ in extremis dixisset, ANCILLAS MEAS ILLAM ET ILLAM LIBERAS ESSE VOLO: uideri ab omnibus, qui legitimi hæredes, aut bonorum possessores futuri essent, petisse, ut hoc fieri possit.

XLVIII. IDEM.

CVm in testamento scriptum esset, STICHVM TITIO LEGO, uel HAERES MEVS DATO ITA, VT EVM TITIVS MANVMITTAT: dixi, petenti legatario Stichum exceptionem dóli mali obstaturã: nisi cauerit se libertatem secundum uoluntatem defuncti præstaturum.

XLIX. AFRICANVS.

SI is, cui seruus legatus est, rogatus manumittere latitet: orcinum fieri libertum respondit. idem fore, etsi non legatarij, sed hæredis fidei commissum sit. sed si non omnium, sed quorundam hæredum fidei commissum esset: ita æque dicendum erit, orcinum fieri. in eos aũt, qui latitauerint, cohæredibus, à quibus redimendæ partes essent, utilem actionem eo nomine dari debere: uel etiam familiæ erciscundæ iudicio recte eos acturos.

L. MARTIANVS.

SI seruus legatus, & per fideicommissum manumissus sit, Serbidius Scæuola consultus, putabat nouissimam scripturam ualere, siue libertas sit, siue legatum: quia cum libertatem datam postea placeat adimi, & per legatum constat posse adimi. sed si in obscuro sit, qua mente post libertatem legauerit eundem seruum: in obscuro libertatem prævalere. quæ sententia mihi quoq; uerior esse uidetur.

LI. IDEM.

NOn tantum qui rogatus est manumittere, ad libertatem perducere potest: sed & successores eius, siue emptione, siue quo alio modo successerint. Sed & si nemo successor exstiterit: ad fiscum ita transit, ut libertas ab eo præstetur. Is autem, qui rogatus est manumittere: etiam eo tempore, quo alienare prohibetur, potest manumittere. Si alienum seruum quis rogatus fuerit manumittere, cũ ei certa pecunia legata esset, ut emat eum, & manumittat, & dominus nolit eum uendere: legatum retinet ex uoluntate defuncti. Cui per fideicõmissum libertas debetur, liberi quodammodo loco est, & statu liberi locum obtinet: uel eo magis, quod nec in alium transferendus est: ut aut libertas eius impediatur, aut iura patronorum grauiora experiatur. Senatusconsulto Dasumaiano cautum est, ut si ex iusta causa absit, qui fideicommissam libertatem debet, & hoc pronunciatũ fuerit: perinde libertas competat, atq; si (ut oportet) ex causa fideicommissi

missi manumissus esset. Abesse autem is intelligitur, qui à tribunali abest. & quia de hæredibus tantum cautum erat: adiectum est eodem senatusconsulto, ut quicunq; fideicommissam libertatem debeat, & ex quocunq; casu pronunciatum fuerit eum eosûe abesse: perinde habeatur, atq; si (ut oportet) ex fideicommissa caussa manumissus esset.

Sed Articuleiano senatusconsulto cauetur, ut in prouincijs præsides prouinciæ cognoscant, licet hæres non sit eius prouinciæ. Sed & si non hæreditarium seruum quis rogatus fuerit manumittere, sed proprium: ex senatusconsulto Iunciano post nunciationem peruenit ad libertatem. Siue ex iusta caussa abest, siue latitat, siue præsens nõ uult manumittere: pro absente cũ haberi diuus Pius rescripsit. Emptor quoq; ut manumittat, eodem senatusconsulto expressum est: & ut præsens cohæres perinde manumittat, atq; si traditum à cohærede accepisset. quæ & in impuberis cohæredis persona, qui non erat rogatus manumittere, eundem principem rescripsisse relatum est. Sed si matrimonij caussa quis manumittere rogatus est: non est cogendus eam uxorem ducere, sed sufficit fideicommissa libertas.

LII. VLPIANVS.

POstea, quàm à creditore alienati sunt serui, quibus fideicommissa libertas adscripta est: non nisi ex iusta caussa aduersus hæredem subueniri eis posse.

LIII. MARTIANVS.

SI quis rogatus ancillam manumittere, moram fecerit: si enixa interea fuerit: constitutum est huiusmodi partum liberum nasci, & quidem ingenuum. sed sunt constitutiones, quibus cauetur statim, ex quo libertas deberi cœperit, ingenuum nasci. & hoc magis est sine dubio sequendum: quatinus libertas non priuata, sed publica res est: ut ultro is, qui eam debet, offerre debeat. sed & si nondũ debita libertate fidieicõmissa ancilla peperit, studio tamen hæredis fuit effectũ, ut non dum libertas deberetur: ueluti quod tardius adierit hæreditatẽ, ut qui nati sint ex ancilla, serui eius fiant: placet manumittendos, sed tamen tradi matri oportere, ut ab ea manumitterentur, ut liberti potius matris fiant. nam quos indignus est hæres seruos habere, nec quidem libertos habebit.

LIIII. MARCELLVS.

SI mater, postquàm filium accepit, uel qui in eius locum successit, præstare libertatem nolint: compellendi sunt. amplius si mater aut nollet sibi filium tradi, aut in rerum natura esse desisset: non ab re est dicere, nihilominus ita natis ab hærede libertatem præstari.

LV. MARTIANVS.

SEd & si non data opera tardius adierit, sed dũ de adeunda hæreditate deliberat, idem dictum est. & si postea cognouit se hæredem institutum, quàm ancilla peperit: placet hoc quoq; casu subueniendum esse. hoc tamen casu ipse manumittere debebit, nõ matri tradere. Sed si directò libertas data fuerit ancillæ, & horum aliquid euenerit: quem admodũ natis subuenietur? nam ibi quidem petitur fideicommissa libertas, & prætor paruulis subuenit. cum uero directò libertas datur: nõ petitur. sed etiam hoc casu puto subueniendũ natis esse: ut aditus prætor in rem matri decernat actionem exemplo fideicommissariæ libertatis. sic denique Marcellus libro decimosexto digestorũ scripsit: & ante aditam hæreditatem usucaptis, qui testamento manumissi sunt, subueniendum esse, ut eis libertas conseruetur, utique per prætorem: quamuis & his imputari possit, quare usucapti sint. in paruulis autem nulla deprehenditur culpa.

LVI. MARCELLVS.

LVcius Titius testamento ita cauit. SI QVOS CODICILLOS RELIQVERO, VALERE VOLO. SI QVIS MIHI EX PAVLA, QVAE VXOR MEA FVIT, INTRA DECEM MENSES NATVS NATA VE ERIT: EX SEMISSE HAEREDES SVNTO, CAIVS SEIVS EX SEMISSE HAERES ESTO. STICHVM ET PAMPHILVM SERVOS MEOS ET EROTEM ET DIPHILVM PETO, ET FIDEI HAEREDVM COMMITTO, VT CVM AD PVBERTATEM LIBERI MEI PERVENERINT, MANVMITTANT. deinde nouissima parte ita cauit. QVOD SI MIHI LIBERI NATI NON ERVNT, AVT INTRA PVBERTATEM DECESSERINT: TVNC HAEREDES EX PARIBVS PARTIBVS SVNTO MVTIVS ET MAEVIVS. LEGATA, QVAE PRIORE EX TESTAMENTO, QVO FILIOS ET SEIVM HAEREDES INSTITVI, RELIQVI: PRAESTARI VOLO ET A SEQVENTIBVS HAEREDIBVS. deinde codicillis ita cauit. LVCIVS TITIVS HAEREDIBVS PRIMIS ET SVBSTITVTIS SALVTEM. PETO, VT EA, QVAE TESTAMENTO CAVI, LEGAVI, ET EA, QVAE CODICILLIS CAVERO, LEGAVERO: PRAESTETIS. quæro, cũ liberi Lucio Titio nati non sint, an Sticho & Pamphilo & Eroti & Diphilo seruis confestim fideicommissa libertas præstari debeat? Marcellus respondit. conditionem, quæ libertati eorum, de quibus quæreretur, si filij hæredes extitissent, apposita esset: repetitã nõ uideri. ideoq; confestim libertatem præstandam esse, & à primis, & à substitutis hæredibus. nam (ut supra scriptum est) petijt, ut quæ testamento cauisset, præstarentur. cauit autem de libertate eorum seruorũ. atquin sub conditione cauit: & si alterius generis conditio adesset, exspectanda esset. sed non est uerisimile, ut hoc in ista conditione cogitauerit, cum fidei

sub

substitutorum committeret, qui admitti ad hæreditatem nõ posset, si impleretur conditio.

DE ADEMPTIONE LIBERTATIS. Tit. VI.

TERENTIVS CLEMENS.

CVm libertas lege adimitur: aut pro non data haberi debet, aut certe perinde obseruari, ac si postea à testatore adempta esset.

DE STATVLIBERIS. Tit. VII.

I. PAVLVS.

STatuliber est, qui statutam & destinatam in tempus, uel in conditionem habet libertatem. fiunt statuliberi uel conditione expressa, uel ui ipsa. cõditione expressa quid sit, manifestum est. ui ipsa: cũ creditores fraudandi caussa manumittuntur. nam dum incertum est, an creditor iure suo utatur, interim statuliberi sunt: quoniam fraus cum effectu in lege Aelia Sentia accipitur.

II. VLPIANVS.

QVi statuliberi caussam adprendit: in ea cõditione est, ut siue tradatur, salua spe libertatis alienet: siue usucapiatur, cũ sua caussa usucapiatur: siue manumittatur, non perdat spem orcini liberti. sed statuliberi caussam non prius seruus nanciscitur, nisi adita uel ab uno ex institutis hæreditate. Cæterum ante aditionem siue traditur, siue usucapitur, siue manumittitur: spes statutæ libertatis intercidit. Sed & si in tabulis impuberis seruo sit libertas adscripta: an uiuo pupillo, uidelicet post aditionem hæreditatis patris, statuliber sit? Cassius negat. Iulianus contra existimat. quæ sententia uerior habetur. Plus scripsit Iulianus, & si legatus sit seruus ab hærede patris, liber esse iussus in pupillaribus tabulis, prævalere libertatis dationem. Si in primis tabulis sub conditione seruus cum libertate ex parte dimidia hæres sit institutus: an statuliberi caussam obtineat, ut adeunte cohærede cum sua caussa usucapiatur? & cum à semetipso libertatem acceperit: non potest statuliberi caussam obtinere. Planè si conditio hæreditatis deficiat, quo casu secundum Iulianum libertatem apiscitur: dicendum est statuliberi caussam obtinere, eo quod non à semetipso, sed à cohærede accepisse libertatem creditur. Quocunq; gradu pupillo seruus cũ libertate substitutus sit, necessariq; caussam obtinet. quæ sen-

tertia utilitatis cauſſa recepta eſt, & à nobis probatur. Celſus quoq; putat libro uiceſimo, cum libertate ſubſtitutum ſtatuliberi cauſſam obtinere.

III. IDEM.

STatuliberos cõditioni parere oportet, ſi nemo eos impediat, & ſit cõditio poſſibilis. ſed ſi in hæredis perſona iuſſus ſit parere conditioni: quid dici debeat? & ſi quidẽ paruit conditioni: ſtatim liber eſt, etiam inuito hærede. quod ſi nõ patitur hæres paréri: puta offert decem, quæ dare iuſſus erat: proculdubio liber eſt, quia per hæredem ſtare uidetur, quo minus conditionem impleat: & parui refert, de peculio ei offerat, an ab alio accepta. receptũ eſt enim, ut ſeruus peculiares quoq; numos ei dando perueniat ad libertatem: ſiue ipſe hæredi, ſiue alij dare iuſſus eſt. Inde quæritur: ſi forte debeatur pecunia huic ſeruo uel ab hærede, quod in domini rationem plus erogauerit, uel ab extraneo: nec uelit hæres debitorem conuenire, uel ſtatulibero ſoluere pecuniam: an debeat ad libertatem peruenire, quaſi moram per hæredem patiatur? & aut legatum huic ſtatulibero fuit peculium: aut ſi non legatum fuerit peculiũ, Seruius ſcribit moram eum libertatis paſſum ob hoc ipſum, quod ei aliquid ex ratione dominica deberetur, nec ei ab hærede præſtaretur. quam ſententiam & Labeo probat. Idem Seruius probat, & ſi in eo moram faciat hæres, quod nolit exigere à debitoribus. nam peruenturum ad libertatem ait. mihi quoq; uidetur uerum, quod Seruius ait. Cum igitur ueram putemus ſententiam Seruij: uideamus, an & ſi nõ fuerit peculiũ prælegatum ſeruo, idem debeat dici. conſtat eñ ſtatuliberum de peculio poſſe dare, uel ipſi hæredi dare iuſſum, uel alij, & ſi eum dare impediat: perueniet ſtatuliber ad libertatem. Deniq; etiã remedij loco hoc monſtrat hæredi domino ſtatuliberi: ut eũ extraneo iuſſum dare prohibeat, ne & numos perdat cũ ſtatulibero. proinde defendi poteſt, & ſi nõ uult exigere, uel ipſe ſoluere, ut hic habeat, unde cõditioni pareat: libertatem cõpetere. & ita quoq; Caſſius ſcribit. Non ſolum autẽ ſi dare iuſſum prohibeat, ſtatuliber ad libertatẽ perueniet: uerumetiam ſi aſcendere capitolium iuſſum, aſcendere uetet: & item ſi Capuæ dare iuſſum, Capuam ire prohibeat. nam qui prohibet ſeruũ proficiſci: intelligendus eſt, impedire magis uelle libertatem, quàm operis ſerui uti. Sed & ſi iuſſum cohæredi dare, non patiatur unus ex hæredibus dare: æque liber erit. ſed is, cui iuſſus erat dare, & liber eſſe: familiæ erciſcundæ iudicio ab eo, qui impedit, conſequetur, quod ſua intererat, ſtatuliberũ non eſſe prohibitum. Si decem iuſſus dare, & liber eſſe, quinq; det: ad libertatẽ nõ peruenit, uiſi totum det. interim igitur uindicare quinq; numos dominus eorum poteſt. ſed ſi reſiduum fuerit ſolutum: tunc etiam id alienatum eſt, cuius ante dominium nõ erat

trans

translatum.& ita pendebit præcedentis ſummæ alienatio.ſic tamen,ut non retro numi fiant accipientis:ſed tunc,cum reſidua ſumma fuerit ſoluta. Si plus,quàm iuſſus erat,dederit ſtatuliber:puta decem iuſſus erat dare,uiginti dedit:ſiue numerauit,ſiue in ſacculo dedit,peruenit ad libertatem,& ſuperfluum poteſt repetere. Si quis iuſſum ſeruum decem dare,& liberum eſſe, uẽdiderit ſine peculio:utrum ſtatim liber ſit,quaſi prohibitus uideatur de peculio dare hoc ipſo,quod ſine pẽculio diſtractus eſt:an uero cum fuerit prohibitus peculium tangere? & puto,tũc demum liberum fore,cum uolens dare prohibeatur:nõ ſtatim,ubi uenit. Si quis ſeruum iuſſum decem dare,& liberũ eſſe, operari prohibeat:uel ſi quod ex operis ſuis meret̃,hæres ei abſtulerit: uel ſi quod ex mercedibus ſuis coẽgit,hæredi dederit:an ad libertatem perueniat? & puto,ſiquidem ex operis dederit, uel undecunq; dederit: ad libertatem peruenturum.quod ſi prohibeatur operari: non fore liberum arbitror,quia operari domino debet. Planè ſi ei allata fuerit pecunia ex operis collecta:liberum fore arbitror, quia de peculio dare prohibetur.ſanè ſi teſtator uel ex operis ut det,iuſſit prohibitum operari:ad libertatem peruenturum non dubito.Sed & ſi argento ſubtracto, uel rebus alijs diſtractis,numos corraſos dederit: perueniet ad libertatem,quamuis ſi numos ſubtractos dediſſet,ad libertatem non peruenire.nec enim uideret̃ dediſſe,ſed magis reddidiſſe.ſed nec ſi alijs ſubripuerit numos,& hæredi dederit,ad libertatẽ perueniet: quia auelli numi ei,qui accepit,poſſunt. planè ſi ſic conſumpti fuerint,ut nullo caſu auelli poſſint:competet libertas. Non ſolum autem ſi hæres morã facit libertati:ſed & ſi tutor,uel procurator, uel alius quiuis, in cuius perſona cõditioni parendum eſt:libertatem competere dicemus. & ſanè hoc iure utimur in ſtatulibero,ut ſufficiat per eum nõ ſtare, quo minus conditioni pareat. Si quis hæredi in diebus triginta proximis mortis teſtatoris dare iuſſus fuerit,deinde hæres tardius adierit:Trebatius & Labeo,ſi ſine dolo malo tardius adierit, dantem eum intra dies triginta aditæ hæreditatis,ad libertatem peruenire.quæ ſententia uera eſt.ſed quid ſi data opera traxit:an ob id ſtatim, ut adita eſt hæreditas, ad libertatem perueniet? quid enim ſi tunc habuit, poſt aditam habere deſiit? ſed & hic expleta uidebitur conditio:quoniam per eum nõ ſtetit,quo minus impleatur. Si quis ſic acceperit libertatem, CVM DECEM DARE POTERIT, LIBER ESTO: Trebatius ait,licet habuerit decem,uel idoneus fuerit ad adquirendum & conſeruandum peculium: tamen non aliàs ad libertatem peruenturum,niſi dederit, aut per eum non ſteterit,quo minus det.quæ ſententia uera eſt. Stichus annua, bima, trima die denos aureos hæredi ſi dederit, liber eſſe iuſſus eſt. ſi

prima

prima pensione steterit per hæredem, quo minus acciperet decem: exspectandam esse trimam pensionem placet: quia & tempus adiectum est, & adhuc supersunt duæ pensiones. sed si eadem decem sola habeat, quæ obtulit ad primam pensionem: an etiam ad sequentem quoq; prosit, si offerat decem: an & ad tertiam, si sequens pensio non sit accepta? & puto sufficere hæc eadem, & pœnitentiæ hæredis locum non esse. quod & Pomponius probat. Quid si seruus, qui annua, bima, trima die iussus est dena dare, tota simul offerat hæredi, non exspectata die: uel decem primo anno datis, secundo anno uiginti obtulit? benignius est eum in libertatem peruenire, cum utriusq; prouidentia infertur: & serui, quatinus maturius in libertate perueniat: & hæredis, quatinus dilatione interempta, ilico accipiat, quod post tempus consequi poterat. Si ita sit libertas seruo data, SI QVINQVENNIO HAEREDI MEO SERVIERIT, deinde eum hæres manumiserit: statim liber fit, quasi per eum sit effectum, quo minus ei seruiat: quamuis si non pateretur eum sibi seruire, nõ statim perueniret, quasi quinquennium præteriisset. ratio huius rei euidens est. manumissus enim amplius seruire non potest. at is, quem quis non patitur sibi seruire, postea pati potest intra quinquennium tempus. atquin iam quinquennio ei seruire non potest. sed uel minus potest. Item Iulianus libro decimosexto digestorũ scripsit. Arescusæ si libertas ita sit data, si tres seruos peperisset, & per hæredem steriisset, quo minus pareret: puta quod ei medicamentũ dedisset, ne conciperet: statim liberam futuram esse. quid enim exspectamus? Idemq; si egisset hæres, ut abortum faceret: quia & uno utero potuit tres edere. Item si hæredi seruire iussum statuliberum hæres uendidit, & tradidit: credo statim ad libertatem peruenire.

IIII. PAVLVS.

CVm hæres reipublicæ caussa abesset, & pecuniam statuliber haberet: uel exspectare debet, donec redeat is, cui dare debet: uel deponere in ædem pecuniam consignatam oportet. quo subsecuto, statim ad libertatem peruenit. Non est statu liber, cui libertas in tam longum tempus collata est, ut eo tempore is, qui manumissus est, uiuere non possit: aut si tam difficilem, imò pcnè impossibilem conditionem adiecerit, ut alicunde ea libertas obtingere non possit: ueluti si hæredi mille dedisset, aut cum moreretur, liberum esse iussisset. sic enim libertas inutiliter datur, & ita Iulianus scribit: quia nec animus dandæ libertatis est. Seruire Titio anno, & liber esse iussus, Titio mortuo non statim liber fiet, sed cum annus transierit: quod uideatur nõ tantũ sub conditione, sed etiam ex tempore data libertas. etenim absurdum est, maturius eum liberum fieri, cum conditionem non implet, ex qua liber fu

ber futurus foret, si eam expleret. Si duobus decem datis liber esse iussus sit, & unus quinq; accipere noluerit: melius est dicere, posse eum eadem quinq; alteri offerentem ad libertatem peruenire. STICHVS TITIO, SI PER TRIENNIVM SERVIERIT, VEL SI ILLI CENTVM OPERAS DEDERIT, LIBER ESTO. constat hoc modo libertatem utiliter dari posse. nam & alienus seruus seruire nobis potest, sicuti liber: & multo magis operas dare: nisi testator seruitutis appellatione dominium magis, quàm operam intellexit. ideoq; si prohibet hæres Titio seruire, peruenit ad libertatem. STICHVS SI HAEREDI MEO ANNO SERVIERIT, LIBER ESTO. quærendum est, annus quo modo accipi debeat: an qui ex continuatis diebus trecentis sexaginta quinq; constet, an* qui nõ quibuslibet? sed superius magis intelligendũ Põponius scribit. Sed & si quibusda diebus aut ualetudo, aut alia iusta caussa impedimento fuerit, quo minus seruiat: & hi anno imputandi sunt. seruire enim nobis intelliguntur etiam hi, quos curamus ægros, qui cupientes seruire propter aduersam ualetudinem impediuntur.

* al's. qui bissextos

Item si decem hæredi dare iussus fuerit, hæres etiam per partes accipere fauore libertatis cogendus est. Ita liber esse iussus, SI TITIVS CAPITOLIVM ASCENDERIT: si Titius noluerit ascendere: impeditur libertas. Idemq; iuris est in similibus causs & conditionibus. Ita Cassius ait. ei, qui seruire iussus est anno, illud tempus, quo in fuga sit, uel in controuersia, pro libertate non procedere.

V. POMPONIVS.

STatuliber rationem reddere iussus, reliquum, quod apparet, soluit: de eo, quod obscurius est, satisdare paratus est. Neratius & Aristo recte putant liberum fore: ne multi ad libertatẽ peruenire non possint, inserta caussa, ratione, & genere negocij huiusmodi. Statuliber, qui non rationes reddere, sed pecuniam iussus est dare: numerare debet, non fideiussores dare.

VI. VLPIANVS.

SI statulibera pœnæ serua facta sit, & post damnationem statutæ libertatis conditio exstiterit: quamuis ipsi statuliberæ nihil proficiat, tamen partui proficere oportet: ut perinde liber nascatur, atq; si mater damnata non esset. quid tamen, si qua conceperit in seruitute: deinde ab hostibus capta, pepererit ibi post existentem conditionem? an liberum pariat? & interim quidem, quin seruus hostium sit, nequaquam dubium est. sed uerius est, postliminio eum liberum fieri: quia si mater esset in ciuitate, liber nasceretur. planè si apud hostes eũ cõcepisset, & post existentem conditionẽ edidisset: benignius dicetur competere ei postliminium, & liberum eum esse. Statuliber parendo conditi-

oni in persona emptoris peruenit ad libertatem. & sciendum, hoc ad statuliberos omnis sexus pertinere. non solum autem si euenerit hæc conditio, ad eum transit, qui emit: uerum etiam ad omnes, quicunq; quoquo iure dominium in statulibero nacti sunt. siue igitur legatus sit tibi ab hærede statuliber, siue adiudicatus, siue usucaptus à te, siue traditus, uel quo alio iure tuus factus: sine dubio dicemus paréri conditioni in persona tua posse. sed & in hærede emptoris idem dicitur. Si filiusfamilias hæres sit institutus, & statuliber filio dare iussus est, & liber esse: siue filio, siue patri dando, peruenit ad libertatem: quia ad patrem hæreditatis emolumentum peruenit. Sed & si post mortem filij patri dederit, quasi hæredis hæredi: liber erit. nam & si quis extraneo dare iussus sit, & liber esse, deinde hæredi hæres exstiterit: non quasi in extranei persona, sed quasi in hæredis, cõditioni parebit. Statulibet decẽ dare iussus, & liber esse, si quinq; datis, distracto sit: residua quinq; emptori dabit. Si seruus tuus statuliberũ emerit: tibi dat, quod hæredibus dare iussus est. Sed & si tuo seruo dederit: si modo is peculiari nomine eum emit, neq; ei tu peculium ademisti: puto liberum fore, scilicet ut eo modo tibi dedisse intelligatur, perinde ac si tua uoluntate cuiuis alij seruorum tuorum dedisset. Si quis non dare decem, sed rationibus redditis liber esse iussus sit: an ad emptorem hæc conditio transeat, uideamus. & aliàs sciendum est, eas demum conditiones ad emptorem trranire, quæ sunt in dando. cæterum hæ, quæ sunt in faciendo, non transeunt: utputa si filium eius literas edocuerit. hæ enim personis eorum cohærent, quibus adscribuntur. rationum autem reddendarum conditio (quod ad reliqua quidem attinet) in danda pecunia consistit: quo autem ad ipsa uolumina rationum tradenda percontendas q; & examinandas rationes, & dispungendas atq; excutiendas: factum habet. nunquid ergo reliqua quidem & emptori dando perueniat ad libertatem: cætera in persona hæredis consistant? puto igitur & ad emptorem reliquorum solutionem transmitti. sic fiet, ut diuidatur conditio. & ita Pomponius libro nono ex Sabino scribit.

VII. PAVLVS.

Usufructus alienatio conditionem statuliberi secum non trahit.

VIII. POMPONIVS.

ITa liber esse iussus, SI DECEM DEDERIT, LIBER ESTO, hæredi dare debet. nam qui non habet, cui det: hæredi dando ad libertatem peruenit. Si partes suas quisq; hæredum diuersis ementibus uenderit: quas portiones hæredibus dare statuliber debuit, easdem dabit emptoribus. Labeo aũt ait, si nomina duntaxat hæredum in testamento posita sunt, uiriles partes eis dandas: si uero ita, SI HAEREDIBVS DEDERIT, hæreditarias.

Vlpi

IX. VLPIANVS.

STatuliberum medio tempore seruum hæredis esse, nemo est, qui ignorare debeat. ea propter noxæ dedi poterit: sed deditus sperare adhuc libertatem poterit. nec enim deditio spem illi adimit libertatis.

Si statuliberum non eadem conditione hæres uendat, caussa eius immutabilis est, & luere se ab eo potest simili modo, ut ab hærede. si tamen suppresserit conditionem statuliberi: & ex empto quidem tenetur. grauiores aût & stellionatus crimen important ei, qui sciens dissimulata conditione statutæ libertatis simpliciter eum uendiderit. Illud tractatum est, an liberatio contingat ei, qui noxæ dediderit statuliberum. & Octauenus putabat liberari: & idem dicebat, & si ex stipulatu Stichum deberet, eumq; statuliberũ soluisset. at & si ante solutionem ad libertatẽ peruenisset, exstingueretur obligatio. tota enim ea in obligatione cõsistere, quæ pecunia lui præstariq; possint. libertatẽ aût pecunia lui non posse, nec reparari posse. quæ sententia mihi uera uidetur.

Statuliberi conditio ita demum immutabilis est, si adita hæreditas fuerit. cæterum ante aditam hæreditatem in propriam usucapitur seruitutem, libertatisq; spes infringitur. sed adita postea hæreditate, spes libertatis fauore sui redintegrabitur.

X. PAVLVS.

SI hæres decem dare iussum uendiderit, & tradiderit, dixeritq; adscriptum libertati, si uiginti dedisset: ex empto erit actio cum uenditore: aut si dupla promissa est ob euictionem duntaxat. duplæ repetitio erit, & ex empto ob mendacium.

XI. POMPONIVS.

SI hæres pecuniã donasset statulibero, ut sibi eam daret, & liber esset: non fieri liberũ, Aristo ait. sed si in plenum ei donasset: fieri liberũ.

XII. IVLIANVS.

SI quis testamento libertatem acceperit sub cõditione, si rationem reddiderit: debet pro hæreditaria parte hætedibus reliqua soluere, etiam si nomina quorundam hæredum sint in conditione posita.

XIII. IDEM.

SI quis ita libertatem dedisset: STICHVS, SI HAERES MEVS EVM TESTAMENTO SVO NON MANVMISERIT, LIBER ESTO: secundum uoluntatem defuncti hoc significari uidetur, si testamẽto suo hæres non adscripserit ei libertatem. quare siquidem hæres libertatẽ seruo suo testamento dederit: defectus conditione uidebitur. si non dederit: impleta conditione ultimo uitæ tempore hæredis ad libertatẽ perueniet. Seruus communis liber esse iussus ita, si decem dederit ex peculio: dare potest, quocunq; modo id adquisitum habuerit. nec re-

fert apud hæredem id, an apud ſocium fuerit: & hæredi, an extraneo iuſſus ſit dare. nam per omnia cauſſæ ſtatuliberi adplicatur, qui conditionis implendæ gratia alienare peculiares numos poteſt. Si duo ſerui rationibus redditis liberi eſſe iuſſi fuerint, & ſeparatim rationem geſſerint: non dubie ſeparatim quoq; conditioni parére poterunt. Sed ſi actus eorum communiter geſtus ita miſtus fuerit, ut ſeparari non poſſit: neceſſariò alter ceſſando alterius libertatem impediet: nec uidebitur conditio in perſona alterius impleta, niſi id, quod computatione rationum habita reliquum fuerit, aut uterq;, aut alter totum ſoluerit.

Qui ita liber iuſſus eſt, SI IVRAVERIT SE CAPITOLIVM ASCENSVRVM: confeſtim ut iurauit, quamuis capitolium non aſcenderit, liber erit. Seruus hæredis rem ipſius hæredis dare iuſſus, & liber eſſe; ad libertatem perueniet: quia poteſt teſtator & ſine ulla dandi conditione hæredis ſeruum manumitti iubere. Hæc ſcriptura, STICHVS, CVM ERIT ANNORVM TRIGINTA, LIBER ESTO. STICHVS SI DECEM NON DEDERIT, LIBER NE ESTO, hanc uim habet, STICHVS, SI DECEM DEDERIT, ET AD ANNOS TRIGINTA PERVENERIT, LIBER ESTO. nanq; ademptio libertatis uel legati ſub cõditione facta, incipit conditionem contrariã legato uel libertati, quæ prius data erat, iniecisſe.

XIIII. VLPIANVS.

SEruus, qui teſtamento domini, cum decem hæredi dediſſet, liber eſſe iuſſus erat: hæredi mercedem referre pro operis ſuis ſolebat. cum ex mercede hæres amplius decem recepiſſet: ſeruus ſe liberũ eſſe aiebat. de ea re conſulebatur. reſpondi, non uideri liberum eſſe. non enim pro libertate, ſed pro operis eam pecuniam dediſſe: nec magis ob eam rem liberum eſſe, quàm ſi fundum à domino conduxiſſet, & pro fundi fructu pecuniam dediſſet. Seruus, cum hæredi annorũ ſeptem operas dediſſet, liber eſſe iuſſus erat. is ſeruus fugerat, & annum in fuga fecerat. cum ſeptem anni præteriſſent: reſpondi, non eſſe liberum. non enim fugitiuum operas domino dediſſe. quare niſi totidem dies, quot abfuiſſet, ſeruiſſet: non fore liberum. ſed & ſi ita ſcriptum eſſet, ut tunc liber eſſet, cum ſeptem annis ſeruiſſet: potuiſſe liberũ eſſe, etſi poſtremus fugæ reuerſus ſeruiſſet.

XV. AFRICANVS.

MOrtuo hærede, ſi ſtatuliber locupletiorem hæreditatem tanta pecunia, quantam dare iuſſus fuit, fecerit: ueluti creditoribus ſoluendo, cibaria familiæ dando: ſtatim eum ad libertatem eſſe uenturum exiſtimauit. Hæres, cum ſtatuliberum decem dare iuſſum uenderet, conditionem pronunciauit, & traditioni legem dixit, ut ſibi potius, quàm emptori ea decem darentur. quærebatur, utri eorum ſtatu

ſtatuliber pecuniam dando, libertatem cõſequeretur? Reſpondit. eum dare debere hæredi. Sed & ſi legem dixiſſet talem, ut extraneo alicui ſtatuliber pecuniam daret: reſpondit, & hoc caſu conuentionem uale-re: quia hæredi uideatur ſoluere, qui uoluntate eius alij ſoluat.

XVI. PAVLVS.

STatulibera quidquid peperit, hoc ſeruum hæredis eſſe.

XVII. NERATIVS.

SI decem hæredi dediſſet, iuſſus eſt eſſe liber. decem habet, & tantun dem domino debet. dando hæc decem, non liberabitur. nam quod ſtatulibero ex peculio ſuo dare explendæ conditionis cauſſa cõceſſum eſt: ita interpretari debemus, ut non etiam ex eo dare poſſit, quod extra peculiũ eſt. nec me præterit, hos numos peculiares poſſe dici: quam uis ſi nihil præterea ſeruus habeat, peculium nullum ſit. ſed dubitari non oportet, quin hæc mens fuerit conſtituentium, ut quaſi ex ſuo patrimonio dandi eo nomine ſeruo poteſtas eſſet: quia id maxime ſine iniuria dominorum concedi uideatur. quod ſi ultra quis progredia-tur: non multum aberit, quin etiam eos numos, quos domino ſubripuerit, dando, ſtatuliberum conditioni ſatisfacturum exiſtimem.

XVIII. VLPIANVS.

SI triennio dare dena iuſſus, primo anno uiginti obtulerit: non acci piente hærede, non ſtatim liber eſt: quia & ſi accepiſſet hæres, non-dum liber eſſet.

XIX. IDEM.

SI ſeruus liber eſſe iuſſus ſit, & legatum ei datum, ſi filius decimum quartum annum compleuerit, & filius ante deceſſerit: libertas fauo re competet die ueniente, legari autem conditio deficit.

XX. PAVLVS.

SI peculium legatum ſeruo ſit, qui iuſſus eſt alij dare decem, & ſic li-ber eſſe, & hæres eum prohibuerit dare, deinde manumiſſus pecu-lium petat ex cauſſa legati: an per doli exceptionem eam ſummam, quã daturus eſſet, deducere poſſit hæres, ut ipſi proſit, nõ manumiſſo, quod ea pecunia data nõ eſt: an uero indignus ſit hæres, qui contra uo luntatẽ defuncti fecit, eam pecuniã lucrari? & cum ſeruo nihil abſit, & li bertas ei competat: inuidioſum eſt hæredem fraudari. De illo quæ-ritur, ſi inuito hærede det, aut neſciente: an faciat numos accipien-tis? & Iulianus recte exiſtimat, ex hac cauſſa cõceſſum uideri ſtatulibe-ris alienationem numorum, etam inuito hærede: & ideo facere eos pe cuniã accipientis. quod ſi hæredi dare iuſſus eſt decẽ, & eam ſummam hæres debeat ſeruo: ſi uelit ſeruus eam pecuniam compenſare, erit li-ber. Is, cui ſeruus pecuniam dare iuſſus eſt, & liber eſſe, deceſſit: Sa-

binus ait, si decem habuisset parata, liberũ fore: quia non staret per eũ, quo minus daret. Iulianus autem ait, fauore libertatis constituto iure hũc ad libertatem peruenturum, etiam si postea habere cœperit decẽ. adeo autem constituto potius iure, quàm ex testamento ad libertatem peruenit: ut si eidem & legatum sit mortuo eo, cui dare iussus est, ad libertatem quidem perueniat, non autem & legatum habiturus sit. Idq; & Iulianus putat, ut in hoc cæteris legatarijs similis sit. diuersa causſa est eius, quẽ hæres prohibet conditioni parére. hic enim ex testamento ad libertatẽ peruenit. Hæredi aũt iussum dare, etiã hæredis hæredi dare posse, diuus Hadrianus rescripsit. sed & si hoc sensit testator, etiam in legatario dicendũ est. Quædã conditiones natura sui nec possunt eodem tẽpore impleri, sed necessariã habent temporis diuisionẽ: uelũt cũ decem operas iussus est dare: quia operæ per singulos dies dantur. igit & si singulos aureos det statuliber, potest dici eum implesse conditionem. alia causſa est operarum: quia hæ necessariò singulæ edẽdæ sunt. sed & si hæres accipere noluerit: non statim liber erit, sed cum tempus transierit, per quod operarum quantitas cõsumatur. Idem dicendum est, si iussum Capuam ire & liberum esse, hæres ire prohibeat. tunc enim erit liber, cum peruenire Capuam potuerit. Inesse enim uidetur tempus, tam operarum præstationi, quàm itineri. Si ita quis acceperit libertatẽ, STICHVS, SI HAERES EVM NON MANVMISERIT, LIBER ESTO: poterit ab hærede manumitti. non enim contra uoluntatem testatoris adimitur ei libertas. sed non tam continuũ tempus ad hoc exigendum est, ut præcipitari cogatur hæres, uel ex peregrinatione celeri us reuerti ad manumittendum, uel administrationem rerum necessariarum intermittere; nec rursus tam longum, ut quàmdiu uiuat, protrahatur manumissio: sed modicum, scilicet quo primo possit sine magno incommodo suo hæres manumittere. quod si tempus adiectum fuerit: illud spectabitur.

XXI. PAPINIANVS.

LAbeo libris posteriorum ita refert. CALENVS DISPENSATOR MEVS, SI RATIONES DILIGENTER TRACTASSE VIDEBITVR, LIBER ESTO, SVA QVE OMNIA SIBI HABETO. diligentiam eam desiderare debemus, quæ domino, non quæ seruo fuerit utilis. erit autem ei diligentiæ coniuncta bona fides, non solum in rationibus ordinandis, sed etiam in reliquo reddendo. & quod ita scriptum est VIDEBITVR: pro hoc accipi debet uideri poterit. sic & uerba legis duodecim tabularum ueteres interpretati sunt, SI AQVA PLVVIA NOCET, id est nocere poterit. sed si quæretur, cui eam diligentiam probare eum oporteat: hæredum arbitratu an boni uiri? morẽ agentium sequi debebi-

bebimus. ueluti si certam pecuniã dediſſet, liber eſſe iuſſus eſt, non adſcripto eo, cui. si dediſſet: eo modo potuit liber eſſe, quo poſſet, si ita fuiſſet ſcriptum, SI HAEREDI DEDERIT. Pactumeius Clemens aiebat: si ita ſit fideicommiſſum relictũ, CVI VOLES EORVM RESTITVAS ROGO: si nullum elegiſſet, cui reſtitueret: omnibus deberi, imperatorẽ Antoninum conſtituiſſe.

XXII. PAVLVS.

QVi pecuniam dare iuſſus eſt, niſi adiectum ſit, cui det: hæredibus dare debet pro partibus hæreditarijs. pro ea enim parte quiſq; accipere debet, pro qua dominus eſt. Si quidã ex hæredibus, quibus dare debet, nominati ſint: dabit his pro hæreditarijs portionibus. si hæredibus nominatis etiam extraneus iunctus ſit: extraneo uirili, cæteris hæreditariæ dari debent. & si non ſolum Titium, ſed etiam alios adiecciſſet: hos uirilem partem habituros, cohæredes autem hæreditarias, Iulianus ſcribit.

XXIII. CELSVS.

SI INTRA QVINQVENNIVM STICHVS CENTVM DEDERIT, LIBER ESTO. nec Titio, uel hæredi, uel emptori poſt quinquennium dabit. Si rationes reddidiſſet, liberum eſſe iuſſum, non patitur hæres rebus peculiaribus uenditis reliqua ſoluere. perinde liber eſt, quaſi conditioni paruiſſet.

XXIIII. MARCELLVS.

STICHVS SI HAEREDI MEO DECEM PROMISERIT, VEL OPERAS SE DATVRVM IVRAVERIT, LIBER ESTO. poteſt expleri hæc conditio, ſi promiſerit. nam ſpopondiſſe aliqua ſignificatione dici poteſt, etiam ſi non ſit ſecuta obligatio.

XXV. MODESTINVS.

STatuliberos uenundari poſſe, leges duodecim tabularum putauerunt. duris aũt cõditionibus in uenditione minime onerandi ſunt: ueluti, ne intra certa loca ſeruiant, neue unquam manumittantur.

XXVI. IDEM.

LIbertate ſeruo ſub cõditione rationis redditæ teſtamẽto data: hæres nõ ſolũ ſcripturæ rationem exigit, uerũ etiam quæ ſine ſcriptura ab eo adminiſtrata eſt. Seruus iuſſus reddita ratione ad libertatẽ peruenire: licet nullã adminiſtrauerit rationem, nihilominus erit liber.

XXVII. IDEM.

SI is, cui dare iuſſus eſt, redemit ſtatuliberum, eumq; rurſus alij uendiderit: nouiſſimo emptori dabit. iam enim cum ad eum, cui dare iuſſus eſt, dominium quoq; ſerui peruenerit: ſi eum alienet, conditionem quoq; ab eo ad emptorem tranſire, Iuliano placuit.

Iabole-

XXVIII. IABOLENVS.

SI hæreditas eius, qui seruum intra dies triginta mortis suæ, si rationes reddidisset, liberum esse iusserat, forte post dies triginta adita est: iure quidem stricto ita manumissus liber esse non potest, quoniam conditione deficitur. sed fauor libertatis eo rem produxit, ut respondeatur expletam conditionem, si per eum, cui data esset, non staret, quominus expleretur. Statuliber, ante quàm cõditio libertatis obtigit, si quid comparasset, peculio legato non cessurum, in libris Caij Cassij scriptum est: nisi id legatum in tempus libertatis collatum esset. uideamus, ne cum peculium & accessionem & decessionẽ habeat: augmentum quoq; peculij eius (si modo ab hærede erogatum non fit) legato cessurum sit. & magis hoc iure utimur.

XXIX. POMPONIVS.

STatuliberi à cæteris seruis nihilo penè differũt. & ideo quod ad actiones uel ex delicto uenientes, uel ex negocio gesto, uel contractu pertinet: eiusdem conditionis sunt statuliberi, cuius cæteri. ideo & in publicis quoque iudicijs easdem pœnas patiuntur, quas cæteri serui. Quintus Mutius scribit. paterfamilias in testamento inscripserat, SI ANDRONICVS SERVVS MEVS HAEREDI MEO DECEM DEDERIT, LIBER ESTO. deinde de his bonis cœperat controuersia esse. qui se lege hæredem aiebat esse, is eam hæreditatem ad se pertinere dicebat. alter, qui hæreditatem possidebat, aiebat testamento se hæredem esse. secundum eum sententia dicta erat, qui ex testamento aiebat se hæredem esse. deinde Andronicus quærebat, si ipsi hæredi scripto decem dedisset, quoniam secundum eũ sententia dicta esset: futurus ne esset liber, an nihil uideretẽ sententia, qua uicerat, ad eã rem ualere? *qua propter si decem hæredi scripto dedisset, & res contra possessores iudicata esset, illum in seruitutẽ fore. Labeo hoc, quod Quintus Mutius scribit, ita putat uerum esse: si re uera lege ab intestato fuit hæres is, qui uicit. nam si iniuria iudicis uictus esset scriptus uer9 hæres ex testamento: nihilominus eum paruisse conditioni ei dando, & liberum fore. sed ueriſſimum est, quod Aristo Celso rescripsit, posse dari pecuniam hæredi ab intestato, secundum quem sententia dicta est: quoniã lex duodecim tabularum emptionis uerbo omnem alienationem complexa uideatur: nec interest, quo genere quisq; dominus eius fieret. & ideo hunc quoq; ea lege contineri, secundum quem sententia dicta est: & liberum futurũ eum, qui ei dedisset pecuniam. hunc aũt, id est possessorem hæreditatis, cui data esset summa, si uictus esset hæreditatis petitione: cum cæteris eam quoq; pecuniam uictori restituere debere.

* Videtur aliquid deesse.

XXX. IDEM.

Si ita

SI ita liber esse iussus sit, STICHVS, SI EVM HAERES NON ALIENAVERIT, LIBER ESTO: etiã si statuliber est, alienari tamẽ poterit.

XXXI. PAVLVS.

SI seruo sub conditione rationum editarum legatum sit: per eam conditionem iussum esse eum accipere legatum, ut pecuniam reliquorum reddat, non dubitatur. & ideo quæsitum est, STICHVS, CVM RATIONES REDDIDERIT, CVM CONTVBERNALI SVA LIBER ESTO: an mortuo Sticho ante conditionẽ, contubernalis eius libera esse possit? Iulianus dixit, quæstionem esse in hac specie, quæ etiam in legatis agitetur, ILLI CVM ILLO DO LEGO, an altero deficiente, alter ad legatum admittatur? quod magis sibi placeat: perinde ac si ita scriptum esset, ILLI ET ILLI. aliam etiam esse quæstionem, an contubernali quoq; conditio coniuncta sit? quod magis esset. itaq; si nulla reliqua Stichus habuerit: statim eam liberam esse. si habuerit reliqua: debere eam numerare pecuniam. nec tamẽ liciturum ex suo peculio dare: quia id illis permissum sit, qui principaliter pro sua libertate pecuniam dare iubentur.

XXXII. LICINIVS.

SI duobus hæredibus institutis, seruus liber esse iussus sit, si decem hæredibus dederit, & ab altero ex hæredibus quinq; datis uenierit, & traditus fuerit: pro parte alteri ex hæredibus, à quo non uenierit, dando pecuniam, liber erit.

XXXIII. PAPINIANVS.

STatulibero iura per hæredem non posse fieri duriora.

XXXIIII. IDEM.

SEruus si hæredi decem dederit, liber esse iussus est. statuliberũ eum hæres manumisit, ac postea defunctus est. hæredis hæredi danda pecunia non est. quod enim placuit, hæredis hæredi dari oportere: tunc memineris locum habere, cum prior hæres dominus accepturus pecuniam fuerit. quæ caussa facit ambulatoriam (ut ita dixerim) conditionem. duæ sunt enim caussæ, per quas in hæredis primi persona conditio impletur: dominij ratio, item demõstratio personæ. prior caussa transit in omnem successorem, ad quem peruenerit statuliber per dominij translati continuationem. sequens personæ duntaxat eius, qui demõstratus est, adhæret. Imperator Antoninus rescripsit, iussum rationes reddere, & liberũ esse, si hæres caussabitur accipere rationes, nihilominus liberum fore. quod rescriptum ita accipi debet: ut si reliqua non trahat, liber sit. quod si trahat: ita demũ, si obtulerit eã quantitatem, quæ refundi debuit, ex fide ueritatis. non enim libertati sufficit hæredem in mora fuisse, si non id fiat per statuliberum: quod remo

ta mora libertati aditū daret. quid enim, si ita manumissum Damam, SI IN HISPANIAM PROFECTVS, ANNO PROXIMO FRVCTVS COEGERIT, LIBER ESTO, Romæ retineat hæres, neq; proficiſci patiatur: nunquid dicturi ſumus, ſtatim ante fructus coactos liberum fore? nam & cum Romæ ſtipulatio concipitur ita, CENTVM IN HISPANIA DARE SPONDES? ineſſe ſtipulationi tempus, quo poſſit in Hiſpania perueniri, nec ante iure placuit agi. Sed ſi hæres, acceptis rationibus & reliquis computatis, donare ſe ea ſtatulibero non habenti, quod inferat, proſcribat, aut etiam literis ad eum miſſis palam faciat: conditio libertatis impleta uidebitur. quid ergo, ſi neget ſe reliqua contraxiſſe, atq; ideo, quia per hæredem ſteterit, ut accipiat rationes, liberum factum? hæres autem neq; ſe feciſſe moram, & reliqua debere ſtatuliberum contendat? apud eum, qui de libertate cognoſcit, an conditio ſit impleta, conſtabit: cuius officio continebitur de mora conſiderare, nec minus computare rationes: & ſi reliqua trahi compererit, non eſſe liberum pronunciare. ſed ſi nunquam negauit reliqua debere: cum autem conueniat hæredem, rationes offerre profeſſus, & refuſurus, quidquid in reliquis eſſe conſtiterit, & eius pecuniæ reum numerare paratum idoneum obtulerit, & hæres in mora fuerit: ſententia pro libertate dicetur.

XXXV. IDEM.

NOn uidebitur per ſtatuliberum ſtare, quō minus conditio libertatis exiſtat: ſi de peculio, quod apud uēditorem ſeruus habuit, pecuniam conditionis offerre non poſſit. ad alienum enim peculium uoluntas defuncti porrigi non potuit. idem erit, & ſi cum peculio ſeruus uenierit, & uenditor fide rupta peculium retinuerit. quanq; enim ex empto ſit actio: tamen apud emptorem peculiū ſeruus non habuit.

XXXVI. IDEM.

IN tabulis ſecundis filio ſeruum data libertate ſubſtitutum iure ſtatuliberi prudentes munierunt. quod utilitas recipit, ſcilicet ut cū ſua cauſſa alienetur, ne patris teſtamentum puer filius reſcindat. quæ iuris authoritas citra delectum ordinis ad ſecundum quoq; uel tertium ſubſtitutum porrecta eſt.

XXXVII. CAIVS.

SI ita ſcriptum ſit, STICHVM TITIO DO, VT EVM MANVMITTAT. SI NON MANVMISERIT, LIBER ESTO: ſtatim Stichum liberū eſſe.

XXXVIII. PAVLVS.

NOn omne ab hæredis perſona interueniens impedimentum ſtatulibero pro expleta conditione cedit: ſed id duntaxat, quod impediendæ libertatis cauſſa factum eſt.

XXXIX. IABOLENVS.

Stichū

STICHVM ATTIO DO LEGO: ET SI IS NVMOS EI CENTVM DEDERIT, LIBER ESTO. si seruus ex testamento numos Attio dedisset, eos repetere hæredem nõ posse, Labeo existimat: quia Attius eos à seruo suo acceperit, non ab hæredis seruo. eum autem statuliberum esse, Quintus Mutius, Gallus, & ipse Labeo putant: Seruius, Ofilius nõ esse. superiorem sententiam probo: ita tamen, ut is seruus hæredis, non legatarij sit: utpote cum legatum statuta libertate tollatur. STICHVS LIBER ESTO, QVANDO AES ALIENVM MEVM SOLVTVM, CREDITORIBVS VE MEIS SATISFACTVM ERIT. quãuis hæres locuples exstitisset: non tamen prius Stichum liberũ futurum, cũ creditores pecuniam, aut satis accepissent, alioúe quo modo sibi cauissent, Labeo & Ofilius responderunt. Si hæres seruo pecuniam ad negociandũ dedisset: statuliberum eam ipsam numerando liberari ex testamento nõ posse, Labeo & Trebatius responderunt: quia reddere eam magis, quàm dare uideatur. ego puto, si peculiares numi fuerunt: ex testamento eum liberum futurum. DAMA SERVVS, CVM HAEREDI MEO ANNORVM SEPTEM OPERAS SOLVERIT, LIBER ESTO. cum is seruus intra septẽ annos in iudicio publico esset, & septimus annus præteriisset: Seruius ait, eum non liberari debere. Labeo: & si postea soluisset annorum septem operas, liberum futurum. quod uerum est. SI STICHVS ATTIAE MILLE NVMOS DEDERIT, LIBER ESTO. Attia uiuo testatore decesserat. non posse statuliberum esse, Labeo & Ofilius responderunt. Trebatius: si ante testamentum factum Attia decessisset, eundẽ postea liberũ futurum. Labeonis & Ofilij sententia rationẽ quidem habet: sed hoc iure utimur, ut is seruus ex testamẽto liber sit. Si seruus extraneo operas dare iussus esset: nullus nomine serui suas operas dando, liberare seruum potest. quod in pecunia aliter obseruatur: utpote cum & extraneus pro eo seruo dando pecuniam seruum liberaret.

XL. SCAEVOLA.

STicho libertas data est. AB HAEREDIBVS MEIS PETO, FIDEIQVE EORVM COMMITTO, VT RATIONIBVS REDDITIS STICHVM MANVMITTANT. Quæsitũ est, cum ampla pecunia exacta post mortem testatoris sibi commissa reliquatus sit, & quasdam summas à colonis exactas rationibus non intulerit, hæreditatem q; spoliauerit, apertis clam horreis, sublata q; supellectili & ueste, & apothecis exhaustis: an nõ prius ei fideicommissa libertas debeatur, quàm ea, quæ mala ratione, & reliquatus, & quæ furatus est, reposuerit? Respondit. non prius ei fideicommissam libertatem præstandam, quàm & reliqua, & omnia, quæ per eũ abessent, restituisset. PAMPHILVS LIBER ESTO, PECVLIO SVO HAEREDIBVS VERE DATO, quæsitum est, cum do-

mino plus debeat, quàm in peculio habeat: & omnes res, quas in peculio habebat, bona fide hæredibus dederit: an libertas ex testamento competat? Respondit. nihil proponi, cur non competeret. Pamphilo liberto, quem hæredem ex parte instituerat, Stichum seruum prælegauerat, & ei libertatem his uerbis dederat. ITA VT SI TIBI EX DIE MORTIS MEAE PER ANNOS CONTINVOS QVINQVE MENSTRVOS SEXAGENOS DEDERIT, TVNC EVM MANVMITTAS. Pamphilus ante quinquenniũ moriens, hæredibus institutis filio & uxore, de eodem Sticho ita cauit. STICHVS SERVVS, QVI MIHI TESTAMENTO PATRONI MEI CERTA CONDITIONE RELICTVS EST, IVBEO DET PRAESTET FILIO ET VXORI MEAE SINE VLLA CONTROVERSIA, ET EVM PERACTO TEMPORE MANVMITTANT. quæsitũ est, si Stichus sexaginta menstruos non præstiterit, an impleto quinquennio fideicommissa libertas ei debeatur? Respondit. nisi præstitisset, fideicommissam libertatem non deberi. Seruus testamento ita manumissus est. STICHVS SERVVS MEVS ACTOR, SI RATIONEM OMNEM ACTVS SVI HAEREDI MEO REDDIDERIT, EO QVE NOMINE SATISDEDERIT, LIBER ESTO: EI QVE CVM LIBER ERIT, DARI VOLO VIGINTI, ET PECVLIVM SVVM. Quæsitum est, an si rationes, quas egit per multos annos, sine subscriptione testatoris hæredi reddere paratus sit, liber ex testamento fiat: cum propter grauem ualetudinem testator non potuerit rationibus subscribere, testamento tamen subscripserit? Respondit. si ex fide ratio redderetur, reliquaq; inferrentur, liberum fore. Item quæro, an ea, quæ exacta sunt per adiutores eius, neq; calendario illata sunt, aut fraudulenter acta: huic adscribi possint, cum esset cæteris is præpositus? Respondit. si quid esset, quod culpæ eius deberet imputari: spectare ad rationis reddendæ necessitatem. Iterum quæro, an eo quoq; nomine ratio haberi debeat, quod neq; à conductoribus prædiorum, neq; à uillicis pensiones exegerit, & insuper etiam pro mutuo eis dederit? Respondit. suprà responsum esse. Iterũ quæro, an eo nomine teneat̃, quod omnem rem suam, id est peculium suum, exportauerit, ante q̃ rationes redderet? Respondit. nihil eam rem impedire conditionem, si modo ratio redderetur. Titius testamento seruos actores singulos diuersis personis legauit cum adiectione, SI RATIONES REDDIDERINT HAEREDI. deinde proprio capite ita scripsit, OMNES ACTORES, QVOS LEGAVI, VEL MAVMISERO, INTRA QVARTVM MORTIS MEAE MENSEM RATIONES REDDERE VOLO: ET DOMINIS, QVIBVS A ME INFRA LEGATI SVNT, REDDI. deinde alios actores liberos esse iussit æque cũ hac adiectione, SI RATIONES HAEREDI REDDIDERINT.

quæro

quæro, cum per hæredem fiat, quo minus reddantur: utrum statuliberi esse desinant, an nihilominus quandoq; possint, reddita ratione & reliquis illatis, libertatem ex testamento cõsequi? Respondit. legata quidem & libertates non aliàs competere, quàm rationes redditæ essent, aut per hæredẽ staret, quo minus redderentur. Verum iudicaturo æstimandum, utrum tempus conditioni legatorum libertatumq; additum uideatur: an libero tempore reddere uolentibus reliqua hæredibus, quatuor menses adpositi sint, sollicito testatore cunctationem & moram eorum proscribente. melius autem est, præsumptionem pro statuliberis esse. Argentarius coactor cum penè totam fortunam in dominibus haberet, seruis actoribus ita libertatem dedit. QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, SI DAMA SERVVS MEVS ACTVS SVI, QVI AGITVR EIVS NOMINE ET PAMPHILI CONSERVI SVI, HAEREDI MEO RATIONES REDDIDERIT, PARIA'QVE FECERIT A' DIE MORTIS MEAE INTRA MENSEM SEXTVM: LIBER ESTO. Quæsitum est, an hæc uerba PARIA'QVE FECERIT ad omnia nomina pertineant, *& hoc significent: si omnem pecuniã ab omnibus exegerit, & hæredi soluerit, uel eo nomine satisfecerit, & si in exactione nominũ cessauerit: intra sex menses libertas illi non competat? Respondit. manifestam esse conditionem in uerbis testamenti supra scriptis positã. igitur ita demum liberos fore, si aut ei pariet, aut per hæredem stet, quo minùs pariet.

*als addi-tur. peride exceptis p-ditis.

XLI. LABEO

SI quem seruum tuum ad certum tempus statuliberum relinquere uis: nihil interest, utro modo caueas, SI SERVIERIT: an SI TRIENNIO OPERAS DEDERIT, LIBER ESTO. PAVLVS. si quis liber esse iussus fuerit, si decem hæredi promisisset: quanquam ea promissio nullam rem habitura est, tamen promittendo liberabitur.

XLII. IDEM.

SI quis eundem hominem uxori suæ legauerit, & cum ea nupsisset, liberum esse iusserit, & ea lege nupserit: liber fiet is homo.

QVI SINE MANVMISSIONE AD LIBERtatem perueniunt. Tit. VIII.

I. PAVLVS.

SI seruus uenditus est, ut intra certũ tempus manumittatur: etiã si sine hærede decessisset & uenditor & emptor: seruo libertas cõpetit. & hoc diuus Marcus rescripsit. sed & si mutauerit uoluntatẽ uẽditor: nihilominus libertas competit.

II. MODESTINVS.

SEruo,quem pro derelicto dominus ob grauem infirmitatem habuit,ex edicto diui Claudij competit libertas.

III. CALLISTRATVS.

EVm,qui ita uenit,ut intra tempus manumitteretur:cum dies præstandæ libertatis uenerit:uiuente uenditore,& perseuerante in eadem uoluntate:perinde haberi,ac si ab eo, à quod debuit manumitti, manumissus esset. mortuo autē uenditore:non esse hæredum eius uoluntatem explorandam,diuus Marcus cum filio suo rescripsit.

IIII. VLPIANVS.

EI,qui hac lege emptus sit,ut à uiuo emptore manumittat: statim mortuo eo competit libertas.

V. MARTIANVS.

QVi ob necem domini detectam præmium libertatis cōsequitur, orcinus fit libertus.

VI. IDEM.

SI quis obligatum seruum hac lege emerit,ut manumittat:competit libertas ex constitutione diui Marci,licet bona omnia quis obligauerit,quæ habet,habiturusue est. tantundē dicendum est, & si lege hac emerit,ne prostituatur,& prostituerit.

VII. PAVLVS.

IMperator noster cum patre suo constituit in eo,qui cū posset abducere prostitutam ancillam,pecunia accepta manus iniectionē uendiderit,ut libera esset. nihil enim interest,ipse abducas,& prostituas:an patiaris prostitutam esse precio accepto,cum possis eximere.

VIII. PAPINIANVS.

MAncipia mater filiæ donauerat,ut filia curaret,ea post mortem suam libera esse. cum donationis legi non esset obtemperatum:ex sententia constitutionis diui Marci libertatem obtingere matre consentiēte respondi. quod si ante filiā mater uita decesserit: omni modo.

IX. PAVLVS.

LAtinus Largus uendidit ancillam ita,ut manumitteretur,non addito tempore. Quæro,quādo ex constitutione incipit libertas cōpetere ei,cessante emptore in manumittendo? Respondit.inspiciendū est,quid actum sit:utrum cum primum potuisset,ut manumitteret: an in potestate esset emptoris,quando uellet manumittere. priore casu tempus facile comprehendi poterit:posteriore utiq;,moriente emptore cōpetit libertas. si non appareat,quid conuenerit:fauor inducit priorem opinionem, id est ut intra duos menses, si ambo præsto sint, tam seruus ,quàm emptor eius.seruo enim absente, nisi emptor intra quatu

quatuor menſes impoſuerit libertatem, ex conſtitutionibus ad libertatem eripitur.

QVI ET A QVIBVS MANVMISSI LIBERI non fiant: & ad legem Aeliam Sentiam. Tit. IX.

I. VLPIANVS.

CElſus duodecimo libro digeſtorum utilitatis gratia mutum ſurdum ita natum manumittere poſſe ait.

II. IDEM.

SEruo competere non poteſt libertas, ſi relegatus moratus ſit in urbe.

III. CAIVS

SI optio hominis data ſit, uel indiſtincte homo legatus ſit: non poteſt hæres quoſdam ſeruos uel omnes manumittendo, aut euertere, aut minuere ius electionis. nã optione ſiue electione ſerui data: quodammodo ſinguli ſub conditione legati uidentur.

IIII. VLPIANVS.

SEruum pignori datum manumittere non poſſumus.

V. IVLIANVS.

CVm hæreditas ſoluendo nõ eſt (quamuis hæres locuples exiſtat) libertas ex teſtamento non competit. Si is, qui ſoluendo non eſt, hoc modo libertatem dederit, SI CREDITORIBVS MEIS SOLIDVM SOLVTVM FVERIT, STICHVS LIBER ESTO: non poteſt uideri fraudandorum creditorum cauſſa liberum eſſe iuſſiſſe. Si Titius nihil in bonis amplius, quàm Stichũ & Pamphilum habeat, eosq; ſtipulanti Mæuio ita promiſerit, STICHVM AVT PAMPHILVM DARE SPONDES? deinde cum alium creditorem non haberet, Stichum manumiſerit: libertas per legem Aeliam Sentiã reſcinditur. quamuis enim fuit in poteſtate Titij, ut Pamphilũ daret: tamen quàmdiu eum nõ dederit, quia interim mori poſſit, non ſine fraude ſtipulatoris Stichum manumiſit. quod ſi ſolum Pamphilum dari promiſiſſet: non dubitarim, quin Stichus ad libertatem perueniret, quamuis ſimiliter Pamphilus mori poſſit. multum enim intereſt, contineatur ipſa ſtipulatione is, qui manumittitur, an extra obligationẽ ſit. nam & qui ob aureos quinq; Stichũ & Pamphilum pignori dederit, cum uterq; eorum quinũm aureorum ſit: neuter manumitti poteſt. at ſi Stichum ſolũ pignori dederit: Pamphilum non uidetur in fraudem creditoris manumittere.

VI. SCAEVOLA.

IVlianus de eo loquitur, qui in ſubſtantia nihil aliud habet, nam ſi habeat

beat: quare non dicetur unum posse manumitti? qui enim uno mortuo soluendo est, & uno manumisso soluendo est: nec aduentitij casus computandi sunt. alioquin & qui unum incertum ex seruis suis promisit, neminem manumittet.

VII. IVLIANVS.

SI quis integris facultatibus codicillos confirmarit, deinde cum consilium creditorum fraudandorum cepisset, libertatem codicillis dederit: obtineri non potest, quo minus libertates lege interpellentur. nam consilium testatoris fraudulentum non eo tempore obseruatur, quo codicilli confirmantur, sed quo codicillis libertas datur. Minor annis uiginti, cum seruũ manumittere uellet, nec iustam caussam apud consilium manumittendi haberet, tibi eum, ut manumitteres, dedit. negauit eum Proculus liberum esse, quoniã fraus legi facta esset.

VIII. AFRICANVS.

CVm is, qui sub cõditione debet, manumittat fideicõmissi caussa: lex Aelia Sentia locum habet. Si miles iure militari testamento facto libertatem dederit in fraudem creditorum, & nõ soluendo moriatur: impediuntur libertates.

IX. MARTIANVS.

ILle seruus liber non erit, qui coëgerit, ut eum dominus manumittat, & ille perterritus scripserit liberũ esse eum. Item nec ille liber fieri potest, qui à domino non est defensus in capitali crimine, & postea absolutus est. Qui hac lege uenierint, ne manumittantur, uel qui testamento prohibiti sint manumitti, uel iussu præsidis prouinciæ: licet manumittantur, tamen ad libertatem non perueniunt.

X. PAVLVS.

IN fraudem creditorum manumittere uidetur, qui iam uel eo tempore, quo manumittit, soluendo non est: uel datis libertatibus, desiturus est soluendo esse. sæpe enim de facultatibus suis amplius, quàm in his est, sperant homines. quod frequenter accidit his, qui transmarinas negociationes & alijs regionibus, quàm in quibus ipsi morantur, per seruos atq; libertos exercent: quod sæpe attriti istis negociationibus, longo tempore id ignorant, & manumittendo sine fraudis consilio indulgent seruis suis libertatem.

XI. MARTIANVS.

IN fraudem ciuitatum manumissi ad libertatem non ueniunt, ut senatus censuit. sed nec in fraudem fisci datas libertates procedere, principalibus constitutionibus cauetur. Sed diui fratres rescripserunt, non utiq; si debitor fisci manumiserit, libertates impediri: sed ita, si cum non erat soluendo, in fraudem manumisit.

Vlpia

XII. VLPIANVS.

PRospexit legislator,ne mancipia per manumissionem quæstioni subducantur. idcirco& prohibuit ea manumitti,certumq; diē præstituit,intra quē manumittere non liceat. ipsa igitur, quæ diuertit, oēs omnino seruos suos manumittere uel alienare ,phibetur:quia ita uerba faciunt,ut ne eum quidem seruum, qui extra ministerium eius mulieris fuit,uel in agro,uel in prouincia,possit manumittere uel alienare. quod quidem perq; durū est. sed ita lex scripta est. Sed & si post diuortiū seruum mulier parauit,aut alia ratione adquisiuit:æque(quod ad uerba attinet)manumittere non poterit. & ita quoq; Sextus Cæcilius adnotat. Pater uero,in cuius potestate filia fuerit, ea tantū mancipia prohibetur manumittere alienareue, quæ in usum filiæ fuerunt tributa. Matrem quoq; prohibuit manumittere alienareue ea mancipia,quæ in ministerium filiæ concesserat. sed & auum & auiam prohibuit manumittere:cum horum quoq; mancipia quæstioni postulari posse lex uoluerit. Sextus Cæcilius recte ait, angustissimum tempus legē præstituisse alienādis manumittendisue seruis. finge(inquit) ream adulterij postulatā intra sexagesimū diem. quæ cognitio tam facile poterit adulterij expediri,ut intra sexagesimū diem finiatur? & tamē licere mulieri(quāuis postulatæ adulterij) seruū suspectum in adulterio,uel quæstioni necessarium (quod ad uerba legis attinet) manumittere. sanè in hunc casum subueniendū est, ut destinati serui, quasi conscij,uel quasi nocentes,nō debeant manumitti ante finitam cognitionem:cum pater mulieris uel mater,si intra sexagesimum diem decedat,ex his seruis,quos in ministerium filiæ dederint,neq; manumittere, neq; alienare poterunt.

XIII. PAVLVS *lib.* III. *de adulterijs.*

QVod si ultra sexagesimum diem manumiserit: seruus statim liber erit.

XIIII. VLPIANVS.

SEd si maritus intra sexagesimū diem decesserit: an manumittere, uel alienare iā possit suprascriptas personas, uideamus. & nō puto posse: quamuis accusatore marito mulier deficiat: cū pater accusare possit. Et simpliciter lex quidem mulierem prohibuit intra sexagesimum diem diuortij manumittere. siue aūt diuertit, siue repudio dimissa sit:manumissio impedietur. sed si morte mariti solutum sit matrimonium,uel aliqua pœna: eius manumissio non impedietur. sed & si bona gratia finierit matrimonium: dicetur manumissionē uel alienationē non impediri. Sed & si constante matrimonio ,dum mulier diuortium cogitat,manumittat uel alienet,& dilucidis probationibus

fuerit adprobatũ: quaſi in fraudem legis hoc factum ſit, non debet alie natio ualere uel manumiſſio. Alienationẽ omnẽ omnino accipere debemus.

XV. PAVLVS.

QVæſitum eſt, an is, qui maieſtatis crimine reus factus ſit, manumittere poſſit, quoniam ante damnationem dominus eſt: & imperator Antoninus Calpurnio Critoni reſcripſit, eo tempore, quo quis propter facinorum ſuorum cogitationem iam de pœna ſua certus eſſe poterat: multo plus cõſcientia delictorum, quàm damnatione ius dandæ libertatis eum amiſiſſe. Iulianus ait. ſi poſtea, quàm pater permiſerit filio manumittere, filius ignorans patrem deceſſiſſe, manumiſerit uindicta: non fieri eum liberum. ſed & ſi uiuit pater, & uolũtas mutata erit: non uideri uolente patre filium manumiſiſſe.

XVI. IDEM.

SI cum fideicommiſſaria libertas debeatur, minor uiginti annis ſeruum uendat, ut manumittatur, uel quia hac lege emit: non impedietur alienatio. Si partem, quam in cõmuni ſeruo habet minor uiginti annis, manumittendi cauſſa tradat: nihil agit. ſed ſi cũ ipſe cauſſam probare poſſet, tradiderit: nulla fraus intelligetur. Ne quis creditorum fraudandorum cauſſa manumittat, hac lege cauetur. creditores autem appellantur, quibus quacunq; ex cauſſa actio cum fraudatore competat. Ariſto reſpondit. à debitore fiſci, qui ſoluendo non erat, manumiſſum ita reuocari in ſeruitutem debere, ſi non diu in libertate fuiſſet, id eſt, non minus decennio. planè ea, quæ in fraudem fiſci in ſinus eius collata ſunt, reuocantur. Si ſub conditione alicui pecunia debeatur: quaſi ſtatuliber erit à debitore manumiſſus: ut pendeat libertas ex conditione. Si uoluntate patris filius maumiſerit: ſiue pater, ſiue filius ſciat, ſoluendo patrem nõ eſſe: libertas impedietur.

XVII. IDEM.

SI priuatus coactus à populo manumiſerit: quamuis uoluntatem accommodauerit: tamen non erit liber. nam & diuus Marcus prohibuit ex acclamatione populi manumittere. Item nõ fit liber, ſi mentitus dominus, ne à magiſtratibus caſtigaretur, dixit eſſe liberum. non enim fuit uoluntas manumittendi. In his, quos intra certa tempora non licet manumittere, ſi teſtamento acceperint libertates: non teſtamenti facti, ſed competentis libertatis tempus inſpiciendum eſt.

XVIII. IDEM.

SI mortis tempore ſoluendo ſit hæreditas, tamen cum aditur, deſierit eſſe ſoluendo: libertas à teſtatore in fraudem creditorum relicta non cõpetet. nam ſicut aucta hæreditas, pdeſt libertatibus, ita nocet deminuta. Si is, cui libertas relicta eſt, iuſſus ſit hæredi dare tantum, quan-

quanti est,& liber esse: uideamus, an adhuc sit fraus creditorum, quia hæres mortis caussa accepturus est:an uero si alius pro eo,uel ipse non de peculio det,nulla sit fraus. sed etsi hæres locuples sit,non proficit ad libertatem:nec qui dat pecuniam,prodesse potest.

XIX. IDEM.

COmpetit libertas data ab eo,qui postea seruꝰ ipse,pnunciatus est.

XX. IDEM.

SI seruo alieno libertas non consentiente domino data est: ualere ex authoritate iuris non potest,quãuis postea manumissor domino hæres exstitit. nam licet ei iure cognationis,qui manumisit,hæres exstitit:non ideo aditione hæreditatis datio confirmatur libertatis.

XXI. IDEM.

MAtrimonij caussa manumitti à nullo alio ancilla potest, cꝫ qui eam uxore ducturus est. quod si alter manumiserit matrimonij caussa,alter eam uxorem ducat:non erit libera. adeo,ut ne si intra sex quidem menses eam repudiatam postea manumissor uxorem duxerit:liberã eam fieri,Iulianus respõderit:quasi de his nuptijs senatus sententiam ferit,quæ post manumissionẽ,nullis alijs interpositis, secutæ fuerint.

XXII. POMPONIVS.

CVtator furiosi seruum eius manumittere non potest.

XXIII. IDEM.

SEmper in fraudem creditorũ libertates dari ab eo,qui sciret se solUendo non esse,quamuis benemerentibus dedisset.

XXIIII. TERENTIVS.

SI quis habens creditores,plures manumiserit: non omnium libertas impeditur: sed qui primi sunt,liberi erunt, donec creditoribus suum soluatur. quam rationẽ Iulianus solet dicere: & uel duobus manumissis si unius libertas fraudetur,non utriusqꝫ, sed alterutrius impediri libertatem:& plerunqꝫ postea scripti: nisi quando maioris precij sit is,qui ante nominatus est,nec sufficiat posteriorem retrahi in seruitutem,prior autem sufficiat. nam hoc casu sequente loco scriptum solum ad libertatem peruenturum.

XXV. POMPONIVS.

IN fraudem creditorum testamento datæ libertates,prioribus creditoribus dimissis,propter nouos creditores irritæ sunt.

XXVI. SCAEVOLA.

PIgnori obligatum seruum debitoris hæres manumisit. quæsitum est,an liber esset? Respondi. secundum ea,quæ proponerentur, si etiam pecunia tunc deberetur, non esse manumissione liberum factum. CLAVDIVS. soluta ergo pecunia, ex illius uoluntate liber fit.

XXVII. HERMOGENIANVS.

QVi in fraudem creditorum manumittitur, liber esse prohibetur: siue dies soluendæ pecuniæ iam cessit, siue in diem, uel sub conditione sit debitū. Diuersa caussa est legati sub conditione relicti. nam ante, quàm conditio exstiterit, inter creditores legatarius iste non habetur. Ex omni aūt caussa creditoribus in hac parte lex Aelia Sentia prospicit: inter quos fideicommissariū etiā esse placuit. Pignori datus seruus, ante quàm debiti nomine fiet satis, sine consensu creditōrū manumitti nō potest. sed pupilli creditoris citra tutoris authoritatem consensus nihil libertati prodest: sicuti nec prodest, si fructuarius pupillus manumissioni similiter consentiat.

XXVIII. PAVLVS.

HAeres seruum proprium, quem testator legauerat, manumittendo, nihil egit: quia scientiæ uel ignorantiæ eius nullam placuit admitti rationem.

XXIX. CAIVS.

GEneraliter pignori datus seruus, sine dubio pleno iure est debitoris, & iustam libertatem ab eo consequi potest, si lex Aelia Sentia non impediat libertatem: id est, si soluendo sit, nec ob id creditores uideantur fraudari. Sub conditione seruus legatus, pendente conditione, pleno iure hæredis est: sed nullam libertatem ab eo consequi potest, ne legatario iniuria fiat.

XXX. VLPIANVS.

SI quis hac lege seruum emerit, ut manumittat, & non manumittente eo seruus ad libertatē ueniat ex cōstitutione diui Marci: an possit ut ingratū accusare, uideamus. & dici potest, cum nō sit manumissor, hoc ius eum non habere. Si filius meus uoluntate mea manumiserit: an ut ingratū accusandi ius habeam, dubitari poterit idcirco, quia non manumisi. sed pro eo habendus sum, ac si manumississem. Sed si castrensem seruum filius meus manumittat: procul dubio hoc ius non habebo: quia non ipse manumisi. ipse planè filius poterit accusare. Tamdiu quis accusare poterit, quàmdiu perseuerat patronus.

Quoties autem patroni libertum uolunt accusare, utrum omnium cōsensus necessarius sit, an uero & unus possit, uideamus. & est uerius, si saltem in unū hoc commiserit, ut ingratum eum accusari: sed omnium consensum necessarium, si sint eiusdem gradus. Si pater libertum uni ex filijs adsignauerit: solum eum accusare posse, Iulianus scripsit. solum enim patronum eum esse.

XXXI. TERENTIVS.

QVæsitum est, si libertam patronus iureiurando adegisset, ne ea liberos

beros impuberes habens nuberet, quid iuris esset? Iulianus dicit, non uideri contra legem Aeliam Sentiam feciſſe eum, qui non perpetuam uiduitatem libertæ iniunxiſſet.

XXXII. IDEM.

SI non uoluntate patroni is, qui in eius poteſtate ſit, iuſiurandū adegerit, uel ſtipulatus fuerit, ne nubat: niſi ſi id patronus remittat, aut liberet libertā, incidit in legē. uidebitur eñ idipſum dolo malo facere.

Non phibent lege Aelia Sentia patroni à libertis mercedes capere, ſed obligare eos. itaq; ſi ſpōte ſua liberta mercedē patrono præſtiterit: nullū legis hnius præmiū cōſequetur. Is, qui operas, aut in ſingulas eas certam ſummam promiſit, ad hanc legem non pertinet: quoniam operas præſtando poteſt liberari. idem Octauenus probat. & adiecit. obligare ſibi libertum, ut mercedem operarum capiat, & is intelligitur, qui hoc ſolum agit, ut utiq; mercedem capiat, etiā ſi ſub titulo operarum eam ſtipulatus fuerit.

DE IVRE AVREORVM ANVLORUM. Tit. X.

I. PAPINIANVS.

INter cæteros alimenta liberto relicta non idcirco minus debentur, quia ius anulorum aureorum ab Imperatore libertus acceperit. diuerſum in eo probatur, qui iudicatus ingenuus, colluſione per alium patronum detecta, nus reliquerat, præberi deſiderat. hunc enim etiam beneficium anulorum amittere placuit.

II. IDEM.

SI intra quinq; annos pro ingenuitate ſententia dicta reſciſſa fuerat: uictum aureorum anulorum beneficium, quod ante ſententiam dictā pro ingenuitate acceperat, ac depoſuerat, non retinuiſſe reſpondi.

III. NERATIVS.

DIuus Commodus etiam ius anulorum datum ademit illis, qui inuitis aut ignorantibus patronis acceperant.

IIII. PAVLVS.

ETiam fœminæ ius aureorum anulorum impetrare poſſunt. ſed & iura ingenuitatis impetrare, & natalibus reſtitui poterunt.

V. VLPIANVS.

QVi ius anulorum aureorum impetrauit, ut ingenuus habetur, quamuis ab hæreditate eius patronus non excludatur.

VI. IDEM.

LIbertinus si ius anulorum impetrauerit: quamuis iura ingenuitatis saluo iure patroni nactus sit: tamen ingenuus intelligit. & hoc diuus Hadrianus rescripsit.

DE NATALIBVS RESTITVENDIS. Tit. XI.

I. VLPIANVS.

A Principe natalibus suis restitutum eum, qui se ingenuũ natum principi adfirmauit, si ex ancilla natus est, nihil uideri impetrasse.

II. MARCELLVS.

INterdum & si serui nati sint, ex post facto iuris interuentu ingenui fiũt. ut ecce si libertinus à principe natalibus suis restitutus fuerit. illis enim utiq; natalibus restituitur, in quibus initio omnes homines fuerunt, non in quibus ipse nascebatur, cum seruus natus sit. hic eñ (quantũ ad totũ ius pertinet) perinde habetur, atq; si ingenuus natus esset: nec patronus eius potest ad successionẽ uenire. ideoq; Imperatores non facile solent quenq; natalibus restituere, nisi consentiente patrono.

III. SCAEVOLA *lib. VI. responsorum respondit.*

QVæris, an ingenuitatis iure utatur is, quem sanctissimus & nobilissimus Imperator natalibus suis restituit. sed ea res nec dubitationem habet, nec unquã habuit: quoniã exploratũ est, ad omnẽ ingenuitatis statum restitui eum, qui isto beneficio principis utatur.

IIII. PAVLVS.

NEc filio patroni inuito libertus natalibꝰ suis restitui potest. quid enim interest, ipsi patrono, an filio eius fiat iniuria?

V. MODESTINVS.

PAtrono consentiente debet libertus ab Imperatore natalibus restitui. ius enim patroni hoc impetrato amittitur. Libertinus, qui natalibus restitutus est, perinde habetur, atq; si ingenuus natus medio tempore maculam seruitutis non sustinuisset.

DE LIBERALI CAVSSA. Tit. XII.

I. VLPIANVS.

SI quando is, qui in possessione seruitutis constitutus est, litigare de conditione sua non patiẽ (quod forte sibi suoq; generi uelit aliquam iniuriam inferri:) in hoc casu æquũ est quibusdam personis dari licentiam pro eo litigare: ut puta

puta parenti,qui dicat filium in sua potestate esse.nam etiam si nolit filius,pro eo litigabit.sed & si in potestate non sit parentis, dabitur huius:quia semper parentis interest,filium seruitutem non subire. uersa enim uice dicimus liberis parentum etiam inuitorum eandem facultatem dari.nec enim modica filij ignominia est,si parentē seruum habeat.idcirco iussum est,cognatis etiam hoc dari debere.

II. CAIVS *ad edictū prætoris urbani,tit. de liberali caussa.*

QVoniam seruitus eorum ad dolorem nostrum iniuriamq; nostram porrigitur.

III. VLPIANVS.

AMplius puto,naturalibus quoq; hoc idem præstandum:ut parēs filiumin seruitute quæsitum & manumissum possit in libertatem uindicare. Militi etiam pro necessarijs sibi personis de libertate litigare permittitur. Cum uero talis alius nemo est,qui pro eo litiget:tūc necessarium est dari facultatem etiam matri, uel filiabus, uel sororibus eius,cæterisq; mulieribus,quæ de cognatione sunt, uel etiā uxori,adire prætorem,& hoc indicare, ut caussa cognita inuito ei succurratur. Sed & si libertū meū uel libertam dicā:erit idem dicendū.

IIII. CAIVS *ad edictū prætoris urbani,tit. de liberali caussa.*

Sed tunc patrono conceditur pro liberate liberti litigare, si eo ignorante libertus uenire se passus est.

V. VLPIANVS.

INtereſt enim nostra libertos libertasq; habere.quod si plures ex memoratis personis existant,qui uelint pro his litigare:prætoris partes interponendæ sunt,ut eligat,quem potissimum in hoc esse existimet. quod & in pluribus patronis obseruari debet.

VI. CAIVS *ad edictū prætoris urbani, tit. de liberali caussa.*

BEnignius autem hoc sequendū est,& si furiosus uel infans sit,qui in seruitutē trahitur:ut non solum necessarijs personis, sed etiam extraneis hoc permittatur.

VII. VLPIANVS.

LIberis etiam hominibus,maxime si maiores uiginti annis uenundari se passi sunt, uel in seruitutem quaqua ratione deduci: nihil obest,quo minus possint in libertatem proclamare:nisi forte se uenundari passi sunt,ut participarent precium. Si quis minor uiginti annis ad partiendum precium uenundari se passus est: nihil ei hoc post annos uiginti nocebit. sed si ante quidem se uenundedit, post uicesimum autem annum precium partitus est: poterit ei libertas denegari.

Si quis sciens liberum emerit:non denegatur uendito in libertatē proclamatio aduersus eum,qui eum comparauit,cuiuscūq; sit ætatis,

qui

qui emptus est: idcirco, quia non est uenia dignus, qui emit, etiam si scientem prudentemq; se liberum emerit. sed enim si postea alius eum emerit ab hoc, qui sciuit, ignorans: deneganda est ei libertas. Si duo simul emerint partes, alter sciens, alter ignorans: uidendum erit, numquid is, qui scit, non debeat nocere ignoranti. quod quidem magis est. sed enim illa erit quæstio: partem solam suam habebit is, qui ignorauit, an totũ? & quid dicemus de altera parte? an ad eum, qui scit, pertineat? sed ille indignus est quid habere, qui sciens emit. rursum qui ignorauit, non potest maiorem partem dominij habere, quàm emit. euenit igitur, ut ei prosit, qui eum comparauit sciens, quod alius ignorauit. Sunt & aliæ causſæ, ex quibus in libertatem proclamatio denegatur: ueluti si quis ex eo testamento liber esse dicatur, quod testamentum prætor aperiri uetat, quia testator à familia necatus esse dicatur: cũ enim in eo sit iste, ut supplicio forte sit afficiendus: non debet liberale iudicium ei concedi. sed & si data fuerit: quia dubitatur, utrum nocens sit, an innocens: differtur liberale iudicium, donec constet de morte eius, qui necatus est. apparebit enim, utrũ supplicio afficiendus sit, an non. Si quis ex seruitute in libertatem proclamet: petitoris partes sustinet. si uero ex libertate in seruitutem petatur: is partes actoris sustinet, qui seruum suum dicit. Igitur cum de hoc incertum est, ubi possit iudicium ordinem accipere: hoc ante apud eum, qui de libertate cogniturus est, disceptatur, utrum ex libertate in seruitutem, an contra agatur. & si forte apparuerit eum, qui de libertate sua litigat, in libertate sine dolo malo fuisse: is, qui dominum se dicit, actoris partes sustinebit, & necesse habebit seruum suum probare. quod si pronunciatum fuerit eo tempore, quo lis præparabatur, in libertate eum non fuisse, aut dolo malo fuisse: ipse, qui de sua libertate litigat, debet se liberum pbare.

VIII. IDEM.

*aliàs desunt

COgnitio de liberali causſa usufructuario datur, etiam si dominus quoq; uelit* (hoc est qui se dominum dicit) mouere statu controuersiam. Si plures sibi dominium serui uindicent, dicentes communem: ad eundem iudicem mittendi erunt, & ita senatus censuit. cæterum si unusquisq; suum esse in solidum, non in partem dicat: cessat senatusconsultum. nec enim timor est, ne uarie iudicetur, cum unusquisq; in solidum dominium sibi uindicet. Sed & si alter usumfructũ totum, alter proprietatem serui uindicet: item si alter dominij sui, alter pignoratum sibi dicat: idem iudex erit. & parui refert, ab eodem, an ab alio ei pignori datus sit.

IX. CAIVS *ad edictum prætoris urbani, tit. de liberali causſa.*

SI pariter aduersus eum, qui de libertate litigat, consistant fructuarius &

us & proprietarius: fieri potest, ut alteruter absit. quo casu an præsenti soli permissurus sit prætor aduersus eum agere, dubitari potest: quia non debet alterius collusione aut inertia alterius ius corrumpi. sed rectius dicitur, etiam alterutri eorum permittendum agere, ut alterius ius incorruptum maneat. quod si adhuc nondum finito iudicio superuenerit, ad eundē iudicem mittetur: nisi iustam causam adferat, quare ad eum mitti non debeat: forte si eum iudicem inimicum sibi esse adfirmet. Idem dicemus, & si duo pluresue domini esse dicātur, & quidam præsto sint, quidam aberint. unde in utroque casu dispiciamus, an si qui prior egit, uictus sit, prosit ei, quod posterior uicerit, uel contra: id est, ut cum omnino alteruter uicerit, prosit etiam alteri: sicut prodest hæredi liberti, quod in fraudem patroni serui manumissi sunt. si cui placeat prodesse: consequens est, ut cum idem petat, exceptioni rei iudicatæ obijciatur replicatio. si cui uero placeat non prodesse: is habebit sequentem dubitationem: utrum id, in quo quis uictus est, nullius erit: an eius esse debeat, cum quo actum sit: an potius eius, qui uicerit: scilicet ut utilis actio detur ei, qui uicit: minime autem prætor pati debeat, ut pro parte quis seruus sit.

X. VLPIANVS.

QVod autem diximus, IN LIBERTATE FVISSE, sic est accipiendum, ut nō se liberum doceat is, qui liberale iudicium patitur, sed in possessione libertatis sine dolo malo fuisse. quid sit autem SINE DOLO MALO, uideamus. nam Iulianus ait, omnes, qui se liberos putant, sine dolo malo in libertatem fuisse: si modo se pro liberis gerant, quamuis serui sint. Varus etiā scribit eum, qui se liberum sciat, dum in fuga sit, non uideri sine dolo malo in libertate esse: sed simul atq; desierit quasi fugitiuus se cælare, & pro libero agere, tunc incipere sine dolo malo in libertate esse. etenim eum ait, qui scit se liberū, deinde pro fugitiuo agit: hoc ipso, quod in fuga sit, pro seruo agere.

XI. CAIVS *ad edictum prætoris urbani, tit. de liberali caussa.*

LIcet fugæ tempore pro libero se gessit: dicemus tamen eum in eadem caussa esse.

XII. VLPIANVS.

IGitur sciendum est, & liberū posse dolo malo in libertate esse, & seruum posse sine dolo in libertate esse. Infans subreptus bona fide in seruitute fuit, cum liber esset. deinde cum de statu ignarus esset, recessit, & clam in libertate morari cœpit. hic non sine dolo malo in libertate moratur. Potest & seruus sine dolo malo in libertate morari: utputa testamento accepit libertatem, quod nullius momenti esse ignorat: uel uindicta ei imposita est ab eo, quem dominum esse puta-

uit,cum non esset:uel educatus est quasi liber,cum seruus esset. Et generaliter dicendum est: quoties quis iustis rationibus ductus, uel non iustis, sine calliditate tamen,putauit se liberum, & in libertate moratus est:dicendum est,hunc in ea caussa esse, ut sine dolo malo in libertate fuerit, atq; ideo commodo possessoris fruatur. probatio autem ad id tempus refertur,cum sine dolo malo in libertate fuerit, quo primum in ius aditum est. Si operæ alicui debeantur: is quoq; liberali iudicio experiri potest. Si quod damnum mihi dederit, qui ad libertatem proclamat, illo tempore,quo bona fide mihi seruiebat:uelut si ego bona fide dominus noxali iudicio conuentus,& condemnatus,litis æstimationem pro eo obtuli:in id mihi condemnabitur.

XIII. CAIVS *ad edictum prætoris urbani,tit. de liberali caussa.*

ILlud certum est,damnum hoc solum in hac actione in factum dedu ci,quod dolo,non etiam quod culpa factum sit.ideoq; licet absolutus hoc iudicio fuerit:adhuc tamen postea cum eo poterit lege Aquilia agi,cum ea lege etiam ex culpa teneatur.Item certũ est,tam res nostras,quàm res alienas,quæ tamen periculo nostro sunt, in hanc actionem deduci: ueluti commodatas, & locatas. certe depositæ apud nos res,quæ periculo nostro non sunt,ad hanc actionem non pertinent.

XIIII. VLPIANVS.

REctissime prætor calliditati eorum,qui cum se liberos scirent,dolo malo se passi sunt pro seruis uenũdari,occurrit.dedit enim in eos actionem:quæ actio toties locũ habet,quoties non est in ea caussa is,qui se uenire passus est, ut ei ad libertatem proclamatio denegetur. dolo autem feciſſe non eum accipimus,qui non ultro instruxit emptorem,sed qui decepit:

XV. PAVLVS.

SIue uirilis sexus, siue fœminei sit: dummodo eius ætatis sit,ut dolum capiat.

XVI. VLPIANVS.

IMò eum,qui finxit se seruũ,& sic uenit decipiendi emptoris caussa. si tamen ui metuq; compulsus fuit hic, qui distractus est: dicemus eum dolo carere. Tunc habet emptor hanc actionem,cum liberum esse nesciret. nam si scit liberum, & sic emit:ipse se circũuenit. quare si filiusfamilias emit:siquidem ipse scit,pater autem ignorauit:non adquisierit patri actionem.hoc si peculiari nomine egerit. cæterum si patre mandante:hic quæritur,an filij scientia noceat? & puto adhuc nocere,quemadmodũ procuratoris noceat. Planè si filius ignorauit, pater scit:adhuc dico repellendum patrem, etiam si peculiari nomine filius emit:si modo pater præsens fuit,potuitq; filium emere prohibere.

Pau-

XVII. PAVLVS.

IN ſeruo,& in eo,qui mandatu noſtro emit,tale eſt: ut ſi certum hominem mandauero emi,ſciens liberum eſſe:licet is, cui mandatum eſt,ignoret:idem eſt,& non competet ei actio. Contra aũt,ſi ego ignorauj,procurator ſcit:non eſt mihi deneganda.

XVIII. VLPIANVS.

IN tantum ergo tenetur, quantum dedit, uel in quantum obligatus eſt,ſcilicet in duplum. ſed utrum preciũ tantum, an etiam id, quod precio acceſſit,duplicetur,uideamus. & putem,omne omnino, quod propter emptionem uel dedit,

XIX. PAVLVS.

VEl permutauit,uel compenſauit eo nomine.nam & is dediſſe intelligendus eſt.

XX. VLPIANVS.

VEl obligatus eſt:duplicari debere.proinde ſi quid cuidã ob hanc actionem licito iure dedit:dicendum eſt,in hoc edictum cadere, duplariq;. Obligatum,uel ipſi uenditori accipere debemus,uel alij obligatum.nam quod dedit,ſiue ipſi uenditori, ſiue alij iuſſu eius, ſiue ipſe,ſiue alius pro eo:æque continebitur. Obligatum accipere debemus,ſi exceptione tueri ſe non poteſt. cæterum ſi poteſt:dicendum eſt,non eſſe obligatum. Interdum euenit,ut is,qui comparauit,habeat in quadruplum actionem. nam in ipſum quidem, qui ſciens pro ſeruo uenit, hanc habet in duplum actionem : & præterea in uenditorem,uel eum,qui duplam promiſit,in duplum actio eſt.

XXI. MODESTINVS.

VTiq; eius duplum,quod propter emptionem uel dedit, uel obligatus eſt.ſecundũ quæ id,quod alter eorum ſoluit, nihil ad exonerandum alterum pertinebit: quia placuit hanc actionem pœnalem eſſe.& ideo poſt annũ non datur:nec cũ ſucceſſoribus,cum ſit pœnalis, agetur. Igitur actionẽ,quæ ex hoc edicto oritur,manumiſſione non extingui, rectiſſime dicitur: quia uerum eſt auctorẽ conueniri nõ poſſe, poſt quam ad eum,qui ad libertatem proclamauit, perueniatur.

XXII. VLPIANVS.

NOn ſolus aũt emptor,ſed & ſucceſſores eius hac in factum actione agere poterunt. Emere ſic accipiemus,etiam ſi per alium quis emerit,utputa procuratorem.ſed & ſi plures emerint, omnes habebunt actionem hanc,ſic tamen, ut ſiquidem pro partibus emerint, pro parte precij habeant actionem. enimuero ſi unuſquiſq; in ſolidum emit: quiſq; in ſolidum habebit actionem, nec alterius ſcientia alteri nocebit, uel ignorantia proderit. Si eum liberum eſſe emptor neſcit,

postea autem scire cœpit: hoc ei non nocebit: quia tunc ignorauit. sed si tunc sciuit, postea dubitare cœpit: nihilum proderit. Et hæredi & cæteris successoribus scientia sua nihil nocet, ignorãtia nihil prodest. sed si per procuratorem scientem quis emerit: ei nocet, sicuti tutoris quoq; scientiam nocere, Labeo putat. Hæc actio post annum non datur, cum sit honoraria, sit autem & pœnalis.

XXIII. PAVLVS.

SI usumfructum tibi uendidero liberi hominis, & cessero: seruũ efficiem dicebat Quintus Mutius. sed dominiũ ita demum fieri meũ, si bona fide uẽdidisset. alioquin sine domino fore. In summa sciendũ est, quæ de uenditis seruis, quib9 negatur ad libertatẽ, proclamatio, dicta sunt: etiã ad donatos, & in dotẽ datos referri posse, item ad eos, qui pignori se dari passi sunt. Si mater & filio de libertate litigãt: aut coniungenda sunt utrorũq; iudicia, aut differenda est causa filij, donec de matre constet, sicut diuus quoq; Hadrianus decreuit. nam cum apud alium iudicem mater litigabat, apud alium aũt filius: Augustus dixit, ante de matre constare oportere, sic dein de filio cognosci.

XXIIII. IDEM.

ORdinata liberali causa, liberi loco habetur is, qui de statu suo litigat: ita ut aduersus eum quoq;, qui se dominum esse dicit, actiones ei non denegentur, quascunq; intendere uelit. quid enim, si tales sint, quæ tempore aut morte intereant? quare nõ concedatur ei litem contestando in tutum eas redigere? quin etiam Seruius ait, in actionibus annuis ex eo tempore annum cedere, ex quo lis ordinata sit. Sed si cum alijs experiri uelit: non est quærendum, an lis ordinata sit: ne inueniatur ratio, quemadmodum subiecto aliquo, qui libertati controuersiam moueat, interim actiones excludantur. æque enim ex euentu iudicij liberalis aut utilis aut inanis actio eius efficietur. Sed si quas actiones inferat dominus: quæritur, an compellendus sit suscipere iudicium? & plerisq; existimant, si in personam agat, suscipere ipsum ad litis contestationem: sed sustinendum iudicium, donec de libertate iudicetur. nec uideri præiudicium libertati fieri, aut uoluntate domini in libertate eum morari. Nam ordinato liberali iudicio, interim pro libero habetur: & sicut ipse aget, ita cum ipso quoq; agi potest. cæterum ex euentu aut utile iudicium erit, aut nullum, si contra libertatem pronunciatum fuerit. Si is, qui in libertatem proclamat, furti aut damni iniuria ab aliquo arguatur: Mela ait, interim eum cauere debere iudicio se sisti: ne melioris conditionis sit, qui dubiæ libertatis est, quàm qui certæ. sed sustinendum iudicium, ne præiudicium libertati fiat. æque si cum possessore hominis furti agi cœperit, deinde is, cuius nomi

nomine agebatur,in libertatem proclamauerit: sustinendum iudicium,at si liber iudicatus sit,in ipsum transferatur iudicium:& si damnatio facta sit,iudicati actionem potius in eum dandam.

XXV. CAIVS.

SI cui de libertate sua litiganti optio legata sit:quæcunq; de hæreditate ei relicta dicuntur,eadem & de optione tractari possunt. Interdum ex integro datur ad libertatem proclamatio: ueluti ei, qui adfirmat ideo se primo iudicio uictum,quod statuta libertas nondum ei obtigerat,quã nunc dicit sibi obtigisse. Licet uulgo dicatur,post ordinatum liberale iudicium hominem,cuius de statu controuersia est, liberi loco esse: si tamen seruus sit: certum est nihilominus eum, quod ei trãdatur uel stipuletur, perinde domino adquirere, atque si non de libertate eius quæreretur.tantum de possessione uidebimus, cũ ipsum post litem ordinatam desinat dominus possidere. sed magis est, ut adquirat, licet ab eo nõ possideatur. & cum placuit per fugitiuum quoq; nos possessionem adquirere posse: quid mirum,etiam per hunc, de quo quærimus,adquiri.

XXVI. IDEM.

QVi ex libertate in seruitutem petit, si iudicij de euictione seruandi caussa contra libertatem agit: iniuriarum actione non conuenietur.

XXVII. VLPIANVS.

DIui fratres Proculo & Munatio rescripserunt.cum Romulus,de cuius statu quæritur, pupillaris ætatis sit: an exigente Variahedone matre, & consentiente eius tutore, ad tempus pubertatis caussa differenda sit: uestræ grauitatis est,ex fide personarum, quod utile est pupillo,constituere. Si ea persona desit cognitioni,quæ alicui status cõtrouersiam faciebat:in eadem caussa est,qui de sua libertate litigat, qua fuit prius,cũq; de libertate controuersiam pateretur. sanè hoc lucratur, quod is,qui eam status controuersiam fecit, amittat suã caussam. nec ea res ingenuum facit eum,qui non fuit.nec enim penuria aduersarij ingenuitatem solet tribuere.Sed recte atq; ordine iudices puto facturos,si hanc formã fuerint secuti:ut ubi deest is,qui in seruitutem petit, electionem aduersario deferant, utrum malit cognitionem circunduci,an audita caussa sententiam proferri. & si cognouerint: pronunciare debebunt seruum illius nõ uideri.neq; hæc res captionem ullam habet,cum ingenuus non pronuncietur,sed seruus nõ uideri. Quod si ex seruitute in ingenuitatem quis se allegat:melius fecerint,si cognitionem circũduxerint,ne sine aduersario pronuncient ingenuum uideri:nisi magna caussa suadeat,& euidentes probationes suggerãt secun-

dum libertatem pronunciandum, ut etiam rescripto Hadriani continetur. Quod si is, qui pro sua libertate litigat, desit, contradictor uero præsens sit: melius erit agi causam eius, sententiamq; proferri. si enim liquebit: contra libertatem dabit. euenire autem potest, ut etiã absens uincat. nam potest sententia etiam secundum libertatem ferri.

XXVIII. POMPONIVS.

NOn uidetur domini uoluntate seruus in libertate esse, quem dominus ignorauit suum esse. & hoc est uerum. is enim demum uoluntate domini in libertate est, qui possessionem libertatis ex uoluntate domini consequitur.

XXIX. FVRIVS ANTHINVS *lib. I. ad edictum.*

QVi de libertate sua litigans, necdum sententia data militiæ se dedit: in pari causa cum cæteris seruis habendus est. nec exonerat eum, quod pro libero habeatur in quibusdam. & licet liber apparuerit, erit exauthoratus, *(id est militia remotus, castris deijcitur:) utiq; qui ex seruitute in libertatem petitus fuit, uel qui non sine dolo malo in libertate moratus est. qui uero per calumniã petitus in seruitutem est: in militia retinebitur. Qui ingenuus pronunciatus est, si se militiæ dedit: intra quinquennium retractata sententia, nouo domino reddendus est.

*hæc ads desunt.

XXX. IVLIANVS.

DVobus petentibus hominem in seruitutem pro parte dimidia separatim, si uno iudicio liber, altero seruus iudicatus est: commodissimum est, eòusq; cogi iudices, donec consentiant. si id non contingat: Sabinum refertur existimasse, duci seruum debere ab eo, qui uicisset. cuius sententiæ Cassius quoq; est, & ego sum. & sanè ridiculum est, arbitrari eum pro parte dimidia duci, pro parte libertatem eius tueri. commodius est autem, fauore libertatis liberum quidem eum esse: cõpelli autem precij sui partem uiri boni arbitratu uictori suo præstare.

XXXI. VLPIANVS

FIliũ ob hoc, quod patri hæres exstitit, prohiberi â patre suũ seruũ manumissum in seruitutem petere.

XXXII. PAVLVS.

DE bonis eorum, qui ex seruitute aut libertinitate in ingenuitatẽ uindicati sunt, senatusc̃ consultũ factum est, quo cauetur de his quidem, qui ex seruitute defensi essent, ut id duntaxat ferrent, quod in domum cuiusq; intulissent. in eorum autem bonis, qui post manumissionem repetere originem suã uoluissent, hoc amplius: ut quod post manumissionem quoq; adquisissent, nõ ex re manumissoris: secũ ferrent, cætera bona relinquerent illi, ex cuius familia exissent.

XXXIII. IDEM.

Qui

QVi sciens liberũ emit, quãuis & ille se pateretur uenire: tamen nõ potest contradicere ei, qui ad libertatem proclamat. sed si alij eũ ignoranti uendiderit: denegabitur proclamatio.

XXXIIII. VLPIANVS.

IMperator Antoninus constituit, non aliàs ad libertatem proclamationem concedendã cuiquam, nisi prius administrationẽ rationũ reddidisset, quas cum in seruitute esset, gessisset.

XXXV. PAPINIANVS.

SEruos ad templi custodiã, quod ædificari Titia uoluit, destinatos, neq; manumissos, hæredis esse constitit.

XXXVI. IDEM.

DOminus, qui obtinuit, si uelit seruum suum abducere: litis æstimationem pro eo accipere non cogetur.

XXXVII. CALLISTRATVS.

CONuentio priuata neq; seruum quenquam, neq; libertum alicuius facere potest.

XXXVIII. PAVLVS.

PAulus respondit. si (ut proponitur) post perfectam sine ulla conditione emptionem postea emptor ex uoluntate sua literas emisit, quibus profiteretur se post certum tempus manumissurum eum, quẽ emerat: non uideri eas literas ad constitutionem diui Marci pertinere.

Idem respondit. constitutionem quidem diui Marci ad eorũ mancipiorum libertatem pertinere, quæ hac lege uenissent, ut post tempus manumitterentur: sed eundẽ fauorẽ libertatis cõsequendæ caussa etiã eã mereri, pro qua dominus preciũ accepisset, ut ancillã suã manumitteret: cum idem etiã libertam habiturus esset. Quæsitum est, an emptor seruo recte libertatem dederit, nondum precio soluto? Paulus respondit. seruum, quem uenditor emptori tradidit, si ei pro precio satisfactum sit: & nondum precio soluto, in bonis emptoris esse cœpisse.

Caius Seius Stichum seruum Lucio Titio uẽdidit ita, ut Titius Stichum post triennium manumitteret, si cõtinuo triennio seruisset. sed nondum exacto tempore triennij Stichus fugit, & post aliquantulum temporis defuncto Titio reuertitur. quæro, an obstet Sticho ad consequendam ex uenditione libertatem, quod ante triennium discesserit? Paulus respondit. secundum ea, quæ proponuntur, expleto tempore, post quod Stichus manumitti debuit, libertatem ei competisse.

XXXIX. IDEM.

CVi necessitas probandi de ingenuitate sua non incumbit: ultro si ipse probare desideret, audiendus est. Qui de ingenuitate conuincunt, de calumnia eius, qui temere controuersiam mouit, ad mo-

dum

dum exilij possunt ferre sententiam. Tutores uel curatores pupillorum, quorum tutelas & res administrauerint, postea status quæstionē facere non possunt. Maritus uxori, eidemq; libertæ status quæstionem inferre non prohibetur.

XL. HERMOGENIANVS.

CVm pacto partitionis precij maior uiginti annis uenalem se præbuit: nec post manumissionem ad libertatē proclamare potest.

XLI. PAVLVS.

LIberalis caussa si in obscuro sit, in quo fuerit statu is, qui prō libertate sua litigat: prior audiendus est, probare uolens, seipsum in libertatis possessione esse. iudex autem, qui de libertate cognoscit, etiam de rebus amotis, damnoue magno facto cognoscere debet. fieri enim potest, ut fiducia libertatis & subripere quædā, & corrumpere, atq; cōsumere ex bonis eorum, quibus seruiebat, ausus sit.

XLII. IABOLENVS. *lib.* VI. ἐπιτολῶν.

SI seruus, quem emeras, ad libertatem proclamauit, & ab iudice per speram pro eo iudicatum est, & dominus eius serui post rem contra te iudicatam te hæredē fecit, aut alio quo nomine is tuus esse cœpit: petere eum tuū esse poteris, nec tibi obstabit rei iudicatæ præscriptio. Labeonis hæc uerba sunt.

XLIII. POMPONIVS.

DE his, qui bona eorum, quibus seruiebant, intercepissent, deinde ad libertatem proclamassent, Hadrianus imperator rescripsit, cuius rescripti uerba sunt hæc. sicut non est æquum fiducia libertatis, quæ ex fideicommissi caussa præstanda est, intercipere hæreditariam pecuniam: ita nec libertati præstandæ morā quæri oportet. quàm primum ergo arbitrum dari debere, apud quem constaret, quid seruari posset hæredi, antequàm ad seruum manumittendum compelleretur.

XLIIII. VENVLEIVS.

LIcet dubitatum antea fuit, utrum seruus duntaxat, an libertus iurando patrono obligaretur in his, quæ libertatis caussa imponuntur: tamen uerius est, non aliter, quàm liberum, obligari. Ideo autem solet iusiurandum à seruis exigi, ut hi religione adstricti, postea, quàm suæ potestatis esse cœpissent, iurandi necessitatem haberent: dummodo in continenti, cum manumissus est, aut iuret, aut promittat. Licet autem circa donum, munus, operas, etiam uxorum personas inferre. In eum, qui impubes iurauerit (qui & iurare potuerit) danda est utilis actio operarum nomine: cum pubes tamen factus erit. potest tamen & impubes operas dare, ueluti si nomenclator sit, uel histrio.

Qui-

QVIBVS AD LIBERTATEM PROCLAMARE NON LICET. TIT. XIII.

I. VLPIANVS.

MAiores uiginti annis ita demum ad libertatem proclamare non possunt, si precium ad ipsum, qui uenit, peruenerit. ex cæteris autem causis, quamuis maior uiginti annis se uenundari passus sit, ad libertatem ei proclamare licet. minori autem uiginti annis ne quidē ex causa suprascripta debet denegari libertatis proclamatio: nisi maior uiginti annis factus durauit in seruitute. tunc enim si precium partitus sit: dicendum erit denegari ei debere libertatis proclamationem.

II. MARCELLVS.

SEruum quis per uim à Titio accepit, & testamento liberum esse iussit. quanquam soluendo decesserit: non erit ille liber. alioquin fraudabitur Titius, qui non procedente quidem libertate cum hærede eius agere potest. & si ad libertatem seruus peruenerit: nullam actionem habiturus est: quia nihil uidebitur hæres ex defuncti dolo consecutus.

III. POMPINIVS.

HIs, qui passi sunt se uenire, ad libertatem proclamandi licentiam denegari. quæro, an & ad eos, qui ex mulieribus, quæ se passæ sunt uenire, nascuntur, ista senatusconsulta pertineant? dubitari non potest, quin ei quoq; , quæ maior annis uiginti se uenire passa est, ad libertatem proclamandi licentia fuerit deneganda. His quoq; danda nō est, qui ex ea nati tempore seruitutis eius erunt.

IIII. PAVLVS.

LIcinius Rufinus Iulio Paulo. is, cui fideicommissa libertas debebatur, post uicesimum annum se uenire passus est. quæro, an denegandum sit ei ad libertatem proclamare? mouet me exemplū cuiusuis liberi hominis. nam etsi cum consecutus esset libertatem, se uendi disset: denegaretur ei ad libertatem proclamare. nec debet meliore loco intelligi, qui in seruitute constitutus, passus est se uenundari, quàm si esset libertatem consecutus. sed è contrario mouet me, quod in hoc, de quo quæritur, uenditio constitit, & est, qui ueneat. in libero autem homine neq; uenditio constitit, & nihil est, quod ueneat. peto itaq; me ut pleniſſime instruas. Respondit. uenditio quidem tam serui, quàm liberi contrahi potest, & de euictione stipulatio contrahitur. non enim de eo loquimur, qui sciens liberum emit. nam aduersus hunc nec ad libertatē proclamatio denegatur. Sed is, qui adhuc seruus est, etiam in-

uitus uenire potest: quamuis & ipse in eo malus sit, quod de conditione sua dissimulat: cum in sua potestate habeat, ut statim ad libertatem perueniat. quod quidem non potest ei imputari, cui nondum libertas debetur. pone statu liberum passum se uenundari. nemo dicturus est, superueniente conditione, quæ non fuit in eius potestate, libertatis petitionem ei denegandã. Idem puto, & si in ipsius potestate fuerit conditio. sed in proposito magis probandum est, ut denegetur ei libertatis petitio, qui potuit petere libertatem, & maluit se uenundari: quia indignus est auxilio prætoris fideicommissarij.

V. IDEM.

SI duo liberum hominem maiorem annis uiginti emerimus, unus, sciens conditionem eius, alter ignorans: non propter eum, qui scit, ad libertatem ei proclamare permittitur: sed propter eum, qui ignorat, seruus efficitur: licet non etiam eius, qui scit, sed tantum alterius.

SI LIBERTVS INGENVVS ESSE DICETUR. Tit. XIIII.

I. MARCELLVS.

SI libertus alterius alio agente ingenuus pronunciatus esse dicetur: sine ulla exceptione temporis patronus eius cognitionem solet exercere.

II. MASVRIVS SABINVS.

QVi se uenire passus esset maiorem, scilicet ut ad ipsum precium perueniret: prohibendum de libertate contendere, diuus Hadrianus constituit. sed interdum ita contendendum permisit, si precium reddidisset. Qui ex libertinitate ingenuitati se adserunt: non ultra quiuquennium, quàm manumissi fuerunt, audientur. Qui post quinquennium instrumenta se ingenuitatis reperisse adseuerant: de ea re ipsos principes adire oportet cognituros.

III. POMPONIVS.

HOc sermone AGNITIS NATALIBVS, de nullis alijs intelligendum est senatum sensisse, quàm ingenuis. Verbo aũt RELIQVERVNT, etiam hoc intelligendum est: ut quæcunq; ex re eius, à quo manumissi erant, adquisita habebãt, restituant. sed id quemadmodum accipiendum sit, uidendum est: utrum ne ea, quæ ignorantibus dominis abstulissent, item quod ex re eius adquisitum esset, reddere debeant: an uero etiam quæ concessa & donata à manumissoribus amplexi essent. quod magis est.

IIII. PAPINIANVS.

Hæc

HAec oratio, quæ prohibet apud consules aut præsides prouinciarum post quinquennium à die manumissionis in ingenuitatem proclamare: nullam caussam aut personam excipit.

V. IDEM.

PAtronum post quinquennium sententiæ pro ingenuitate dictæ, quo ignorante res iudicata est, nõ esse præscriptione temporis submouendum, respondi.

VI. VLPIANVS.

QVoties de hoc contenditur, an quis libertus sit: siue operæ petantur, siue obsequium desideretur, siue etiam famosa actio intendatur, siue in ius uocetur, qui se patronum dicit, siue nulla caussa interueniat: redditur præiudicium. sed & quoties quis libertum se quidem confitetur, libertum autem Caij Seij se negat: idem præiudicium datur. redditur autem alterutro desiderante: sed actoris partib9 semper, qui se patronum dicit, fungitur: probare cog libertum suum esse necesse habet, aut (si non probet) uincitur.

NE DE STATV DEFVNCTORVM POST quinquennium quæratur. Tit. XV.

I. MARTIANVS.

DE statu defunctorum post quinquennium quærere non licet, neq; priuati, neq; fisci nomine. sed nec eius status retractandus est, qui intra quinquennium decessit, si per huius quæstionem præiudicium futurum est ante quinquennium mortuo. imò nec de uiui statu quærendum est, si quæstio huius præiudicium facit ei, qui ante quinquennium decessit. & ita diuus Hadrianus constituit. Sed interdum & intra quinquennium non licet de statu defuncti quærere. nam oratione diui Marci cauetur, ut si quis ingenuus pronunciatus fuerit, liceat ingenuitatis sententiam retractare: sed uiuo eo, qui ingenuus pronunciatus est, non post mortem: in tantum, ut etiam si cœpta quæstio fuit retractationis, morte eius exstinguatur, ut eadem oratione cauetur. Si quidem deteriorem cõditionem faceret, qui statum retractaret: secundum ea, quæ dixi, præscribendum est. Quid ergo, si in meliorem: uelut si pro seruo libertus dicatur? quare non admittatur? quid enim, si seruus quis dicatur, quasi ex ancilla natus, quæ ante quinquennium mortua est? quare nõ liceat probare liberam fuisse? hæc enim pro mortua est. & Marcellus libro quinto de officio consulis posse scripsit. ego quoq; in auditorio publico idem secutus sum.

II. PAPINIANVS.

NOn esse libertatis quæstionem filijs inferendam, propter patris uel matris memoriam post quinquennium à morte non retractatam, conuenit. nec in ea re, quæ publicam tutelã meruerit, pupillis agentibus restitutionis auxilium tribuendum est: quod quinq; annorum tempus, cũ tutores nõ haberent, excesserit. Præscriptio quinq; annorum, quæ statum defunctorum tuetur, specie litis ante mortem illatæ non fit irrita: si ueterem causſam, eo desistente, qui mouit, longo silentio finitam probetur.

III. HERMOGENIANVS.

ANte quinquennium defunctorum status honestior, quàm mortis tempore fuisse existimabatur, iudicari non phibetur. idcirco & si quis in seruitute moriatur, post quinquenniũ liber decessisse pbari potest.

IIII. CALLISTRATVS.

PRimus omnium diuus Nerua hoc edicto uetuit, post quinquennium mortis cuiusq; de statu quæri. sed & diuus Claudius Claudiano rescripsit: si per quæstionem numariam præiudicium statui fieri uideatur, cessare quæstionem.

DE COLLVSIONE DETEGENDA. Tit. XVI.

I. CAIVS

NE quõrundam dominorũ erga seruos nimia indulgentia inquinaret amplissimum ordinem, eo quod paterentur seruos suos in ingenuitatem proclamare, liberosq; iudicari: senatusconsultum factum est Domitiani temporibus, quo cautum est, ut si quis probasset per collusionem quidquam factum: si iste homo seruus sit, fieret eius seruus, qui detexisset collusionem.

II. VLPIANVS.

COllusionem detegere ingenuitatis post sententiam intra quinquennium posse, diuus Marcus cõstituit. quinquennium autem continuum utiq; accipiemus. sicubi planè ætas eius, cuius retractatur collusio, differendam retractationem in tempus pubertatis uel alterius rei suadeat: quinquennium non currere dicendum est. Quinquennium autem non ad perficiendã retractationem, sed ad incohandam puto præfinitum: aliter, atq; circa eum, qui ex libertinitate se in ingenuitatẽ petit. Oratione diui Marci cauetur, ut etiam extraneis, qui pro altero postulandi ius haberent, liceret detegere collusionem.

III. CALLISTRATVS.

Cum

CVm non iusto contradictore quis ingenuus pronũciatus est: perinde inefficax est decretũ, atq; si nulla res iudicata interuenisset: idq; principalibus constitutionibus cauetur.

IIII. VLPIANVS.

SI libertinus per collusionem fuerit pronunciatus ingenuus: collusione detecta in quibusdam caussis quasi libertinus incipiet esse. medio tamẽ tempore, id est, ante quàm collusio detegatur, & post sententiam de ingenuitate latam, utiq; quasi ingenuus accipitur.

V. HERMOGENIANVS.

SEntentiam pro ingenuitate latam collusionis prætextu semel retractare permittitur. Si plures ad collusionem detegendam pariter accedant: caussa cognita, quis debeat admitti, comparatis omnium moribus, & ætatibus, & cuius magis interfit, statui oportet.

DIGESTORVM SEV PANDECTARVM LIBER QVADRAGESIMVS PRIMVS.

DE ADQVIRENDO RERVM DOminio. Tit. I.

I. CAIVS *lib.* II. *institutionum.*

QVarundam rerum dominiũ nanciscimur iure gentium, quod ratione naturali inter omnes homines peræque seruatur: quarundam iure ciuili, id est iure proprio ciuitatis nostræ. & quia ius gentium cum ipso genere humano proditum est: opus est, ut de hoc prius referendum sit. Omnia igitur animalia, quæ terra, mari, cælo capiuntur, id est feræ bestiæ, uolucres, pisces, capientium fiunt.

II. FLORENTINVS *lib.* I. *institutionum.*

VEl ea, quæ ex his apud nos sunt edita.

III. CAIVS *lib.* II. *institutionum.*

QVod enim nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur. nec interest (quo ad feras bestias & uolucres) utrũ in suo quisq; fundo capiat, an in alieno. Planè qui in alienum fundum ingreditur uenandi aucupandiue gratia: potest à domino, si is prouiderit, iure prohiberi, ne ingrediatur. Quidquid autem eorum ceperimus: eò usq; nostrum esse intelligitur, donec nostra custodia coërcetur. cum uero euasit

serit custodiam nostram, & in naturalem libertatem se receperit: nostrum esse desinit, & rursus occupantis fit.

IIII. FLORENTINVS. *lib. I. institutionum.*

NIsi si mansuetæ factæ, mitti ac reuerti solitæ sint.

V. CAIVS *lib. II. institutionum.*

NAturalem autem libertatem recipere intelligitur, cum uel oculos nostros effugerit, uel ita sit in conspectu nostro, ut difficilis sit eius persecutio. Illud quæsitum est: an fera bestia, quæ ita uulnerata sit, ut capi possit, statim nostra esse intelligatur? Trebatio placuit, statim nostrã esse, & eôusq; nostrã uideri, donec eam persequamur. quod si desierimus eam persequi: desinere nostram esse, & rursus fieri occupantis. Itaq; si per hoc tempus, quoad eam persequimur, alius eam ceperit eo animo, ut ipse eam lucrifaceret: furtum uideri nobis eum cõmisisse. Pleriq; non aliter putauerunt eam nostram esse, quàm si eam ceperimus: quia multa accidere possunt, ut eã non capiamus. quod uerius est. Apium quoq; fera natura est. itaq; quæ in arbore nostra consederint, antequàm alueo à nobis cõcludantur: non magis nostræ esse intelliguntur, quàm uolucres, quæ in arbore nostra nidũ fecerint. adeo ut si alius eas incluserit: dominus earum erit. Fauos quoq;, si quos hæ fecerint, sine furto quilibet possidere potest. Sed (ut supra quoq; diximus) qui in alienum fundum ingreditur, potest à domino (si is prouiderit) iure prohiberi, ne ingrediatur. Examen, quod ex alueo nostro euolauerit: eousq; nostrum esse intelligitur, donec in conspectu nostro est, nec difficilis est eius persecutio. alioquin occupantis fit. Pauonum & columbarũ fera natura est. nec ad rem pertinet, quod ex consuetudine auolare & reuolare solent. nam & apes idem faciunt, quarũ constat feram esse naturam. Ceruos quoq; ita quidam mansuetos habent, ut in syluas eant & redeant: quorum & ipsorum feram esse naturam, nemo negat. In his enim animalibus, quæ consuetudine abire & redire solent, talis regula comprobata est: ut eousq; nostra esse intelligantur, donec reuertendi animum habeant. quod si desierint reuertendi animum habere: desinant nostra esse, & fiant occupantium. Intelliguntur autem reuertendi animum desijsse habere tũc, cum reuertendi consuetudinem deseruerint. Gallinarum & anserum non est fera natura. palam est enim alias esse feras gallinas, & alios feros anseres. itaq; & si quolibet modo anseres mei & gallinæ meæ turbati turbatæue adeo longius euolauerint, ut ignoremus, ubi sint: tamen nihilominus in nostro dominio tenẽtur. qua de caussa, furti nobis tenebit, qui quid eorum lucrandi animo adprehenderit. Item quæ ex hostibus capiuntur, iuregentium statim capientium fiunt.

Florenti

VI. FLORENTINVS *lib. I. institutionum.*

ITem quæ ex aĩalibus dominio noſtro ſubiectis nata ſunt, eodẽ iure ſunt.

VII. CAIVS *lib. II. institutionum.*

ADeo quidem, ut & liberi homines in ſeruitutem redigãtur: qui tamen ſi euaſerint poteſtatem hoſtium, recipiunt priſtinam libertatem. Præterea quod per alluuionem agro noſtro flumen adiecit, iure gentium nobis adquiritur. per alluuionem autem id uidetur adiici, quod ita paulatim adiicitur, ut intelligere non poſſimus, quantũ quoquo temporis momento adiiciatur. Quod ſi uis fluminis partem aliquam ex tuo prædio detraxerit, & meo prædio attulerit: palam eſt, eam tuam permanere. planè ſi longiore tempore fundo meo hæſerit, arboresq; quas ſecum traxit, in meum fundum radices egerint: ex eo tempore uidentur meo fundo adquiſitæ eſſe. Inſula, quæ in mari naſcitur (quod raro accidit) occupantis fit. nullius enim eſſe creditur. in flumine nata (quod frequenter accidit) ſiquidem mediam partem fluminis tenet: communis eſt eorum, qui ab utraq; parte fluminis propè ripam prædia poſſident, pro modo ſcilicet latitudinis cuiuſq; prædij, quæ propè ripam ſit. Quod ſi alteri parti proximior ſit: eorum eſt tantum, qui ab ea parte propè ripam prædia poſſident. Quod ſi ex uno latere proruperit flumen, & alia parte riuo nouo fluere cœperit, deinde infra nouus iſte riuus in ueterem ſe conuerterit: ager, qui ex duobus riuis compræhenſus, in formam inſulæ redactus eſt: eius eſt, ſcilicet cuius & fuit. Quod ſi toto alueo naturali relicto flumen aliàs fluere cœperit: prior quidem alueus eorum eſt, qui propè ripam prædia poſſident, pro modo ſcilicet latitudinis cuiuſq; prædij, quæ propè ripam ſit. nouus autem alueus eius incipit iuris eſſe, cuius & ipſum flumen eſt, id eſt publici iuris gentiũ. quod ſi poſt aliquod tempus ad priorem alueum reuerſum fuerit flumen: rurſus nouus alueus eorum eſſe incipit, qui propè ripam eius prædia poſſident. Si cuius tamen nouus alueus totum agrũ occupauerit: licet ad priorem alueum reuerſum fuerit flumen: non tamen is, cuius ager fuerat, ſtricta ratione quidquam in eo alueo habere poteſt: quia ager ille, qui fuerat, deſinit eſſe, amiſſa prima forma: & qui uicinum prædium nullum habet, non poteſt ratione uicinitatis ullam partem in eo alueo habere. ſed uix eſt, ut id obtineat. Aliud ſanè eſt, ſi cuius ager totus inundatus fuerit. nanq; inundatio fundi ſpeciem non mutat. & ob id cum receſſerit aqua: palam eſt, eiuſdem eſſe, cuius & fuit. Cum quis ex aliena materia ſpeciem aliquam ſuo nomine fecerit: Nerua & Proculus putant hunc dominum eſſe, qui fecerit: quia quod factũ eſt, antea nullius fuerit. Sabinus, Caſſius, magis naturalem rationẽ efficere putãt: ut qui materiæ dominus fuerit, idem eius quoq;

quod

quod ex eadem materia factum sit, dominus sit: quia sine materia nulla species effici possit. ueluti si ex auro, uel argento, uel ære tuo aliquod uas fecero: uel ex tabulis tuis nauem, aut armarium, aut subsellia: uel ex lana tua uestimẽtum: uel ex uino & melle tuo mulsum: uel ex medicamẽtis tuis emplastrum, aut collyrium: uel ex uuis, aut oliuis, aut ex spicis tuis uinum, uel oleum, uel frumentum. Est tamen etiam media sententia recte existimantium: si species ad materiam reuerti possit: uerius esse, quod Sabinus & Cassius senserunt. si non possit reuerti: uerius esse, quod Neruæ & Proculo placuit. ut ecce uas conflatum ad rudem massam auri, uel argenti, uel æris reuerti potest: uinum uero, uel oleum, uel frumentum, ad uuas, & oliuas, & spicas reuerti non potest. ne mulsum quidem ad mel & uinum: uel emplastrum, aut collyria ad medicamenta reuerti possunt. Videtur tamẽ mihi recte quidã dixisse, non debere dubitari, quin ex alienis spicis excussum frumentum eius sit, cuius & spicæ fuerint. cum enim grana, quæ spicis continentur, perfectam habeãt suam speciem: qui excussit spicas, non nouam speciem facit, sed eam, quæ est, detegit. Voluntas duorum dominorum miscentium materias, commune totum corpus efficit: siue eiusdem generis sint materiæ, ueluti si uina miscuerunt, uel argentũ conflauerũt, siue diuersæ: ueluti si alius uinũ contulerit, alius mel: uel alius aurum, alius argentũ: quãuis mulsum, & electrũ, noui corporis sit species. Sed & si sine uoluntate dominorum casu confusæ sint duorum materiæ, uel eiusdẽ generis, uel diuersæ: idem iuris est. Cum in suo solo aliquis aliena materia ædificauerit: ipse dominus intelligitur ædificij: quia omne, quod inædificatur, solo cedit. nec tamen ideo is, qui materiæ dominus fuit, desijt dominus eius esse: sed tantisper neq; uindicare eã potest, neq; ad exhibendum de ea agere propter legem duodecim tabularum, qua cauetur, ne quis tignum alienum ædibus suis iunctum eximere cogatur, sed duplum pro eo præstet. Appellatione autem tigni omnes materiæ significantur, ex quibus ædificia fiunt. Ergo si ex aliqua causa dirutum sit ædificium: poterit materiæ dominus tunc eam uindicare, & ad exhibendum agere. Illud recte quæritur: an si idem ædificium uendiderit is, qui ædificauit, & ab emptore longo tempore usucaptum postea dirutum sit: adhuc dominus materiæ uindicatio nẽ eius habeat? causa dubitationis est, an eoipso, quo uniuersitas ædificij longo tempore capta est: singulæ quoq; res, ex quibus cõstabat, usucaptæ essent. quod nõ placuit. Ex diuerso si quis in alieno solo sua materia ædificauerit, illius fit ædificium, cuius & solum est. & si scit alienum solum esse: sua uoluntate amisisse proprietatem materiæ intelligitur. itaq; ne diruto quidem ædificio uindicatio eius materiæ competit. Cer-

tit. Certe si dominus soli ædificium petat, nec soluat precium materiæ,& mercedes fabrorum:poterit per exceptionem doli mali repelli: utiq; si nesciuit,qui ædificauit,alienum esse solum, & tanquam in suo bona fide ædificauit.nam scienti alienum esse solum potest culpa obij-ci:quia temere ædificauit in eo solo, quod intelligeret alienum. Si alienam plantam in meo solo posuero: mea erit.ex diuerso si meam plantam in alieno solo posuero:illius erit: si modo utroq; casu radices egerit.ante enim,quàm radices egerit, illius permanet,cuius & fuit.

His conueniens est, quod si uicini arbor ita terram meam pressserit,ut in meum fundum radices egerit: meam effici arborem. rationẽ enim non permittere,ut alterius arbor intelligatur,quàm cuius in fundo radices egisset.& ideo propè confinium arbor posita, si etiam in uicinum fundum radices egerit, communis est

VIII. MARCELLVS.

PRo regione cuiusq; prædij. Sed & si in confinio lapis nascatur, & sint pro indiuiso communia prædia : tunc erit lapis pro indiuiso communis,si terra exemptus sit.

IX. CAIVS.

QVa ratione autem plantæ,quæ terra coalescunt,solo cedunt:eadem ratione frumenta quoq;, quæ sata sunt, solo cedere intelliguntur.cæterum sicut is, qui in alieno solo ædificauit (si ab eo dominus soli petat ædificium) defendi potest per exceptionem doli mali: ita eiusdem exceptionis auxilio tutus esse poterit, qui alienũ fundum sua impensa conseuit. Literæ quoq;,licet aureæ sint,perinde chartis membranisq; cedunt, atq; solo cedere solent ea, quæ ædificantur, aut seruntur.ideoq; si in chartis membranisúe tuis carmen,uel historiam,uel orationem scripsero:huius operis nõ ego,sed tu dominus esse intelligeris.Sed si à me petas tuos libros tuasúe mẽbranas,nec impensas scripturæ soluere uelis:potero me defendere per exceptionem doli mali:utiq; si bona fide eorum possessionem nactus sim.Sed non ut literæ chartis membranisúe cedunt,ita solent picturæ tabulis cedere. sed ex diuerso placuit tabulas picturæ cedere.utiq; tamen conueniens est, domino tabularum aduersus eum,qui pinxerit,si is tabulas possideat, utilem actionem dari:qua ita efficaciter experiri poterit, si picturæ impẽsam exsoluerit.alioquin nocebit ei doli mali exceptio: utiq; si bona fide possessor fuerit,qui pinxerit.aduersus dominum uero tabularum ei, qui pinxit, rectam uindicationem competere dicimus : ut tamen precium tabularum inferat. alioquin nocebit ei doli mali exceptio.

Hæ quoq; res, quæ traditione nostræ fiunt, iure gentium nobis adquiruntur.nihil enim tam conueniens est naturali æquitati,quàm uo-

luntatem domini uolentis rem suam in alium transferre, ratam haberi. Nihil autem interest, utrum ipse dominus per se tradat alicui rem, an uoluntate eius alius. qua ratione si cui libera negociorum administratio ab eo, qui peregre proficiscitur, permissa fuerit: & is ex negocijs rem uendiderit, & tradiderit: faciet eam accipientis. Interdum etiam sine traditione nuda uoluntas domini sufficit ad rem transferendam: ueluti si rem, quam commodaui, aut tibi locaui, aut apud te deposui, tibi uendidero. licet enim ex ea causa tibi eam non tradiderim: eo tamen, quod patior eam ex causa emptionis apud te esse, tuam efficio. Item si quis merces in horreo repositas uendiderit: simul atq; claues horrei emptori tradiderit, transfert proprietatē mercium ad emptorem. Hoc amplius, interdum & in incertam personam collata uoluntas domini transfert rei proprietatem: ut ecce qui missilia iactat in uulgus. ignorat enim, quod eorum quisq; excepturus sit. attamen quia uult, quod quisq; exceperit, eius esse: statim eum dominum efficit. Alia causa est earum rerum, quæ in tempestate nauis leuandæ causa eijciuntur. hæ enim dominorum permanent: quia non eo nomine eijciuntur, quod eas habere non uelit, sed quo magis cum ipsa naue periculum maris effugiat. Qua de causa si quis eas fluctibus expulsas, uel etiam in ipso mari nactus, lucrandi animo abstulerit: furtum committit.

X. IDEM.

ADquiruntur nobis res nō solum per nosmetipsos, sed etiam per eos, quos in potestate habemus. item per seruos, in quibus usum fructū habemus. item per homines liberos, & seruos alienos, q̄s bona fide possidemus. de quibus singulis diligentius. Igitur quod serui nostri ex traditione nanciscuntur: siue quid stipulentur, uel ex qualibet alia causa adquirāt: id nobis adquiritur. ipse enim seruus, qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest. Ideoq; si hæres institutus sit: nisi nostro iussu, adire hæreditatem nō potest. & si iubentibus nobis adierit: hæreditas nobis adquiritur, perinde atq; si nosipsi hæredes instituti essemus. Et ex his conuenienter legatum scilicet nobis per eosdem adquiritur. Non solum autem proprietas per eos, quos in potestate habemus, nobis adquiritur, sed etiā possessio. cuiuscunq; enim rei possessionem adepti fuerint, id nos possidere uidemur. unde etiam per eorum longam possessionem dominium nobis adquiritur. De his autem seruis, in quibus tantum usumfructum habemus, ita placuit: ut quidquid ex re nostra, uel ex operis suis adquirant, id nobis adquiratur. si quid uero extra eas causas persecuti sunt: id ad dominum proprietatis pertineat. Itaq; si is seruus hæres institutus sit, lega-

legatumue quid, aut ei donatum fuerit: non mihi, sed domino propri etatis adquiritur. Idem placet de eo, qui à nobis bona fide possidetur: siue liber sit, siue seruus alienus. quod enim placuit de usufructuario, idem probatur etiam de bonæ fidei possessore. Itaq; quod extra istas causas adquiritur: uel ad ipsum pertinet, si liber est: uel ad dominum eius, si seruus est. Sed bonæ fidei possessor, cum usuceperit seruũ: quia dominus eo modo fit: ex omnibus causis per eum sibi adquirere potest. usufructuarius uero usucapere seruum non potest: primum, quia non possidet, sed habet ius utendi fruendi: deinde, quoniam scit seruum alienum esse.

XI. MARCELLVS.

PVpillus (quantum ad adquirendum) non indiget tutoris authoritate, alienare uero nullã rem potest, nisi præsente tutore authore: ac ne possessionem quidem, quæ est naturalis, ut Sabinianis uisum est. quæ sententia uera est.

XII. CALLISTRATVS.

LAcus & stagna, licet interdum crescant, interdum exarescant: suos terminos tamen retinent. ideoq; in his alluuionis ius nõ agnoscitur. Si ære meo & argento tuo conflato, aliqua species facta sit: nõ erit ea materia communis: quia cum diuersa materia sit æs atq; argentum: ab artificibus separari, & in pristinam materiam reduci solet.

XIII. NERATIVS.

SI procurator rem mihi emerit mandatu meo, eiq; sit tradita meo nomine: dominium mihi & proprietas adquiritur etiam ignoranti. Et tutor pupilli pupillæue, similiter ut procurator, rem emendo nomine pupilli pupillæue, proprietatem eis adquirit etiam ignorantibus.

XIIII. IDEM.

QVod in litore quis ædificauerit, eius erit. nam litora nõ ita publica sunt, ut ea, quæ in patrimonio populi sunt: sed ut ea, quæ primum à natura prodita sunt, & in nullius adhuc dominium peruenerunt. nec dissimilis eorum conditio est, atq; piscium & ferarum: quæ simul atq; adprehensæ sunt, sine dubio eius, in cuius potestatem peruenerunt, dominij fiunt. Illud uidendum est, sublato eo ædificio, quod in litore positum erat, cuius conditionis is locus sit: hoc est, utrum mane at eius, cuius ædificium fuit: an rursus in pristinam causam recidat, perindeq; publicus sit, ac si nunq; in eo ædificatum fuisset. quod propius est, ut existimari debeat: si modo recipit pristinã litoris speciem.

XV. IDEM.

QVi autem in ripa fluminis ædificat, non suum facit.

XVI. FLORENTINVS.

IN agris limitatis ius alluuionis locum non habere constat. idq; & diuus Pius constituit. Et Trebatius ait: agrum, qui hostibus deuictis ea conditione concessus sit, ut in ciuitate ueniret: habere alluuionẽ, neq; esse limitatum. agrum autem manucaptum, limitatum fuisse: ut sciretur, quid cuiq; datũ esset, quidq; uenisset, & quid in publico relictum esset.

XVII. VLPIANVS.

SI duo domini seruo cõi rem tradiderint: adquiritur alteri ab altero.

XVIII. IDEM.

PEr hæreditarium seruum, quod eiusdem est hæreditatis, hæredi adquiri non potest: & maxime ipsa hæreditas.

XIX. POMPONIVS.

LIber homo, qui mihi bona fide seruit, id, quod ex operis suis aut ex re mea pararet, ad me pertinere sine dubio, Aristo ait. quod uero quis ei donauerit, aut ex negocio gesto adquisierit: id ad ipsum pertinere. Sed & hæreditatem legatumue non adquiri mihi per eum: quia neq; ex re mea, neq; ex operis suis id fit: nec ulla eius opera esset in legato: in hæreditate aliquatenus, quia per ipsum adiretur. quod & Varium Lucullum ait aliquando dubitasse. sed uerius est nõ adquiri, etiam si testator ad me uoluisset pertinere. Sed licet ei minime adquiratur: attamen si uoluntas testatoris euidens appareat, restituendam ei esse hæreditatem. Sed Trebatius: si liber homo bona fide seruiens iussu eius, cui seruiret, hæreditatem adisset: hæredem ipsum fieri: nec interesse, quid senserit, sed quid fecerit. Labeo contra: si ex necessitate id feciſſet, quod si ita, ut & ipse uellet: ipsum fieri hæredem.

XX. VLPIANVS.

TRaditio nihil amplius transferre debet, uel potest ad eum, qui accepit, quàm est apud eum, qui tradit. Si igitur quis dominium in fundo habuerit: id tradendo transfert. si non habuit: ad eum, qui accipit, nihil transfert. Quoties autem dominium transfertur ad eum, qui accipit: tale transfertur, quale fuit apud eũ, qui tradidit. si seruus fuit fundus: cum seruitutibus transit. si liber fuit fundus: uti fuit. & si forte seruitutes debebantur fundo, qui traditus est: cum iure seruitutum debitarum transfertur. Si quis igitur fundum liberum dixerit, cũ traderet eum, qui seruus sit: nihil iuris seruituti fundi detrahit: uerum tamen obligat se, debebitq; præstare, quod dixit. Si ego & Titius rem emerimus, eaq; Titio & quasi meo procuratori tradita sit: puto mihi quoq; quæsitum dominium: quia placet per liberam personam omnium rerum possessionem quæri posse, & per hanc dominium.

XXI. POMPONIVS.

Si

SI seruus meus, cum tibi bona fide seruiret, rem emisset, traditaq; ei esset: Proculus ait, nec meam fieri, quia seruũ non possideam: nec tuam, si non ex re tua sit parata. sed si liber bona fide tibi seruiens emerit: ipsius fieri. Si rem meam possideas, & eam uelim tuam esse: fiet tua, quamuis possessio apud me non fuerit.

XXII. VLPIANVS.

NEmo seruum ui possidens, aut clam, aut precariò, per hunc stipulantem, uel rem aliquam accipientem potest adquirere.

XXIII. IDEM.

QVi bona fide alicui seruit: siue seruus alienus est, siue homo liber est: quidquid ex re eius, cui seruit, adquirit: ei adquirit, cui bona fide seruit. Sed & si quid ex operis suis adquisierit: simili modo ei adquirit. nam & operæ quodammodo ex re eius, cui seruit, habentur: quia iure ei operas exhibere debet, cui bona fide seruit. tamdiu autem adquirit ei, quâmdiu bona fide seruit. cæterum si cœperit scire eum alienum esse, uel liberum: uideamus, an ei adquirat. quæstio in eo est: utrũ initium spectemus, an singula momenta? & magis est, ut singula momenta spectemus. Generaliter dicendum est, quod ex re sua, hoc est eius, cui bona fide quis seruit, ei adquirere non potest: sibi eum adquisiturum. quod autem ex re eius sibi adquirere non potest: ei adquisiturum, cui bona fide seruit. Si quis bona fide duobus seruiat: utriq; adquiret, sed singulis ex re sua. Quod autem ex re alterius est: utrum pro parte ei, cui bona fide seruit, pro parte domino, si seruus sit, aut si liber sit, sibi: an uero ei debeat adquirere totum, ex cuius re est, uideamus. quam speciem Scæuola quoq; tractat libro secundo quæstionum. ait enim, si alienus seruus duobus bona fide seruiat, & ex re unius eorum adquirat: rationem facere, ut ei duntaxat in solidum adquirat. sed & si adiiciat eius nomen, ex cuius re stipulatur: nec dubitandum esse ait, quin ei soli adquiratur: quia & si ex re ipsius stipulatur, alteri ex dominis stipulando nominatim, solidum ei adquirit. Et id inferioribus probat: ut quamuis non nominatim, nec iussu meo, ex re tamen mea stipulatus sit, cum pluribus bona fide seruiret: mihi soli adquirat. nam & illud receptum est, ut quoties cõmunis seruus omnibus adquirere non potest: ei soli eum adquirere, cui potest. & hoc Iulianum quoq; scribere, sæpe retuli: & hoc iure utimur.

XXIIII. PAVLVS.

IN omnibus, quæ ad eandem speciem reuerti possunt, dicendum est, si materia manente species duntaxat forte mutata sit: ueluti si meo ære statuam, aut argento scyphum feciſſes: me dominũ manere eorũ.

XXV. CALLISTRATVS.

NIſi uoluntate domini alterius nomine id factum ſit. propter con ſenſum enim domini tota res eius fit, cuius nomine facta eſt.

XXVI. PAVLVS.

SEd ſi ex meis tabulis nauem feciſſes: tuam nauem eſſe, quia cupreſſus non maneret, ſicuti nec lana ueſtimento facto: ſed cupreſſeum, aut laneum corpus fieret. Proculus indicat hoc iure nos uti, quod Seruio & Labeoni placuiſſet: in quibus propria qualitas rei ſpectaretur, ſi quid additũ eſſet, toti cedere: ut ſtatuæ pes aut manus, ſcypho fundus aut anſa, lecto fulcrum, naui tabula, ædificio cæmentum. tota eñ eius ſunt, cuius antea fuerant. Arbor radicitus eruta, & aliò poſita, prius quàm coaluerit, prioris domini eſt: ubi coaluerit, agro cedit. & ſi rurſus eruta ſit: non ad priorem dominum reuertitur. nam credibile eſt, aljo terræ alimento aliam factam. Si meam lanam infeceris purpura: nihilominus meam eſſe Labeo ait: quia nihil interſit inter purpuram, & eam lanam, quæ in lutum aut ſcœnum cecidiſſet, atq; ita priſtinum colorem perdidiſſet.

XXVII. POMPONIVS.

*aliàs. in fecto

QVidquid *facto argento alieni argenti addideris: non eſſe totum tuũ argentũ, fatendũ eſt. at contra ſi tuum ſcyphũ alieno plumbo plumbaueris, alienoúe argento ferruminaueris: non dubitatur, ſcyphum tuum eſſe, & à te recte uindicari. Vbi ſimul plura contribuuntur, ex quibus unum medicamentum fit, aut coctis odoribus unguẽta facimus: nihil hic ſuum uere dicere poteſt prior dominus. quare potiſſimum eſt exiſtimari, cuius nomine factum ſit, eius eſſe. Cum partes duorũ dominorum ferrumine cohærerent, hæc; cum quæreretur, utri cederent: Caſſius ait, pro portione rei æſtimandum, uel pro precio cuiuſq; partis. Sed ſi neutra alteri acceſſiõi eſt: uideamus, ne aut utriuſq; eſſe dicenda ſit, ſicuti maſſa confuſa: aut eius, cuius nomine ferruminata eſt. Sed Proculus & Pegaſus exiſtimãt, ſuam cuiuſq; rem manere.

XXVIII. IDEM.

SI ſupra tuum parietem uicinus ædificauerit: propriũ eius id, quod ædificauerit, fieri Labeo & Sabinus aiunt. Sed Proculus, tuum prorium: quemadmodum tuum fieret, quod in ſolo tuo alius ædificaſſet. quod uerius eſt.

XXIX. PAVLVS.

INter eos, qui ſecundum unam ripam prædia habent, inſula in flumine nata non pro indiuiſo communis ſit, ſed regionibus quoq; diuiſis. quantum enim cuiuſq; eorum iuxta ripam eſt: tantum, ueluti linea in directum per inſulã tranſducta, quiſq; eorum in ea habebit certis regionibus.

XXX. POMPONIVS.

Ergo

ERgo si insula nata adcreuerit fundo meo, & inferiorem partē fundi uendidero, ad cuius frontem insula non respicit: nihil ex ea insula pertinebit ad emptorem ex eadem caussa: quia ne ab initio quidem eius fieret, si iam tunc, cum insula nasceretur, eiusdem partis dominus fuisset. Celsus filius, si in ripa fluminis, quæ secundum agrum meum est, arbor nata sit, meam esse ait: quia solum ipsum meum priuatum est, usus autem eius publicus intelligitur. & ideo cum exsiccatus est, alueus proximorum fit: quia iam populus eo nō utitur. Tribus modis insula in flumine fit. uno, cum agrum, qui aluei non fuit, amnis circumfluit. altero, cum locum, qui aluei esset, siccū reliquit, & circumfluere cœpit. tertio, cum paulatim colluendo locum eminentem supra alueum fecit, & eum alluendo auxit. Duobus posterioribus modis priuata insula fit eius, cuius ager propior fuerat, cum primum exstitit. nā & natura fluminis hæc est, ut cursu suo mutato, aluei caussam mutet. nec quicquam interest, utrū de aluei duntaxat solo mutato: an de eo, quod superfusum solo & terræ sit, quæratur. utrūq; enim eiusdem generis est. Primo autem illo modo caussa proprietatis non mutatur.

Alluuio agrum restituit eum, quem impetus fluminis totum abstulit. Itaq; si ager, qui inter uiam publicam & flumen fuit, inundatione fluminis occupatus esset: siue paulatim occupatus est, siue non paulatim, sed eodem impetu: recessu fluminis restitutus, ad priſtinum dominum pertinet. Flumina enim * censorum uice funguntur: ut ex priuato in publicum addicant, & ex publico in priuatum. itaq; sicuti hic fundus, cum alueus fluminis factus esset, fuisset publicus: ita nunc priuatus eius esse debet, cuius antea fuit. Si pilas in mare iactauerim, & supra eas ædificauerim: continuo ædificium meum fit. Item si insulā in mari ædificauerim: continuo mea fit: quoniam id, quod nullius est, occupantis fit.

*al's. censitorum.

XXXI. PAVLVS.

NVnquam nuda traditio transfert dominium: sed ita, si uenditio aut aliqua iusta caussa præcesserit, propter quam traditio sequetur. Thesaurus est quædam uetus depositio pecuniæ, cuius non exstat memoria, ut iam dominum non habeat. sic enim fit eius, qui inuenerit, quod non alterius sit. alioquin si quis aliquid uel lucri caussa, uel metus, uel custodiæ condiderit sub terra: non est thesaurus, cuius etiam furtum fit.

XXXII. CAIVS.

ETiam inuitis nobis per seruos nostros adquiritur penè ex omnibus caussis.

XXXIII. VLPIANVS.

INeo, quod castrensi seruo ante aditam hæreditatē filijfamilias militis le

tis legatur: uel in eo, quod ſtipulatur ſeruus: tractatur apud Marcellum libro triceſimo, ex cuiꝰ perſona uel ſtipulatio uires habeat, uel legatū. & puto uerius, quod & Scæuolæ uidetur, & ipſe Marcellus tractat: ſiqui dem adeatur hæreditas, omnia ut in hæreditario ſeruo: ſi uero adita non ſit, ut in proprio patris eſſe ſpectanda. etſi uſusfructus fuerit huic ſeruo relictus: modo patri uideri delatum, modo hæredi: nec à perſona in perſonam creditur tranſiſſe. eadem diſtinctione quis utetur, etiam ſi res fuerit ſubtracta: aut ceſſare, aut non furti actionem dicet, ſi ex teſtamento adierit: quoniam hæreditati furtum non fit. aut ſi non adierit: patri dabitur furti actio. nam & condictio. Quoties ſeruus hæreditarius ſtipulatur, uel per traditionem accipit: ex perſona defuncti uires aſſumit, ut Iuliano placet, cuius & ualuit ſententia, teſtantis perſonam ſpectandam eſſe opinantis.

XXXIIII. IDEM.

HAereditas enim non hæredis perſonam, ſed defuncti ſuſtinet: ut multis argumentis iuris ciuilis comprobatum eſt.

XXXV. IDEM.

SI procurator meus uel tutor pupilli rem ſuam quaſi meam uel pupilli alij tradiderit: non receſſit ab eis dominium, & nulla eſt alienatio: quia nemo errans rem ſuam amittit.

XXXVI. IVLIANVS.

CVm in corpus quidem, quod traditur, conſentiamus, in cauſſis uero diſſentiamus: non animaduerto, cur inefficax ſit traditio, ueluti ſi ego credam me ex teſtamento tibi obligatum eſſe, ut fundū tradam: tu exiſtimes ex ſtipulatu eum tibi deberi. nam etſi pecuniam numeratam tibi tradam donandi gratia, tu eam quaſi creditam accipias: conſtat proprietatem ad te tranſire, nec impedimento eſſe, quod circa cauſſam dandi atq; accipiendi diſſenſerimus.

XXXVII. IDEM.

PEr ſeruum, qui pignori datus eſt, creditori nec poſſeſſio adquiritur: quia nec ſtipulatione, nec traditione, nec ullo alio modo per eum ſeruum quidquam ei adquiritur, quamuis poſſeſſio penes eū ſit.

Si unus ex dominis ſeruo communi pecuniam donauit: in poteſtate domini eſt, quemadmodum ſeruo cōmuni pecuniam donet. nam ſi hoc ſolum egerit, ut ea ſeparetur à ſuis rationibus, & in peculio ſerui ſit, manebit eiuſdem domini proprietas. Si uero eo modo pecuniam ſeruo communi donauerit, quomodo alienis ſeruis donare ſolemus: fiet communis ſociorum pro portione, quam in ſeruo communi habebunt. Sed ut ſequens quæſtio locum habeat: conſtituamus ſocium ita ſeruo communi pecuniam donaſſe, ut proprietatem ſuam ma-

nere

mente uellet. si ex hac pecunia seruus fundum comparauerit: erit is fundus communis sociorum pro portione dominij. nam & si furtiuis nummis communis seruus comparauit fundum: sociorum erit pro portione dominij. neq; enim ut fructuarius seruus ex re fructuarij non adquirit proprietario: ita & communis seruus ex re alterius domini non adquirit alteri domino. Sed quemadmodum in his, quæ aliunde adquiruntur, diuersa conditio est fructuarij & serui communis: ueluti cum alter fructuario non adquirat, alter domino adquirat: ita quod ex re cuiusdem fructuarij adquisitum fuerit, ad eum pertinebit solum: & quod ex re alterius domini seruus communis adquisierit, ad utrũq; dominum pertinebit. Sicut seruus communis stipulando nominatim alteri ex dominis, ita per traditionem accipiendo, soli ei adquirit. Quod seruus unius per traditionẽ accipiendo se accipere dixerit domino & Titio: parte domino adquirit, in partẽ nihil agit. Fructuarius seruus si dixerit se domino ꝓprietatis per traditionẽ accipere ex re fructuarij: id totum domino adquiret. nã & sic stipulãdo ex re fructuarij, domino ꝓprietatis adquiret. Si cũ mihi donare uelles, iusserim te seruo communi meo & Titij rem tradere, isq; hac mẽte acceperit, ut rem Titij faciat: nihil agetur. nam etsi procuratori meo rem tradideris, ut meam faceres, & is hac mente acceperit, ut suam faceret: nihil agetur. quod si seruus communis hac mente acceperit, ut duorum dominorum faceret: in parte alterius domini nihil agetur.

XXXVIII. ALFENVS.

ATtius fundum habebat secundum uiam publicam. inter uiam & flumẽ erat & ager Lucij Titij. flumen paulatim primum oẽm agrum, qui inter uiam & flumen esset, ambedit. deinde & uiam sustulit. postea rursus minutatim recessit, & alluuione in antiquum locum redijt. Respondit. cum flumen agrũ & uiam publicam sustulisset: eum agrum eius factum esse, qui trans flumen fundum habuisset. postea cũ paulatim retro rediisset, & ademisset ei, cuius factus esset, & addidisset ei, cuius trans uiam esset, quoniã eius fundus proximus flumini esset: id quidẽ, quod publicum fuisset, nemini accessisse: nec tamen impedimento uiam esse ait, quo minus ager, qui trans uiam alluuione relictus esset, Attij fieret. nam ipsa quoq; uia fundi esset.

XXXIX. IDEM.

ETiam furtiuus seruus bonæ fidei emptori adquirit, quod ex re eius stipulatur, aut per traditionem accipit.

XL. AFRICANVS.

QVæsitum est. si is, cui liber homo bona fide seruiret, decesserit, eiq; is hæres exstiterit, qui liberum eum esse sciat: an aliquid per

eum adquiratur? nõ esse ait, ut hic bonæ fidei possessor uideatur, quando sciens liberum possidere cœperit: quia & si fundum suum quis legauerit: hæres, qui eum legatum esse sciat, procul dubio fructus ex eo suos non faciat: & multo magis, si testator eum alienum bona fide emptum possederit. circa seruorũ igitur operas ac ministerium eandem rationem sequendam: ut siue proprij, siue alieni, uel legati, uel manumissi testamento fuerint: nihil per eos hæredibus, qui modo eorum id non ignorarent, adquiratur. etenim simul hoc ferè cedere: ut quo casu fructus prædiorum consumptos suos faciat bonæ fidei possessor, eodem per seruum ex opera & ex re ipsius ei adquiratur.

XLI. VLPIANVS.

STatuas in ciuitate positas ciuium non esse, id & Trebatius & Pegasus aiunt: tamen dare operã prætorem oportere, ut quod ea mente in publico positum esset, ne liceret priuato auferre, nec ei, qui posuerit. tuendi ergo ciues erunt & aduersus petentem exceptione, & actione aduersus possidentem iuuandi.

XLII. PAVLVS.

SVbstitutio, quæ nondum competit, extra bona nostra est.

XLIII. CAIVS

SEruus, qui bona fide possidetur: id, quod ex re alterius est, possessori non adquirit. Incorporales res traditionem & usucapionem non recipere, manifestum est. Cum seruus, in quo alterius ususfructus est, hominem emerit, & ei traditus sit: ante quàm precium soluatur, in pendenti est, cui proprietatem adquisierit. & cum ex peculio, quod ad fructuarium pertinet, soluerit: intelligitur fructuarij homo fuisse. cum uero ex peculio, quod proprietarium sequitur, soluerit: proprietarij ex postfacto fuisse uidetur.

XLIIII. VLPIANVS.

POmponius tractat. cum pastori meo lupi porcos eriperent: hos nacinæ uillæ colonus cum robustis canibus & fortibus, quos pecoris sui gratia pascebat, consecutus lupis eripuit, aut canes extorserunt. & cum pastor meus peteret porcos: quærebatur, utrum eius facti sint porci, qui eripuit: an nostri maneant? & tamẽ quod genere quodã uenandi id erant nacti: cogitabat, quemadmodum terra mariq; capta, cũ in suam naturalem laxitatem peruenissent, desinerent eorum esse, qui cepissent: ita ex bonis quoq; nostris cãpta à bestijs marinis & terrestribus desinant nostra esse, cum effugerent bestiæ nostram persecutionem. quis deniq; manere nostrũ dicat, quod auis transuolans ex area, aut ex agro nostro substulit: aut quod à nobis miluus eripuit? Si igitur desinit: si fuerit ore bestiæ liberatum: occupantis erit, quemadmodum

dum piſcis, uel aper, uel auis, cum poteſtatem noſtram euaſerit, ſi ab alio capiatur, ipſius fit. Sed putat potius noſtram manere tamdiu, q̃ diu recuperari poſſit: licet in auibus, & piſcibus, & feris uerum ſit, quod ſcribit. Idem ait: & ſi naufragio quid amiſſum ſit, non ſtatim noſtrum eſſe deſinere. deniq; quadruplo teneri eũ, qui rapuit. & ſanè melius eſt dicere, & quod à lupo eripitur, noſtrum manere, quàmdiu recipi poſſit id, quod ereptum eſt. Si igitur manet: ego arbitror etiam furti competere actionem. licet enim nõ animo furandi fuerit colonus perſecutus (quamuis & hoc animo potuerit eſſe.) ſed & ſi non hoc animo perſecutus ſit: tamen cum repoſcenti non reddit, ſupprimere & intercipere uidetur. quare & furti, & ad exhibendum teneri eum arbitror: & uindicari ab eo exhibitos porcos poſſe.

XLV. CAIVS.

COmmunis ſeruus ſi ex re alterius dominorum adquiſierit: nihilominus commune id erit. ſed & is, ex cuius re adquiſitum fuerit, communi diuidundo iudicio eam ſummam percipere poteſt. nam fidei bonæ conuenit, ut unuſquiſq; præcipuum habeat, quod ex re eius ſeruus adquiſierit. Sed ſi aliunde communis ſeruus adquiſierit: omnibus ſocijs pro parte dominij hoc adquiritur.

XLVI. VLPIANVS.

NOn eſt nouum, ut qui dominiũ non habeat, alij dominium præbeat. nam & creditor pignus uendendo cauſſam dominij præſtat, quam ipſe non habuit.

XLVII. PAVLVS.

FRuctuario hæreditas adquiri non poteſt: eo quod in operis ſerui hæreditas non eſt.

XLVIII. IDEM.

BOnæ fidei emptor non dubie percipiendo fructus etiam ex aliena re, ſuos interim facit: non tantum eos, qui diligentia & opera eius peruenerũt, ſed omnes: quia quod ad fructus attinet, loco domini penè eſt. deniq; etiã prius q̃ percipiat, ſtatim ubi à ſolo ſeparati ſunt, bonæ fidei emptoris fiunt. nec intereſt, ea res, quã bona fide emi, longo tẽpore capi poſſit, nec ne. ueluti ſi pupilli ſit, aut ui poſſeſſa, aut præſidi contra legem repetundarum donata, ab eoq; alienata ſit bonæ fidei emptori. In contrarium quæritur: ſi eo tempore, quo mihi res traditur, putem uendentis eſſe, deinde cognouero alienam eſſe: quia perſeuerat per longũ tẽpus capio: an fructus meos faciam? & Põponius putat. uerendum, ne non ſit bonæ fidei poſſeſſor, quamuis capiat hoc enim ad ius, id eſt capionem: illud ad factum pertinere, ut quis bona, aut mala fide poſſideat. nec cõtrarium eſt, quod longum tempus currit. nam

è contrario is,qui non potest capere propter rei uicium,fructus suos facit. Et ouium fœtus sunt in fructu. & ideo ad bonæ fidei emptorem pertinent,etiam si prægnantes uenierint, uel subreptæ sint. & fanè quin lac suum faciat (quamuis plenis uberibus uenierint) dubitari non potest.idemq; in lana iuris est.

XLIX. IDEM.

QVod fructuarius ex re sua donat,ex re eius est.sed si eo animo id fecerit,ut ad proprietatis dominum pertineat:dicendum est illi adquiri. si autem extraneus ei donauerit:indistincte soli proprietario adquiritur.Eadem dicemus in homine libero,qui mihi bona fide seruit:ut si aliquid ei donauerim, meum sit. & ideo Pomponius scribit: quamuis donauerim ei operas suas:tamen quidquid ex operis suis adquiret,mihi adquirere.

L. POMPONIVS.

QVamuis quod in litore publico,uel in mari exstruxerimus,nostrum fiat:tamen decretum prætoris adhibendum est, ut id facere liceat.imò etiam manu prohibendus est,si cum incommodo cæterorum id faciat.nam ciuilem eum actionem de faciendo nullam habere,non dubito.

LI. CELSVS.

TRansfugã iure belli recipimus:& quæ res hostiles apud nos sunt, non publicæ,sed occupantium fiunt.

LII. MODESTINVS.

REm in bonis nostris intelligimur habere,quoties possidentes exceptionẽ,aut amittentes ad recuperandam eam actionem habemus. LIII. IDEM.

EA,quæ ciuiliter adquirũtur:per eos,qui in potestate nostra sunt, adquirimus:ueluti per stipulationem.quod naturaliter adquiritur,sicuti est possessio: per quemlibet, uolentibus nobis possidere, adquirimus. LIIII. IDEM.

HOmo liber hæreditatem nobis adquirere non potest.sed qui bona fide nobis seruit,adquirit:tamen si sponte sua,sciens conditionem suam,adierit.nam si iussu nostro adierit:neq; sibi,neq; nobis adquiret,si nõ habuerit sibi adquirendi animum. quod si eam mentem habuit:sibi adquiret.Item promittendo nobis homo liber,qui bona fide nobis seruit,& emendo,uel uendendo,uel locando, uel conducendo, obligari ipso iure poterit.sed & damnũ dando,dãni iniuriæ tenebitur:ut tamen culpã in damno dando exigere debeamus grauiorẽ,nec tam leuẽ,quàm ab extraneo. At si iussu nostro quid in re nostra gerant,uel absentibus nobis quasi procuratores aliquid agant:danda erit in

in eos actio, non solum si eos emerimus, sed etiam si donati fuerint nobis, aut ex dotis, aut ex legati caussa pertinere ad nos cœperunt, aut ex hæreditate. idem præstabunt non solũ si nostros putauerimus, sed etiam si cõmunes, aut fructuarios: ut tamen quod adquisituri nõ essent, si reuera cõmunes aut fructuarij essent, id hodie nõ adquirant. Quidquid tamẽ liber homo, uel alienus seruus, qui bona fide nobis seruit, nobis nõ adquirit: id si liber homo est, sibi, uel si alienus seruus est, domino suo adquiret: excepto eo, quod ius est, ut liber homo possidendo usucapere non possit: quia nec possidere intelligitur, qui ipse possidetur. sed nec per seruum alienum, quem nos bona fide possidemus, dominus peculiari nomine ignorans usucapere poterit: sicuti nec per fugitiuum quidem, quem non possidet.

LV. PROCVLVS.

IN laqueum, quẽ uenandi caussa posueras, aper incidit. cum eo hæreret, exemptum eum abstuli. quæro, num tibi uidear tuũ aprum abstuliſſe? & si tuum putas fuisse: si solutum eum in syluam dimisissem, eo casu tuus esse desijsset, an maneret? & quam actionem mecum haberes, si desijsset tuus esse? num in factum dari oporteret? Respondi. uideamus, ne interſit, laqueũ in publico, an in priuato posuerim. & si in priuato posuerim: utrũ in meo, an in alieno. & si in alieno: utrum permissu eius, cuius fundus erat, an non permissu eius posuerim. Præterea utrum in eo ita hæserit aper, ut expedire se nõ possit ipse: an diutius luctando expediturus se fuerit. Summam tamẽ hanc puto esse, ut si in meam potestatem peruenerit: meus factus sit. si autem aprum meum factum in suam naturalem laxitatem dimisisses: eo facto meus esse desijsset, & actionem mihi in factum dari oporteret: ueluti responsum est, cum quidam poculum alterius ex naue proiecisset.

LVI. IDEM.

INsula est nata in flumine contra frontem agri mei, ita ut nihil excederet longitudo regionem prædij mei: & postea aucta est paulatim, & processit contra frontem agri & superioris uicini & inferioris. quæro, quod adcreuit, utrum meum sit, quoniam meo adiunctum est: an eius iuris sit, cuius esset, si initio nata eius longitudinis fuisset? Proculus respondit. flumen istud, in quo insulam circa frontem agri tui natam esse scripsisti, ita ut non excederet longitudinem agri tui: si alluuionis ius habeat, & insula initio propior fundo tuo fuit, quàm eius, qui trans flumen habebat: tota tua facta est. sed & quod postea ei insulæ alluuione accessit, id tuum est, etiam si ita accessit, ut procederet insula contra frontes uicinorũ superioris atq; inferioris, uel etiam ut propior esset fundo eius, qui trans flumen habet. Item quæro, si cum propi-

or ripæ meæ enata est insula,& postea totũ flumen inter eam & insulã fluere cœperit, relicto suoalueo, quo maior amnis fluebat: quæritur, quid dubites, quin etiã insula mea maneat:& nihilominus eius soli, quod flumen reliquit,pars fiat meæ? rogo, quid sentias, scribas mihi. Proculus respondit. si cum fundo tuo propior initio fuisset insula: flumen, relicto alueo maiore,qui inter eam insulam fuerat,& eum fundum uicini,qui trans flumen erat,fluere cœperit inter eam insulam & fundũ tuum:nihilominus insula tua manet. sed alueus,qui fuit inter eam insulam & uicini fundum,medius diuidi debet: ita ut parẽ propior insulæ, tuæ:pars autem propior agro uicini,eius esse intelligatur. Intelligo eũ, cum ex altera parte insulæ alueus fluminis exaruerit,desisse insula esse, sed quo facilius res intelligeretur: etiam agrum, qui insula fuerat, insulam appellant.

LVII. PAVLVS.

PEr seruum donatum à marito,ne ex re quidem eius, cui donatus est,adquiri quidquam posse,Iulianus scribit.hoc enim in eorũ persona concessum esse,qui bona fide seruiant.

LVIII. IABOLENVS.

QVæcunq; res ex mari extracta est:non ante eius incipit esse,qui extraxit,quàm dominus eam pro derelicto habere cœperit.

LIX. CALLISTRATVS.

REs mandatu meo empta non prius mea fiet,quàm si ille mihi tradiderit,qui emit.

LX. SCAEVOLA.

SI Titius horreum frumentarium nouum ex tabulis ligneis factum mobile in Seij prædio posuit:quæritur,uter horrei dominus sit? Respondit.secundum ea,quæ proponerentur,non esse factum Seij.

LXI. HERMOGENIANVS.

HAereditas in multis partibus iuris pro domino habetur. ideoq; hæreditati quoq; ut domino per seruum hæreditarium adquiritur.in his sanè,in quibus factum personæ operæúe substantia desideratur,nihil hæreditati quæri per seruum potest:ac propterea quãuis seruus hæreditarius hæres institui possit,tamen quia adire iubentis domini persona desideratur,hæres exspectandus est. Vsusfructus,qui sine persona constitui non potest,hæreditati per seruum non adquiritur.

LXII. PAVLVS.

QVædam sunt,quæ non possunt sola alienari,tamen per uniuersitatem transeunt ad hæredem:ut fundus dotalis,uel res, cuius alienationis commercium non habeat.nam & si legari ei non possit:tamen hæres eius institutus dominus eius efficitur.

Tripho

LXIII. TRIPHONINVS.

SI is, qui in aliena potestate est, thesaurũ inuenerit: in persona eius, cui adquirit, hoc erit dicendum: ut si in alieno agro inuenerit, partẽ ei adquirat. si uero in parentis dominiue loco inuenerit: illius totus sit.

Si communis seruus in alieno inuenerit: utrum pro dominij partibus, an semper æquis adquirat? & simile est, atq; in hæreditate, uel legato, uel quod ab alijs donatum seruo traditur: quia & thesaurus donum fortunæ creditur: scilicet ut pars, quæ inuentori cedit, ad socios, pro qua quisq; parte ferũ dominus est, pertineat. Si communis seruus in domini unius fundo proprio inuenerit: de parte, quæ soli domino semper cedit, non est dubiũ, quin solius domini prædij sit. uerum an aliquid ex parte ferat alter socius, uidendum est: & nunquid simile sit, atq; cũm stipulatur seruus iussu unius domini, aut per traditionem aliquid acceperit uel nominatim alteri. quod magis dici poterit. Quod si seruus, cuius ususfructus alienus est, inuenerit in eius loco, qui seruum proprium habet: an totum illius sit? & si in alieno: an partem eidem adquirat, an uero fructuario? inspectio in illo est: num ex operis serui adquiratur. finge terrã fodientẽ inuenisse: ut hoc dicatur fructuarij esse. quod uero subito in abdito loco positum nihil agens, sed aliter ambulans inuenit: proprietatis domini sit. ego nec illius ad fructuariũ pertinere partem arbitror. nemo enim seruorum opera thesaurum quærit. nec tunc ea propter terram fodiebat, sed alteri rei operam insumebat, & fortuna aliud dedit. Itaq; si in ipsius fructuarij agro inuenerit: partem solam ut agri dominum habiturum: alteram ad eum, cuius in seruo proprietas est, pertinere. Quod si creditor inuenerit: in alieno uidebitur inuenisse. partem itaq; sibi, partem debitori præstabit. nec recepta pecunia restituet, quod iure inuentoris, non creditoris ex thesauro apud eũ per mansit. quæ cum ita sint: & cũ ex principis authoritate creditor ut proprium agrum tenere cœperit: iure dominij intra constitutũ tempus luendi pignoris caussa uertitur. Post transactum autem tempus thesaurũ in eo inuentum ante solutam pecuniam totum tenebit. oblato uero intra constitutum tempus debito: (quoniam uniuersa præstantur, atq; ut in simplici pignore reuocantur) restitui debebit, sed pro parte sola: quia dimidium inuentori semper placet relinqui.

LXIIII. Q. MVTIVS SCAEVOLA *lib. singulari* ὁρῶν.

QVæ quisq; aliena in censum deducit, nihilo magis fiunt eius.

LXV. LABEO.

SI epistolam tibi misero: non erit ea tua, antequàm tibi reddita fuerit. PAVLVS. imò contra. nam si miseris ad me tabellarium tuũ, & ego rescribendi caussa literas tibi misero: simul atq; tabellario tuo tradidẽ

tradidero, tuæ fient. idem accidit in his literis, quas tuæ duntaxat rei gratia misero: ueluti si petieris à me, ut te alicui commendarem, & eas tibi commendaticias literas misero. Si qua insula in flumine nata propria tua est: nihil in ea publicum est. PAVLVS. imò in eo genere insularũ est, quo ripa in flumine. ripæ aũt flumini, & litora mari proxima publica sunt nõ secus, atq; in cõtinenti agro. Idem iuris est, si qua insula in flumine publico, pxima tuo fundo nata est, ea tua est. PAVLVS. uideamus, ne hoc falsum sit de ea insula, quæ nõ ipsi alueo fluminis cohæret, sed uirgultis, aut qualibet alia leui materia ita sustinet in flumine, ut solum eius non tangat, atq; ipsa mouetur. hæc enim propè modũ publica, atq; ipsius fluminis est insula. PAVLVS. si insula in flumine nata tua fuerit, deinde inter eam insulam & contrariam ripam alia insula nata fuerit: mensura eo nomine erit instituenda à tua insula, non ab agro tuo, propter quem ea insula tua facta fuerit. nam quid interest, qualis ager sit, propter cuius propinquitatem, posterior insula cuius sit, quæratur. Si id, quod in publico innatũ aut ædificatũ est, publicum est: in insula quoq;, quæ in publico flumine nata est, publica esse debet.

LXVI. VENVLEIVS.

CVm prægnans mulier legata, aut usucapta, alioúe quo modo alienata pariet: eius fiet partus, cuius est ea, cũ eniteretur: non cuius tunc fuisset, cum conciperet.

DE ADQVIRENDA VEL AMITTENda possessione. Tit. II.

I. PAVLVS lib. LIIII. ad edictum.

POssessio appellata est (ut & Labeo ait) à sedibus, quasi positio: quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei insistit, quam Græci κατοχὴν dicunt: dominumq; rerum ex naturali possessione cœpisse, Nerua filius ait: eiusq; rei uestigium remanere in his, quæ terra, mari, cæloq; capiuntur. nam hæc protinus eorum fieri, qui primi possessionem eorum adpræhenderint. Item bello capta, & insula in mari nata, & gẽmæ, lapilli, margaritæ in litoribus inuentæ, eius fiunt, qui primus eorum possessionem nactus est. Apiscimur autem possessionem per nosmetipsos. Furiosus & pupillus *(sine tutoris authoritate) nõ possunt incipere possidere: quia affectionem tenendi nõ habent, licet maxime rem suo corpore cõtingant, sicuti si quis dormienti aliquid in manu ponat. sed pupillus tutore authore incipiet possidere. Ofilius quidem & Nerua filius

*als deest

lius etiam sine tutoris authoritate possidere incipere posse pupillum aiunt. eam rem enim facti, non iuris esse. quæ sententia recipi potest: si eius ætatis sit, ut intellectum capiat. Si uir uxori cedat possessionem causa donationis: plerique putant possidere eam, quoniam res facti infirmari iure ciuili non potest. & quid attinet dicere, non possidere mulierē: cum maritus, ubi noluit possidere, protinus amiserit possessionem? Item adquirimus possessionem per seruum aut filium, qui in potestate est: & quidem earum rerum, quas peculiariter tenent, etiam ignorantes, sicut Sabino, & Cassio, & Iuliano placuit: quia nostra uoluntate intelligunt̃ possidere, quod eis peculiū habere permiserimus. Igitur ex causa peculiari & infans, & furiosus adquirūt possessionem, & usucapiunt: & hæres, si hæreditarius seruus erat. Sed & per eum, quem bonā fide possidemus, quamuis alienus sit, uel liber, possessionem adquirimus. Quod si mala fide eum possideamus: non puto adquiri nobis possessionem per eum. sed nec uero domino, aut sibi adquiret, qui ab alio possidetur. Per communem, sicuti per proprium, adquirimus etiam singuli in solidum: si hoc agat seruus, ut uni adquirat, sicut in dominio adquirendo. Per eū, in quo usumfructum habemus, possidere possumus: sicut operis suis adquirere nobis solet. nec ad rem pertinet, quod ipsum non possidemus. nam nec filium. Cæterum & ille, per quem uolumus possidere, talis esse debet, ut habeat intellectum possidendi. Et ideo si furiosum seruum miseris, ut possideas: nequaquam uideris adpræhendisse possessionem. Quod si impuberē miseris ad possidendū: incipies possidere: siquidē & pupillus (maxime tutore authore) adquirit possessionem. nam per ancillam, quin possis nancisci possessionem, nō dubitatur. Pupillus per seruum suum (siue puberem, siue impuberem) adquirit possessionem: si tutore authore iusserit eum ire in possessionem. Per seruum, qui in fuga sit, nihil posse nos possidere, Nerua filius ait. licet respondeatur, quāmdiu ab alio non possideatur, à nobis eum possideri: ideoq; interim etiam usucapi. Sed utilitatis causa receptum est, ut impleatur usucapio, quàm diu nemo nactus sit eius possessionem. Possessionem aūt per eum adquiri, sicut per eos, quos in prouincia habemus, Cassij & Iuliani sententia est. Per seruum corporaliter pignori datū non adquirere nos possessionem, Iulianus ait. ad unam enim causam tantum uideri eum à debitore possideri ad usucapionem. sed nec creditorem: quia nec stipulatione, nec ullo alio modo per eū adquirat, quamuis eum possideat. Veteres putauerunt, non posse nos per seruum hæreditarium adquirere, quod sit eiusdem hæreditatis. Itaq; agitatur, num hæc regula longius producenda sit: ut si plures serui legati sint,

per unũ an possint cæteri possideri. idem tractatus est, si pariter empti uel donati sunt. sed uerius est, ex his caussis posse me per unum reliquorum adquirere possessionem. Si ex parte hæredi instituto seruus legatus sit: propter partem, quam ex caussa legati habet, adquiret suam hæreditarij possessionem. Idem dicendum est, si seruum communem iussero adire hæreditatem: quia propter meam partem adquiro.

Hæc, quæ de seruis diximus, ita se habent, si & ipsi uelint nobis adquirere possessionem. nam si seruũ tuum possidere iubeas, & is eo animo intret in possessionem, ut nolit tibi, sed potius Titio adquirere: nõ est tibi adquisita possessio. Per procuratorem, tutorẽ, curatoremúe possessio nobis adquiritur. Cum autem suo nomine nacti fuerint possessionem, non cum ea mente, ut operã duntaxat suam nobis accommodarent: non possunt adquirere. alioquin si dicamus per eos non adquiri nobis possessionem, qui nostro nomine accepiunt: futurum est, ut neq; is possideat, cui res tradita sit, quia non habeat animum possidendi: neq; is, qui tradiderit, quoniam cesserit possessionem. Si iusserim uenditorem procuratori rem tradere, cum ea in præsentia sit: uideri mihi traditam, Priscus ait. Idemq; esse, si numos debitorem iusserim dare alij. non esse enim corpore & actu necesse adpræhendere possessionem: sed etiam oculis, & affectu, & argumento esse eas res, quæ propter magnitudinem ponderis moueri non possunt: ut columnas. nam pro traditis haberi, si in re præsenti consenserint: & uina tradita uideri, cum claues cellæ uinariæ emptori traditæ fuerint. Municipes per se nihil possidere possunt: quia uniuersi consentire nõ possunt. Forum autem, & basilicam, hisq; similia nõ possident, sed promiscue his utuntur. Sed Nerua filius ait: per seruum, quæ peculiariter adquisierit, & possidere & usucapere posse: licet quidam contra putent, quoniam ipsos seruos non possideant.

II. VLPIANVS.

SEd hoc iure utimur, ut & possidere & usucapere municipes possint: idq; eis & per seruum, & per liberam personam adquiratur.

III. PAVLVS.

POssideri autem possunt, quæ sunt corporalia: & apiscimur possessionem corpore & animo: neq; per se animo, aut per se corpore. Quod autem diximus, & corpore & animo adquirere nos debere possessionem: non utiq; ita accipiendum est, ut qui fundum possidere uelit, omnes glebas circũambulet: sed sufficit quamlibet partem eius fundi introire, dum ea mente ac cogitatione sit, ut totum fundum usq; ad terminum uelit possidere. At enim incertam partem rei nemo potest possidere: ueluti si hac mente sis, ut quidquid Titius possidet, tu quoq; uelis

possidere uelis. Neratius & Proculus solo animo non posse nos adquirere possessionẽ aiunt, si nõ antecedat naturalis possessio. Ideoq; si thesaurum in fundo meo positum sciam: cõtinuo me possidere, simul atq; possidendi affectum habuero: quia quod deest naturali possessioni animus implet. Cæterum quod Brutus & Manilius putant: eum, qui fundum longa possessione cepit, etiam thesaurum cepisse, quamuis nesciat in fundo esse: non est uerum. is enim, qui nescit, non possidet thesaurum, quamuis fundum possideat. sed & si sciat: non capiet longa possessione, quia scit alienum esse. Quidam putant Sabini sententiam ueriorem esse: nec aliàs eum possidere, qui scit, nisi si loco motus sit: quia non sit sub custodia nostra. quibus consentio. Ex pluribus caussis possidere eandem rem *posse nos, quidam putant: & eum, qui usuceperit & pro emptore, & pro suo possidere. sic enim & si ei, qui sum9, ut pro emptore possidebat, hæres fim: eandẽ rem & pro emptore, & pro hærede possideo. nec enim sicut dominium non potest, nisi ex una caussa contingere, ita & possidere ex una duntaxat caussa possumus. *al's. possquidam.

Ex contrario plures eandem rem in solidũ possidere non possunt. quippe contra naturam est, ut cum aliquid ego teneam, tu quoq; id uidearis tenere. Sabinus tamen scribit eũ, qui precariò dederit, & ipsum possidere, & eum, qui precariò acceperit. Idem Trebatius probabat, existimans posse alium iuste, alium iniuste possidere. duos iuste, uel duos iniuste non posse. quem Labeo repræhendit: quoniam in summa possessionis non multum interest, iuste quis, an iniuste possideat. quod uerius est. nõ enim magis eadem possessio apud duos esse potest, quàm ut tu stare uidearis in eo loco, in quo ego sto: uel in quo ego sedeo, tu sedere uidearis. In amittenda quoq; possessione affectio eius, qui possidet, intuenda est. Itaq; si in fundo sis, & tamen nolis eum possidere: protinus amittes possessionem. Igitur amitti & animo solo potest, quamuis adquiri non potest. sed & si animo solo possideas: licet alius in fundo sit: adhuc tamen possides. Si quis nunciet domum à latronibus occupatam, & dominus timore conterritus noluerit accedere: amisisse eum possessionem placet. Quod si seruus uel colonus, per quos corpore possidebam, discesserint: uel animo retinebo possessionem. sed si alij tradiderint: amitto possessionem. nam constat possidere nos, donec aut nostra uoluntate *discesserint, aut ui deiecti* fuerint. Si seruus, quem possidebam, pro libero se gerat, ut fecit Sparta cus, & iudicium liberale pati paratus sit: non uidebitur à domino possideri, cui se aduersariũ præparat. sed hoc ita uerum est, si diu in libertate moratur. alioquin si ex possessione seruitutis in libertatem reclamauerit, & liberale iudicium implorauerit: nihilominus in possessione *al's. discesserimo. itẽ. fuerimus.

mea est, & animo eum possideo, donec liber fuerit pronunciatus.

Saltus hybernos æstiuosq; animo possidemus, quamuis certis temporibus eos relinquamus. cæterũ animo nostro, tum etiã corpore alieno possidemus (sicut diximus) per colonum & seruum. nec mouere nos debet, q̃ quædam etiã ignorantes possideamus, id est quæ seruipeculiariter parauerunt. nam uidemur ea eorundem & animo & corpore possidere. Nerua filius res mobiles, excepto homine, quatenus sub custodia nostra sint, hactenꝰ possideri: id est quatenus uelimus earũ naturalem possessionem nanciſci. nam pecus simul atq; aberrauerit, aut uas ita exciderit, ut non inueniatur: protinus desinere à nobis possideri, licet à nullo possideatur. Dissimiliter, atq; si sub custodia mea sit, nec inueniatur: quia in præsentia eius sit, & tantũ cesset interim diligẽs inquisitio. Item feras bestias, quas uiuarijs incluserimus: & pisces, quos in piscinã coniecerimus, à nobis possideri. sed eos pisces, qui in stagno sunt: aut feras, quæ in syluis circunseptis euagentur, à nobis nõ possideri: quoniam relictæ sint in libertate naturali. alioquin etiam si quis syluam emerit, uideri eum omnes feras possidere. quod falsum est. Aues etiam possidemus, quas incluſas habemus: aut si quæ mansuetæ factæ custodiæ nostræ subiectæ sunt. Quidam recte putant, columbas quoq;, quæ ab ædificijs nostris: item apes, quæ ex alueis nostris euolant, & secundum consuetudinem redeunt, à nobis possideri. Labeo & Nerua filius responderunt, desinere me possidere eum locum, quem flumẽ aut mare occupauerit. Si rem apud te depositã furti faciendi causſa contrectaueris: desino possidere. sed si eam loco non moueris: & si inficiandi animum habeas: plericq; ueterũ, & Sabinus, & Cassius responderunt, recte possessorem me manere: quia furtum sine contrectatione fieri non possit, nec animo furtũ admittatur. Illud quoq; à ueteribus præceptum est: neminem sibi ipsum causſam possessionis mutare posse. Sed si is, qui apud me deposuit, uel commodauit, eam rem mihi uendiderit, uel donauerit: non uideor causſam possessionis mihi mutare, qui ne possidebam quidem. Genera possessionum tot sunt, quot & causſæ adquirendi eius, quod nostrum non sit: ueluti pro emptore, pro donato, pro legato, pro dote, pro hærede, pro noxæ dedito, pro suo: sicut in his, quæ terra, mari, cæloq;, uel ex hostibus capimus, uel quæ ipsi, ut in rerum natura essent, fecimus. Et in summa magis unum genus est possidendi, species infinitæ. uel etiam potest diuidi possessionis genus in duas species: ut possideantur, aut bona fide, aut non bona fide. Quod autem Quintus Mutius inter genera possessionum posuit, si quando iussu magistratus rei seruandæ causſa, uel quia damni infecti non caueatur, possidemus: ineptissimum est. nam qui credi

creditorem rei seruandæ causſa,uel quia damni infecti non caueatur, uel uentris nomine mittit in possessionem: non possessionem, sed custodiam rerum & obseruationem concedit.& ideo cum damni infecti non cauente uicino in possessionem missi sumus: si id longo tempore fiat,etiam possidere nobis, & per longam possessionem capere prætor causſa cognita permittit.

IIII. VLPIANVS.

QVidquid filius peculiari nomine adprehenderit:id statim pater eius possidet,quamuis ignoret in sua potestate filium. Amplius etiam si filius ab alio,tanq; seruus,possideatur:idem probandum erit.

V. PAVLVS.

SI ex stipulatione tibi Stichum debeam, & non tradam eum, tu autem nactus fueris possessionem: prædo es.æque si uendidero, nec tradidero rem,si non uoluntate mea nactus sis possessionem: non pro emptore possides,sed prædo es.

VI. VLPIANVS.

CLam possidere eum dicimus, qui furtiue ingressus est possessionem,eo ignorante,quem sibi controuersiam facturum suspicabatur,& ne faceret,timebat.Is autem,qui cum possideret non clam,se cælauerit:in ea causſa est,ut non uideatur clam possidere.non enim ratio obtinendæ possessionis,sed origo nanciscendæ exquirenda est.nec quenquam clam possidere incipere,qui sciente aut uolente eo,ad quẽ ea res pertinet,aut aliqua ratione bona fide possessionem nanciscitur. Itaq; (inquit Pomponius) clam nanciscitur possessionem, qui futuram cõtrouersiam metuens,ignorante eo,quẽ metuit,furtiue possessiõnem ingreditur. Qui ad nundinas profectus,neminem reliquit:si dum ille à nundinis rediret, aliquis occupauit possessionem : uideri eũ clam possidere,Labeo scribit.retinet ergo possessionem is, qui ad nundinas abijt.uerũ si reuertentem dominum non admiserit:ui magis intelligi possidere, non clam.

VII. PAVLVS.

SEd si nolit in fundum reuerti, quod uim maiorem uereatur: amisisse possessionem uidebitur.& ita Neratius quoq; scribit.

VIII. IDEM.

QVemadmodũ nulla possessiõ adquiri nisi animo & corpore potest:ita nulla amittitur, nisi in qua utrunq; in contrariũ actũ est.

IX. CAIVS.

GEneraliter quisquis omnino nostro nomine nobis uolentibus sit in possessione (ueluti procurator,hospes,amicus)nos possidere uidemur.

X. VLPIANVS.

SI quis ante conduxit, postea precariò rogauit: uidebitur discessisse à conductione. quod si ante rogauit, postea conduxit: conduxisse uidebitur. potius enim hoc procedere uidetur, quod nouissime factum est. & hoc Pomponius ait. Idem Pomponius bellissime tentat dicere: nunquid qui conduxit quidem prædium, precariò autem rogauit, non ut possideret, sed ut in possessione esset? est autem longe diuersum. aliud est enim possidere, longe aliud in possessione esse. deniq; rei seruandæ caussa, legatorum, damni infecti, non possident, sed sunt in possessione custodiæ caussa. quod si factum est: utrũq; procedit. Si quis & conduxerit & rogauerit præcariò, uti possideret: siquidem numo uno conduxit: nulla dubitatio est, quin ei precarium solum teneat: quia cõductio nulla est, quæ est in numo uno. si uero precio: tunc distinguendum, quid prius factum est.

XI. PAVLVS.

IVste possidet, qui authore prætore possidet.

XII. VLPIANVS.

NAturaliter uidetur possidere is, qui usumfructum habet. Nihil commune habet proprietas cum possessione. & ideo non denegatur ei interdictum VTI POSSIDETIS, qui cœpit rem uindicare. nõ enim uidetur possessioni renunciasse, qui rem uindicauit.

XIII. IDEM.

POmponius refert. cum lapides in Tyberim demersi essent naufragio, & post tempus extracti: an dominium in integro fuerit per id tempus, quo erant mersi? ego me dominium retinere puto, possessionem non puto: nec esse simile fugitiuo. nanq; fugitiuus idcirco à nobis possideri uidet̃, ne ipse nos priuet possessione. at in lapidibus diuersum est. Cum quis utitur adminiculo ex persona authoris: uti debet cum sua caussa, suisq; uicijs. idemq; addimus in accessione de ui, & clandestino, & precario uenditoris. Præterea quæritur, si quis hominem uenditori redhibuerit: an accessione uti possit ex persona eius? & sunt, qui putant, non posse: quia redhibitio uenditionis resolutio est. alij emptorem accessione uenditoris usurum, & uẽditorem emptoris. quod magis probandum puto. Si liber homo uel alienus seruus, cum bona fide seruiret, cõparauerit, & alij adquisierit possessionẽ: neq; liberum, neq; serui dominum debere uti accessione. Quæsitum est, si primus hæres non possideret: an testatoris possessio ei accedat? & qui dem in *emptoribus possessio interrumpitur. sed non idem in hæredibus plerisq; probant: quoniam plenius est ius successionis, quàm emptionis. sed subtilius est, quod in emptore, id & in hærede quoq; probari. Non autem ea tantum possessio testatoris hæredi procedit, quæ

*al's. in emptionib9 et uenditionibus.

quæ morti fuit iniuncta: uerum ea quoq; quæ nunquam testatoris fuit.

In dotẽ quoq; si data res fuerit, uel ex dote recepta: accessio dabitur uel marito uel uxori. Si is, qui precariò concessit, accessione uti uelit ex persona eius, cui concessit: an possit, quæritur? ego puto eum, qui precariò concessit, quàmdiu manet precarium, accessione uti non posse. si tamen receperit possessionem, rupto precario: dicendum est, accedere possessionem eius temporis emptori, quo precario possidebatur. Ex facto quæritur, si quis manumissus ex caussa peculiari habeat rem non concesso sibi peculio, deinde dominus uelit retracta possessione accessione uti: an possit? & placuit non esse dandam hanc accessionem, quæ clam habita est, prædone possidente. Si iussu iudicis res mihi restituta sit: accessionem mihi esse dandam placuit. Sed & legatario dandam accessionem eius temporis, quo fuit apud testatorem, sciendum est. An hæredis possessio ei accedat, uideamus. & puto (siue pure, siue sub conditione fuerit relictum) dicendum esse, id temporis, quo hæres possedit, ante existentem conditionem uel restitutionem rei & legatario proficere. testatoris autem semper proderit legatario: si legatũ uerte fuit, uel fideicõmissum. Sed & is, cui donata res est, accessione utetur ex persona eius, qui donauit. Accessiones in eorum personis locum habent, qui habent propriam possessionem. cæterum accessio nemini proficit, nisi ei, qui ipse possidet. Præterea ne uicioſæ quidem possessioni ulla potest accedere: sed nec uicioſa ei, quæ uicioſa non est.

XIIII. PAVLVS

SI seruus uel filiusfamilias uendiderit: dabitur accessio eius, quod penes me fuit: scilicet si uolente me, aut de peculio, cuius liberam administrationem habuerunt, uendiderint. Tutore quoq; uel curatore uendente dabitur accessio eius temporis, quo pupillus uel furioſus possederit.

XV. CAIVS.

REm, quæ nobis subrepta est, perinde intelligimur desinere possidere, atq; eam, quæ ui à nobis erepta est. Sed si is, qui in potestate nostra est, subripuerit: quàmdiu apud ipsum est res, tamdiu non amittimus possessionem: quia per huiusmodi personas adquiritur nobis possessio. & hæc ratio est, quare uideamur fugitiuũ possidere: quod is, quẽadmodum aliarum rerum possessionem interuertere non potest, ita ne suam quidem potest.

XVI. VLPIANVS.

QVod uxor uiro, aut uir uxori donauerit: pro possessore possidet.

XVII. IDEM.

SI quis ui de possessione deiectus sit: perinde haberi debet, ac si possideret: cũ interdicto de ui recuperandæ possessionis facultatẽ habeat.

at. Differentia inter dominium & possessionem hæc est: quod dominium nihilominus eius manet, qui dominus esse non uult: possessio autem recedit, ut quisq; constituit nolle possidere. Si quis igitur ea mente possessionem tradidit, ut postea ei restituatur: desinit possidere.

XVIII. CELSVS.

QVod meo nomine possideo: possum & alieno nomine possidere. nec enim muto mihi causſam possessionis, sed desino possidere, & alium possessorem ministerio meo facio. nec idem est possidere, & alio nomine possidere. nam is possidet, cuius nomine possidetur.

Procurator alienæ possessionis præstat ministerium. Si furioso, quem suæ mentis existimasti eo, quod forte in conspectu inumbratæ quietis fuerit constitutus, rem tradideris: licet ille non erit adeptus possessionem: tu possidere desinis. sufficit quippe dimittere possessionem, etiam si nõ transferas. illud enim ridiculum est dicere, quod non aliter uult quis dimittere, quàm si transferat. imô dimittere uult, quia se transferre existimat. Si uenditorem, quod emerim, deponere in domo mea iusserim: possidere mé certũ est, quanquam id nemo dum attigerit. aut si uicinum mihi fundum mercato uenditor in mea turre demonstret, uacuamq; possessionẽ tradere dicat: non minus possidere cœpi, quàm si pedem finibus intulissem. Si dum in alia parte fundi sum, alius quis clam animo possessoris intrauerit: non desisse ilico possidere existimandus sum, facile expulsurus finibus, simul atq; sciero. rursus si cum magna ui ingressus est exercitus: eam tantummodo partem, quam intrauerit, obtinet.

XIX. MARCELLVS.

QVi bona fide fundum alienum emit, eundẽ à domino conduxit, quæritur, utrum desinat possidere, an non? Respondit. in promptu est, ut desierit possidere. Quod scriptum est apud ueteres, neminem sibi causſam possessionis posse mutare: credibile est de eo cogitatum, qui & animo & corpore possessioni incumbens, hoc solum statuit, ut alia ex causſa id possideret: non si quis dimissa possessione prima eiusdem rei, denuo ex alia causſa possessionem nanciſci uelit.

XX. IDEM.

SI quis rem, quam utendam dederat, uendiderit, emptoriq; tradi iusserit, nec ille tradiderit: aliàs uidebitur possessionem domini interuertisse, aliàs contra. nam ne tunc quidem semper dominus amittit possessionem, cum reposcenti ei commodatum non redditur. quid enim, si alia quæpiam fuit iusta & rationabilis causſa non reddendi? non utiq; eius rei possessionem interuertit.

XXI. IABOLENVS.

Intera

INterdum eius rei possessionem, cuius ipsi non habemus, alijs tradere possumus: ueluti cũ is, qui pro hærede rem possidebat, ante quàm dominus fieret, precariò ab hærede eam rogauerit. Quod ex naufragio expulsum est, usucapi non potest: quoniam non est in derelicto, sed in deperdito. idem iuris esse existimo in his rebus, quæ iactæ sunt: quoniã non potest uideri id pro derelicto habitum, quod salutis caussa interim dimissum est. Qui alienam rem precariò rogauit, si eandem rem à domino conduxit: possessio ad dominum reuertitur.

XXII. IDEM.

NOn uidetur possessionem adeptus is, qui ita nactus est, ut eam retinere non possit.

XXIII. IDEM.

CVm hæredes instituti sumus: adita hæreditate omnia quidem iura ad nos transeunt, possessio autem nisi naturaliter compræhensa ad nos non pertinet. In his, qui in hostium potestatem perueniunt, retinendo iura rerum suarum, singulare ius est: corporaliter tamen possessionem amittunt. neq; enim possunt uideri aliquid possidere, cum ipsi ab alio possideantur. sequitur ergo, ut reuersis his noua possessione opus sit, etiam si nemo medio tempore res eorum possederit. Item quæro, si uinxero liberum hominem, ita ut eum possideam: an omnia, quæ is possidebat, ego possideam per illum? Respondit. si uinxeris liberum hominẽ: eum te possidere non puto. quod cum ita se habeat: multo minus per illum res eius à te possidebuntur. neq; enim rerum natura recipit, ut per eum aliquid possidere possim, quem ciuiliter in mea potestate non habeo.

XXIIII. IDEM.

QVod seruus tuus te ignorante ui possidet, id tu nõ possides: quoniam is, qui in tua potestate est, ignoranti tibi non corporalem possessionem, sed iustam potest adquirere: sicut id, quod ex peculio ad eum peruenerit, possidet. nam tunc per seruum dominus quoq; possidere dicitur, summa scilicet cũ ratione: quia quod ex iusta caussa corporaliter à seruo tenetur, id in peculio est serui: & peculium, quod seruus ciuiliter quidem possidere non potest, sed naturaliter tenet, dominus creditur possidere. quod uero ex maleficijs adpræhenditur: id ad domini possessionẽ ideo nõ pertinet, quia nec peculij caussam adpræhendit.

XXV. POMPONIVS.

SI id, quod possidemus, ita perdiderimus, ut ignoremus, ubi sit: desinimus possidere. Et per colonos, & inquilinos, aut seruos nostros possidemus. sed & si moriantur, aut furere incipiant, aut alij loceni, intelligimur per eos retinere possessionem: nec inter colonum

& seruum nostrum, per quem possessionem retinemus, quidquam interest. Quod autem solo animo possidemus: quæritur, utrum ne usq; eò possideamus, donec alius corpore ingressus sit, ut potior sit illius corporalis possessio: an uero (quod quasi magis probatur) usq; eò possideamus, donec reuertentes non aliquis repellat: aut nos ita animo desinamus possidere, quod suspicemur repelli nos posse ab eo, qui ingressus sit in possessionem? & id uidetur utilius esse.

XXVI. IDEM.

LOcus certus ex fundo & possideri, & per longam possessionem capi potest. sed & certa pars pro indiuiso, quæ introducitur uel ex emptione, uel ex donatione, uel qualibet alia ex caussa. incerta autem pars nec tradi, nec usucapi potest: ueluti si ita tibi tradam, QVIDQVID MEI IVRIS IN EO FVNDO EST. nam qui ignorat, nec tradere, nec accipere id, quod incertum est, potest.

XXVII. PROCVLVS

SI is, qui animo possessionem saltus retinet, furere cœpit: non potuit, dum fureret, eius saltus possessionē amittere: quia furiosus non potest desinere animo possidere.

XXVIII. TERTVLLIANVS.

SI aliquam rem possideam, & eandem rem postea conducam: an amittam possessionem? multum refert in his, quid agatur. refert enim primum, utrum sciam me possidere, an ignorem: & utrum quasi non meam rem conducam, an quasi meam: & sciens meam esse, utrū quasi proprietatis respectu, an possessionis tantum. nam & si rem meam tu possideas, & ego emam à te possessionem eius rei, uel stipuler: utilis erit & emptio, & stipulatio. & sequitur, ut & precarium, & conductio: si specialiter possessionis solius coducendæ uel precariò rogandæ animus interueniat.

XXIX. VLPIANVS.

POssessionē pupillum sine tutoris authoritate amittere posse constat: non ut animo, sed ut corpore desinat possidere. quod enim facti est, potest amittere. alia caussa est, si forte animo possessionem uelit amittere. hoc enim non potest.

XXX. PAVLVS.

QVi uniuersas ædes possidet, singulas res, quæ in ædificio sunt, nō uidet̄ possedisse. idem debet dici & de naue & de armario. Possessionem amittimus multis modis. ueluti si mortuum in eum locum intulimus, quem possidebamus. nanq; locum religiosum, aut sacrum non possumus possidere: & si contemnamus religionem, & pro priuato eum teneamus: sicuti nec hominē liberum. Item cum prætor id circo

circo in possessionem rei ire iussit,quod damni infecti non promitteretur: possessionem inuitum dominum amittere, Labeo ait. Item quod mari aut flumine occupatum sit,possidere nos desinimus: aut si is,qui possidet,in alterius potestatem peruenerit. Item quod mobile est, pluribus modis desinimus possidere:si aut nolimus,aut seruum (puta) manumittamus.item si id,quod possidebamus, in aliam speciem translatum sit:ueluti uestimentum ex lana factum. Quod per colonum possideo:hæres meus, nisi ipse nactus sit possessionem,non poterit possidere.retinere enim animo possessionem possumus, apisci non possumus. sed quod pro emptore possideo, per colonum etiam usucapiet hæres meus. Si ego tibi commodauero,tu Titio, qui putet tuum esse:nihilominus id ego possideo. Et idem erit, si colonus meus fundum locauerit:aut is, apud quem deposueram, apud alium rursus deposuerit:& id per quamlibet plurium personarum factum ob seruandum ita erit.

XXXI. POMPONIVS.

SI colonus nõ deserendæ possessionis caussa exiisset de fundo,& eò redijsset:eundem locatorem possidere placet.

XXXII. PAVLVS.

QVamuis pupillus sine tutoris authoritate nõ obligetur:possessionem tamen per eum retinemus. Si conductor rem uendiderit,& eam ab emptore conduxerit,& utrique mercedes præstiterit: prior locator possessionem per conductorẽ rectissime retinet. Infans possidere recte potest,si tutore authore cœpit. nam iudicium infantis supletur authoritate tutoris.utilitatis enim caussa hoc receptũ est. nam alioquin nullus sensus infantis est accipiendi possessionem. pupillus tamen etiam sine tutoris authoritate possessionem nanciscitur. item infans peculiari nomine per seruum possidere potest.

XXXIII. POMPONIVS.

FVndi uenditor etiam si mandauerit alicui,ut emptorem in uacuam possessionem induceret: prius quàm id fieret, non recte emptor per se in possessionem uenit. Item si amicus uenditoris, mortuo eo,prius quàm id sciret,aut non prohibentibus hæredibus,id fecerit:recte possessio ei tradita est. sed si is fecerit,cum sciret dominũ mortuum esse,aut cum sciret hæredes id facere nolle : contra erit.

XXXIIII. VLPIANVS.

SI me in uacuam possessionem fundi Corneliani miseris, ego cum putarem me in fundum Sempronianum missum, in Cornelianũ iero: non adquiram possessionem : nisi forte in nomine tantum erratuerimus, & in corpore consenserimus. * quando autem in corpore

aũs * q̃niã i corpore consens.

non cõsenserimus: an â te tamen recedat possessio, quia animo deponere & mutare possessionem nos posse, & Celsus & Marcellus scribunt: dubitari potest. & si animo adquiri possessio potest: nunquid etiam adquisita est? sed non puto errantem adquirere. ergo nec amittet possessionem, qui quodammodo sub cõditione recessit de possessione. Sed si non mihi, sed procuratori meo possessionem tradas: uidendum est, si ego errem, procurator meus nõ erret: an mihi possessio adquiratur? & cum placet ignoranti adquiri: poterit & erranti. sed si procurator meus erret, ego non errem: magis est, ut adquiram possessionem. Seruus quoq; meus ignoranti mihi possessionem adquiret. nam & seruus alienus (ut Celsus scribit) siue à me, siue à nemine possi deat: potest mihi adquirere possessionẽ, si nomine meo adipiscatur eam. quod & ipsum admittendum est.

XXXV. IDEM.

EXitus controuersiæ possessionis hic est tantum, ut prius pronunciet iudex, uter possideat. ita enim fiet, ut is, qui uictus est de possessione, petitoris partibus fungatur, & tunc de dominio quæratur.

XXXVI. IVLIANVS.

QVi pignoris caussa fundum tradit creditori, intelligitur possidere. sed & si precariò eundem rogauerit: æque per diuturnam possessionem capiet. nam cum creditoris possessio non impediat usucapionem: longe minus precarij rogatio impedimento esse debet: qui cum plus iuris in possessionem habeat, qui precariò rogauerit, quàm omnino non possidet.

XXXVII. MARCELLVS.

RE pignoris nomine data, & possessione tradita, deinde à creditore conducta: conuenit, ut is, qui hypothecam dedit, pro colono in agro, in ædibus prò inquilino sit, & per eos creditor possidere uidea tur.

XXXVIII. VLPIANVS.

QVi absenti seruo scribit, ut in libertate moretur: non eã mentem habet, ut statim uelit serui possessionem dimittere: sed magis destinationem suam in id tempus conferre, quo seruus certior factus fuerit. Si quis possessionem fundi ita tradiderit, ut ita demum cedere eam dicat, si ipsius fundus esset: non uidetur possessio tradita, si fundus alienus sit. hoc amplius existimandum est, possessiones sub conditione tradi posse, sicut res sub conditione traduntur: neq; aliter accipientis fiant, quàm si conditio exstiterit. Si is, qui Titio seruum uenderat, hæredi eius eum tradiderit: poterit hæres rerũ hæreditariarum possessionem per eum adpræhendere: quia non seruus iure hæreditario, sed actione ex empto ad eũ peruenit. nam & si ex stipulatu, uel ex testa-

testamento seruus debitus testatori fuisset, & hæres eum accepisset: non prohiberetur rerum hæreditariarũ possessionẽ per eũ adquirere.

XXXIX. IDEM.

INteresse puto, qua mente apud sequestrum deponatur res. nam si amittendæ possessionis caussa, & hoc aperte fuerit adprobatum: ad usucapionẽ possessio eius partibus non procedet. at si custodiæ caussa deponatur: ad usucapionẽ procedere eã possessionem uictori constat.

XL. AFRICANVS.

SI dẽ eo fundo, quem cum possiderem, pignori tibi dedi, seruus tuus te deiiciat: adhuc te possidere ait: quoniam nihilominus per ipsum seruum possessionem retineas. Si forte colonus, per quem dominus possideret, decessisset: propter utilitatem receptum est, ut per colonum possessio retineretur, & cõtinuaretur. quo mortuo, dicendum, non statim eam interpellari: sed tunc demum, cum dominus possessionem apisci neglexerit. aliud existimandum ait, si sponte colonus possessione decesserit. sed hæc ita uera esse, si nemo extraneus eam rem interim possederit, sed semper in hæreditate coloni manserit. Seruũ tuum à Titio bona fide emi, & traditum possedi. deinde cum comperissem tuum esse, & ne eum peteres, cælare cœpi. non ideo magis hoc tempore clam possidere me uideri ait. nam retro quoq; si sciens tuum seruum nõ à domino emerim, & cum clam eum possidere cœpissem, postea certiorem te fecerim: nõ ideo desinere me clam possidere. Si seruum meum bonæ fidei emptori clam abduxerim: respondit, non uideri clam me possidere: quia neq; precarij rogatione, neq; conductione suæ rei dominium teneri: & non posse caussam clandestinæ possessionis ab his duabus caussis separari.

XLI. PAVLVS.

QVi iure familiaritatis amici fundũ ingreditur, non uidetur possidere, quia non eo animo ingressus est, ut possideat, licet corpore in fundo sit.

XLII. VLPIANVS.

COmmunis seruus etiam si ab uno ex dominis omnium nomine possideatur: ab omnibus possideri intelligitur. Procurator, si quidem mandante domino rem emerit: protinus illi adquirit possessionẽ. quod si sua sponte emerit: non, nisi ratam dominus habuerit emptionem.

XLIII. MARCELLVS.

SI quis fundum emerit, cuius particulam sciebat esse alienam: Iulianus ait, si pro diuiso sciat esse alienam: posse eum reliquas partes longa possessione capere. sed si pro indiuiso: licet ignoret, quis sit locus: æque eum capere posse: quod sine ullius damno pars, quæ putatur

esse uendentis, per longam possessionem ad emptorem transit. Sed & Pomponius scribit libro quinto uariarum lectionum: si sciat, uel putet alienum esse usumfructum: bona fide per diutinam possessionem capere posse. Idem inquit, & si emerim rem, quam sciã pignori obligatam.

XLIIII. PAPINIANVS.

PEregre profecturus pecuniam in terram custodiæ caussa condiderat. cum reuersus locum thesauri in memoria non repeteret: an desiisset pecuniam possidere? uel si postea recognouisset locũ: an postea cõfestim inciperet possidere, quæsitum est. dixi. quoniam custodiæ caussa pecunia condita proponeretur: ius possessionis ei, qui condidisset, non uideri peremptum: nec infirmitatem memoriæ damnum adferre possessionis, quam alius nõ inuasit. alioquin respõsuros, per momenta seruorum, quos non uiderimus, interire possessionem. & nihil interest, pecuniam in meo, an in alieno condidissem: cum si *alius in meo condidisset, non aliàs possiderem, quàm si ipsius rei possessionem supra terram adeptus fuissem. itaq; nec alienus locus meam propriam aufert possessionem: cum supra terram, an infra terram possideã, nihil intersit. Quæsitum est, cur ex peculij caussa per seruum ignoranti b9 possessio quæreretur? dixi. utilitatis caussa iure singulari receptũ, ne cogerentur domini per momenta, species, & caussas peculiorum inquirere. nec tamen eo pertinere speciem istam, ut animo uideatur adquiri possessio. nam & si non ex caussa peculiari quæratur aliquid, scientiam quidem domini esse necessariam, sed corpore serui quæri possessionem. Quibus explicitis, cum de amittenda possessione quæratur: multũ interesse dicam, per nosmetipsos, an per alios possideremus. nam eius quidem, quod corpore nostro teneremus, possessionẽ amitti uel animo uel etiam corpore: si modo eo animo inde digressi fuissemus, ne possideremus. eius uero, quod serui uel coloni etiam corpore possiderent: non aliter amitti possessionem, quàm si eam alius ingressus fuisset, eaḿq; amitti nobis quoq; ignorantibus. Illa quoq; amittendæ possessionis separatio est. nam saltus hybernos & æstiuos, quorum possessio retinetur animo:

*aliàs. in alieno.

XLV. IDEM.

LIcet neq; seruum, neq; colonum ibi habeamus:

XLVI. IDEM.

QVamuis saltus possidendi proposito fuerit alius ingressus: tamdiu priorem possidere dictum est, quàmdiu possessionem ab alio occupatam ignoraret. ut enim eodem modo uinculum obligationum soluitur, quo quæri adsolet: ita non debet ignoranti tolli possessio, quæ solo animo retinetur.

Idem

XLVII. IDEM.

SIrem mobilem apud te depositam, aut commodatam tibi possidere, nec reddere constitueris: confestim amisisse me possessionem uel ignorantem responsum est. cuius rei forsitan illa ratio est, quod rerum mobilium neglecta atq; dimissa custodia (quamuis eas nemo alius inuaserit) ueteris possessionis damnū adferre consueuit. idq; Nerua filius libro de usucapionibus retulit. Idem scribit, aliā caussam esse hominis cōmodati omissa custodia. nam possessionē tamdiu ueterem fieri, quāmdiu nemo alius possidere cœperit: uidelicet ideo, quia potest homo proposito redeundi domino possessionem sui cōseruare, cuius corpore cæteras quoq; res possumus possidere. igitur earum rerū quidem, quæ ratione uel anima carent, confestim amittitur possessio: hominis autem retinetur, si reuertendi animum habuerit.

XLVIII. IDEM.

PRædia cum seruis donauit, eorumq; se tradidisse possessionem literis declarauit. si uel unus ex seruis, qui simul cum prædijs donatus est, ad eum, qui donum accepit, peruenerit, mox in prædia remissus sit: per seruum prædiorum possessionem quæsitam cæterorumq; seruorum constitit.

XLIX. IDEM.

POssessio quoq; per seruum, cuius ususfructus meus est, ex re mea uel ex operis serui adquiritur mihi: cum & naturaliter à fructuario teneatur, & plurimum ex iure possessio mutuetur. Qui in aliena potestate sunt, rem peculiarem tenere possunt, habere & possidere nō possunt: quia possessio non tantum corporis, sed etiam iuris est. Et si possessio per procuratorem ignoranti quæritur, usucapio uero scienti competit: tamen euictionis actio domino contra uenditorē inuito procuratore non datur, sed per actionem mandati eam cedere cogetur.

L. TERENTIVS CLEMENS.

PEr eum, quem iusto ductus errore, filium meum, & in mea potestate esse existimo: neq; possessio, neq; dominium, neq; quidquam aliud ex re mea mihi quæritur. Per seruum in fuga agentem, si neq; ab alio possideatur, neq; se liberū esse credat, possessio nobis adquiritur.

LI. IABOLENVS.

QVarundam rerum animo possessionem nos apisci ait Labeo. ueluti si aceruum lignorum emero, & eum uenditor tollere me iusserit: simul atq; custodiam posuissem, traditus mihi uideri. Idem iuris esse in uino uendito, cum uniuersæ amphoræ uini simul essent. Sed uideamus (inquit) ne hæc ipsa corporalis traditio sit: quia nihil interest, utrum mihi, an etiam cuilibet iusserim, ut custodia tradatur. in eo

puto

puto hanc quæstionem cõsistere: an etiam si corpore aceruus aut amphoræ adprehensæ non fuerint, nihilominus traditæ mihi uideantur? nihil uideo interesse, utrum ego ipse aceruum, an mandatu meo alius custodiat. utrubiq; enim animi quodam genere possessio erit æstimanda.

LII. VENVLEIVS.

PErmisceri causas possessionis & ususfructus non oportet: quemmodum nec possessio & proprietas misceri debent. neq; impediti possessionem, si alius fruatur: neq; alterius fructum amputari, si alter possideat. Eum, qui ædificare prohibetur, possidere quoq; prohiberi, manifestum est. Species inducendi in possessionẽ alicuius rei est, prohibere ingredienti uim fieri. statim enim cedere aduersarium, & uacuam relinquere possessionẽ iubet: quod multo plus est, q̃ restituere.

LIII. IDEM.

ADuersus extraneos uiciosa possessio prodesse solet.

DE VSVCAPIONIBVS ET VSVRPATIonibus. Tit. III.

I. CAIVS

BOno publico introducta est usucapio: ne scilicet quarundam rerum diu & ferè semper incerta dominia essent, cũ sufficeret dominis ad inquirendas res suas statuti temporis spacium.

II. PAVLVS.

VSurpatio est usucapionis interruptio. oratores autem usurpationem frequentem usum uocant.

III. MODESTINVS.

VSucapio est adiectio dominij per continuationem possessionis temporis lege definiti.

IIII. PAVLVS.

SEquitur de usucapione dicere: & hoc ordine eundum est, ut uideamus, quis possit usucapere, & quas res, & quanto tempore. Vsucapere potest scilicet paterfamilias, filiusfamilias. & maxime miles adquisitum in castris usucapiet. Pupillus si tutore authore cœperit possidere: usucapit. si non tutore authore possideat, & animum possidendi habeat: dicemus posse eum usucapere. Furiosus, quòd ante furorem possidere cœpit, usucapiet. Sed hæc persona ita demum usucapere potest: si ex ea causa possideat, ex qua usucapio sequitur. Seruus pro hærede non potest possidere. Fructus & partus ancillarum, & fœtus pecorum (si defuncti non fuerint) usucapi possunt. Quod autem

autem dicit lex Atinia, ET FVRTIVA RES NON VSVCAPIATVR, NISI IN POTESTATEM EIVS, CVI SVBREPTA EST, REVERTATVR: sic acceptum est, ut in domini potestatem debeat reuerti: non in eius utiq; cui subrepta est. igitur si creditori subrepta est, aut ei, cui commodata est: in potestatem domini redire debet. Labeo quoque ait: si res peculiaris serui mei subrepta sit me ignorante, deinde eam nactus sit: uideri eam in potestatē meam redijsse. commodius dicitur, etiāsi sciero redijsse in meā potestatem. nec enim sufficit, si eam rem, quam perdidit, ignorante me seruus adpræhēdat: si mōdo in peculio eam esse *uolui. nam si nolui: tunc exigendum est, ut ego facultatē eius nactus sim. Ideoq; si seruus meus rem mihi subripuerit, deinde eandem suo loco reponat: poterit usucapi, quasi in potestatē ea redierit: utiq; si nesciui. nam si sciui: exigimus, ut redisse sciam in meam potestatem. Item si eam rem, quam seruus mihi subripuerit, peculiari nomine teneat: non uideri in potestatem meam reuersam Pomponius ait: nisi ita habere cœperimus, quemadmodum habuimus, ante q̄ subriperetur: aut cum resciuerimus, in peculio eum habere concesseri mus. Item Labeo ait: si rem, quam apud te deposueram, lucri faciendi caussa uendideris, deinde ex pœnitentia redemeris, & eodē statu habeas: siue ignorante me, siue sciente ea gesta sint: uideri in potestatem meam redijsse secundum Proculi sentētiam, quæ & uera est. Si pupillo res subrepta sit: sufficere dicendū est, si tutor eius sciat redisse eam in domū pupilli. sed & si furioso: sufficere curatores scire. Tunc in potestatem domini redijsse dicendum est, cum possessionem eius nactus est, ut iuste auelli nō possit: sed & tanquam suæ rei. nam si ignorans rem mihi subreptam emam: non uideri in potestatem meam reuersam. sed & si uindicauero rem mihi subreptam, & litis æstimationem acceperim, licet corporaliter eius possessionem non sim nactus: usucapietur. idem dicendum est, etiam si uolūtate mea alij tradita sit.

*al's. nolui. nā si uolui.

Hæres, qui in ius defuncti succedit, licet apud eum ignorantem ancillam furtiuam esse conceperit, & pepererit: non tamen usucapiet.

De illō quæritur. si seruus meus ancillam, quam subripuit, pro libertate sua mihi dederit: an partum apud me conceptum usucapere possim? Sabinus & Cassius non putant: quia possessio, quam seruus uitioſe nactus sit, domino noceat. & hoc uerum est. Sed & si ut seruū meum manumitterem, alius mihi furtiuā ancillam dederit, eaq; apud me cōceperit & pepererit: usu me non capturum. idemq; fore, si quis eam ancillam mecū permutasset, aut in solutum dedisset. item si donasset. Si antea, quàm pariat, alienam ancillam esse scierit emptor: diximus non posse eum usucapere. quod si ne scierit: posse. quod si iam

cum usucaperet, cognouerit alienam esse: initium usucapionis intueri debemus, sicut in emptis rebus placuit. Lana ouium furtiuarum, siquidem apud furem detonsa est, usucapi non potest. si uero apud bonæ fidei emptorem: contra: quoniam in fructu est, nec usucapi debet, sed statim emptoris fit. idem in agnis dicendum est, si consumpti fiant. quod uerum est. Si ex lana furtiua uestimentum feceris: uerius est, ut substantiam spectemus. & ideo uestis furtiua erit. Si rem pignori datã debitor subripuerit, & uendiderit: usucapi eam posse, Cassius scribit: quia in potestatem domini uidetur peruenisse, qui pignori dedit, quamuis cũ eo furti agi potest. quod puto rectius dici. Si tui me expuleris de fundi possessione, nec adpræhenderis possessionẽ, sed Titius in uacuã possessionẽ intrauerit: potest longo tẽpore capi res. quamuis eñ interdictum VNDE VI locũ habeat, quia uerum est, ui me deiectum: non tamen uerũ est, & ui possessum esse. cæterũ etiam si mala fide fundũ me possidentẽ deieceris & uendideris, non poterit usucapi: quoniam uerũ est, ui possessum esse, licet non à domino. idem dicendũ est in eum, qui expulerit eũ, qui pro hærede possidebat, quãuis sciat esse hæreditarium. *(Si fundum alienum bona fide possidentem quis sciens esse alienum expulerit: usucapere non potest, quoniam ui possidet.) Si dominus fundi possessorem ui deiecerit: Cassius ait, non uideri in potestatẽ eius rediisse: quando interdicto VNDE VI restituturus sit possessionem. Si uiam habeam per tuum fundum, & tu me ab ea ui expuleris: per longum tempus non utendo amittam uiam: quia nec possideri intelligitur ius incorporale, nec de uia quis mero iure detruditur. Item si occupaueris uacuam possessionem, deinde uenientẽ dominum prohibueris: non uideris ui possedisse. Libertatem seruitutum usucapi posse, uerius est: quia eam usucapionẽ sustulit lex *Voconia, quæ seruitutem constituit: non etiam eam, quæ libertatem præstat sublata seruitute. itaq; si cum tibi seruitutem deberẽ, ne mihi (puta) liceret altius ædificare, & per statutum tempus altius ædificatũ habuero: sublata erit seruitus.

*hæc als desunt.

*als. Scribonia.

V. CAIVS.

NAturaliter interrumpitur possessio, cum quis de possessione uideiicitur, uel alicui res eripitur. quo casu non aduersus eum tantum, qui ui eripit, interrumpitur possessio, sed aduersus omnes. nec eo casu quidquam interest: is, qui usurpauerit, dominus sit, nec ne. ac ne illud quidẽ interest, pro suo quisq; possideat, an ex lucratiua causa.

VI. VLPIANVS.

IN usucapionibus non à momento ad momentum, sed totum ad postremum diem computamus.

Idem

VII. IDEM.

IDeoq; qui hora ſexta diei calendarum Ianuariarũ poſſidere cœperit: hora ſexta noctis pridie calendas Ianuarias implet uſucapionẽ.

VIII. PAVLVS.

LAbeo, Neratius reſponderũt, ea, quæ ſerui peculiariter nacti ſunt, uſucapi poſſe: quia hæc etiã ignorantes domini uſucapiant. idem Iulianus ſcribit. Sed eum, qui ſuo nomine nihil uſucapere potẽſt, ne perſeruum quidem poſſe, Pedius ſcribit.

IX. CAIVS.

VSucapionem recipiunt maxime res corporales, exceptis rebus ſacris, ſanctis, publicis populi Romani & ciuitatum, item liberis hominibus.

X. VLPIANVS.

SI aliena res bona fide empta ſit: quæritur, ut uſucapio currat: utrũ emptionis initium, ut bonam fidem habeat, exigimus: an traditionis? & obtinuit Sabini & Caſſij ſententia, traditionis initium ſpectandum. Hoc iure utimur, ut ſeruitutes per ſe nunquam longo tempore capi poſſint, cum ædificijs poſſint. Scæuola libro undecimo quæſtionum ſcribit Marcellum exiſtimaſſe, ſi bos apud furem conceperit, uel apud furis hæredem, pariatq; apud furis hæredẽ: uſucapi ab hærede diſtractum iuuencum non poſſe: ſic (inquit) quemadmodum nec ancillæ partus. Scæuola aũt ſcribit, ſe putare uſucapi poſſe & partum. nec enim eſſe partum rei furtiuæ partem. cæterũ ſi eſſet pars: nec ſi apud bonæ fidei emptorem peperiſſet, uſucapi poterat.

XI. PAVLVS.

NEq; ſeruus, neq; per ſeruũ dominus, qui apud hoſtes eſt, poſſidet.

XII. IDEM.

SI ab eo emas, quem prætor uetuit alienare, idq; tu ſcias: uſucapere non potes.

XIII. IDEM.

PIgnori rem acceptam uſu non capimus: quia pro alieno poſſidemus. Eum, qui â furioſo bona fide emit, uſucapere poſſe reſponſum eſt. Si mandauero tibi, ut fundum emas, & ex ea cauſſa traditum eſt tibi: diutina poſſeſſione capis: quamuis poſſis uideri nõ pro tuo poſſidere, cum nihil interſit, quod mandati iudicio tenearis.

XIIII. IDEM.

ID tempus uenditoris prodeſt emptori, quo ante cẽpit uenderet, poſſedit. nam ſi poſtea nactus eſt poſſeſſionẽ uenditor: hæc poſſeſſio emptori non proficiet. In re legata in acceſſione temporis, quo teſtator poſſedit, legatarius quodammodo quaſi hæres eſt.

*aliàs· XV. *IDEM.

Caius. SI is,qui pro emptore possidebat,ante usucapionem ab hostibus captus sit:uidendum est, an hæredi eius procedat usucapio. nam interrumpitur usucapio. & si ipsi reuerso non prodest:quemadmodũ hæredi eius proderit? sed uerum est eum in uita sua desijsse possidere. ideoq; nec postliminium ei prodest,ut uideatur usucepisse. Quod si seruus eius, qui in hostium potestate est, emerit:in pendenti esse usucapionem Iulianus ait. nam si dominus reuersus fuerit: intelligi usucaptum. si ibi decesserit:dubitari,an per legem Corneliam ad successores eius pertineat. Marcellus,posse plenius fictionẽ legis accipi. quemadmodum enim postliminio reuersus plus iuris habere potest in his, quæ serui egerunt:quàm in his,quæ per se, uel per seruum possidebat, cum ad hostes peruenit? nam hæreditates in quibusdam uice personæ fungi receptum est. ideoq; in successoribus locum non habere usucapionem. Si seruus, quem possidebam, fugerit:nisi pro libero se gerat,uidebitur à domino possideri. sed hoc tunc intelligendũ est:cum si is adpræhensus fuerit,non sit paratus pro sua libertate litigare. nam si paratus sit litigare:non uidebitur à domino possideri,cui se aduersarium præparauit. Si quis bona fide possidens, ante usucapionem amissa possessione cognouerit rem esse alienam,& iterum nanciscatur possessionem:non usucapiet,quod initium secundæ possessionis uitiosum sit. Si ex testamento uel ex stipulatu res debita nobis tradatur eius temporis existimationem nostram intuendam,quo traditur: quia concessum est stipulari rem etiam,quæ promissoris non sit.

XVI. IABOLENVS.

SErui nomine,qui pignori datus est, ad exhibendum cum creditore,non cum debitore agendum est: quia qui pignori dedit, ad usucapionem tantum possidet. quantum ad reliquas omnes causas pertinet: qui accepit, possidet: adeo ut addici possit ei possessio eius,qui pignori dedit.

XVII. MARCELLVS.

SI per errorem de alienis fundis quasi de communibus iudicio communi diuidundo accepto,ex adiudicatione possidere cœperim:longo tempore capere possum.

XVIII. MODESTINVS.

QVamuis aduersus fiscum usucapio nõ procedat: si tamen ex bonis uacantibus,nondũ tamen nũciatis,emptor prædij ex ijsdem bonis exstiterit:recte diutina possessione capiet,idq; constitutum est.

XIX. IABOLENVS.

SIh ominem emisti, ut si aliqua cõditio exstitisset,inemptus fieret, & is tibi traditus est, & postea conditio emptionem resoluit: tempus

pus,quo apud emptorẽ fuit,accedere uenditori debere existimo: quoniam eo genere retro acta uenditio esset redhibitioni similis,in qua nõ dubito tempus eius,qui redhibuerit,suo uenditori accessurum:quoniam ea uenditio proprie non dici potest.

XX. IDEM.

Possessio testatoris ita hæredi procedit,si medio tempore à nullo possessa est.

XXI. IDEM.

EI,à quo fundum pro hærede diutius possidendo capturus eram, locaui eum.an nullius momenti eam locationem existimes,quæro.quod si nullius momenti existimas: an durare nihilominus capionem eius fundi putes? Item quæro,si eidem uendidero eum fundum: quid de his cãussis, de quibus supra quæsiui , existimes? Respondi. si is,qui pro hærede fundũ possidebat,domino eum locauit:nullius momenti esse locationẽ, quia dominus suam rem conduxisset. sequitur ergo,ut nec possessionẽ locatori quidem retinuerit.ideoq; longi temporis præscriptio non durabit.in uenditione idem iuris est,quod in locatione:ut emptio suæ rei consistere non possit.

XXII. IDEM.

HAeres & hæreditas tametsi duas appellationes recipiunt: unius tamen personæ uice funguntur.

XXIII. IDEM.

EVm,qui ædes mercatus est,non puto aliud,quàm ipsas ædes possidere. nam si singulas res possidere intelligeretur: ipsas ædes non possideret. separatis enim corporibus, ex quibus ædes constant, uniuersitas ædium intelligi non poterit. accedit eò, quod si quis singulas res possidere dixerit: necesse erit, ut dicat, in possessione superficiei tempori de mobilibus statuto locum esse , & solum se capturum ampliore tempore. quod absurdum,& minime iuri ciuili conueniens est, ut una res diuersis temporibus capiatur: utputa cum ædes ex duabus rebus cõstent,ex solo & superficie:& uniuersitas earũ possessione temporis immobiliũ rerum dominium mutet. Si autem columna euicta fuerit:puto te ex empto cum uenditore recte acturũ,& ex eo genere rem saluam habiturũ.Si aũt demolita est domus:ex integro res mobiles possidendæ sunt:ut tẽpore, quod in usucapione rerũ mobiliũ constitutũ est,usucapiantur:& nõ potest recte uti eo tempore,quo in ædificio fuerunt.nam quemadmodũ eas solas & separatas ab ædificio non possedisti: sic nec penes te singulæ aut separatæ fuerunt cohærentibus his in ædificio,nec depositis ædibus,quæ hõc ꝙq; ipsum cõtinent. neq; enim recipi potest, ut eadẽ res,& ut res soli,& tanquam mobilis res sit possessa.

XXIIII. POMPONIVS.

VBi lex inhibet usucapionem, bona fides possidēti nihil prodest. Interdum etiam si non fuerit incohata usucapio à defuncto, procedit hæredi eius: ueluti si uicium, quod obstabat non ex persona, sed ex re, purgatum fuerit: utputa si fisci res esse desierit, aut furtiua, aut ui possessa.

XXV. LICINIVS RVFINVS.

SIne possessione usucapio contingere non potest.

XXVI. VLPIANVS.

NVnquam superficies sine solo capi longo tempore potest.

XXVII. IDEM.

CElsus libro tricesimoquarto errare eos ait, qui existiment, cuius quisq; rei bona fide possessionem adeptus sit, pro suo usucapere eum posse: nihilq; referre, emerit, nec ne, donatum sit, nec ne: si modo emptum uel donatum sibi existimauerit: quia neq; pro legato, neq; pro donato, neq; pro dote usucapio ualet, si nulla donatio, nulla dos, nullū legatū sit. idem & in litis æstimatione placet: ut nisi uere quis litis æstimationem subierit, usucapere non possit.

XXVIII. POMPONIVS.

SI seruo furiosi uel infantis res tradita sit: usucapere per eum eas personas posse constat.

XXIX. IDEM.

CVm solus hæres essem, existimarem autem te quoq; prō parte co hæredem esse, res hæreditarias pro parte tibi tradidi. propius est, ut usu eas capere non possis: quia nec pro hærede usucapi potest, quod ab hærede uero possessum est: neq; aliam ullam habes causſam possidendi. ita tamen hoc uerum est, si non ex transactione id factum fuerit. Idem dicimus, si tu quoq; existimes te hæredē esse. nam hic quoq; possessio ueri hæredis obstabit tibi.

XXX. IDEM.

RErum mistura facta an usucapionem cuiuscunq; rei præcedentē interrumpat, quæritur. Tria autem genera sunt corporū. unum, quod continetur uno spiritu, & græce ἡνωμένον uocatur: ut homo, tignum, lapis, & similia. alterū, quod ex contingentibus se, hoc est ex pluribus inter se cohærentibus constat, quod σωκκριμένον uocatur: ut ædificium, nauis, armarium. tertium, quod ex distantibus constat: ut corpora plura non soluta, sed uni nomini subiecta: ueluti populus, legio, grex. primum genus in usucapione quæstionem non habet. secundū & tertium habent. Labeo libris epistolarum ait. si is, cui ad tegulatum uel columnarum usucapionem decem dies superessent, in ædificium

rium eas coniecisset: nihilominus eum usucapturum, si ædificium posse dissset. quid ergo in his, quæ non quidem implicantur rebus soli, sed mobilia permanent, ut in anulo & gemmat? in quo uerum est, & aurũ & gemmã possideri, & usucapi: cum utrumq; maneat integrum. De tertio genere corporum uidendum est. non autem grex uniuersus sic usucapitur, quomodo singulæ res: nec sic, quomodo cohærentes. quid ergo? & si ea natura eius est, ut adiectionibus corporum maneat idem: non tamen uniuersi gregis ulla est usucapio, sed singulorum animaliũ sicuti possessio, ita & usucapio. nec si quid emptum immistum fuerit gregi augendi eius gratia. idcirco possessionis caussa mutabitur, ut si reliquus grex dominij mei sit, hæc quoq; ouis: sed singulæ caussam suam habebunt ita, ut si quæ furtiuæ erunt, sint quidem ex grege, non tamen usucapiantur.

XXXI. PAVLVS.

NVnquam in usucapionibus iuris error possessori prodest. & ideo Proculus ait, si per errorem initio uenditionis tutor pupillo author factus sit, uel post longum tempus uenditionis peractum usucapi non posse, quia iuris error sit. In usucapionibus mobilium continuum tempus numeratur. Seruus, licet in libertate moretur, nihil possidet, nec per eum alius. atqui si nomine alicuius, dum in libertate moratur, nactus fuerit possessionem: adquiret ei, cuius nomine nactus fuerit. Si seruus meus uel filius peculiari uel etiã meo nomine quid tenet, ut ego per eum ignorans possideam, uel etiam usucapiam: si is fu rere cœperit: donec in eadem caussa res fuerit, intelligendum est, & possessionem apud me remanere, & usucapionẽ procedere: sicuti per dormientes quoq; eos idem nobis cõtingeret. idemq; & in colono & inquilino, per quos possidemus, dicendum est. Si ui aut clam aut precariò possessionem nactus quis, postea furere cœperit: & possessio, & eadem caussa durat de hoc, quod precariò furiosus habet: quemadmodum interdicto quoq; VTI POSSIDETIS furiosi nomine recte experimur eius possessionis nomine, quam ante furorem per se, uel post furorem per alium nactus est. Vacuum tempus, quod ante aditam hæreditatem uel post aditam interceſſit, ad usucapionem hæredi procedit. Si defunctus emit, hæres autem putat eum ex donationis caussa possedisse: usu eum capturum, Iulianus ait.

XXXII. POMPONIVS.

SI fur rem furtiuam à domino emerit, & pro tradita habuerit: desinet eam pro furtiua possidere, & incipiet pro suo possidere. Si quis id, quod possidet, nõ putat sibi per leges licere usucapere: dicendũ est, etiam si erret, non procedere tamen eius usucapionem: uel quia nõ bona

bona fide uideatur possidere,uel quia in iure erranti non procedat usu capio. Incertam partem possidere nemo potest. ideo si plures sint in fundo,qui ignorent,quotam quisq; partem possideat: neminem eorum mera subtilitate possidere,Labeo scribit.

XXXIII. IDEM.

NOn solum bonæ fidei emptores, sed & omnes, qui possident ex ea causa,quam usucapio sequi solet, partũ ancillæ furtiuæ usu suũ faciunt:idq; ratione iuris introductum arbitror. nam ex qua causa quis ancillam usucaperet,nisi lex duodecim tabularum, uel Atinia obstaret:ex ea causa necesse est partum usucapi. si apud eum conceptus & editus eo tempore fuerit, quo furtiuam esse matrem eius ignorabat. Quod uulgo respondetur,ipsum sibi causam possessionis mutare non posse:toties uerũ est,quoties quis sciret se bona fide non possidere, & lucri faciendi causa inciperet possidere. idq; per hæc probari posse. si quis emerit fundum sciens ab eo,cuius nõ erat: possidebit pro possessore. sed si eundem à domino emerit:incipiet pro emptore possidere,nec uidebitur sibi ipse causam possessionis mutasse. idemq; iuris erit,etiam si à non domino emerit, cum existimaret eum dominum esse. Item hic si à domino hæres institutus fuerit, uel bonorum eius possessionem acceperit:incipiet fundũ pro hærede possidere. hoc amplius si iustam causam habuerit existimandi se hæredem, uel bonorum possessorem domino extitisse: fundum pro hærede possidebit, nec causam possessionis sibi mutare uidebitur. cum hæc igitur recipiantur in eius persona,qui possessionem habet:quanto magis in colono recipienda sunt,qui nec uiuo,nec mortuo domino ullam possessionem habet. & certe si colonus mortuo domino emerit fundum ab eo, qui existimabat se hæredem eius,uel bonorum possessorem esse: incipiet pro emptore possidere. Si dominus fundi homines armatos uenientes existimauerit,atq; ita profugerit: quamuis nemo eorũ fundum ingressus fuerit:ui deiectus uidetur. sed nihilominus id prædium etiam ante,quàm in potestatem domini redeat,à bonæ fidei possessore usucapitur:quia lex Iulia & Plautia ea demum uetuit longa possessione capi,quæ ui possessa fuissent:non etiam ex quibus ui quis deiectus fuisset. Si mihi Titius, à quo fundum petere uolebã, possessionem cesserit: usucapionis causam iustam habebo. Sed & is, à quo ex stipulatu fundum petere uolebam:cedendo mihi possessionem, si soluendi causa id fecerit:eoipso efficiet,ut fundum longo tempore capiam.

Qui pignori rem dat,usucapit,quàmdiu res apud creditorem est. si creditor eius possessionem alij tradiderit: interpellabitur usucapio. & quantum ad usucapionem attinet: similis est ei, qui quid deposuit, uel

uel commodauit: quos palam est desinere usucapere, si commodata, uel deposita res alij tradita fuerit ab eo, qui commodatum uel depositum acceperit. planè si creditor nuda conuentione hypothecam contraxerit: usucapere debitor perseuerabit. Si rem tuam, cum bona fide possiderem, pignori tibi dem ignoranti tuam esse: desino usucapere: quia non intelligitur quis suæ rei pignus contrahere. at si nuda conuentione pignus cõtractum fuerit: nihilominus usucapiam: *quia hoc quoq; modo nullum pignus contractum uidetur. Si rem pignori datã creditoris seruus subripuerit, cum eam creditor possideret: non interpellabitur usucapio debitoris: quia seruus dominũ suum possessionem non subuertit. sed etsi debitoris seruus subripuerit: quamuis creditor possidere desinat: tamen debitori usucapio durat non secus, ac si eã creditor debitori tradidisset. nam quantum ad usucapiones attinet, & serui subtrahendo res non faciunt deteriorem dominorum conditionem. facilius obtinebit, si precariò possidente debitore seruus eius subripuerit. conductio idem præstat, q̃si apud creditorẽ res esset. possidet enim & hoc casu creditor. sed si utrunq; intercesserit, & precarij rogatio, & conductio: intelligitur creditor possidere: & precarij rogatio non in hoc interponitur, ut debitor possessionem habeat, sed ut ei retinere rem liceat.

*aliàs. quãq;

XXXIIII. ALFENVS.

SI seruus insciente domino rem peculiarem uendidisset: emptorem usucapere posse.

XXXV. IVLIANVS.

SI homo, cuius ususfructus legatus erat, ab hærede nunquam possessus subreptus fuisset: quæsitum est, quia hæres furti actionẽ non haberet, an usucapi possit? Sabinus respondit. nullam eius rei usucapionem esse, cuius nomine furti agi possit. agere autem furti eum, qui frui deberet possessione. quod sic accipiẽdum est, ut fructuarius possit uti frui. aliter emẽ homo in eam caussam non perduceretur. sed si uetiam & fruenti abductus homo fuerit: non solum ipse, sed etiam hæres furti agere poterit.

XXXVI. PAVLVS.

POtest pluribus modis accidere, ut quis rem alienam aliquo errore deceptus, tanquam suam uendat forte, aut donet: & ob id à bonæ fidei possessore res usucapi possit: ueluti si hæres rem defuncto commodatam, aut locatam, uel apud eum depositam, existimans hæreditariam esse, alienauerit. Item si quis aliqua existimatione deceptus, crediderit ad se hæreditatem pertinere, quæ ad eum non pertineat, & rem hæreditariam alienauerit; aut si is, ad quem ususfructus ancillæ

pertinet,partum existimans suum esse, (quia & fœtus pecorum ad fructuarium pertinet) alienauerit:

XXXVII. IDEM.

FVrtum non committit.furtū enim sine adfectu furandi non committit. Fundi quoq; alieni potest aliquis sine ui nanciscendi possessionem: uel quæ ex negligentia domini uacet, uel quia dominus sine successore decesserit,uel longo tempore abfuerit.

XXXVIII. IDEM.

QVare ipse quidem nō potest usucapere: quia intelligit alienum se possidere,& ob id mala fide possidet. sed si alij bona fide accipienti tradiderit:poterit is usucapere:quia neq; ui possessum,neq; furtiuum possidet.abolita est enim quorundam ueterum sententia, existimantium etiam fundi lociue furtum fieri.

XXXIX. MARTIANVS.

SI solum usucapi non poterit,nec superficies usucapietur.

XL. NERATIVS.

COeptam usucapionem à defuncto posse & ante aditam hæreditatem impleri,constitutum est.

XLI. IDEM.

SI rem mihi subreptā procurator meus adprehendit: quamuis per procuratorem possessionem apisci nos,iam ferè conueniat: nihilo magis eam in potestatem meam redisse, usuq; capi posse existimandum est, quia contra statui captiosum erit.

XLII. PAPINIANVS.

CVm uir prædium dotale uendidit scienti uel ignoranti rem dotis esse:uenditio non ualet,quam defuncta postea muliere in matrimonio confirmari conuenit,si tota dos lucro mariti cessit.Idem iuris est,cum is,qui rem furtiuā uendidit,postea domino hæres extiterit.

XLIII. IDEM.

HAeres eius,qui bona fide rem emit,usu non capiet sciens alienū: si modo ipsi possessio tradita sit. continuatio uero non impeditur hæredis scientia. Patrem non usucapturum, quod filius emit, propter suam uel filij scientiam,certum est.

XLIIII. IDEM.

IVsto errore ductus,Titium filium meū,& in mea potestate esse existimaui,cum adrogatio non iure interuenisset.eum ex re mea quæ rere mihi non existimo. non enim constitutū est in hoc id,quod in homine libero,qui mihi bona fide seruit,placuit.ibi enī propter assiduā & quotidianam comparationem seruorū ita constitui publice interfuit. nam frequenter ignorantia liberos emimus. non autem tam facilis, & tam

tam frequens adoptio, uel adrogatio filiorum est. Constat, si rem alienam scienti mihi uendas, tradas autem eo tempore, quo dominus ratum habet: traditionis tẽpus inspiciendũ, remq; meã fieri. Et si possessionis, non contractus initiũ (quod ad usucapionem pertinet) inspici placet: nonnunquam tamen euenit, ut non initium præsentis possessionis, sed caussam antiquiorem traditionis, quæ bonam fidem habuit, inspiciamus. ueluti circa partum eius mulieris, quam bona fide cœpi possidere. non enim ideo minus capietur usu puer, quod alienam matrẽ prius, quàm eniteretur, esse cognoui. idem in seruo postliminio reuerso dictum est. Nondum aditæ hæreditatis tempus usucapioni datum est: siue seruus hæreditarius aliquid comparauit, siue defunctus usucapere cœperat. sed hæc iure singulari recepta sunt. Filiusfamilias emptor alienæ rei, cum patrem familias se factum ignoret, cœpit rem sibi traditam possidere. cur non capiat usu, cum bona fides initio possessionis adsit: quamuis se per errorem eum esse arbitretur, qui rem ex caussa peculiari quæsitam nec possidere possit? idem dicendum erit, & si ex patris hæreditate ad se peruenisse rem emptam non leui præsumptione credat. Non mutat superueniens usucapio pro emptore uel pro hærede, quo minus pignoris persecutio salua sit. ut enim ususfructus usucapi non potest: ita persecutio pignoris, quæ nulla societate dominio coniungit̃, sed sola cõuentione constituitur, usucapione rei nõ perimitur. Eum, qui postea, quàm usucapere cœpit, in furorem inciderit: utilitate suadente receptũ est (ne languor animi damnum etiam in bonis adferat) ex omni caussa implere usucapionem. Si cum apud hostes dominus aut pater agat, seruus aut filius emat: an et tenere incipiat? siquidẽ ex caussa peculij possedit: usucapionem incohari, nec impedimento domini captiuitatem esse, cuius scientia non esset in ciuitate necessaria. si uero non ex caussa peculij comparetur: non usucapi, nec iure postliminij quæsitum intelligitur: cum prius esset, ut quod usucaptum diceretur, possessum foret. sin autem pater ibi decesserit: quia tempora captiuitatis ex die, quo capitur, morti iungerentur: potest dici filium & possedisse sibi, & usucepisse intelligi.

XLV. IDEM.

Præscriptio longæ possessionis ad loca iuris gentium publica obtinenda concedi non solet. quod ita procedit, si quis ædificio funditus diruto, quod in litore deposuerat, aut dereliquerat: ædificio alterius postea eodem loco exstructo, occupanti datam exceptionem opponat: uel si quis, quod in fluminis publici diuerticulo solus pluribus annis piscatus sit, alterum eodem iure prohibeat. Post mortẽ domini seruus hæreditarius peculij nomine rem cœpit tenere. usucapionis pri-

mordium erit tempus hæreditatis aditæ. quemadmodum etenim usu capietur, quod ante defunctus non possederat.

PRO SOLVTO. Tit. IIII.

I. HERMOGENIANVS.

PRo soluto usucapit, qui rem debiti caussa recepit: & non tantum quod debetur, sed & quodlibet pro debito solutum hoc titulo usucapi potest.

II. PAVLVS.

SI emptam rem mihi procurator, ignorante me, meo nomine adprehenderit: quamuis possideam, eam non usucapiam: quia ut ignorantes usucapiamus, in peculiaribus rebus tantum receptum est.

III. IDEM.

SI existimãs me debere tibi tradam: ita demũ usucapio sequitur, si & tu putes debitum esse. aliud est, si putem me ex caussa uenditi tenere, & ideo tradam. hic enim nisi emptio præcedat, pro emptore usucapio locum nõ habet. diuersitatis caussa in illo est: quod in cæteris caussis solutionis tempus inspicitur: neq; interest, cum stipuler, sciam alienum esse, nec ne. sufficit enim me putare tuum esse, cum soluis. in emptore aũt & contractus tempus inspicitur, & quo soluitur: nec potest pro emptore usucapere, qui non emit: nec pro soluto, sicut in cæteris cõtractibus.

IIII. LABEO.

SI quid est subreptum, id usucapi non potest, ante quàm in domini potestatem peruenerit. PAVLVS. imò forsitan & contra. nam si id, quod mihi pignori dederis, subripueris: erit ea res furtiua facta. sed simul atq; in meam potestatem uenerit: usucapi poterit.

PRO EMPTORE. Tit. V.

I. CAIVS.

POssessor, qui litis æstimationem obtulit, pro emptore incipit possidere.

II. PAVLVS

PRo emptore possidet, qui reuerã emit: nec sufficit tantũ in ea opinione esse eum, ut putet se pro emptore possidere: sed etiam debet subesse caussa emptionis. si tamen existimans me debere tibi ignoranti tradam: usucapies. quare ergo & si putem me uendidisse, & tradam: non capies usu? scilicet quia in cæteris contractibus sufficit traditionis tempus. sic denig; si sciens stipuler rem alienam, usucapiam: si cum tradi-

traditur mihi, existimem illius esse. at in emptione & illud tempus inspicitur, quo contrahitur. igitur & bona fide emisse debet, & possessionem bona fide adeptus esse. Separata est caussa possessionis & usucapionis. nam uere dicitur quis emisse, licet mala fide: quemadmodũ qui sciens alienam rem emit, pro emptore possidet, licet usu non capiat. Si sub conditione emptio facta sit: pendente conditione emptor non usucapit. idem est, & si putet conditionem exstitisse, quæ nõdum exstitit. simile est enim ei, qui putat se emisse. contra, si exstitit & ignorat: potest dici secundum Sabinum (qui potius substantiam intuetur, quàm opinionem) usucapere eũ. est tamen nonnulla diuersitas: quod ibi, cum rem putat alienam, quæ sit uenditoris, adfectionem emptoris habeat. at cum nondum putat cõditionem exstitisse: quasi nondũ putat sibi empta esse. quod apertius quæri potest, si cũ defunctus emisset, hæredi eius tradatur, qui nesciat defunctum emisse, sed ex alia caussa sibi tradi: an usucapio cesset? Sabinus ait. si sic res empta sit, ut nisi pecunia intra diem certũ soluta esset, inempta fieret: non usucapturũ, nisi post persolutam pecuniam. sed uideamus, utrum cõditio sit hæc, an conuentio. si conuentio est: magis resoluetur, quàm implebitur.

Si in diem addictio facta sit, id est nisi quis meliorẽ conditionem attulerit: perfectam esse emptionem, & fructus emptoris effici, & usucapionem procedere, Iulianus putabat. alij & hanc sub conditione contractam esse: ille non contrahi, sed resolui dicebat. quæ sententia uera est. Sed & illa emptio pura est, ubi conuenit, ut si displicuerit, intra diem certum inempta sit. Cum Stichum emissem, Dama mihi per ignorantiam pro eo traditus est. Priscus ait, usu me eum non capturũ: quia id, quod emptum non sit, pro emptore usucapi nõ possit. Sed & si fundus emptus sit, & ampliores fines possessæ sint: totum longo tempore capi: quoniam uniuersitas eius possideatur, non singulæ eius partes.

Eius bona emisti, apud quem mancipia depositа erant. Trebatius ait, usu non capturum: quia empta non sint. Tutor ex pupilli actione rem, quam eius esse putabat, emit. Seruius ait, posse eum usucapere. in cuius opinionem decursum est, eo quod deterior caussa pupilli non sit. si pluris habeat emptorem, & minoris emerit: tutelæ iudicio tenebitur, ac si alij minoris addixisset: idq; & à diuo Traiano cõstitutum dicitur. Procuratorem quoq; qui ex actione, quam mandatu domini fecit, emerit, plerique putant utilitatis caussa pro emptore usucapturum. idem potest dici, & si negocia domini gerens ignorantis, emerit propter eandem utilitatem. Si seruus tuus peculiari nomine emat rem, quã scit alienã: licet tu ignores alienam esse, tamẽ usu non capies.

Celsus scribit. si seruus meus peculiari nomine apiscatur possessio-

nem:id etiam ignorante me usucapere. Quod si nō peculiari nomine non nisi sciente me.& si uicioſe cœperit possidere rem eam: uicioſam esse possessionem. Pomponius quoq; in his, quæ nomine domini possideātur,domini potius, quàm serui uoluntatē spectanda ait. quod si peculiari:tunc mentem serui quærendam.& si seruus mala fide possideat,eamq; dominus nactus sit,ut suo nomine possideat,adempto(puta)peculio:dicendum est,ut eadem causſa sit possessionis.& ideo usucapio ei non magis procedat. Si seruus bona fide emerit peculiari nomine,& si ego,ubi primum cognoui,sciam alienum:processuram usucapionem Celsus ait.initium enim possessionis sine uicio fuisse. sed si eoipso tempore,quo emit(quanquam id bona fide faciat)ego alienam rem esse sciam:usu me non capturum. Et si quod non bona seruus meus emerit,in pactionem libertatis mihi dederit:non idēo me magis usucapturum.durare enim primam causſam possessionis,idem Celsus ait. Si à pupillo emero sine tutoris authoritate,quem puberem esse putem:dicemus usucapionē sequi, ut hic plus sit in re, q̄ in existimatione.quod si scias pupillum esse: putes tamen pupillis licere res suas sine tutoris authoritate administrare:non capies usu, quia iuris error nulli prodest. Si à furioſo,quem putem sanæ mentis,emero:constitutum est,capere utilitatis causſa me posse, quāuis nulla esset emptio. & ideo neq; de euictione actio nascitur mihi,nec publiciana competit, nec accessio possessionis. Si eam rem,quam pro emptore usucapiebas,scienti mihi alienam esse uendideris:non capiam usu. Etiam hæredi ulteriori defuncti possessio proderit,quamuis medius hæres possessionē eius nactus non sit. Si defunctus bona fide emerit:usucapietur res,quamuis hæres scit alienam esse.hoc & in bonorum possessore, & in fideicommissarijs,quibus ex Trebelliano restituitur hæreditas,cæterisq; prætorijs successoribus obseruatum est. Emptori tempus uenditoris ad usucapionem procedit. Si rem alienam emerim, & cum usucaperē,eandē rem dominus à me petierit:non interpellari usucapionem meam litis contestatione.sed si litis æstimationem sufferre maluerim:ait Iulianus causſam possessionis mutari ei,qui litis æstimationem sustulerit.idemq; esse,si dominus ei,qui rem emisset à non domino,donasset.& ea sententia uera est.

III. VLPIANVS.

LItis æstimatio similis est emptioni.

IIII. IABOLENVS.

EMptor fundi partem eius alienā esse non ignorauerat.responsum est,nihil eū ex eo fundo longa possessione capturum.quod ita uerum esse existimo:si quæ pars aliena esset in eo fundo,emptor ignorauerat

uerat,quod si certum locum esse sciret:reliquas partes longa possessio ne capi posse,non dubito. Idem iuris est,si is,qui totum fundũ emerat, pro indiuiso partem aliquã alienã esse scit. eam eñ duntaxat non capiet.cæterarum partium non impedietur longa possessione capio.

V. MODESTINVS.

ITem,quã tibi pignora ui,subripuero,eamq; distraxero:de usucapione dubitatũ est.& uerius est,utiliter cedere tempora usucapionis.

VI. POMPONIVS.

QVi cum pro hærede uel pro emptore usucaperet, & precariò rogauerit:usucapere non potest. quid porrò inter eas res intersit, cum utrubiq; desinat ex prima caussa possidere,qui precariò uult habere? Si ex decem seruis,quos emerim,aliquos putem alienos, & qui sint, sciam:reliquos usucapiam.quod si ignorem,qui sint alieni: neminem usucapere possum. Post mortem eius, qui hominem emerit, expleto tempore,quod defuisset ad usucapionem: quamuis eum hominem hæres possidere non cœpisset: fiet tamen eius. sed hoc ita, si nemo possedisset.

VII. IVLIANVS.

QVi fundum possidebat pro emptore, antequàm diutinam possessionẽ impleret,decessit.serui,qui in possessione relicti fuerant, discesserunt relinquendæ eius gratia.quæsitum est,an nihilominus hæredi tempus longæ possessionis procedere posset? respõdi.etiam discedentibus seruis hoc tempus hæredi procedere. Si fundum Cornelianum pro emptore longa possessione capiam, & partem ex uicini fundo ei adijciam:utrum eam quoq; partem reliquo tempore pro emptore capiam,an integro statuto tempore? respondi. partes,quæ emptioni fundi adijciuntur, propriam ac separatam conditionem habent:& ideo possessionem quoq; earum separatim nancisci oportere, & longã possessionem earum integro statuto tempore impleri. Seruus meus Titio mandauit,ut fundum ei emeret:eiq; manumisso Titius fundi possessionem tradidit. quæsitum est,an longa possessione caperet? respõdi.si seruus meus mandauerit Titio,ut fundum ei emeret,& manumisso ei Titius fundum tradiderit,cum putaret peculium ei concessum esse,uel etiam cum ignoraret peculium concessum non esse:nihilomagis seruum diutina possessione capere:quia aut scit seruus peculium sibi concessum non esse,aut scire debet:& per hoc similis est ei, qui se creditorem simulat esse. quod si scierit Titius peculium manumisso concessum non esse:donare potius,quàm indebitum fundum solue re, intelligendum est. Si tutor rem pupilli sui subripuerit,& uendiderit;usucapio non contingit,prius quàm res in potestatem pupilli redeat

deat.nam tutor in re pupilli tunc domini loco habetur, cum tutelam administrat,non cum pupillum spoliat. Qui bona fide alienũ fundum emit,& eius possessionem amisit,deinde eo tempore adprehendit possessionem,quo scit alienam rem esse:non capiet longo tempore:quia initiũ secundæ possessionis uicio non caret.nec dissimilis est ei, qui emptionis quidẽ tempore putat fundum uendentis esse, sed cum traditur,scit alienum esse.cum enim semel amissa fuerit possessio:initium rursus recuperatæ possessionis spectare oportet. quare si eo tempore redhibeatur homo, quo emptor scit alienum esse: usucapio non contingit:quamuis ante,quàm uenderetur,in ea caussa fuerit,ut usucaperet.idem iuris est in eo, qui de fundo deiectus, possessionem per interdictum recuperauit,sciens iam alienũ esse. Qui sciens rem emit ab eo,quem prætor ut suspectum hæredem deminuere uetuit:usu non capiet. Procurator tuus si fundum,quem centum aureis uendere poterat,addixerit triginta aureis in hoc solum, ut te damno adficeret, ignorante emptore:dubitari non oportet,quin emptor longo tempore capiat.nam & cum sciens quis alienum fundum uendidit ignoranti,non interpellatur longa possessio. Quod si emptor cũ procuratore collusit,& eum præmio corrupit,quo uilius mercaretur: non intelligetur bonæ fidei emptor,nec longo tempore capiet. & si aduersus petentem dominum uti cœperit exceptione rei uoluntate eius uenditæ:replicatio doli utilis futura est. Furtiua res non intelligitur in domini potestatẽ redijsse,quamuis possideret: cum modo ignorauerit subreptam sibi esse.si igitur seruum,qui tibi subreptus fuerit, ignoranti tibi tuum esse,pignori dedero,& soluta pecunia eum Titio uendidero:Titius usucapere non potest. Liber homo,qui bona fide nobis seruit, ijsdem modis ex re nostra nobis adquiret, quibus per seruum nostrum adquirere solemus. Quare sicut traditione, ita usucapione rem nostram faciemus,interueniente libera persona. & si peculij nomine, quod nos sequi debet,emptio contracta fuerit:etiã ignorantes usucapiemus.

VIII. IDEM.

SI quis cum sciret uenditorem pecuniam statim consumpturum, seruos ab eo emisset: plerique responderunt,eum nihilominus bona fide emptorem esse, idq; uerius est. quomodo enim mala fide emisse uidetur,qui à domino emit: nisi forte & is, qui à luxurioso & protinus scorto daturo pecuniam seruos emit,non usucapiet.

IX. IDEM.

QVi ob pactionem libertatis ancillam furtiuam à seruo accepit, potest partum eius quasi emptor usucapere.

X. IDEM.

Seruus

SEruus domino ancillam, quam subripuerat, pro capite suo dedit, eaque concepit. quæsitum est, an dominus eum partum usucapere possit? respondi. hic dominus quasi emptor partum usucapere potest. nanque res ei abest pro hac muliere, & genere quodammodo uenditio inter seruum & dominum contracta est.

XI. AFRICANVS.

QVod uulgo traditum est eum, qui existimet se quid emisse, cum non emerit, non posse pro emptore usucapere: hactenus uerum esse ait, si nullam iustam caussam eius erroris emptor habeat. nam si forte seruus uel procurator, cui emendam rem mandasset, persuaserit ei se emisse, atque ita tradiderit: magis esse, ut usucapio sequatur.

XII. PAVLVS.

MIsso legatario in possessionem, res pro emptore usucapiuntur, salua prætoris pignoris caussa.

XIII. SCAEVOLA.

ALienam aream bona fide emit, & ante impletã diutinã possessionem ædificare cœpit, & denunciante domino soli intra tempora diutinæ possessionis perseuerauit. quæro, utrum interpellata sit: an cœpta duraverit? Respondit. secundum ea, quæ proponerentur, non esse interpellatam.

XIIII. IDEM.

INtestatæ sororis hæreditas obuenit duobus fratribus, quorum alter absens erat, alter præsens. præsens etiã absentis caussam agebat. ex qua hæreditate suo & fratris sui nomine fundum in solidum uendidit Lucio Titio bona fide ementi. quæsitum est, cum sciret partem fundi absentis esse: an totũ fundum longa possessione ceperit? respondit. si credidisset mandatu fratris uenisse: per longum tempus cepisse.

PRO HAEREDE VEL POSSESSORE. Tit. VI.

I. PAVLVS.

PRo hærede exuiui bonis nihil usucapi potest: etiam si possessor mortui rem fuisse existimauerit.

II. IDEM.

QVi legatorum seruandorum caussa in possessionem mittitur: non interpellat possessionem eius, qui pro hærede usucapit. custodiæ enim caussa rem tenet. quid ergo est? etiam impleta usucapione, ius pignoris pertinebit, ut non prius discedat, quàm si solutum ei legatum fuerit, aut eo nomine satisdatum.

Quod uulgo respondetur, causſam possessionis neminem sibi mutare posse: sic accipiendum est, ut possessio non solum ciuilis, sed etiam naturalis intelligatur. & propterea responsum est: neq; colonum, neq; eum, apud quem res est deposita, aut cui commodata est, lucrifaciendi causſa pro hærede usucapere posse. Filium quoq; donatam rem à patre pro hærede negauit usucapere Seruius: scilicet quia existimabat naturalem possessionem penes eum fuisse uiuo patre. cui consequens est, ut filius à patre hæres institutus, res hæreditarias à patre sibi donatas pro parte cohæredum usucapere non possit.

III. POMPONIVS.

PLerique putauerunt, si hæres sim, & putem rem aliquam ex hæreditate esse, quæ non sit: posse me usucapere.

IIII. PAVLVS.

COnstat eum, qui testamenti factionem habet, pro hærede usucapere posse.

PRO DONATO. Tit. VII.

I. PAVLVS.

PRo donato is usucapit, cui donationis causſa res tradita est: nec sufficit opinari, sed & donatũ esse oportet. Si pater filio, quem in potestate habet, donet, deinde decedat: filius pro donato non capiet usu: quoniam nulla donatio fuit. Si inter uirum & uxorem donatio facta sit: cessat usucapio. Item si uir rem uxori donauerit, & diuortium intercesserit: usucapionem cessare, Cassius respondit: quoniam non possit causſam possessionis sibi ipsa mutare. aliàs ait post diuortium ita usucapturam, si eam maritus concesserit, quasi nunc donasse intelligatur. possidere autem uxorem rem à uiro donatam, Iulianus putat.

II. MARCELLVS.

SI is, qui alienam rem donauit, reuocare constituerit donationem: etiã si iudiciũ ediderit, remq; cœperit uindicare: curret usucapio.

III. POMPONIVS.

SI uir uxori, uel uxor uiro donauerit: si aliena res donata fuerit: uerum est, quod Trebatius putabat: si pauperior is, qui donasset, non fieret: usucapionem possidenti procedere.

IIII. IDEM.

SI pater filiæ donauerit, quæ in potestate eius erat, & eam exhæredauerit: si id hæres eius ratum habeat: exinde ea usucapiet rẽ donatam, qua ex die ratam hæres donationem habuit.

Scæ

V. SCAEVOLA.

QVi pro donato cœperat usucapere, manumittendo nihil egit: quia nec dominium nactus fuerit. quæsitum est, an usucapere desierit: respõdit. eum, de quo quæreretur, amisisse uideri possessionem: & ideo usucapionem interruptam.

VI. HERMOGENIANVS.

DOnationis caussa facta uenditione, non pro emptore, sed pro donato res tradita usucapitur.

PRO DERELICTO. Tit. VIII.

I. VLPIANVS.

SI res pro derelicto habita sit: statim nostra esse desinit, & occupantis fit: quia ijsdem modis res desinunt esse nostræ, quibus adquiruntur.

II. PAVLVS.

PRo derelicto rem à domino habitam si sciamus, possumus adquirere. sed Proculus non desinere eam rem domini esse, nisi ab alio possessa fuerit: Iulianus, desinere quidem omittentis esse, non fieri autem alterius, nisi possessa fuerit. & recte.

III. MODESTINVS.

AN pars pro derelicto haberi possit, quæri solet. & quidem si in re communi socius partem suam dereliquerit: eius esse desinit: ut hoc sit in parte, quod in toto. atquin totius rei dominus efficere non potest, ut partem retineat, partem pro derelicto habeat.

IIII. PAVLVS.

ID, quod pro derelicto habitum est, & haberi putamus: usucapere possumus, etiam si ignoremus, à quo derelictum sit.

V. POMPONIVS.

SI id, quod pro derelicto habitum possidebas, ego sciens esse in ea caussa abs te emerim: me usucapturum constat: nec obstare, quod in bonis tuis non fuerit. nam & si tibi rem ab uxore donatam sciens emero: quia quasi uolente & cõcedente domina id faceres: idem iuris est. Id, quod quisq; pro derelicto habuerit, continuo meũ fit: sicuti cum quis æs sparserit, aut aues emiserit. quamuis eñ incertæ personæ uoluerit eas esse: eius tamen fient, qui eas sustulerit: easq; cũ pro derelicto habeat, simul intelligetur uoluisse alicuius fieri.

VI. IVLIANVS.

NEmo potest pro derelicto usucapere, qui falsò existimauerit rem pro derelicto habitam.

VII. IDEM.

SI quis merces ex naue iactas inueniſſet: num ideo uſucapere non poſſet, quia non uiderentur derelictæ, quæritur. ſed uerius eſt, eum pro derelicto uſucapere non poſſe.

VIII. PAVLVS.

SEmpronius Thetidi ſtatus quæſtionem facere tentabat, quaſi de ſerua ſua nata ſit. qui iam teſtatò cõuentus à Procula nutrice Thetidis de ſoluendis alimentis, reſpondit non ſe habere, unde eidem alimenta exſoluat: ſed debere eam patri ſuo reſtituere Lucio Titio. idq; cum illa in teſtationem redegiſſet, ut poſtea nullam quæſtionem pateretur ab eodem Sempronio: Lucius Titius Seiæ Proculæ ſolutis alimentis, puellam uindicta manumiſit. quæro, an poſſit reſcindi libertas Thetidis? Paulus reſpondit. quoniam dominus antillæ, ex qua Thetis nata eſt, Thetidẽ pro derelicto habuiſſe uideretur: potuiſſe eam à Lucio Titio ad libertatem tunc perduci.

PRO LEGATO. Tit. IX.

I. VLPIANVS.

LEgatorum nomine is uidetur poſſidere, cui legatum eſt. pro legatò enim poſſeſſio & uſucapio nulli alij, quàm ei, cui legatum eſt, competit.

II. PAVLVS.

SI poſſideam aliquam rem, quam putabam mihi legatam, cũ non eſſet: pro legato non uſucapiam:

III. IDEM.

NOn magis, quàm ſi quis emptum exiſtimet, quod non emerit.

IIII. IDEM.

PRo legato uſucapi poteſt, & ſi res aliena legata ſit: aũt teſtatoris quidem ſit, ſed adempta codicillis ignoratur. in horũ enim perſona ſubeſt iuſta cauſſa, quæ ſufficit ad uſucapionem. idem poteſt dici, & ſi in nomine erit dubitatio: ueluti ſi Titio legatum ſit, cum ſint duo Titij, ut alter eorum de ſe cogitatum exiſtimauerit.

V. IABOLENVS.

EA res, quæ legati nomine tradita eſt, quãuis dominus eius uiuat, legatorum tamen nomine uſucapietur:

VI. PAVLVS.

SI is, cui tradita eſt, mortui rem eſſe exiſtimauerit.

VII. IABOLENVS.

NEmo poteſt legatorum nomine uſucapere, niſi is, cum quo teſtamenti

menti factio est: quia ea possessio ex iure testamenti proficiscitur.

VIII. POMPONIVS.

SI non traditam possessionem ingrediatur sine uicio legatarius: legatæ rei usucapio competit.

IX. HERMOGENIANVS.

PRo legato usucapit, cui recte legatum relictum est. sed & si non iure legatum relinquatur, uel legatum ademptũ sit, pro legato usucapi post magnas uarietates obtinuit.

PRO DOTE. Tit. X.

I. VLPIANVS.

TItulus est usucapionis, & quidem iustissimus, qui appellatur pro dote: ut qui in dotem rem accipiat, usucapere possit spacio solenni, quo solent, qui pro emptore usucapiunt: & nihil refert, singulæ res, an pariter uniuersæ doti dentur. Et primum de tempore uideamus, quando pro dote quis usucapere possit: utrum post tempora nuptiarum, an uero & ante nuptias. Et est quæstio uulgata, an possit sponsus (hoc est, qui nondũ maritus est) rem pro dote usucapere? & Iulianus inquit. si sponsa sponso ea mente tradiderit res, ut non ante eius fieri uellet, quàm nuptiæ secutæ sint: usu quoq; capio cessabit. Si tamen non euidenter, quid actum fuerit, appareat: credendum esse id agi, Iulianus ait, ut statim res eius fiant: & si alienæ sint, usucapi possint. quæ sententia mihi pbabilis uidetur. ante nuptias aũt non pro dote usucapit, sed pro suo. Constante aũt matrimonio pro dote usucapio inter eos locũ habet, inter quos est matrimonium contractum. cæterum si cesset matrimonium: Cassius ait cessare & usucapionẽ, quia dos nulla sit. Idem scribit, & si putauit maritus, esse sibi matrimoniũ, cum nõ esset: usucapere eum non posse, quia nulla dos sit. quæ sententia habet rationem.

II. PAVLVS.

SI æstimata res ante nuptias tradita sit: nec pro emptore, nec pro suo ante nuptias usucapietur.

III. SCAEVOLA.

DVæ filiæ intestato patri hæredes exstiterunt, & mancipia cõmunia singulæ in dotem dederunt, & post aliquot annos à morte patris familiæ erciscundæ iudiciũ inter eas dictatum est. quæsitũ est, cum mariti bona fide mancipia in dotem accepta, ut dotalia multis annis possederint: an usucepisse uideantur, si cum accipiebant, dantis credidissent esse? Respondit. nihil proponi, cur non usucepissent.

PRO SVO. Tit. XI.

I. VLPIANVS.

PRo suo possessio talis est, ut cũ dominiũ nobis adquiri putamus, & ex ea caussa possideamus, ex qua adquiritur, & præterea pro suo. utputa ex caussa emptionis, & pro emptore, & pro suo possideo. itẽ re donata, uel legata, uel pro donato, uel p legato, & pro suo possideo. Sed si res mihi ex caussa iusta (puta emptionis) tradita sit, & usucapiã: incipio quidem & ante usucapionem pro meo possidere. Sed an desinam ex caussa emptionis post usucapionem, dubitabatur. & Martianus dicitur existimasse, non desinere.

II. IDEM.

ESt species possessionis, quæ uocatur pro suo. hoc enim modo possidemus omnia, quæ mari, terra, cælo capimus, aut quæ alluuione fluminum nostra fiunt. item quæ ex rebus alieno nomine possessis nata possidemus. ueluti partum hæreditariæ aut emptæ ancillæ pro nostro possidemus: similiter fructus rei emptæ, aut donatæ, aut quæ in hæreditate inuenta est.

III. POMPONIVS.

HOminẽ, quem ex stipulatione te mihi debere falsò existimabas, tradidisti mihi. si sciissem nihil mihi deberi: usu eum nõ capiam. quod si nescio: uerius est, ut usucapiam: quia ipsa traditio ex caussa, quã ueram esse existimo, sufficit ad efficiendum, ut id, quod mihi traditum est, pro meo possideam. & ita Neratius scripsit, idq; uerum puto.

IIII. IDEM.

SI ancillam furtiuam emisti bona fide, & ex ea natum & apud te conceptum ita possedisti, ut intra constitutũ usucapionis tempus cognosceres matrem eius furtiuam esse: Trebatius omni modo, quod ita possessum esset, usucaptum esse: ego sic puto distinguendum, ut si nescieris intra statutum tempus, cuius id mancipium esset: aut si scieris, neq; potueris certiorem dominũ facere: aut si potueris quoq;, & feceris certiorẽ: usucapias. sin uero cũ scires & posses, non feceris certiorẽ: contra sit. tum eñ clam possedisse uideberis. neq; idem & pro suo, & clam possidere potest. Si pater cũ filijs bona, quæ habebat, partitus sit, & ex ea caussa post mortẽ patris ea teneant, quod inter eos conuenerit, ut ea diuisio rata esset: usucapio his procedet pro suo in his rebus, quæ alienæ in bonis patris inueniunt. Quod legatũ nõ sit, ab hærede tamen perperam traditũ sit: placet à legatario usucapi: quia pro suo possidet. Neratius

V. NERATIVS.

VSucapio rerum etiam ex alijs cauſſis cõceſſa, interim propter ea, quæ noſtra eſſe exiſtimantes poſſideremus, coſtituta eſt, ut aliquis litium finis eſſet. Sed id, quod quis, cum ſuũ eſſe exiſtimaret, poſſederit: uſucapiet, etiam ſi falſa fuerit eius exiſtimatio. quod ita tamen interpretandum eſt, ut probabilis error poſſidentis uſucapioni non obſtet: ueluti ſi ob id aliquid poſſideam, quod ſeruũ meum aut eum, cuius in lotum hæreditario iure ſucceſſi, emiſſe id falſò exiſtimem: quia in alieni facti ignorantia tolerabilis error eſt.

DIGESTORVM SEV PANDECTARVM LIBER QVADRAGESIMVS SECVNDVS.

DE RE IVDICATA, ET DE EFFECTV ſententiarum, & de interlocutionibus. Tit I.

I. MODESTINVS.

REs iudicata dicitur, quæ finem controuerſiarũ pronunciatione iudicis accipit: quod uel cõdemnatione, uel abſolutione contingit.

II. VLPIANVS.

QVi pro tribunali cognoſcit, non ſemper tempus iudicati ſeruat: ſed nonnunquam arctat, nonnunq; prorogat pro cauſſæ qualitate, & quantitate, uel perſonarum obſequio, uel contumacia. ſed perraro intra ſtatutũ tempus ſententiæ exſequuntur: ueluti ſi alimenta conſtituantur, uel minori uigintiquinq; annis ſubueniatur.

III. PAVLVS.

QVi damnare poteſt, is abſoluendi quoq; poteſtatem habet.

IIII. VLPIANVS.

SI ſe non obtulit procurator: iudicati actio in eum denegabitur, & in dominum dabitur. ſi ſe obtulit: in ipſum dabitur. obtuliſſe autem uidetur ſe liti, *non is, qui in rem ſuam procurator datus ſit. nam hic alia ratione recuſare iudicati actionem non poteſt: quia non in alienam, ſed in rem ſuam procurator factus eſt. Tutor quoq; uel curator in ea conditione ſunt, ut non debeant uideri ſe liti obtuliſſe: idcirco q; debet denegari in eos iudicati actio. Actor etiam municipum poteſt rem

*al's additur. qui iudicio pro domino ſe obtulit:

rem iudicatam recusare. in municipes enim iudicati actio dabitur.

Ait prætor, CONDEMNATVS, VT PECVNIAM SOLVAT, à iudicato ergo hoc exigitur, ut pecuniam soluat. quid ergo, si soluere quidem paratus non sit, satisfacere autem paratus sit? quid dicemus? & ait Labeo, debuisse hoc quoq; adijci, NEQVE EO NOMINE SATISFACIAT. fieri enim posse, ut idoneum expromissorem habeat. sed ratio pecuniæ exigendæ hæc fuit, quod noluerit prætor obligationem ex obligationibus fieri. idcirco ait, VT PECVNIA SOLVATVR. ex magna tamen & idonea causa accedendum erit ad Labeonis sententiam. Si ex conuentione litigantium cautum sit post rem iudicatam ei, cui quis condemnatus est: eueniet, ut hic etiam recedatur: si modo nouatio intercessit. cæterum si non nouandi causa id factum est: manebit ordo exsecutionis. sed & si pignora accepta sint, uel fideiussores in rem iudicatam: consequens erit dicere, non cessare exsecutionem: quippe cũ accesserit aliquid rei iudicatæ, non est à re iudicata recessum. Idem obseruandum est in eo, cuius procurator condemnatus est. Si quis condemnatus sit, ut intra certos dies soluat: unde ei tempus iudicati actionis computemus, quæritur: utrum ex quo sententia prolata est: an uero ex quo dies statutus præterijt? sed si quidem minorem diem statuerit iudex: tempore legitimo repletur ex lege, quod sententiæ iudicis deest. sin autem ampliorem numerum dierum in sua definitione iudex amplexus est: computabitur pro reo & legitimum tempus, & quod supra iudex præstitit. Condemnatũ accipere debemus eũ, qui rite condemnatus est, ut sententia ualeat. cæterum si aliqua ratione sententia nullius momenti sit: dicendum est condemnationis uerbum non tenere. Soluisse accipere debemus, non tantum eum, qui soluit: uerum omnem omnino, qui ea obligatione liberatus est, quæ ex causa iudicati descendit. Celsus scribit. si noxali condemnatus eum seruum, in quo ususfructus alienus est, noxæ dedisti: posse tecum adhuc agi iudicati. sed si ususfructus interierit: liberari ait.

V. IDEM.

Ait prætor, CVIVS DE EA RE IVRISDICTIO EST. melius scripsisset, CVIVS DE EA RE NOTIO EST. etenim notionis nomen etiam ad eos pertinet, qui iurisdictionem non habent: sed habent de quauis alia causa notionem. Si iudex aliquem sic condemnet, ut quod habet ex testamento uel codicillis Mæuij, restitueret Titio: sic accipiendum est, quasi quantitatem nominauerit, quæ testamento uel codicillis relicta est. sed & si fideicommissum sine scriptura pronunciatum est: idem erit probandum.

VI. PAVLVS. Miles

Miles,qui sub armata militia stipendia meruit,condemnatus:eatenus, quà facere potest, cogitur soluere. Decem aut noxæ dedere condemnatus,iudicati in decem tenetur. facultatem enim noxæ dedendæ ex lege accipit. Is aũt,qui stipulatus est decem,aut noxæ dedere:non potest decem petere:quia in stipulatione singula per se ueniunt,eaq; singula separatim stipulari possumus. at iudicium solius noxæ deditionis nullum est, sed pecuniariam condemnationem sequitur.& ideo iudicati in decẽ agitur. his enim solis cõdemnat. noxæ aũt deditio in solutione est,quæ è lege tribuitur. Qui iudicati bona authoritate sua distraxit:furti actione,& ui bonorum raptorum tenetur.

Iudicati actio perpetua est,& rei persecutionem continet. item hæredi,& in hæredem competit.

VII. CAIVS.

INtra dies constitutos quamuis iudicati agi non possit, tamen multis modis iudicatum liberari posse,hodie non dubitatur:quia constitutorum dierum spacium pro iudicato,non contra iudicatum per legem constitutum est.

VIII. PAVLVS

SI homo ex stipulatu petitus post litem contestatam decesserit: absolutionem nõ faciendam,& fructuum rationẽ habendam placet.

IX. POMPONIVS.

FVrioso sententia à iudice uel ab arbitro dici non potest.

X. MARCELLVS.

QVi cum se pro patrefamilias gereret,mutuam pecuniam accepit, & exhæres à patre scriptus,uel emancipatus est:quamuis facere non possit,debet condemnari.

XI. CELSVS.

SI calendis fieri aliquid stipulatus sum: nempe quandocunq; post calendas accepto iudicio,tanti æstimanda lis est, quanti interfuit mea calendis id fieri.ex eo enim tempore quidq; æstimatur, quo nouissime solui potuit.

XII. MARCELLVS.

IN depositi uel commodati iudicio,quanquam dolo aduersarij res absit,cõdemnato succurri solet,ut ei actionibus suis dominꝰ cedat.

XIII. CELSVS.

SI quis ab alio decem,ab alio satisdari stipulatus est: æstimandũ erit, quanti stipulatoris interfit satisdari. idq; aut tantũdem erit,aut minus,aut interdum etiam nihil.neq; enim uani timoris ulla æstimatio est. uerum sorte soluta,aut nullũ iam precium æstimationis est: aut quantum ex sorte fuerit solutũ, tantundem ex æstimatione decedat. Si

quis promiserit prohibere se,ne quid damni stipulator patiatur, & faciat,ne quod ex ea re damnum stipulator habeat:facit,quod promisit. si minus:quia non facit,quod promisit:in pecuniam numeratam condemnatur,sicut euenit in omnibus faciendi obligationibus.

XIIII. IDEM.

QVod iussit,uetuit ue prætor,contrario imperio tollere & remittere potest:sed de sententijs contra.

XV. VLPIANVS.

A Diuo Pio rescriptum est magistratibus populi Romani:ut iudicum à se datorum, uel arbitrorum sententiam exsequantur, hi,qui eos dederunt. Sententiam Romæ dictam etiã in prouincijs posse per præsides, si hoc iussi fuerint, ad finẽ persequi: Imperator noster cum patre rescripsit. In uenditione itaq; pignorũ captorũ faciendã,primo quidẽ res mobiles,& animales capi pignori iubent: mox distrahi.quarũ precium si suffecerit:bene est.si non suffecerit: etiã soli pignora capi iubent,& distrahi.quod si nulla mouẽtia sint:à pignoribus soli initiũ faciunt. sic deniq; interloqui solent:si mouentia non sint,ut soli quoq; capiantur.nam à pignoribus soli initiũ faciendum non est. quod si nec quæ soli sunt,sufficiant,uel nulla sint pignora soli:tunc peruenietur etiam ad iura. Exsequũtur itaq; rem iudicatam præsides isto modo. Si pignora,quæ capta sunt,emptorem non inueniant:rescriptum est ab Imperatore nostro & diuo patre eius, ut addicantur ipsi, cui quis condemnatus est. addicantur autem utiq; ea quantitate, quæ debetur. nã & si creditor maluerit pignora in creditũ possidere, hisq; esse contentus:rescriptum est,non posse eum, quod amplius sibi debe
*al's.de- tur,petere:quia uelut pacto trãsegisse *de cætero uideat, qui cõtentus
creto. fuerit pignora possidere:nec posse eum in quantitatem certã pignora tenere,& superfluũ petere. Si rerum,quæ pignoris iure captæ sint, cõtrouersia fiat:constitutum est ab Imperatore nostro,ipsos, qui rem iudicatam exsequuntur,cognoscere debere de proprietate. & si cognouerint eius fuisse, qui condemnatus est:rem iudicatam exsequantur. Sed sciendum est, summatim eos cognoscere debere: nec sententiam eorum posse debitori præiudicare, si forte hi dimittendam eam rem putauerunt,quasi eius sit,qui cõtrouersiam mouit,non eius,cuius nomine capta est:nec eũ,cui restituta est,statim habere per sententiam debere,si forte iure ordinario cœperit ab eo res peti. sic eueniet, ut omnibus integris tantum capioni res iudicata proficiat. Sed & illud debet dici,ubi cõtrouersia est de pignore:id dimitti debere,& capi aliud, si quod est sine controuersia. Quod si res fuerit pignorata, quæ pignori capta est:uidendum est,an sic distrahi possit,ut dimisso creditore

tore, superfluum in causſam iudicati conuertatur. & quanquam non cogatur creditor rem, quam pignori accepit, distrahere: tamen in iudicati executione seruatur, ut si emptorem inuenerit res, quæ capta est, qui dimisso priore creditore superfluum soluere paratus sit: admittenda sit huiusmodi quoq; rei distractio. nec uidetur deterior conditio creditoris fieri suum consecuturi, nec prius ius pignoris dimissuri, q̃ si ei fuerit satisfactum. Si post addictum pignus aliqua controuersia emptori moueatur: an sit cognitio eiusdem iudicis, qui sententiam exsecutus fuerit, uidendum est. & cũ semel emptio perfecta sit, eiusq;, qui sic comparauit, periculum uersetur: non puto locum esse cognitioni. Certe postea, quàm inductus est emptor in possessionũ, non ne cessabunt partes eorundem iudicũ? idemq; & si ipsi, cui quis iudicatus est, res fuerit addicta. Sed si emptor, cui pignora sunt addicta, exsequente iudice precium non soluat: utrum aduersus emptorem porrigere manus debeant ijdem iudices, qui sententiam exsequuntur, uidendum est. & non puto eos ultra procedere. Cæterum longe res abibit. quid enim dicemus? condemnabunt emptorem, & sic exsequentur aduersus eum sententiã: an statim pro iudicato habebunt? & quid, si neget se emisse, aut exsoluisse contendat? melius igitur erit, si non se interponant: maxime cum nec habeat actionem aduersus eum is, cui iudicatũ fieri desideratur, nec iniuria adficiatur. oportet enim res captas pignori & distractas præsente pecunia distrahi: nõ sic, ut post tempus pecunia soluatur. certe si se interponãt: hactenus debebunt interuenire, ut ipsam rem addictam, capiant & distrahant, quasi nondum uinculo pignoris liberatam. Sic quoq; iudices exsequentur iudicatum, ut nomina iure pignoris capiant: si nihil aliud sit, quod capi possit. posse enim nomen iure pignoris capi, Imperator noster rescripsit. Sed utrum confessum nomen tantum capi possit, an etiam si neget quis se debere ei, uideamus. & magis est, ut id duntaxat pignori capiatur, quod confitetur. cæterum si negetur: æquissimum erit discedi à nomine: nisi forte quis exemplum secutus corporalium pignorũ ultra processerit, dixeritq; ipsos debere iudices de nomine cognoscere, ut cognoscerent de proprietate. sed contra rescriptum est. Item quid dicemus? utrum ipsi iudices conuenient nomen, exigentq; id, quod debetur, & in causſam iudicati conuertent: an uero uendent nomen, ut pignora corporalia solent? & necesse est, ut quod eis facilius uideatur ad rem exsequendam, hoc faciant. Sed & si pecunia penes argentarios sit: æque capi solet. hoc amplius & si sit penes alium quem, destinata tamen ei, qui condemnatus est: solet pignoris iure capi, & conuerti in causſam iudicati. Præterea pecuniam quoq; depositam nomine

condemnati, uel in arcam recluſam ſolent capere, ut iudicato ſatisfiat. hoc amplius & ſi pupillaris pecunia in arca repoſita ſit ad prædiorum comparationem: etiam citra permiſſum prætoris ab eo, qui exſequitur iudicatum, ſolet capi, & in cauſſam iudicati conuerti.

XVI. IDEM.

SVnt qui in id, quod facere poſſunt, conueniuntur, id eſt non deducto ære alieno. & quidem ſunt hi ferè, qui pro ſocio conueniuntur. ſocius autem omnium bonorum accipiendus eſt. item parens,

XVII. IDEM.

PAtronus, patrona, liberiq; eorum, & parentes. item maritus de dote in id, quod facere poteſt, conuenitur.

XVIII. IDEM.

ITem miles, qui ſub armata militia ſtipendia meruit, cõdemnatus eatenus, quà facere poteſt, cogitur ſoluere.

XIX. PAVLVS.

INter eos, quibus ex eadem cauſſa debetur, occupantis melior conditio eſt: nec deducitur, quod eiuſdem conditionis hominibus debetur, ſicuti fit in actione de peculio. nam & hic occupãtis melior cauſſa eſt. Sed & ſi cum patre patronoue agetur: non eſt deducendum æs alienum: maxime quod eiuſdem conditionis perſonis debebitur, ut liberis libertiſq;. Is quoq;, qui ex cauſſa donationis conuenitur, in quantum facere poteſt cõdemnatur: & quidem is ſolus deducto ære alieno. & inter eos, quibus ex ſimili cauſſa pecunia debetur, occupantis potior erit cauſſa. imò nec totum, quod habet, extorquendum ei puto: ſed & ipſius ratio habenda eſt, ne egeat.

XX. MODESTINVS.

NOn tantũ dotis nomine maritus, in quantũ facere poſſit, condemnatur: ſed ex alijs quoq; contractibus ab uxore iudicio conuentus, in quantũ facere poteſt, condemnandus eſt ex diui Pij conſtitutione. quod & in perſona mulieris æqua lance ſeruari æquitatis ratio ſuggerit.

XXI. PAVLVS.

SIcut aũt cum marito agitur, ita & cum ſocero: ut non ultra facultates damnetur. ſed an ſi cum ſocero ex promiſſione dotis agatur, in id, quod facere poteſt, damnãdus ſit, quod & id æquum eſſe uideatur? ſed alio iure utimur, ut Neratius ſcribit.

XXII. POMPONIVS.

SEd hoc ita accipiendum eſt, ſi à ſocero dos ex promiſſione petatur ſoluto matrimonio. uerum ſi matrimonio manẽte dos ab eo, qui promiſit, petatur: ſuccurrendũ utiq; eſt, ut ne maioris ſummæ condemnetur, q̃ quantũ facere poſſit. Quod autem de ſocijs dictum eſt, ut &

ut & hi, in quantum facere possint, condemnentur: causſa cognita se facturum prætor edicit. causſæ autem cognitio in hoc erit, ut neganti se socium esse, aut ex doli clausula obligato non succurratur.

XXIII. PAVLVS.

Cum procuratore mariti de dote actum fuerit: siquidem uiuo marito damnatio fiet: in quantum facere potest, condemnatur. nam & defensor mariti in id, quod ille facere potest, damnatur. mortuo uero marito, in solidum.

XXIIII. POMPONIVS.

ET si fideiussor acceptus sit rei uel actionis, non proderit ei: si persona, pro qua fideiussit, in quantum facere potest, condemnanda est. Si maritus nō fuerit soluendo, licet ipsi marito prosit, quod facere non possit (id enim mariti personæ præstatur) hæredi eius hoc non prodest.

XXV. PAVLVS.

Sciendum est, hæredes earum personarum non in id, quod facere possunt, sed in integrum teneri.

XXVI. VLPIANVS.

Si conuenerit inter litigatores, quid pronuncietur: nō ab re erit, iudicem huiusmodi sententiam proferre.

XXVII. MODESTINVS.

Præses prouinciæ in usuras usurarum condemnauit contra leges & sacras constitutiones: ideoq; Lucius Titius contra prolatā sententiam iniustam præsidis appellauit. quæro, cum non secundum legem hic Titius prouocasset: an exigi possit pecunia secundum condemnationem? Modestinus respondit. si in sentētia certa quantitas contineatur: nihil proponi, cur iudicati agi non possit.

XXVIII. IDEM.

Duo iudices dati diuersas sententias dederunt. Modestinus respondit. utranq; sententiam in pendenti esse, donec competens iudex unam earum confirmauerit.

XXIX. IDEM.

Tempus, quod datur iudicato, etiam hæredibus eius, cæteris'q;, qui in locum eius succedunt, tribuitur: uidelicet quod ex tempore deest: quia causſæ magis, quàm personæ beneficium præstatur.

XXX. POMPONIVS.

Cum ex causſa donationis promissa pecunia est: si dubium sit, an ea res eōusq; donatoris facultates exhaurire possit, ut uix quidq; ei in bonis relictum sit: actio in id, quod facere possit, danda est: ita, ut & ipsi donatori aliquid sufficiens relinquatur. quod ipsum maxime & inter parentes & liberos obseruandum est.

XXXI. CALLISTRATVS.

DEbitoribus non tantũ petentibus dies ad ſoluendum dandi ſunt, ſed & prorogandi, ſi res exigat. ſiqui tamen per contumaciã magis, quàm quia non poſſint explicare pecuniam, differant ſolutionem: pignoribus captis compellendi ſunt ad ſatisfaciendum ex forma, quã Caſſio proconſuli diuus Pius in hæc uerba reſcripſit. his, qui fatebuntur debere, aut ex re iudicata neceſſe habebunt reddere: tempus ad ſoluendum detur, quod ſufficere pro facultate cuiuſq; iudebitur. eorum, qui intra diem uel ab initio datum, uel ex ea cauſſa poſtea prorogatum ſibi non reddiderint, pignora capiant: eaq;, ſi intra duos menſes non ſoluerint, uendantur. ſi quid ex precijs ſuperſit: reddatur ei, cuius pignora uendita erant.

XXII. IDEM.

*aliàs. cognitionibus.

CVm prolatis* cõſtitutionibus cõtra eas pronunciat iudex ex eo, quod non exiſtimat cauſſam, de qua iudicat, per eas iuuari: non uidetur contra conſtitutiones ſententiam dediſſe. ideoq; ab eiuſmodi ſententia appellandum eſt. alioquin rei iudicatæ ſtabitur.

XXXIII. IDEM.

DIuus Hadrianus aditus per libellum à Iulio Tarentino, iudicante eo falſis teſtimonijs, conſpiratione aduerſariorum teſtibus pecunia corruptis, religionem iudicis circumuentam eſſe: in integrum cauſſam reſtituendam in hæc uerba reſcripſit. Exemplum libelli dati mihi à Iulio Tarentino mitti tibi iuſſi. tu ſi tibi probauerit, conſpiratione aduerſariorum teſtibus pecunia corruptis oppreſſum ſe: & rem ſeuere uindica, & ſi quod à iudice tam malo exemplo circumſcripto iudicatum eſt, in integrum reſtitue.

XXXIIII. LICINIVS RVFINVS.

SI uictum uel ſtratum inferri quis iudicato non patiatur: utilis in eũ pœnalis actio danda eſt uel (ut quidam putant) iniuriarum cum eo agi poterit.

XXXV. PAPYRIVS IVSTVS *lib.* XIIII. *conſtitutionum.*

IMperatores Antoninus & Verus reſcripſerunt. quanq; ſub obtentu nouorũ inſtrumentorum reſtitui negocia minime oporteat: tamen in negocio publico ex cauſſa permittere ſe huiuſmodi inſtrumẽtis uti.

XXXVI. PAVLVS.

POmponius libro triceſimooctauo ſcribit. ſi uni ex pluribus iudicibus de liberali cauſſa cognoſcenti de re non liqueat, cæteri autem conſentiant: ſi is iurauerit ſibi non liquere: eo quieſcente, cæteros, qui cõſentiunt, ſententiam proferre: quia & ſi diſſentirent, ſententia pluriũ obtineret.

XXXVII. MARCELLVS.

Tunc

TVnc aũt uniuersi iudices intelliguntur iudicare, cũ omnes adsunt.

XXXVIII. PAVLVS.

INter pares numero iudices si dissonæ sententiæ proferantur: in liberalibus quidem caussis, secundum quod à diuo Pio statutum est, pro libertate constitutum obtinet: in alijs autem caussis, pro reo. quod & in publicis iudicijs obtinere oportet. Si diuersis summis condemnent iudices: minimam sententiã spectandam esse, Iulianus scribit.

XXXIX. CELSVS.

DVo ex tribus iudicibus, uno absente, iudicare non possunt: quippe omnes iudicare iussi sunt. sed si adsit, & contra sentiat: statur duorum sententiæ. quid enim minus uerum est, omnes iudicasse?

XL. PAPINIANVS.

COmmodis præmiorum, quæ propter coronas sacras præstantur, condemnato placuit interdici, & eam pecuniam iure pignoris in caussam iudicati capi.

XLI. PAVLVS.

NEsennius Apollinaris. si te donaturum mihi delegauero creditori meo: an in solidum conueniendus sis? & si es in solidum cõueniendus: an diuersum putes, si non creditori meo, sed ei, cui donare uolebam, te delegauero? & quid de eo, qui pro muliere, cui donare uolebat, marito eius dotem promiserit? respondi. nulla creditor exceptione submouetur: licet is, qui ei delegatus est, poterit uti aduersus eum, cuius nomine promisit: cui similis est maritus, maxime si cõstante matrimonio petat. & sicut hæres donatoris in solidũ condemnatur, & ipse fideiussor, quẽ in donando adhibuit, ita & ei, cui non donauit, in solidũ condemnatur. Fundum quis donauit. si non restituat: ut quiuis possessor damnandus est. si autem fundum restituit: fructuum nomine (si non eos consumpserit) in solidum condemnandus est. potuit enim nõ periclitari, si statim restituisset. Si dolo desijt possidere: in litem iurabitur, & tanti sequetur condemnatio. In solidum condemnatus donator actione iudicati, nisi in quantum facere potest, non tenetur beneficio constitutionis.

XLII. IDEM.

PAulus respondit. rescindere quidem sententiam suam præcedentem prætorem non posse. reliqua autem, quæ ad consequentiam quidem iam statutorum pertinent, priori tamen sententiæ desunt: circa condemnandum reum uel absoluendum debere supplere, scilicet eodem die.

XLIII. IDEM.

PAulus respondit. eos, qui una sententia in unam quantitatem cõdemnati

demnati sunt, pro portione uirili ex caussa iudicati conueniri. & si ex sententia aduersus tres dicta Titius portionem sibi competentẽ exsoluit: ex persona cæterorũ ex eadem sententia conueniri eum nõ posse.

XLIIII. SCAEVOLA.

EX contractu paterno actum est cum pupilla tutore authore, & condemnata est. postea tutores abstinuerunt eam bonis paternis, & ita bona defuncti ad substitutum uel ad cohæredes peruenerunt. quæritur, an hi ex caussa iudicati teneantur? Respondit. dandã in eos actionem: nisi culpa tutorum pupilla condemnata sit.

XLV. PAVLVS.

ACta apud se habita, si partes consentiant, & iudex hoc permiserit, potest iubere ea die circunduci: nisi uel negocium, uel lis terminata est. De amplianda uel minuenda pœna damnatorum post sententiam dictam, sine principali authoritate nihil est statuendum.

Contra indefensos minores, tutores uel curatores non habentes, nulla sententia proferenda est.

XLVI. HERMOGENIANVS.

ACtorum uerba emendare, tenore sententiæ perseuerante, non est prohibitum.

XLVII. PAVLVS.

DE unoquoq; negocio præsentibus omnibus, quos caussa contingit, iudicari oportet. aliter enim iudicatum tantum inter præsentes tenet. Qui apud fiscum caussam defendere sæpius conuenti neglexerint: rebus iudicatis subijciendi sunt. quod eo apparet, si sæpe conuenti præsentiam sui facere noluerint.

XLVIII. TRIPHONINVS.

DEcreta à prætoribus latine interponi debent.

XLIX. PAVLVS.

ET ex hæreditũ, uel eum, qui se paterna hæreditate abstinuit: nec ex ipsius contractu, nisi in id, quod facere potest, condemnandũ. quemadmodum aũt facere posse credatur, uidendũ est: utrũ deducto omni ære alieno, ut is, qui ex donatione conuenitur: an ut maritus & patronus, nullo deducto ære alieno. & indubitati iuris est, ad similitudinem uiri & patroni ei detrahendũ. pinguius enim donatori succurrere debemus, quàm ei, qui uerum debitum persoluere compellitur.

L. TRIPHONINVS.

NE ex liberalitate sua inops fieri periclitetur.

LI. PAVLVS.

SI quis dolo fecerit, ut bona eius uenirent: in solidum tenetur. Si quis creditorem missum in possessionem rei seruandæ caussa non admi-

admiserit,& uenditor præstiterit creditori,quanti eius interfuerit:quæ situm est,an debitor liberet? & puto eum improbum esse,qui uelit iterum consequi, quod accepit.

LII. TRIPHONINVS.

Si rerum amotarum cum uiro agatur:quanquam uideatur ea quoq; actio præcedentis societatis uitæ causam habuisse: in solidum condemnari debet,quoniam ex malo contractu & delicto oritur.

LIII. HERMOGENIANVS.

Contumacia eorũ,qui ius dicenti non obtemperant, litis damno coërcetur. Contumax est, qui tribus edictis ,ppositis, uel uno pro tribus (quod uulgo peremptoriũ appellatur) literis euocatis præsentiam sui facere contemnit. Pœnam contumacis non patitur, quẽ aduersa ualetudo uel maioris causæ occupatio defendit. Contumaces non uidentur,nisi qui cum obedire deberent, non obsequuntur:id est,qui ad iurisdictionem eius,cui negant obsequi, pertinent.

LIIII. PAVLVS.

Contra pupillũ indefensum, eumq;, qui reipublicæ causa abest, uel minorem uigintiquinq; annis propositum peremptorium nihil momenti habet. Is,qui ad maius auditorium uocatus est,si litem incohatam deseruit,contumax non uidetur.

LV. VLPIANVS.

Iudex postea, quàm semel dixit sententiam, iudex esse desinit. & hoc iure utimur:ut iudex, qui semel,uel pluris, uel minoris condemnauit, amplius corrigere sententiam suam non possit. semel enim male seu bene functus est officio.

LVI. IDEM.

Post rem iudicatam,uel iureiurando decisam, uel confessionem in iure factam,nihil quæritur post orationem diui Marci: quia in iure confessi pro iudicatis habentur.

LVII. IDEM.

Quidam cõsulebant, an ualeret sententia à minore uigintiquinq; annis iudice data. sed æquissimum est tueri sententiam ab eo dictam,nisi minor decem & octo annis sit.certe si magistratum minor gerit:dicendum est iurisdictionem eius non improbari. Et si forte ex consensu iudex minor datus sit,scientibus his , qui in eum consentiebant: rectissime dicitur , ualere sententiam. Proinde & si minor prætor, uel consul ius dixerit, sententiamúe protulerit: ualebit. princeps enim, qui ei magistratum dedit,omnia agere decreuit.

LVIII. IDEM.

Si cũ nulla sententia præcessisset,capta sunt & distracta pignora: possunt reuocari.

LIX. IDEM.

IN sententijs sufficit, si expresserit iudex summam, soluiq; iusserit, uel præstari, uel quo alio uerbo hoc significauerit. amplius est rescriptum, & si in sententia non sit summa adiecta: si tamē is, qui petit, summā expresserit, & iudex ait, SOLVE, QVOD PETITVM EST, uel QVANTVM PETITVM EST: ualere sententiam. Qui sortis quidem condemnationem faciunt, de usuris autem ita pronunciant, VSVRAE, SI QVAE COMPETVNT, PRAESTENTVR: non recte pronunciant. debent enim de usuris quoq; cognoscere, & certam facere condemnationem.

Si quis ex edicto peremptorio post mortem sit condemnatus: non ualet sententia: quia morte rei peremptorium soluitur. ideoq; ut in re integra de caussa notio præstabitur, & q̄d optimum patuerit, statuetur.

LX. MARCELLVS.

QVæsitum est, cum alter ex litigatoribus febricitans decessisset, & iudex absente eo pronunciasset: an iure uideretur pronunciasse? Respondit. morbus sonticus etiam inuitis litigatoribus ac iudice diem differt. Sonticus autem existimandus est, qui cuiq; rei agendæ impedimento est litiganti. Porrò quid magis impedimento est, quàm motus corporis contra naturam, quem febrem appellant. Igitur si rei iudicandæ tempore alter ex litigatoribus febrem habuit: res non uidetur iudicata. Potest tamen dici, esse aliquam & febrium differentiam. nam si quis sanus aliàs ac robustus tempore iudicandi leuissima febre correptus fuerit: aut si quis tam ueterem quartanam habeat, ut in ea omnibus negocijs superesse soleat: poterit dici morbum sonticū nō habere.

LXI. IDEM.

IN iudicati actione non prius ratio haberi debet eius, cui prior reus condemnatus fuerit.

LXII. ALFENVS.

CVm quærebatur, iudex si perperam iudicasset, an posset eodem die iterum iudicare: respondit, non posse.

LXIII. MARCELLVS.

SAepe constitutum est, res inter alios iudicatas alijs non præiudicare. quod tamen quandam distinctionem habet. nam sententia inter alios dicta, aliàs quibusdam etiam scientibus non obest: quibusdam uero, etiā si contra ipsos iudicatū sit, nihil nocet. nam scientibus nihil præiudicat: ueluti si ex duobus hæredibus debitoris alter condemnatur. nam alteri integra defensio est, etiam si cum cohærede suo agi scierit. Item si ex duobus petitoribus alter uictus adquieuerit, alterius petitioni nō præiudicatur: ideoq; ita rescriptum est. Sed scientibus sententia, quæ inter alios dicta est, obest: cum quis de ea re, cuius actio uel defensio

fensio primum sibi competit, sequentem agere patiatur: ueluti si creditorem experiri debitor passus sit de proprietate pignoris, aut maritus socerum uel uxorem de proprietate rei in dotem acceptæ, aut possessor uenditorem de proprietate rei emptæ. & hæc ita ex multis constitutionibus intelligenda sunt. Cur autem his quidem scientia nocet superioribus non noceat, illa ratio est: quod qui scit cohæredē suum agere, prohibere eum, quo minus uti uelit propria actione, non potest: is uero, qui priorem dominū defendere caussam patitur: ideo propter scientiā præscriptione rei (quamuis inter alios iudicatæ) sub mouetur, quia ex uoluntate eius de iure, quod ex persona agentis habuit, iudicatum est. nam & si libertus meus me interueniente seruus uel libertus alterius iudicetur, mihi præiudicatur. diuersa caussa est, si fundum à te Titius petierit, quem ego quoq; sed non ex persona Titij, ad me pertinere dico. nam quamuis cōtra Titium me sciente iudicatum sit: nullum tamen præiudicium patior: quia neq; ex eo iure, quo Titius uictus est, uindico: neq; potui Titio intercedere, quo minus suo iure uteretur, sicuti de cohærede supra diximus.

LXIIII. SCAEVOLA.

NEgociorum gestorum condemnatus appellauit, & diu negocium tractatum est. quæsitum est, appellatione eius iniusta pronunciata: an quo tardius iudicatum sit, usuræ pecuniæ in condemnati onem deductæ medij temporis debeantur? respondetur. secundū ea, quæ proponerentur, dandam utilem actionem.

DE CONFESSIS. Tit. II.

I. PAVLVS.

CONfessus pro iudicato est: quia quodammodo sua sententia damnatur.

II. VLPIANVS.

NOn fatetur, qui errat, nisi ius ignorauit.

III. PAVLVS.

IVlianus ait, confessum certum se debere legatum, omnimodo damnandum, etiam si in rerum natura non sit, aut iam à natura recesserit: ita tamen, ut in æstimatione eius damnetur: quia confessus pro iudicato habetur.

IIII. IDEM.

SIis, cum quo lege Aquilia agitur, confessus est seruum occidisse: licet non occiderit: si tamen occisus sit homo, ex confesso tenetur.

V. VLPIANVS.

QVi Stichum debere se confessus est: siue mortuus iam Stichus erat, siue post litis contestationem decessit: cõdemnandus est.

VI. IDEM.

CErtum confessus pro iudicato erit, si incertum nõ erit. Si quis incertum confiteatur: ueluti si corpus sit confessus, si Stichum uel fundum dare se oportere: urgeri debet, ut certum cõfiteatur. Item is, qui rem confessus est, ut certam quantitatem fateatur. Sed & si fundum uindicem meum esse, tuq; cõfessus sis: perinde teneberis, atq; si dominij mei fundum esse pronunciatum esset. Si alia quacunq; actione ciuili, uel honoraria, uel interdicto exhibitorio, uel restitutorio, uel prohibitorio, cum quis conuenitur, confiteatur: dici potest, in his omnibus subsequi prætorem uoluntatem orationis diui Marci debere: & omne omnino, quod quis confessus est, pro iudicato habebe. dabitur igitur ex his actionibus, ex quibus dies datur ad restituendam rem, confesso tempus ad restitutionem: & si non restituat, lis æstimabitur. Si quis absente aduersario confessus sit: uidendum, nunquid non debeat pro iudicato haberi: quia nec qui iurat de operis, obligetur, nec soleat quis absenti cõdemnari. certe procuratorem, tutorem, curatoremue præsentem esse sufficit. Sed an & ipsos procuratores, uel tutores, uel curatores fateri sufficiat, uideamus. & non puto sufficere. In pupillo tutoris authoritatem exigimus. Minorẽ à confessione sua restituemus. Confessi utiq; post confessionem tempora quasi ex caussa iudicati habebunt.

VII. AFRICANVS.

CVm fideicommissum peteretur, hæres confessus est debere. arbiter ad restituendum datus comperit nihil deberi. quæsitum est, an possit absoluere? Respondit, posse. interesse tamen, qua ex caussa nihil debeatur. nam si ob id, quod nullum fideicommissum fuerit: nõ debere eum absoluere. si uero quia testator forte soluendo non erat, aut quia hæres omne solutum esse apud prætorẽ dixerat, & cum controuersia & computatio difficilior esset, arbiter datus fuerit: saluo officio eum absoluturum. has enim partes eius esse, ut si in computatione nihil inueniatur, possit absoluere. sed ex superiore casu ad prætorem remittere debet, ut absoluatur.

VIII. PAVLVS.

NOn omnimodo confessus condemnari debet eius rei nomine, quæ an in rerum natura esset, incertum sit.

DE CESSIONE BONORVM. Tit. III.

Vlpia-

I. VLPIANVS.

CReditori, qui ob restitutionem ædificiorum crediderit, priuilegium exigendi datur.

II. IDEM.

IN personalibus actionibus qui postea quidem contraxerunt, uerum ut pecunia eorum ad priores creditores perueniat, in locum eorum succedunt.

III. IDEM.

IS, qui bonis cessit, ante rerum uenditionem utiq; bonis suis non caret. quare si paratus fuerit se defendere: bona eius non ueneunt.

IIII. IDEM.

IS, qui bonis cessit, si quid postea adquisierit: in quantum facere potest, conuenitur. Sabinus & Cassius putabant eũ, qui bonis cessit, ne quidem ab his, quibus debet, posse inquietari.

V. PAVLVS.

QVem pœnitet bonis cessisse, potest defendendo se consequi, ne bona eius ueneant.

VI. VLPIANVS.

QVi bonis suis cessit, si modicum aliquid post bona sua uendita adquisiuit: iterum eius bona non ueneunt. unde ergo modum hunc æstimabimus? utrum ex quantitate eius, quod adquisitum est, an uero ex qualitate? & putem ex quantitate id æstimandum esse eius, quod quæsit: dummodo illud sciamus, si quid misericordiæ caussa ei fuerit relictum (puta menstruum, uel annuum alimentorum nomine) non oportere propter hoc bona eius iteratò uenundari. nec enim fraudandus est alimentis quotidianis. Idem, & si ususfructus ei sit cõcessus uel legatus, ex quo tantũ percipitur, quantũ ei alimentorũ nomine satis est.

VII. MODESTINVS.

SI debitoris bona uenierint: postulantibus creditoribus, permittitur rursus eiusdem debitoris bona distrahi, donec suum consequantur: si tales tamẽ facultates adquisitæ sint debitori, quibus prætor mo ueri possit.

VIII. VLPIANVS.

QVi cedit bonis, antequàm debitum agnoscat, condemneturne, uel in iure confiteatur: audiri non debet.

IX. MARTIANVS.

BOnis cedi non tantum in iure, sed etiam extra ius potest: sufficit & per nuncium, uel per epistolam id declarari.

QVIBVS EX CAVSSIS IN POSsessionem eatur. Tit. IIII.

I. VLPIANVS.



Res ferè cauſſæ ſunt, ex quibus in poſſeſſionem mitti ſolet: rei ſeruandæ cauſſa, item legatorum ſeruandorũ gratia, & uentris nomine. damni enim infecti nomine ſi nõ caueatur: non uniuerſorũ nomine fit miſſio, ſed rei tantum, de qua damnum timetur.

II. IDEM.

PRætor ait. IN BONA EIVS, QVI IVDICIO SISTENDI CAVSSA FIDEIVSSOREM DEDIT, SI NEQVE POTESTATEM SVI FACIET, NEQVE DEFENDETVR, IRI IVBEBO. Poteſtatem autem ſui non facit, qui id agit, ne aduerſarius eius copiam ſui habeat. ergo latitantis bona iubet poſſideri. quid ſi non latitet, ſed abſens non defendat: nõne uidetur poteſtatem ſui non facere? Defendi autem uidetur, qui per abſentiam ſuam in nullo deteriorem cauſſam aduerſarij facit. Hæc uerba NEQVE DEFENDETVR, παραλειπτικῶς ſcripta ſunt: ut neq; ſufficiat unquam defendiſſe, ſi nõ duret defenſio: neq; obſit, ſi nũc offerat.

III. IDEM.

APud Iulianum quæritur. ſi cõmunem rem cum Titio pater pupilli habuerit, & communi diuidundo iudicio pupillus nõ defendatur, nihilq; erit, cuius nomine propter perſonam patris condemnatio fieri debeat: utrum uenire bona patris oporteat, an uero rei ſeruandæ cauſſa poſſideantur? & ait. ſiquidem pater aliquos fructus percepit, aut rem deteriorẽ fecit: bona eius uenire poſſunt. ſi uero nihil ſit, propter quod patris bona ueneant: pupilli poſſideri. Marcellus autem notat. per quàm iniquum eſſe, eum, qui nihil cum pupillo contraxit, exſpectare eius pubertatem. quæ ſententia habet rationem. ideoq; cum contractus ex perſona patris deſcendat: dicendum erit, non eſſe exſpectandam pupilli pubertatem. Contractum cum pupillo poteſt dici, & ſi cum ſeruo eius contractum ſit. competit enim aduerſus eum de peculio actio. unde probandum eſt, ex omnibus cauſſis, ex quibus aduerſus pupillum actio datur, hoc idem ſeruandum. & facilius erit hoc probandum in ſeruo, qui in rem domini uertit, aut iuſſu eius cõtraxit, aut ſi inſtitoria cum eo agi poſſit. ego puto, & ſi cum tutore eius contractũ eſt, ex qua cauſſa actio in pupillum datur: magis eſſe, ut edicto locus ſit, quaſi cũ eo cõtractum ſit. Si pupillus hæres exſtiterit alicui, & ex ea cauſſa legata debeat: uidendum eſt, an huic edicto locus ſit. magisq; eſt (ut Marcellus ſcribit) poſſe etiam pupilli bona poſſideri: eſſeq; in arbitrio hæreditariorum creditorum, quid potius eligant. etenim uidetur impubes contrahere, cum adijt hæreditatem.

IIII. PAVLVS.

Sed

SEd & is, qui immiſcuit ſe, contrahere uidetur.

V. VLPIANVS

HAec autem locum habent, quoties pupillus nõ defendatur à quo cunq; ſiue à tutore uel curatore: ſiue habeat tutorem pupillus, ſi ue nõ habeat. cæterum ſi exiſtat aliquis, qui defendere ſit paratus: ceſſabit rei ſeruandæ cauſſa poſſeſſio. Non defendi pupillũ conſtare debet, liquereq; prætori, ut ſic permittat bonorum poſſeſſionem. hoc autem cõſtare debet ſic. euocandi ſunt ad prætorem tutores pupilli, ut defendant. ſi tutores non habeat: requirendi cognati, uel adfines, & ſi qui forte alij ſunt, quos ueriſimile eſt defenſionem pupilli pupillæue non omiſſuros, uel propter neceſſitudinem, uel propter charitatẽ, uel qua alia ratione. liberti etiam, ſi qui ſunt, idonei euocandi, exquirendaq; defenſio. ſi autem negent ſe defendere, aut non negent, ſed taceant: tunc prætor poſſeſſionem dabit tamdiu ſcilicet, quoad non defendatur. ſi defendi cœpit pupillus uel pupilla: deſinet poſſideri. idem eſt in furioſo.

Prætor ait. SI IS PVPILLVS IN SVAM TVTELAM VENERIT, EA'VE PVPILLA VIRIPOTENS FVERIT, ET RECTE DEFENDETVR: EOS, QVI BONA POSSIDENT, POSSESSIONE DECEDERE IVBEBO.

Recte defendi quid ſit, uideamus: utrũ tantum copiam ſui facere, & ad ſuſcipiendũ iudicium paratũ eſſe: an uero & ſatisdare omnimodo. & quidem non ſolum ipſis ſe defendere uolentibus hoc edictum ſcriptum eſt, ſed & in rem. & ſic recte defendetur, hoc eſt uel à ſe, uel ab alio quocunq;. ſed ſi alius defendat: erit neceſſaria ſatisdatio. ſi ipſe: non puto neceſſariam ſatisdationem. ergo oblata defenſione deijci poterit, interdicto reddito.

VI. PAVLVS

IN poſſeſſionem mitti ſolent creditores, & ſi ſub conditione ei pecunia promiſſa ſit. Cum dicitur, ET EIVS, CVIVS BONA POSSESSA SVNT A' CREDITORIBVS, VENEANT: PRAETERQVA'M ET PVPILLI ET EIVS, QVI REIPVBLICAE CAVSSA SINE DOLO MALO ABFVERIT: intelligimus eius, qui dolo malo abfuerit, poſſe uenire. Sed & ſi ab hoſtibus quis captus ſit: creditores eius in poſſeſſionem mittendi ſunt: ut tamen non ſtatim bonorum uenditio permittatur, ſed interim bonis curator detur.

VII. VLPIANVS.

FVlcinius exiſtimat, creditores rei ſeruandæ cauſſa miſſos in poſſeſſionem, ex his rebus ali non debere. Prætor ait. QVI FRAVDATIONIS CAVSSA LATITAVIT, SI BONI VIRI ARBITRATV NON DEFENDETVR, EIVS BONA POSSIDERI VENDI'QVE IVBEBO. Cum hoc edictum locum habet, non ſufficit latitare: ſed & neceſſe eſt fraudа

fraudationis cauſſa id fieri: neq; fraudationis cauſſa, ſi ſine latitatione fit, ſatis eſt ad poſſeſſionem & uenditionem: ſed oportet fraudationis cauſſa latitare. & eſt frequentiſſima hæc cauſſa poſſeſſionis. nam in uſu latitantium bona poſſidentur. Si quis bona poſſederit alicuius quaſi latitantis, qui non latitabat, & uendiderit: conſequens erit dicere, uenditionem bonorũ ſecutã nullius momenti eſſe. Quid ſit autem latitare, uideamus. Latitare eſt, non (ut Cicero definit) turpis occultatio ſui. poteſt enim quis latitare non turpi de cauſſa: ueluti qui tyranni crudelitatem timet, aut uim hoſtium, aut domeſticas ſeditiones. Sed & is, qui fraudationis cauſſa latitat, non tamen propter creditores: & ſi hæc latitatio creditores fraudet: in ea tamen erit cauſſa, ne hinc poſſideri bona eius poſſint: quia non hoc animo latitat, ut fraudet creditores. animus enim latitantis quæritur, quo animo latitet: ut fraudet, an alia ex cauſſa. quid ergo, ſi duas cauſſas latitandi habuit, uel plures, inter quas etiam fraudandi creditores? an uenditio recte procedat? & puto probandum, ſi plures cauſſæ ſint latitationis, inter quas eſt & fraudationis cauſſa: nocere debere, poſſeq; hinc bona uendi. Quid ſi aduerſus quoſdam occultare ſe conſilium non eſt, aduerſus quoſdam eſt? quid dicemus? & rectiſſime Pomponius ſcribit, non aduerſus omnes latitationem exigendam: ſed aduerſus eum, quem quis decipere & fraudare latitatione deſtinat. Vtrum ergo omnes bona eius uendere poſſunt, qui latitat: hoc eſt etiam hi, aduerſus quos non latitat, quia uerum eſt latitare: an uero is ſolus, aduerſus quem latitat? & quidem uerum eſt eum latitare, & fraudationis cauſſa latitare, & ſi nõ aduerſus me latitet. Sed illud ſpectandum Pomponius putat, an aduerſus omnes latitet: eumq; ſolum poſſe hanc uenditionem impetrare, aduerſus quem latitet. latitare autem eſt, cum tractu aliquo latitare: quemadmodum factitare eſt, frequenter facere.

Adeo autem latitatio animum & affectum occultantis ſe deſiderat, ut recte dictum ſit, furioſum hinc uenditionem pati non poſſe: quia non ſe occultat, qui ſuus non eſt. planè ſi non defendatur furioſus: curatorem ei dandum, aut bona eius ut poſſideantur nominatim permittendum. Labeo autem ſcribit, ſi non inueniatur curator uel defenſor furioſi, ſed & ſi curator datus eum non defendat: tunc remouendũ eum, & oportere prætorem dare curatorem aliquem ex creditoribus: ut non amplius, quàm neceſſe eſt, ex bonis furioſi ueneat. eaq; ſeruanda Labeo ait, quæ ſolent ſeruari, cum uenter in poſſeſſionem mittitur. Planè interdum bona eius cognita cauſſa uendenda erunt: ſi ut geat æs alienum, & dilatio damnum ſit allatura creditoribus. ita autem uendẽda, ut quod ſuperſit, furioſo detur: quia hominis eius ſtatus

& ha

& habitus à pupilli conditione non multum abhorret. quod quidem non est sine ratione. idemq; in prodigo dicendum est, cæterisq;, qui curatorum ope iuuantur. nec enim quisquam proprie latitare eos dixerit. Illud sciendum est, posse quem in eadem ciuitate esse, & latitare: & in alia ciuitate esse, & non latitare. at enim qui in alia ciuitate sit, copiamq; sui faciat in publico, ibiq; pareat: an latitet, uideamus. sed hodie hoc iure utimur: ut siue quis eodem loci agat, siue alio, siue peregre: si tamen occursum creditoris euitet: latitare uideatur. deniq; eum quoq;, qui in eodem foro agat, si circa columnas aut stationes se occultet: uideri latitare ueteres responderunt: & posse quem aduersus alterum latitare, aduersus alterum non. constat autem, ut ipse possit bona eius uendere, aduersus quem latitet. Si in diem, uel sub conditione debitor latitet: ante quàm dies uel conditio ueniat, non possunt bona eius uenire. quid enim interest, debitor quis non sit, an nondum ueniri possit? nam & si non sit debitor, idem dicemus. idem erit dicendum, & si quis habet quidem actionem, sed talem, quæ per exceptionē repellitur. Si qui actione de peculio filij uel serui nomine conueniri possit, latitet: eo iure utimur, ut possint bona eius possideri & uenire, tametsi nihil in peculio fuerit, quia esse potest. & rei iudicatæ tempus spectamus, utrum sit, an non sit: & quid teneat actio, etiam si nihil in peculio fuerit. Item uideamus, si quis aduersus in rem actionem latitet, an bona eius possideri uenumq; dari possint. & exstat Neratij sententia, existimantis bona esse uendenda. & hoc rescripto Hadriani continetur: quo iure utimur. Celsus aũt libro sexto respondit. si fundum, quem petere uolo, Titius possideat, neq; absens defendatur: commodius se existimare in fundi possessionem mittendum, quàm bona eius possideri. hic adnotandum est, Celsum consultum non de latitante, sed de absente. Idem Celsus existimat: si is, à quo hæreditatem petere uelim, latitet: commodissime fieri posse, ut in possessionem mittar rerum, quas pro hærede uel pro possessore possidet, sed si dolo fecerit, quo minus possideat: bona eius possidenda & uendenda esse. Diuus quoq; Pius in persona eius, qui hæreditatem possidens, copiam sui non faciebat, rescripsit, in possessionem rerum hæreditariarum aduersarium inducendum. in quo rescripto & fructum percipere iussit eum, qui per nimiam contumaciam possessoris hæreditatis (ut lucro eius cedat) in possessionem inductus est rerum hæreditariarum.

VIII. IDEM.

SI diu incertum sit, hæres exstiturus, nec ne, sit: caussa cognita permitti oportebit bona rei seruandæ caussa possideri. & si ita res urge

at,uel conditio: bonum hoc etiam erit concedendum,ut curator constituatur.

IX. PAVLVS.

VNus ex creditoribus. Si alter ex hæredibus intra tempora sibi præstituta deliberet adire hæreditatẽ, alter uero neget se aditurum:uidendũ est,quid creditoribus agendum sit. & placet interim eos in possessionẽ mittendos custodiæ causſa, donec appareat is, qui deliberat,utrum agnoscat partem suam, an non agnoscat.

X. VLPIANVS.

SI pupillus præsens sit, tutorem autem non habeat: pro absente habendus est.

XI. PAVLVS.

SI filiofamilias legatum uel fideicommissum sub conditione relictum sit:dicendum est, tam ipsum, quàm patrem in possessionem mittendos esse: quia ambo spem commodi habent.

XII. POMPONIVS.

CVm legati uel fideicommissi seruandi causſa, uel quia damni infecti nobis nõ caueatur,bona possidere prætor permittit,uel uentris nomine in possessionem nos mittit:non possidemus,sed magis custodiam rerum & obseruationem nobis concedit.

XIII. PAPINIANVS.

AD cognitionem imperatorum à præside prouinciæ remissus,& si in cæteris litibus Romæ defendere se non cogitur: tamen in prouincia defendendus est. nam & exilio temporario puniti,si defensor non existat, bona ueneunt.

XIIII. PAVLVS.

SI qui creditorem prohibuit, bona debitoris ingreditur: datur in eum actio quanti ea res est. sed & si quis legatorum seruandorum causſa missus in possessionẽ admissus nõ est, si legati cõditio pendeat: licet possit deficere, æstimatur tamen id,quod legatum est:quia interest eius cautum habere. Creditor autem cõditionalis in possessionem non mittitur:quia is mittitur,qui potest bona ex edicto uendere.

XV. VLPIANVS.

IS,qui rem permutatam accepit,emptori similis est item is,qui rem in solutum accepit,uel qui lite æstimata retinuit,uel ex causſa stipulationis non ob liberalitatem consecutus est.

DE REBVS IVDICIS AVTHORITATE possidendis seu uendundis. Tit. V.

Caius

I. CAIVS.

VEnire ibi bona oportet, ubi quisq; defendi debet.

II. PAVLVS.

ID est, ubi domicilium habet.

III. CAIVS.

AVt ubi quisq; contraxit. Contractum autem non utiq; eo loco intelligitur, quo negociũ gestum est, sed quo soluẽda est pecunia.

IIII. PAVLVS.

SI seruus sub conditione hæres institutus sit, aut dubium sit, an is hæres liberq; futurus sit: non est iniquum, postulantibus creditoribus ita decerni: ut si ante certum tempus is hæres non exstiterit, perinde omnia obseruentur, ac si is hæres ita institutus non esset. quod plerunq; accidet, si sub conditione dandæ alicui pecuniæ hæres institutus sit, nec dies adpositus sit sed hoc, quantum ad bona, ita obseruandum. cæterum libertas ei quandoq; competit, & à prætore conseruanda est, etiam si certum sit, neq; hæredem, neq; bonorum possessorem futurũ. Si quis tamen hæredem se respondendo, uel actiones patiendo defunctum defendat: bona defuncti uenire non poterunt.

V. VLPIANVS.

SI minor uigintiquinq; annis, qui habet curatorem, à curatore non defendatur, nec alium defensorem inueniat: bonorum uenditionem patitur, & si non latitet, nec fraudationis caussa latitare uideatur, qui sui non est idoneus defensor.

VI. PAVLVS.

SI non expedierit pupillo hæreditatem parentis retinere: prætor bona defuncti permittit uenire, ut quod superauerit, pupillo restituatur. Si pupillus, ante quàm abstineret, aliquid gesserit: seruandum est utiq;, si bona fide gessit. Quid ergo, si quibusdam creditoribus soluerit, deinde bona uenierint? si quæratur, an repetitio sit: ex caussa id statuendũ, Iulianus ait: ne alterius aut negligentia, aut cupiditas huic, qui diligens fuit, noceat. Quod si utroq; instante tibi gratificatus tutor soluerit: æquum est, aut prius eandem portionẽ mihi quæri, aut communicandum, quod accepisti. & hoc Iulianus ait. apparet autem esse uerum, si ex bonis paternis solutum sit. Quid ergo, si aliunde pupillus soluerit? reddi ei debebit, nec ne? & utrum à creditore, an ex hæreditate? Scæuola noster ait, si aliquid sit in bonis: deducendũ ex hæreditate solidũ exemplo eius, qui gessit negocia. sed si nihil sit in bonis: nõ esse iniquũ, aduersus creditorẽ dandam repetitionẽ quasi indebiti soluti.

VII. CAIVS.

HAereditarium æs alienũ intelligitur etiam id quoq;, de quõ cum

defuncto agi non potuit: ueluti quod is, cum moreretur, daturum se promisisset. item quod is, qui pro defuncto fideiussit, post mortem eius soluit.

VIII. PAVLVS.

IN uenditione bonorum etiam usus fructus uenit: quia appellatione domini fructuarius quoq; continetur. Si quis fructus ex prædio debitoris capi poterit: hunc creditor, qui in possessionē prædij missus est, uendere uel locare debet. sed hoc ita demum, si ante neq; uenierat, neq; locatus erit. nam si iam à debitore uel locatus erat, uel uenierat: seruabit prætor uenditionem & locationem à debitore factam, & si minoris distractum est uel locatum: nisi si in fraudem creditorum hoc fiat. tunc enim prætor arbitrium dat creditoribus, ut ex integro locationem uel uenditionem faciant. De cæterarum quoq; rerum fructibus idem erit dicendum, ut si qui locari possint, locentur: puta mercedes seruorum, uel iumentorum, cæterorumq;, quæ possunt locari. De tempore locationis nihil prætor locutus est. & ideo liberum arbitrium creditoribus datum uidetur, quanto tempore locetur: quemadmodū illud est in arbitrio eorum, uendant, uel locent, scilicet sine dolo malo. ex culpa autem rei non fiunt. Si unus sit, qui possideat bona: expeditum erit de locatione. quod si non unus, sed plures sint: quis eorum debeat locare uel uendere, quæritur. & siquidem conuenit inter eos: expeditissimum est. nam & omnes possunt locare, & uni hoc negocium dare. si uero non conuenerit: tunc dicendum est, prætorem caussa cognita eligere debere, quis locet uel uendat.

IX. IDEM.

PRætor ait. SI QVIS CVM IN POSSESSIONE BONORVM ESSET, QVOD EO NOMINE FRVCTVS CEPERIT, EI, AD QVEM EA RES PERTINET, NON RESTITVET: SIVE QVOD IMPENSAE SINE DOLO MALO FECERIT, EI NON PRAESTABITVR: SIVE DOLO MALO EIVS DETERIOR CAVSSA POSSESSIONIS FACTA ESSE DICETVR: DE EA RE IVDICIVM IN FACTVM DABO. Quod de fructibus ait, etiam de cæteris, quacunq; ex re debitoris peruenerint, intelligendū est. & sanè debuit hoc ita esse. quid enim, si ex compromisso, uel alio casu pœnam consecutus est? nam eam pœnam, quam consecutus est, præstare debet. Quod ait prætor, SIVE QVOD IMPENSAE SINE DOLO MALO FECERIT, EI NON PRAESTABITVR: hoc eò spectat, ut si quid ipse erogauerit creditor (si modo sine dolo erogauit) ei hoc præstetur. sufficit igitur sine dolo malo erogasse, etiam si nihil profuit erogatio eius rei debitori. His uerbis, EI, AD QVEM EA RES PERTINET, & curator bonis distrahendis datus continebitur

bitur,& ipſe debitor:ſi contigerit,ne bona eius ueneant.& ipſi itaq; creditori aduerſus hos dabitur actio,quos enumerauimus:ſiue quid in fructibus recipiendis erogauerit,ſiue in familia alenda curãdaue, ſiue prædijs ſulciendis,uel reficiendis, uel damni infecti promittendo, uel ſeruo noxali iudicio defenſo:ſi modo non magis eum expedijt dedere, quàm retinere.quod ſi dedere expedijt: conſequens erit, repetere eum non debere. Generaliter etiã dicendũ eſt:quidquid impendit in rem (ſi modo ſine dolo malo impendit)repetere eum poſſe.nam negocium geſtorum agere non magis poteſt,quàm ſi ſocius commune ædificium fulſit:quia hic quoq; creditor commune,non alienum negocium geſſiſſe uidetur. Eſt præterea quæſitum: ſi deteriora prædia facta fuerunt ſine dolo malo creditoris,uel iura eorum amiſſa,uel ædificia diruta uel exuſta, item familiæ pecorumq; acta cura non ſit, aut poſſeſſio alij tradita, ſine dolo malo tamen: an teneatur? & apparet eum non teneri,quia dolo malo caret: eritq; melior eius conditio, q̃ in pignore creditoris,qui non tantum dolum malum, uerum culpam quoq; debet. Eadem cauſſa eſt curatoris bonorum.nam & iſte tenetur, ut creditor. In eum quoq;,qui neq; locauit fructum prædij,neq; uendidit,in factum actionem dat prætor: & in hoc condemnabitur, quanto minus propter hoc perceptum eſt, quia neq; uendidit, neq; locauit. Cæterum ſi tantum perceptum eſt, quantum perciperetur, ſi locatus uel diſtractus fructus eſſet:nihil ei imputatur.præſtat autem per id tantũ temporis,quo in poſſeſſione fuerit, uel ipſe, uel iuſſu eius alius, quo ad inde de poſſeſſione diſceſſum eſt.nam neq; hoc imputabitur creditori,cur in poſſeſſionem non uenerit:neq; illud, cur de poſſeſſione diſceſſerit:cum & uoluntarium,& ſuum potius negociũ creditor gerat. æſtimatio autem fit, quanti intereſt eius, qui experitur. Hæ actiones neq; temporariæ ſunt:& tam hæredibus,quàm in hæredes dabuntur,cæteroſq; ſucceſſores. Si poſſeſſionis cauſſa deterior facta eſſe dicetur dolo eius,qui in poſſeſſionem miſſus ſit: actio in eum ex dolo datur,quæ neq; poſt annum,neq; in hæredes cæteroſq; ſucceſſores dabitur:cum ex delicto oriatur,pœnæq; nomine concipiatur.

X. CAIVS.

NIſi quatenus ad eum peruenit.

XI. VLPIANVS.

HAeredi autem dabitur:quia & rei continet perſecutionem.

XII. PAVLVS.

CVm unus ex creditoribꝰ poſtulat in bona debitoris ſe mitti:quæritur,utrum ſolus is,qui petit, poſſidere poſſit: an cum unus petit,& prætor permiſerit,omnibus creditoribus aditus ſit? & commodius

dius dicitur: cum prætor permiſit, non tam perſonæ ſolius petentis, quàm aliis creditoribus: & in rem permiſſum uideri. quod & Labeo putat. nec uidebitur libera perſona adquirere alij: quia nec ſibi quidquam adquirit, cui prætor permittit hoc: ſed aliquid ex ordine facit, & ideo cæteris quoq; prodeſt. Planè ſi is poſtulauerit, qui creditor non eſt: minime dicendũ eſt, uel eum, qui creditor eſt, poſſidere poſſe: quia nihil egit talis poſtulatio. aliter, atq; ſi creditor, cui permiſſum eſt poſſidere, poſtea recepit debitum ſuum. cæteri enim poterunt peragere bonorum uendi-tionem. Is, qui poſſidere iubetur, eo loco iuſſus uidetur, cuius cura ad iubentem pertinet. Si propter naturam rei, ueluti ſi prædium inundatum ſit, aut propter latronum potentiam, non poteſt poſſideri: recte dicitur, non eſſe, quod poſſideatur.

XIII. CAIVS

QVamuis bona poſſeſſa non ſint: quia nihil forte fuerit, quod poſſideatur, aut ſine controuerſia non poſſideatur: creditor, qui in poſſeſſionẽ miſſus eſt, perinde habetur, ac ſi etiã poſſeſſa bona fuiſſent.

XIIII. PAVLVS.

CReditore in poſſeſſionem rerum debitoris miſſo, curator conſtituí debet, ſi quædam actiones perituræ ſint. Datur in creditorem actio, qui in poſſeſſionem miſſus eſt, de eo, quod ex bonis debitoris ad eum peruenit. ſi nondũ aliquid cõſecutus ſit: actiones ſuas præſtabit. Datur autem actio in factum aduerſus eum: & omne, quod in actionẽ negociorũ geſtorũ ueniret, ſi poſſet agi, reſtituendum à creditore.

XV. VLPIANVS.

CVm plures creditores in poſſeſſionem rerum debitoris mittunt: ne corrumpantur rationes, uni hoc negocium à creditoribus eſſe dandum, quem maior pars creditorum elegerit, puto: & ἀναγραφὴν ſcilicet facere inſtrumentorum: nõ ut deſcribant ipſa corpora inſtrumentorum, ſed quot ſint, & de qua re ſint, ſubnotent ſibi, & quaſi inuentarium faciant. quod etiam uniuerſorum facere eis erit permittendum.

Præterea nonnunquam prætor cauſſa cognita etiam deſcribere aliquid ex inſtrumentis creditoribus debebit permittere. Si qua idonea cauſſa interueniat: utrum ſemel, an etiam ſæpius recognitio & diſpunctio concedenda ſit creditoribus, uideamus. & ait Labeo, amplius, quàm ſemel non eſſe concedendam. ſi quis tamen (inquit) iurauerit non calumniæ cauſſa ſe poſtulare, neq; habere, quæ diſpunxerit: iterum ei faciendam poteſtatem ait, nec amplius, quàm bis.

I. CAIVS.

CVm bona ueneunt debitoris, in comparatione extranei & eius, qui creditor cognatusúe sit, potior habetur creditor cognatusúe: magis tamen creditor, q̃ cognatus: & inter creditores potior is, cui maior pecunia debetur.

II. VLPIANVS.

QVæsitum est, utrum ita demum priuilegium habeat funeraria, si is, cuius bona ueneunt, funeratus sit: an etiam, si proponas alium esse funeratum? & hoc iure utimur, ut quicunq; sit funeratus: id est siue is, cuius de bonis agitur, siue quid is debuit, quod reddere eum, si uiueret, funeraria actione cogi oporteret: priuilegio locus sit. paruiq; referre dicamus, qua actione hic sumptus repetatur, funeraria, an familiæ erciscũdæ, an qua alia: dummodo sumptus funeris causſa factus sit. quacunq; igitur actione ob funeris sumptum utatur: etiã funerariam ei competere. quare si in stipulatum funeris impensa deducta sit: dicendum est, locum esse priuilegio: si modo quis non abijciendi priuilegij causſa stipulatus sit. Si sponsa dedit dotem, & nuptijs renunciatum est: tametsi ipsa dotem condicit: tamen æquum est hanc ad priuilegiũ admitti, licet nullum matrimonium contractum est. Idem puto dicendum, etiam si minor duodecim annis in domum quasi uxor deducta sit, licet nondum uxor sit.

III. PAVLVS.

INtereſt enim reipublicæ, & hanc solidum consequi, ut ætate permittente nubere possit.

IIII. VLPIANVS.

DAbimusq; ex his causſis ipsi mulieri priuilegium. Si quis cũ tutor non esset, pro tutore negocia gessit: priuilegio locum esse manifestũ est. nec interest, ipse debeat, qui gessit, siue hæres eius cæteriq; successores. ipse autẽ pupillus habet priuilegium, sed eius successores non habent. sed æquissimum erit, ad cæteros quoq;, quibus curator quasi debilibus, uel prodigis datur, uel surdo, uel muto,

VEl fatuo,

V. CAIVS *lib.* XXIIII. *ad edictum prouinciale.*

VI. VLPIANVS.

IDem priuilegium competere. Sed si bonis datus sit curator, uel absentis, uel ab hostibus capti, uel dum deliberant scripti hæredes de adeunda hæreditate: non oportere priuilegium dari. non eñ in eadem causſa est.

VII. PAVLVS.

SI negociũ impuberis aliquis ex officio amicitiæ gesserit: debet bonis eius uenditis priuilegium pupillo conseruari: & ita accepi.

Vlpia-

VIII. VLPIANVS.

SI uentri curator datus sit, nec partus editus: priuilegium cessabit. Diuus Marcus ita edixit. creditor, qui ob restitutionem ædificiorum crediderit: in pecunia, quæ credita erat, priuilegium exigendi habebit. quod ad eum quoq; pertinet, qui redemptori domino mandante pecuniam submiſtrauit. In bonis mensularij uendundis post priuilegia potiorem eorum cauſſam esse placuit, qui pecunias apud mensam fidem publicam secuti deposuerunt. sed enim qui depositis numis usuras à mensularijs acceperunt: à cæteris creditoribus non separantur: & merito. aliud est enim credere, aliud deponere. Si tamen numi exstent: uindicari eos posse puto à depositarijs: & futurum eum, qui uindicat, ante priuilegia. Eorum ratio creditorũ prior est, quorũ pecunia ad creditores priuilegiarios peruenit. Peruenisse autem quemadmodum accipimus: utrum si statim profecta est ab inferioribus ad priuilegiarios? an uero & si per debitoris personam: hoc est, si ei ante numerata sit, & sic debitoris facta creditori priuilegiario numerata? quod quidem potest benigne dici: si modo non post aliquod interuallum id factum sit.

IX. IDEM.

AIt prætor. QVOD POSTEA CONTRACTVM ERIT, QVA'M IS, CVIVS BONA VENIERINT, CONSILIVM FRAVDANDI RECEPERIT, SCIENTE EO, QVI CONTRAXERIT: NE ACTIO EO NOMINE DETVR.

X. PAVLVS.

QVi in nauem exstruendam, uel instruendam, uel etiam emendam crediderit: priuilegium habet.

XI. VLPIANVS.

SI magistratus fideicommissi seruandi cauſſa in possessionem miserint: dare arbitrum possunt ad ea distrahenda, quæ mora deteriora futura sunt: ita, ut precium ex his redactum apud fideicommissarium in cauſſa depositi sit, donec de fideicommisso, quod ei debet, constet.

XII. IABOLENVS.

PAterfamilias impuberi filio, si ante pubertatem decessisset, substituit hæredem. is filius paterna hæreditate se abstinuit, ideoq; bona patris uenierunt. postea filio hæreditas obuenit, qua adita decessit. quæro, cum prætor in ipsum pupillũ (quamuis postea hæreditas obueniſſet) creditoribus tamen patris actionem nõ daret: an in substitutum creditoribus patris danda sit actio, cum ex bonis paternis, quæ scilicet ad creditores missos ad bona pertinent, nihil adquirat: & cum creditores nihil iuris in bonis pupilli habuerint, eorumq; nihil interfuerit, adiretur, nec ne, pupilli hæreditas, cum ea bona omissa à substituto hære-

hæreditate ad creditores non pertinerent? me illud maxime mouet, quod præceptoribus tuis placet, unum esse testamentum. Respondi. quod prætor filio, qui à paterna hæreditate se abstinet, præstat, ne bonis patris eius uenditis in eũ actio detur: & tametsi postea ei hæreditas obuenit, creditoribus non reddat: idem in substituto filio hærede seruandum non est: quoniam filij pudori parcitur, ut potius patris, q̃ bona eius ueneant. itaq; in id, quod postea ei obuenit, actio creditoribus denegatur: quia id, quod ex aduenticio adquisitum est, non per patrem ad eum peruenit. At cum substitutus filio hæreditatẽ adijt, postquàm pupillus se paternæ miscuerat hæreditati: tunc hæreditas & patris & filij una est, & in omni ære alieno, quod aut patris, aut filij fuerit, etiam inuitus hæres obligatur. & quemadmodum liberum ei non est post obligationem, ut non omnimodo, si non defendatur, ipsius bona ueneant: ita ne separare quidem æs alienum patris & filij poterit. quo casu efficietur, ut creditoribus in eum actio dari debeat. quod si substitutus hæres hæreditatem non adierit: creditoribus patris in id, quod pupillus reliquit, actio dari non debet: quoniam neq; pupilli bona uenire debent propter æs alienum patris, neq; in bonis patris est, quod pupillus adquisijt.

XIII. PAVLVS.

FVlcinius refert, statuas in publico positas, bonis distractis eius, cuius in honorem positæ sunt, non esse emptoris bonorum eius: sed aut publicas, si ornandi municipij caussa propositæ sint: aut eius, cuius in honorem positæ sunt, & nullo modo eas detrahi posse.

XIIII. PAPYRIVS IVSTVS *lib.* XI. *constitutionum.*

IMperatores Antoninus & Verus Augusti rescripserunt: eos, qui bona sua negant iure uenisse, præiudicio experiri debere, & frustra à principe desiderare rescindi uenditionem.

XV. VLPIANVS.

SI creditores hæredem suspectum putent: satisdationem exigere possunt pro suo debito reddendo. cuius rei gratia cognoscere prætorem oportet: nec statim eum satisdationis necessitati subijcere debet: nisi caussa cognita constiterit, prospici debere his, qui suspectum eum postulauerunt. sed suspectus hæres non ijsdem modis, quibus suspectus tutor, æstimatur: siquidem tutorem non facultates, sed fraudulenta in rebus pupillaribus uel callida conuersatio suspectum cõmendet: hæredem uero solæ facultates. Planè in recenti adita hæreditate audiendi erunt, qui suspectum postulant. cæterum si probentur passi eum in hæreditate morari, nec quidquam possunt obijcere criminis, quasi dolose eo uersato; non debebit post multum temporis ad hanc

necessitatem compelli. Quod si quasi suspectus satisdare iussus decreto prætoris non obtemperauerit: tunc bona hæreditatis possideri, uenumq; dari ex edicto suo permittere iubebit. Planè si deceatur nihil ex bonis alienasse, nec sit, quod ei iuste præter paupertatem obijcia tur: contentus esse prætor debet, ut iubeat eum nihil minuere, quod si nec inopia laborantem eum creditores ostendere potuerint: iniuriarum actione ei tenebuntur.

XVI. PAVLVS.

PRiuilegia non ex tempore æstimantur, sed ex caussa: & si eiusdem tituli fuerint, cõcurrunt, licet diuersitates temporis in his fuerint.

XVII. VLPIANVS.

SI pupillus ex contractu suo non defendatur, ideoq; bona eius creditores possidere cœperint: deminutio ex his bonis fieri debet uescendi pupilli caussa. Defendere debitorem sicut antea, quàm eius bona possiderentur, licet: ita quoq; post bonorum possessionem eius (siue ipse sui, siue alius defensionem eius suscipiat) debet satisdare: ut satisdatione interposita, iudiciũ accipiatur, & à possessione discedatur.

XVIII. MARTIANVS.

QVod quis nauis fabricandæ, uel instruendæ caussa, uel quoquo modo crediderit, uel ob nauem uenditam petat: habet priuilegium post fiscum.

XIX. IDEM.

EVm, qui in possessionem missus sit eius, qui reipublicæ caussa abfuit: si apparuerit eum dolo malo reipublicæ caussa abesse: iure in possessione esse placet, donec solidum soluatur. eum aũt, qui rerũ eius, qui sine dolo malo reipublicæ caussa abfuit, in possessionẽ missus sit: pignus non contrahere, & ideo discedere oportere de possessione.

XX. VLPIANVS.

EVm, qui circa columnas se occultat, ut creditorem euitet: latitare placet. nam & eum, qui recedit, hoc est, qui subterfugit, ut ne secum aliqua actio moueatur, latitare placet. tum & qui ab urbe profugit, utiq; fraudandi caussa. nec interest, (quod attinet ad latitandum) utrum quis profugerit, an uero Romæ agens copiam sui non faciat.

XXI. PAPINIANVS *lib. X. responsorum.*

ANtiochensium Cœlæ Syriæ ciuitati, quod de lege sua priuilegium in bonis defuncti debitoris accepit, ius perlequendi pignoris durare constitit.

XXII. PAVLVS.

BOnis uenditis excipiuntur concubina & liberi naturales. Respublica creditrix omnibus chirographarijs creditoribus præfertur.

Idem

XXIII. IDEM.

PVpillus si non defendatur, in possessione creditoribus constitutis, minori ex his usque ad pubertatem alimenta præstanda sunt.

Eius, qui ab hostibus captus est, bona uenire non possunt, quâm diu reuertatur.

DE SEPARATIONIBVS. Tit. VII.

I. VLPIANVS.

SCiendum est, separationē solere impetrari decreto prætoris. Solet autem separatio permitti creditoribus ex his caussis. utputa debitorē quis Seium habuit. hic decessit. hæres ei exstitit Titius. non est hic soluendo. patitur bonorum uenditionem. creditores Seij dicunt bona Seij sufficere sibi, & dicunt creditores Titij contentos esse debere bonis Titij, & sic quasi duorum fieri bonorum uenditionem. fieri enim potest, ut Seius quidem soluendo fuerit, potueritq; creditoribus suis uel ita semel, & si non in assem, in aliquid tamen satisfacere. admissis autem commistisq; creditoribus Titij: minus sunt consecuturi, quia ille non est soluendo: aut minus consequentur, quia plures sunt hi creditores. est igitur æquissimum, creditores Seij desiderantes separationem, audiri: impetrareq; à prætore, ut separatim quantum cunq; creditoribus præstetur. Ex contrario autem creditores Titij non impetrabunt separationem. nam licet alicui, adiiciendo sibi creditorem, creditoris sui conditionem facere deteriorem. atqui igitur adijt hæreditatem debitoris mei, non faciet conditionem meam deteriorem adeundo: quia licet mihi separationem impetrare. suos uero creditores onerauit, dum adijt hæreditatem, quæ soluendo non est: nec poterunt creditores eius separationem impetrare. Sciendum est autem, etiam si res obligata esse proponetur ab hærede pignoris iure uel hypothecæ: attamen si hæreditaria fuit, iure separationis hypothecario creditore potiorem esse eum, qui separationē impetrauerit: & ita Seuerus & Antoninus rescripserunt. Sed etiam aduersus fiscum, & municipes impetratur separatio. Quæsitum est, an interdum etiam hæredis creditores possint separationem impetrare, si forte ille in fraudem ipsorū adierit hæreditatem? sed nullum remedium est proditum. sibi enim imputent, qui cum talibus contraxerunt: nisi si extra ordinem putemus prætorem aduersus calliditatem eius subuenire, qui talem fraudem commentus est. quod non facile admissum est. Sed si quis suspectam hæreditatem dicens, compulsus fuerit adire, & restituere: de-

inde non sit, cui restituat, ex quibus casibus solet hoc euenire: & ipsi quidem desideranti succurri sibi aduersus creditores hæreditarios, sub ueniemus. hoc & diuus Pius rescripsit: ut perinde testatore bona uenirent, atq; si adita hæreditas non fuisset. creditoribus quoq; huiusmodi hæredis desiderantibus hoc idem præstandum puto, licet idem ipse non desiderauit, ut quasi quædam separatio præstetur. Item uideamus, si quis hæres parenti exstiterit, cum esset impubes: deinde intra pubertatem decesserit, & substituti bona ueneant, qui impuberis hæreditatem adijt: an patris creditores possint separationem impetrare. & puto posse. hoc amplius puto etiã impuberis creditores posse separationem aduersus creditores hæredis eius impetrare. Secundum hæc uideamus, si Primus Secundum hæredem scripserit, Secundus Tertium, & Tertij bona ueneant: qui creditores possint separationem impetrare. & putem, siquidem Primi creditores petant, utiq; audiendos: sed aduersus Secundi, & aduersus Tertij creditores. si uero Secundi creditores petant: aduersus Tertij utiq; eos impetrare posse, aduersus Primi autem non posse. In summa, Primi quidem creditores aduersus omnes impetrare possunt separationem: Secundi creditores aduersus Primi non possunt, aduersus Tertij possunt. Si filijfamilias bona ueneant, qui castrense peculium habet: an separatio fiat inter castrenses cæterosq; creditores, uideamus. simul ergo admittentur: dummodo si qui cum eo contraxerint, ante quàm militaret, forte debeant separari. quod puto probandum. ergo qui ante contraxerunt, si bona castrensia distrahantur, non possunt uenire cum castrensibus creditoribus. Item si quid in rem patris uersum est: fortasse poterit & creditori contradici, ne castrense peculium inquietet, cum possit potius cum patre experiri. Illud sciendum est, eos demum creditores posse impetrare separationem, qui non nouandi animo ab hærede stipulati sunt. cæterum si eum hoc animo secuti sunt: amiserunt separationis commodum: quippe cũ secuti sunt nomẽ hæredis, nec possunt iam se ab eo separare, qui quodãmodo eum elegerunt. sed & si usuras ab eo ea mente, quasi eũ eligendo, exegerint: idem erit probandum. Item quæritur, si satis acceperunt ab eo, an impetrent separationem? & non puto. hi enim secuti sunt eum forte, quem nouerunt. quid ergo, si satis idoneum non acceperunt? sibi imputent, cur minus idoneũ fideiussorem acceperint. Præterea sciendum est, postea, quàm bona hæreditaria bonis hæredis mista sunt, nõ posse impetrari separationem. confusis enim bonis & unitis separatio impetrari non potest. quid ergo, si prædia exstent, uel mancipia, uel pecora, uel aliud, quod separari potest? hic utiq; poterit impetrari separatio. nec ferendus est, qui cauſſatur

tur bona contributa: cum prædia contribui non possint: nisi ita coniunctæ possessiones sint & permistæ proprijs, ut impossibilem separationem effecerint. quod quidem perraro contingere potest. Quod dicitur, post multũ temporis separationem impetrari non posse: ita erit accipiendum, ut ultra quinquennium post aditionem numerandum separatio non postuletur. De his autem omnibus, an admittenda sit separatio, nec ne: prætoris erit, uel præsidis notio, & nullius alterius: hoc est eius, qui separationem indulturus est. Si quis pignus ab hærede acceperit: non est ei concedenda separatio, quasi eum secutus sit. neq; enim ferendus est, qui qualiter qualiter eligentis mente, tamen hæredis personam secutus est. Quæsitum est, si forte plures sint creditores, quidam secuti hæredem, quidam nõ secuti: & hi, qui hæredem secuti non sunt, impetrauerint separationem: an eos secũ admittant, qui secuti sunt? & putem, nihil eis prodesse. hos enim cũ creditoribus hæredis numerandos. Item sciendũ est uulgo placere, creditores quidem hæredis, si quid superfuerit ex bonis testatoris, posse habere in sum debitum: creditores uero testatoris ex bonis hæredis nihil. cuius rei ratio illa est: quod qui impetrauit separationem, sibi debeat imputare suam facilitatem: si cum essent bona idonea hæredis, illi maluerint bona potius defuncti sibi separari. hæredis autem creditoribꝰ hoc imputari nõ possit. At si creditores defuncti desiderent, ut etiam in bonis hæredis substituantur: non sunt audiendi. separatio enim, quã ipsi petierunt, eos ab istis bonis separabit. si tamen temere separationẽ petierint creditores defuncti: impetrare ueniam possunt, iustissima scilicet ignorantiæ caussa allegata. Item sciendum est, necessarium hæredem seruum cum libertate institutum impetrare posse separationẽ: scilicet ut si non attigerit bona patroni, in ea caussa sit, ut ei quidquid postea adquisierit, separetur. sed & si quid ei à testatore debetur.

II. PAPINIANVS.

AB hærede uendita hæreditate, separatio frustra desiderabitur: utiq; si nulla fraudis incurrat suspicio. nam quæ bona fide medio tempore per hæredem gesta sunt, rata conseruari solent.

III. IDEM.

DEbitor fideiussori hæres exstitit, eiusq; bona uenierũt. quamuis obligatio fideiussionis exstincta sit: nihilominus separatio impetrabitur, petente eo, cui fideiussor fuerat obligatus: siue solus sit hæreditarius creditor, siue plures. neq; enim ratio iuris, quæ caussam fideiussionis propter principalem obligationem, quæ maior fuit, excluſit: damno debet afficere creditorẽ, qui sibi diligenter prospexerat. quid ergo, si bonis fideiussoris separatis, solidum ex hæreditate stipulator

consequi non possit: utrum portio cum cæteris hæredis creditoribus exsequenda erit: an contentus esse debebit bonis, quæ separari maluit: sed cum stipulator iste, non adita à reo fideiussoris hæreditate, bonis fideiussoris uenditis in residuum permisceri debitoris creditoribus potuerit: ratio non patitur, eum in proposito submoueri. Sed in quoli bet alio creditore, qui separationem impetrauit, probari commodius est: ut si solidum ex hæreditate seruari non possit, ita demum aliquid ex bonis hæredis ferat, si proprij creditores hæredis fuerint dimissi. quæ sine dubio admittendum est circa creditores hæredis dimissis hæreditarijs. IIII. IDEM.

CReditoribus, quibus ex die uel sub conditione debetur, & propter hoc nondum pecuniam petere possunt, æque separatio dabitur: quoniam & ipsis cautione communi consuletur. legatarios autem in ea tantũ parte, quæ de bonis seruari potuit, habere pignoris cautam conuenit. V. PAVLVS.

SI creditores hæreditarij separationem bonorum impetrauerint, & inueniatur non idonea hæreditas, hæres autem idoneus: non poterunt reuerti ad hæredem, sed ei, quod semel postulauerunt, stare debebunt. sed si post impetratam separationem aliquid hæres adquisierit: siquidem ex hæreditate: admitti debebunt ad id, quod adquisitum est, illi, qui separationem impetrauerũt. sed si illis satisfactum fuerit: quod supereſt, tribuetur propriis hæredis creditoribus. at si ex alia causſa hæres adquisierit: non admittentur hæreditarij creditores. Quod si proprij ad solidum peruenerunt: id, quod supererit, tribuendum hæreditarijs quidam putant. mihi autem id non uidetur. cum enim separationẽ petierunt: receſſerunt à persona hæredis, & bona secuti sunt, & quasi defuncti bona uendiderũt, quæ augmenta non possunt recipere. Idemq; existimo dicendum, etiam si circa separationem bonorũ decepti, minus cõsecuti sunt, cõp; proprij hæredis creditores. proprij aũt hæredis creditores habent propria eius bona, & personã, quæ potest, donec uiuit, adquirere. VI. IVLIANVS.

QVoties hæredis bona soluendo non sunt: non solũ creditores testatoris, sed etiam eos, quibus legatum fuerit, impetrare bonorum separationem æquum est: ita, ut cum creditoribus solidum adquisitum fuerit, legatarijs uel solidum, uel portio quæratur. Si liberta hæres instituta bonorum possessionem secundũ tabulas petisset eius, qui soluendo non erat: quæsitum est, an bona eius separari ab hæreditarijs debeant? respondi. non est iniquum succurri patrono, ne oneretur ære alieno, quod liberta petendo bonorum possessionem secundum tabulas contraxerit.

Marti-

VII. MARTIANVS.

QVi iudicium dictauerunt hæredi, separationem quasi hæreditarij possunt impetrare: quia ex necessitate hoc fecerunt.

DE CVRATORE BONIS DANDO Tit. VIII.

I. PAVLVS.

IS, qui sub conditione hæres institutus est, cogendus est conditioni parere, si potest: aut si responderit se non aditurum, etiam si conditio exstiterit, uendenda erunt bona defuncti. Quod si nihil facere potest: curator bonis constituendus erit, aut bona uendenda. sed & si graue æs alienum sit, quod ex pœna crescat: per curatorem soluendum æs alienum: sicuti cum uenter in possessione sit, aut pupillus hæres tutorē non habeat, decerni solet.

II. VLPIANVS.

DE curatore cōstituendo hoc iure utimur, ut prætor adeatur, isq; curatorem curatoresue constituat ex consensu maioris partis creditorum: uel præses prouinciæ, si bona distrahenda sunt in prouincia: quæq; per eū eosue, qui ita creatus creatiue essent, acta facta gestaq; sunt, rata habebuntur: eisq; actiones, & in eos utiles competūt. & siquidem curatores mittent ad agendum uel defendendū, uti ius esset: nec ab eo satis, neq; de rato, neq; iudicatum solui nomine eius, cuius bona ueneunt, exigetur: sed nomine ipsius curatoris, qui eū misit. Si plures autem constituantur curatores: Celsus ait, in solidum eos & agere & conueniri, & non pro portionibus. quod si per regiones fuerint constituti curatores: unus forte rei Italicæ, alio in prouincia: puto regiones eos suas cōseruare debere. Quæritur, an inuitus curator fieri possit? & Cassius scribit, neminem inuitum cogendum fieri bonorum curatorem. quod uerius est. uoluntarius itaq; quærendus est: nisi & magna necessitate, & Imperatoris arbitrio hoc procedat, ut & inuitus crearetur. nec omnimodo creditorem esse oportet eum, qui curator constituit: sed possunt etiam non creditores. Si tres curatores fuerint, & unus ex his nihil tetigerit: an in eum, qui nihil tetigit, actio danda est? & Cassius existimat, modum actoti nō debere constitui: posseq; eum, cū quo uult, experiri. & puto Cassij sententiā ueriorem. spectandum enim quid redactum est ex bonis, quibus curator datus est, non quare ad curatorem unum peruenerit. & ita utimur: nisi inuitus factus est. nam si ita est: dicendum est, non eum conueniendum.

III. CELSVS.

Si

SI plures eiusdem bonorum curatores facti sunt: in quem eorũ uult actor, in solidũ datur ei actio, tanq; qui ius eorũ in solidum ageret.

IIII. PAPYRIVS IVSTVS *lib.* IX. *constitutionum.*

IMperatores Antoninus & Verus Augusti rescripserunt, bonis per curatorem ex senatusconsulto distractis, nullam actionem ex ante gesto fraudatori competere.

V. IVLIANVS.

SI debitor foro cesserit, & creditores priuato consilio coïerint, & elegerint unum, per quem bona distrahantur, & portio ipsis, quæ in re dacto fieret, solueretur: mox exstiterit alius, qui se creditorẽ dicat: nullam quidem actionem aduersus curatorem habebit, sed bona debitoris unà cum curatore uendere poterit: ita, ut quæ à curatore & à creditore ex bonis contrahantur, omnibus pro portione præstentur.

QVAE IN FRAVDEM CREDITORVM facta sint, ut restituantur. Tit. IX.

I. VLPIANVS.

AIt prætor. QVAE FRAVDATIONIS CAVSSA GESTA ERVNT CVM EO, QVI FRAVDEM NON IGNORAVERIT, DE HIS CVRATORI BONORVM, VEL EI, CVI DE EA RE ACTIONEM DARE OPORTEBIT, INTRA ANNVM, QVO EXPERIVNDI POTESTAS FVERIT, ACTIONEM DABO: ID QVE ETIAM ADVERSVS IPSVM, QVI FRAVDEM FECIT, SERVABO. Necessariò prætor hoc edictum proposuit: quo edicto consuluit creditoribus, reuocando ea, quæcunq; in fraudem eorum alienata sunt. Ait ergo prætor. QVAE FRAVDATIONIS CAVSSA GESTA ERVNT. hæc uerba generalia sunt, & continent in se omnem omnino in fraudem factam uel alienationem, uel quẽcunq; contractum. Quodcunq; igitur fraudis causſa factum est, uidetur his uerbis reuocari, qualecunq; fuerit. nam late ista uerba patent. siue ergo rem alienauit, siue acceptilatione, uel pacto aliquem liberauit:

II. IDEM.

IDem erit probandum. Et si pignora liberet, uel quem alium in fraudem creditorum præponat,

III. IDEM.

VEl ei præbuit exceptionem, siue se obligauit fraudandorum creditorum causſa, siue numerauit pecuniam, uel quodcunq; aliud fecit in fraudem creditorum: palam est edictum locum habere. GESTA FRAVDATIONIS CAVSSA accipere debemus non solum ea, quæ contra-

contrahens gesserit aliquis: uerum etiam si forte data ōpera ad iudicium non adsit, uel litem mori patiatur, uel à debitore non petat, ut tempore liberetur, aut usumfructum, uel seruitutē amittit. Et qui aliquid fecit, ut desinat habere, quod habet: ad hoc edictum pertinet.

IIII. PAVLVS.

IN fraudem facere uideri etiam eum, qui non faciat, quod debet facere, intelligendum est: id est, si non utatur seruitutibus.

V. CAIVS.

SEd & si rem suam pro derelicto habuerit, ut quis eam suam faciat.

VI. VLPIANVS.

QVod autem, cum possit quis quærere, nō id agit, ut adquirat: ad edictum non pertinet. pertinet enim hoc edictum ad deminuentes patrimonium suum: non ad eos, qui id agūt, ne locupletentur. Vnde si quis ideo conditioni non pareat, ne committatur stipulatio: in ea conditione est, ne faciat huic edicto locum. Proinde & qui repudiauit hæreditatem uel legitimam, uel testamentariam, non est in ea caussa, ut huic edicto locum faciat. noluit enim adquirere, non suum patrimonium deminuere. Simili modo dicendum est, & si filium suū emancipauit, uti suo arbitrio adeat hæreditatem: cessare hoc edictum. Sed & illud probandum est: si legatum repudiauit, cessare hoc edictum. quod Iulianus quoq; scribit. Si seruum suum hæredem instítutum alienauit, uti iussu emptoris adeat hæreditatem: siquidem in uenditione nulla fraus, sed in hæreditate sit: cessat edictum, quia licuit ei etiam repudiare hæreditatem. at si in ipsa serui alienatione fraus est: reuocabitur, quemadmodum si eum in fraudem manumisisset. Apud Labeonem scriptum est: eum, qui suum recipiat, nullam uideri fraudem facere: * (hoc est eum, qui quod sibi debetur, recipiat) eum enim, quē præ ses inuitum soluere cogat, impune non soluere, iniquum esse. totum enim hoc edictum ad contractus pertinere, in quibus se prætor non interponat: utputa pignora uenditiones q̄. Sciendum est, Iulianum scribere, eo q̄ iure nos uti: ut qui debitam pecuniam recepit, ante q̄ bona debitoris possideantur: quamuis sciens prudens q̄ soluendo nō esse recipiat: nō timeat hoc edictum. sibi enim uigilauit. qui uero post bona possessa debitum suum fecerit: hunc in portionem uocandum, exæquandum q̄ cæteris creditoribus. neq; enim debuit præcipere cæteris post bona possessa, cum iam par conditio omnium creditorum facta esset. Hoc edictum eum coërcet, qui sciens eum in fraudem creditorum hoc facere, suscepit, quod in fraudem creditorum hic faciebat. quare si quid in fraudem creditorum factum sit: si tamen is, qui accepit, ignorauit: cessare uidentur uerba edicti. Præterea illud scien

* hæc aliàs desunt

dum est: eum, qui consentientibus creditoribus aliquid à fraudatore uel emit, uel stipulatus est, uel quid aliud contraxit: non uideri in fraudem creditorum fecisse. nemo enim uidetur fraudare eos, qui sciũt, & ad hoc consentiunt. Si quid cũ pupillo gestum sit in fraudem creditorum: Labeo ait omnimodo reuocandum, si fraudati sint creditores: quia pupilli ignorantia, quæ per ætatem contingit, non debet esse captiosa creditoribus, & ipsi lucrosa: eoq; iure utimur. Simili modo dicimus, & si cui donatum sit, non esse quærendum, an sciente eo, cui donatum est, gestum sit: sed hoc tantum, an fraudentur creditores, nec uidetur iniuria affici is, qui ignorauit: cum lucrum extorqueatur, non damnum infligatur. In hos tamen, qui ignorantes ab eo, qui soluendo non sit, liberalitatẽ acceperunt: hactenus actio erit danda, quatenus locupletiores facti sunt, ultra non. Simili modo quæritur, si ſenus ab eo, qui soluendo non sit, ignorante domino ipse sciens rem acceperit: an dominus tenetur? & ait Labeo, hactenus eum teneri, ut restituat, quod ad se peruenit: aut dũtaxat de peculio damnetur, uel si quid in rem eius uersum est. eadem in filiofamilias probanda sunt. sed si dominus scit: suo nomine conuenietur. Item si necessarius hæres legata præstiterit, deinde eius bona uenierint: Proculus ait, etiã si ignorauerint legatarij, tamen utilem actionem dandam, quod nequaquam dubium est. Huius actionis annum utilem computamus, quo experiundi potestas fuit, ex die factæ uenditionis.

VII. PAVLVS.

SI debitor in fraudem creditorum minore precio fundum scienti emptori uendiderit, deinde hi, quibus de reuocando eo actio datur, eum petant: quæsitum est, an precium restituere debeãt? Proculus existimat, omnimodo restituendum esse fundum, etiam si precium non soluatur: & rescriptum est secundum Proculi sententiam.

VIII. VENVLEIVS.

EX his colligi potest, ne quidem portionem emptori reddendam ex precio. posse tamen dici, eã rem apud arbitrũ ex caussa animaduertendam: ut si numi soluti in bonis exstent, iubeat eos reddi: quia ea ratione nemo fraudetur.

IX. PAVLVS

QVi à debitore, cuius bona possessa sunt, sciens rem emit, iterum alij bona fide ementi uendidit. quæsitũ est, an secundus emptor conueniri possit? sed uerior est Sabini sententia, bona fide emptorem non teneri: quia dolus ei duntaxat nocere debeat, qui eum admisit: quemadmodum diximus non teneri eum, si ab ipso debitore ignorans emerit. is aũt, qui dolo malo emit, bona fide autem ementi uendidit:

dit: in ſolidum precium rei, quod accepit, tenebitur.

X. VLPIANVS.

AIt prætor. QVAE LVCIVS TITIVS FRAVDANDI CAVSSA SCIENTE TE IN BONIS, QVIBVS DE AGITVR, FECIT: EA ILLIS, SI EO NOMINE, QVO DE AGITVR, ACTIONEM, EX EDICTO MEO COMPETERE, ESSE'VE OPORTET: ET SI EI NON PLVS, QVA'M ANNVS EST, CVM DE EA RE, QVA DE AGITVR, EXPERIVNDI POTESTAS EST: RESTITVAS. INTERDVM CAVSSA COGNITA, ET SI SCIENTIA NON SIT, IN FACTVM ACTIONEM PERMITTAM. Ita demum reuocatur, quod fraudandorum creditorum cauſſa factum eſt, ſi euentum fraus habuerit: ſcilicet ſi hi creditores, quorum fraudandorum cauſſa fecit, bona ipſius uendiderunt. cæterũ ſi illos dimiſit, quorum cauſſa fraudandorum fecit, & alios ſortitus eſt: ſiquidem ſimpliciter dimiſſis prioribus, quos fraudare uoluit, alios poſtea ſortitus eſt: ceſſat reuocatio. Si autem horum pecunia, quos fraudare uoluit, priores dimiſit, quos fraudare uoluit: Marcellus dicit, reuocationi locum fore. ſecundum hanc diſtinctionem & ab imperatore Seuero & Antonino reſcriptũ eſt, eoq; iure utimur. Quod ait prætor, SCIENTE TE, ſic accipiamus, te conſcio, & fraudem participante. non enim ſi ſimpliciter ſcio illum creditores habere, hoc ſufficit ad contendendum teneri eum in factũ actione, ſed ſi particeps fraudis eſt. Si quis particeps quidem fraudis non fuit, ueruntamen uendente debitore teſtatò conuentus eſt à creditoribꝰ, ne emeret: an in factũ actione teneatur, ſi comparauit? & magis eſt, ut teneri debeat. non enim caret fraude, qui conuentus teſtatò perſeuerat. aliàs autem qui ſcit aliquem creditores habere, ſi cum eo contrahat ſimpliciter ſine fraudis conſcientia: non uidetur hac actione teneri. Ait prætor. SCIENTE TE, id eſt eo, qui conuenietur hac actione. quid ergo, ſi forte tutor pupilli ſcit, ipſe pupillus ignorauit? uideamus, an actioni locus ſit, ut ſcientia tutoris noceat. idem & in curatore furioſi & adoleſcentis. & putem, hactenus iſtis nocere conſcientiam tutorum ſiue curatorum, quatenus quid ad eos peruenit. Præterea ſciendum eſt, poſſe quæri, quod dicitur, in fraudẽ creditorũ alienatum reuocari poſſe, ſi ijdem ſint creditores: & ſi unus creditor ſit ex illis, qui fraudati ſunt (ſiue ſolus tunc fuit, ſiue cum cæteris ſatisfactum eſt, hic ſolus remanſit) probandum eſſe, adhuc actioni locum fore. Illud certe ſufficit, & ſi unum ſcit creditorem fraudari, cæteros ignorauit: fore locũ actioni. quid ergo, ſi ei, quẽ ſcit fraudari, ſatisfactum eſt: nunquid deficiat actio: quia qui ſuperſunt, nõ ſunt fraudati? & hoc puto probandum. non tamen ſi dicat aliquis, OFFERO, QVOD DEBETVR EI, QVEM SCIO CREDITOREM: audiendus erit,

ut actionem elidat. Si fraudator hæredem habuit, & hæredis bona uenierint: non est in bonis, de quibus agitur, factum: & ideo cessat hæc actio. Si quid in fraudem creditorum fecit filius, qui se poterat abstinere, & in integrum sit restitutus, quod se miscuerat: uel si quid fecit uoluntarius, & uel per ætatē, uel aliam caussam iustam in integrum restitutionem meruit: dicendum erit, utilem actionem competere eidem & in seruo necessario. Sanè cum illa distinctione hoc admittendū esse, Labeo scribit: ut siquidem protinus bona uendiderint creditores, uel paciscentibus creditoribus se necessarius miscuerit: utriusq; fraus reuocetur, id est testatoris & ipsius. Si uero passi sunt necessarium creditores, & quasi in creditum habuerunt nomen eius, uel dulcitudine usurarū, uel quam aliam rationē secuti: dicendum est, nihil reuocari ex his, quæ testator alienauit. Si impubes hæres patri exstiterit, eiusq; mortui bona ueneant: separatione impetrata, utriusq; fraus erit reuocanda, pupilli, uel etiam tutoris, itē curatoris. Si cum in diem mihi deberetur, fraudator præsens soluerit: dicendū erit, in eo, quod sensi commodum in repræsentatione, in factum actioni locum fore. nam prætor fraudem intelligit etiam in tempore fieri. Si cui solutū quidem non fuit, sed in uetus creditum pignus accepit: hac actione tenebitur, ut est sæpissime constitutum. Si cum mulier fraudandorum creditorum consilium iniisset, marito suo eidemq; debitori in fraudē creditorum acceptum debitum fecerit dotis constituendæ caussa: locum habet hæc actio: & per hanc omnis pecunia, quam maritus debuerat, exigitur: nec mulier de dote habet actionē. neq; enim dos in fraudē creditorū constituenda est: & hoc certo certius est, & sæpissime constitutum. Exitus autem actionis erit, ut stipulatio, quæ accepta facta fuerat, ex integro interponatur. Per hanc actionem etiam ususfructus, & eiusmodi stipulatio, IN ANNOS SINGVLOS DENA DARI SPONDES? exigi potest. Si debitorem meum & complurium creditorum consecutus essem fugientē, ac pecuniam secum ferentem, & abstuliſſem ei id, quod mihi debebatur: placet Iuliani sententia dicentis, multum interesse, ante quàm in possessionem bonorū mittantur eius creditores, hoc factum sit, an postea. si ante: cessare in factum actionē. si postea: huic locum fore. Si ex constitutione diui Marci bona sint addicta alicui libertatum conseruandarum caussa: dicendū est actionem cessare. ita enim succedunt, ut rata sint, quæ paterfamilias gesserat.

Annus huius in factum actionis computabitur ex die uenditionis bonorū. Per hanc actionem res restitui debet cum sua scilicet caussa: & fructus non tantum, qui percepti sunt, uerum hi quoq;, qui percipi à fraudatore potuerunt, ueniunt: sed cum aliquo modo, scilicet ut sum

ptus

ptus facti deducantur. nam arbitrio iudicis nō prius cogendus est rem restituere, quàm si impensas necessarias consequatur. idemq; erit probandum, & si quis alius sumptus ex uoluntate fideiussorum creditorumq; factus erit. Partum quoq; in hanc actionem uenire puto uerius esse. Præterea generaliter sciendū est, ex hac actione restitutionem fieri oportere in pristinum statum: siue res fuerint, siue obligationes: ut perinde omnia reuocentur, ac si liberatio facta nō esset. ꝓpter quod etiam medij temporis commodum, quod quis consequeretur liberatione non facta, præstandum erit: dum usuræ non præstentur, si in stipulatum deductæ non fuerunt: aut si talis contractus fuerit, in quo usuræ deberi potuerunt etiam non deductæ. Si conditionalis fuit obligatio, cum sua conditione: si in diem, cum sua die restauranda est. si tamen ea erat, cuius dies finitur: potest dici restitutionem intra id tempus posse postulari, quod supererat obligationi, non utiq; intra annum. Actio hæc post annum de eo, quod ad eum peruenit, aduersus quem actio mouetur, competit. iniquum enim prætor putauit in lucro morari eum, qui sensit lucrū ex fraude. idcirco extorquendum ei lucrum putauit. siue igitur fraudator sit ipse, ad quem peruenit, siue alius quiuis: competit actio in id, quod ad eum peruenit, doloue malo eius factum est, quo minus perueniret. Hæc actio hæredi cæterisq; successoribus competit: sed & in hæredes similesq; personas datur.

XI. VENVLEIVS.

CAssius actionem introduxit in id, quod ad hæredem peruenit.

XII. MARCELLVS.

SI pater filiofamilias liberam peculij administrationē dederit: non uidetur ei & hoc concessisse, ut in fraudem creditorum alienaret. talem enim alienationem non habet. at si hoc quoq; concessit filio pater, ut uel in fraudem creditorum facere possit: uidebitur ipse fecisse, ut sufficiant aduersus eum competentes actiones. etenim filij creditores etiam patris sunt creditores: & cū eius generis uidelicet habebunt actionem, ut his de peculio præstari necesse sit.

XIII. PAVLVS.

ILlud constat: eum, qui pignus tenet, actione hac non teneri. suo enī iure & ut pignus, non rei seruandæ caussa possidet.

XIIII. VLPIANVS.

HAc in factum actione non solū dominia reuocantur, uerū etiam actiones restaurantur. ea propter competit hæc actio & aduersus eos, qui res possident, ut restituant: & aduersus eos, quibus actio competit, ut actione cedant. proinde si interposuerit quis personā Titij, ut ei fraudator res tradat; actione mandati cedere debet. ergo & si frauda-

tor pro filia sua dotem dedisset scienti fraudari creditores: filia tenetur, ut cedat actione de dote aduersus maritum.

XV. IVLIANVS.

SI quis cum haberet Titiũ creditorem,& sciret se soluendo non esse, libertates dederit testamento:deinde dimisso Titio postea Sempronium creditorem habere cœperit,& eodem testamento manẽte decesserit:libertates datæ ratæ debent esse, & si hæreditas soluendo non sit: quia ut libertates rescindantur,utrũq; in eorundem persona exigimus, & consilium,& euentum:siquidem & creditor,cuius fraudandi consilium initum erat,non fraudatur:& aduersus eum,qui fraudatur,consilium initum non est.libertates itaq; ratæ sunt.

XVI. PAVLVS *lib.V. responsorũ Papiniani notat.*

NIsi priores pecunia posteriorum dimissi probentur.

XVII. IVLIANVS.

OMnes debitores,qui in fraudem creditorum liberantur, per hãc actionem reuocantur in pristinam obligationem. Lucius Titius cum haberet creditores,libertis suis ijsdemq; filijs naturalibus uniuersas res suas tradidit.respondi.quamuis non proponatur consilium fraudandi habuisse:tamen quia creditores habere se scit,& uniuersa bona sua alienauit:intelligendus est fraudandorum creditorum consiliũ habuisse.ideoq; & si filij eius ignorauerunt hanc mentem patris sui fuisse,hac actione tenentur. Si uir uxori,cum creditores suos fraudare uellet,soluto matrimonio præsentem dotem reddidisset,quam statuto tempore reddere debuit:hac actione mulier tantũ præstabit,quanti creditorum intererat dotem suo tempore reddi. nam prætor fraudem etiam in tempore fieri intelligit.

XVIII. PAPINIANVS.

SI pignus uir uxori,uel uxor uiro remiserit:uerior sententia est,nullam fieri donationem existimantium.quod sine dubio,si in fraudẽ creditorũ fiat,actione utili reuocabitur. idemq; & si quis debitor in fraudem creditorum pignus omiserit.

XIX. IDEM.

PAtrem,qui non exspectata morte sua fideicommissum hæreditatis maternæ filio soluto potestate restituit, omissa ratione Falcidiæ:plenam fidem & debitam pietatem secutus exhibitionis, respondi creditores non fraudasse.

XX. CALLISTRATVS.

DEbitorem,qui ex senatusconsulto Trebelliano totam hæreditatem restituit,placet non uideri in fraudem creditorum alienasse portionem,quam retinere potuisset:sed magis fideliter facere.

Scæuola

XXI. SCAEVOLA.

DEbitor in fraudem creditoris cum uicino de finibus pignori dati fundi pactus est. quæsitum, an is, qui à creditore emit, de finibus agere possit? respondit secundum ea, quæ proponerentur, non idcirco minus agere posse, quod debitor ignorante creditore pactus esset.

XXII. IDEM.

CVm in uetus creditũ unus creditor pignora accepisset: quæro, an in fraudem cæterorũ creditorum factum nullius momenti esset? respondit. creditorem non idcirco prohibendum à persecutione pignorum, quod in uetus creditũ, ut obligaretur, pactus esset: nisi id & in fraudem cæterorum creditorum factum sit, & sic caussa iuris occurrat, qua creditorum fraudes rescindi solent.

XXIII. IDEM.

PRimo gradu scripti hæredes, cum animaduerterent bona defuncti uix ad quartam partem æris alieni sufficere, famæ defuncti seruandæ gratia ex consensu creditorum authoritate præsidis prouinciæ secundum constitutionem ea conditione adierunt hæreditatem, ut creditoribus duntaxat partem præstarent. quæsitum est, an manumissi testamento & libertates & alimenta consequi possint? respondi. libertates quidem, si in fraudem creditorum datæ non essent, competere. legata uero, si soluendo hæreditas non esset, non deberi.

XXIIII. IDEM.

PVpillus patri hæres extitit, & uni creditorum soluit. mox abstinuit hæreditate paterna. bona patris ueneunt. an id, quod accepit creditor, reuocandum sit: ne melioris conditionis sit, quàm cæteri creditores? distinguimus, an per gratificationem acceperit creditor, uel non: ut si per gratificationem tutorum, reuocetur ad eandem portionem, quam cæteri creditores fuerint laturi. si uero iuste exegerit, cæteri creditores neglexerint exactionem, & interea res deterior facta sit uel mortalitate, uel subductis rebus mobilibus, uel rebus soli ad irritum perductis: id, quod acceperit creditor, reuocari nullo pacto potest: quia alij creditores suæ negligentiæ expensum ferre debent. Quid ergo, si cum in eo esset, ut bona debitoris mei uenirent, soluerit mihi pecuniã: an actio ne reuocari ea possit à me? & distinguendum est, is obtulerit mihi, an ego illi extorserim inuito: ut si extorserim inuito, reuocetur: si non extorserim, non reuocetur. sed uigilaui. meam conditionem meliorem feci. ius ciuile uigilantibus scriptũ est, ideoq; nõ reuocatur id, quod percepi.

XXV. VENVLEIVS.

SI fraudator fideiussori suo scienti acceptum tulerit: si reus nõ ignorauerit, utercq; tenebitur. si minus: is, qui scierit. si tamẽ ille, cuiacceptum

ptum factum est,soluendo non sit:uidendum est, an in reum, etiam si ignorauerit, actio danda sit: quia ex donatione capit. contra si reo sciente acceptum factum sit:fideiussor quoq; si & ipse scierit, tenebitur. si uero ignorauerit:nunquid non æque actio in eum dari debeat: quoniam magis detrimentum non patiatur,quàm lucrum faciat? in duobus autem reis par utriusq; caussa est. Si à socero fraudatore faciens gener acceperit dotem:tenebitur hac actione.& si restituerit eam: desinit dotem habere.nec quidquam emancipatæ diuortio facto restitutum Labeo ait:quia hæc actio rei restituendæ gratia, non pœnæ nomine daretur. ideoq; absolui solet reus, si restituerit. Sed si prius, quàm creditores cũ eo experirentur,reddiderit filiæ dotem: iudicio nomine dotis conuentus,nihilominus cũ hac actione teneri, Labeo ait, nec ullum regressum habiturum ad mulierem.si uero in ipso iudice:uidendum est,an ulla repetitio competat ei.quod si is ignorauerit,filia autem scierit:tenebitur filia.si uero uterq; scierit:uterq; tenebitur.at si neuter scierit:quidam existimant,nihilominus in filiam dandam actionem,quia intelligitur quasi ex donatione aliquid ad eam peruenisse: aut certe cauere eam debere, quod consecuta fuerit,se restituturam. In maritum autem,qui ignorauit,non dandam actionem:non magis, quàm in creditorẽ,qui à fraudatore,quod ei deberetur,accepit:cum is indotatam uxorem ducturus non fuerit. Item si extraneus filiæfamiliæ nomine fraudandi caussa dotem dederit: tenebitur maritus, si scierit, æque mulier:nec minus & pater,si non ignorauerit:ita ut caueat, si ad se dos peruenerit,restitui eam. Si procurator ignorante domino, cum sciret debitorem eius fraudandi cepisse consilium,iussit seruo ab eo accipere:hac actione ipse tenebitur, non dominus. Non solum autem ipsam rem alienatam restitui oportet,sed etiam fructus, qui alienationis tempore terræ cohærent: quia in bonis fraudatoris fuerunt.item eos,qui post incohatum iudicium recepti sunt. medio autem tempore receptos in restitutionem non uenire.item partum ancillæ per fraudem alienatæ medio tempore editum in restitutionem non uenire: quia in bonis non fuerit. Proculus ait. si mulier post alienationem conceperit,& ante quàm ageretur,pepererit: nullam esse dubitationẽ, quin partus restitui nõ debeat.si uero cum alienaretur, prægnans fuit: posse dici,partum quoq; restitui oportere. FRVCTVS AVTEM FVNDO COHAESISSE, non satis se intelligere,Labeo ait: utrum duntaxat, qui maturi, an etiam, qui immaturi fuerint, prætor significet. cæterũ etiam si de his senserit, qui maturi fuerint: nihilomagis possessionem restitui oportere.nam cum fundus alienaretur (quod ad eũ, fructusq; eius attineret)unam quandam rem fuisse;id est fundum,cuius omnis gene

genetis alienationem fructus sequantur. nec eum, qui tempore hyberno habuit fundum centum, si sub tempore messis uindemiæue fructus eius uendere possit decem: idcirco duas res, id est fundum centū, & fructus decem eum habere intelligendum: sed unam rem habere, id est fundum centum, sicut is quoq; unam rem haberet, qui separatim solum ædium uendere possit. Hæc actio etiam in ipsum fraudatorem datur, licet Mela non putabat in fraudatorem eam dandā: quia nulla actio in eum ex ante gesto post bonorum uenditionem daretur: & iniquum esset, actionem dari in eum, cui bona ablata essent. Si uero quædā deperdidisset sic, ut nulla ratione recuperari possent: nihilominus actio in eum dabitur: & prætor non tam emolumentum actionis intueri uidetur in eo, qui exutus est bonis, quàm pœnam.

DIGESTORVM
SEV PANDECTARVM LIBER QVADRAGESIMVS TERTIVS.

DE INTERDICTIS SEV EXTRAORDINARIIS actionibus, quæ pro his competunt. Tit. I.

I. VLPIANVS.

VIdeamus, de quibus rebus interdicta competunt. Et sciendum est interdicta aut de diuinis rebus, aut de humanis competere. de diuinis, ut de locis sacris, uel de locis religiosis. de rebus hominum interdicta reddunt aut de his, quæ sunt alicuius: aut de his, quæ nullius sunt. quæ nullius sunt: hæ sunt liberæ personæ, de quibus exhibendis & deducendis interdicta competunt. quæ sunt alicuius, hæc sunt, aut publica, aut singulorum. publica sunt de locis publicis, de uijs, deq; flumimbus publicis. quæ autem singulorum sunt: aut ad uniuersitatem pertinent, ut interdictum quorum bonorum: aut ad singulas res, ut est interdictum uti possidetis, & de itinere actuq;. Interdictorum aũt tres sunt species: exhibitoria, phibitoria, restitutoria. sunt tamen quædā interdicta & mista: & quæ prohibitoria sunt, & exhibitoria. Interdictorum quædam in præsens, quædam in præteritum referuntur. in præsens, ut uti possidetis: in præteritum, ut de itinere actuq;, & de aqua æstiua. Interdicta omnia, licet in rem uideantur concepta, ui tamen ipsa personalia

sunt. Interdictorum quædam annalia sunt, quædam perpetua.

II. PAVLVS.

INterdictorum quædam duplicia sunt, quædã simplicia, duplicia dicũt, ut VTI POSSIDETIS. simplicia sunt, ueluti exhibitoria & restitutoria, itẽ prohibitoria DE ARBORIBVS CAEDENDIS, & DE ITINERE ACTV'QVE. Interdicta uero competunt uel hominum, uel diuini iuris causſa, & de relligione: ſicut eſt NE QVID IN LOCO SACRO FIAT, uel QVOD FACTVM EST RESTITVATVR: & DE MORTVO INFERENDO, uel SEPVLCHRO AEDIFICANDO. Hominum causſa competunt, uel ad publicam utilitatem pertinentia, uel ſui iuris tuendi gratia, uel officij tuendi causſa, uel rei familiaris. Publicæ utilitatis causſa competit interdictũ, VT VIA PVBLICA VTI LICEAT, ET FLVMINE PVBLICO, & NE QVID FIAT IN VIA PVBLICA. Juris ſui tuendi causſa: DE LIBERIS EXHIBENDIS, item DE LIBERTO EXHIBENDO. Officij causſa, DE HOMINE LIBERO EXHIBENDO. reliqua interdicta rei familiaris causſa dantur. Quædam interdicta rei perſecutionem continent, ueluti DE ITINERE ACTV'QVE PRIVATO. nam proprietatis causſam continet hoc interdictum. ſed & illa interdicta, quæ de locis ſacris & de religioſis proponuntur, ueluti proprietatis causſam continent. item illa, quæ ſui iuris tuendi causſa diximus competere: ut non ſit mirum, ſi quæ interdicta ad rem familiarem pertinentia, proprietatis causſam, non poſſeſſionis habeant. Hæc autem interdicta, quæ ad rem familiarẽ ſpectant: aut apiſcendæ ſunt poſſeſſionis, aut recuperandæ, aut retinẽdæ. Apiſcendæ poſſeſſionis ſunt interdicta, quæ competunt his, qui ante non ſunt nacti poſſeſſionem. ſunt autem interdicta apiſcendæ poſſeſſionis, QVORVM BONORVM: Saluianũ quoq; interdictum, quod eſt de pignoribus, ex hoc genere eſt: & QVO ITINERE EST VENDITOR VSVS, QVO MINVS EMPTOR VTATVR, VIM FIERI VETO. Recuperandæ poſſeſſionis causſa proponunt ſub rubrica VNDE VI. aliqua tamen ſub hoc titulo interdicta ſunt. Retinendæ poſſeſſionis causſa ſunt interdicta, VTI POSSIDETIS. Sunt etiã interdicta (ut diximus) duplicia tam recuperandæ q̃ apiſcendæ poſſeſſionis.

III. VLPIANVS.

IN interdictis exinde ratio habetur fructuum, ex quo edita ſunt, non retro.

IIII. PAVLVS.

EX quibus causſis annua interdicta ſunt, ex his de eo, quod ad eum peruenit, cum quo agitur, poſt annum iudicium dandum Sabinus reſpondit.

V. IDEM. Inter

INterdicta noxalia ea sunt, quæ ob delictum eorũ, quos in potestate habemus, dantur: ueluti cũ ui deiecerunt, aut ui, aut clam opus fecerunt. sed officio iudicis continetur, ut dominum sua impensa opus restituentem absoluat: patientiam tollendo operi præstantem noxæ dedere iubeat & absoluat. si nõ dedat: quantum impensæ in tollendo opere erogatum sit, tanti condemnet. si neq; patientiam præstet, neq; ipse tollat, cum possit: in tantum condemnet, in quantum iudex æstimauerit, atq; si ipse fecisset.

QVORVM BONORVM. Tit. II.

I. VLPIANVS.

AIt prætor. QVORVM BONORVM EX EDICTO MEO ILLI POSSESSIO DATA EST: QVOD DE HIS BONIS PRO HAERede AVT PRO POSSESSORE POSSIDES, POSSIDERES'VE, SI NIHIL VSVCAPTVM ESSET: QVOD QVIDEM DOLO MALO FECISTI, VT ID DESINERES POSSIDERE, ID ILLI RESTITVAS. Hoc interdictum restitutorium est, & ad uniuersitatem bonorum, non ad singulas res pertinet: & appellatur QVORVM BONORVM, & est apiscendæ possessionis uniuersorum bonorum.

II. PAVLVS.

INterdicto QVORVM BONORVM debitores hæreditarij non tenentur, sed tantum corporum possessores.

QVOD LEGATORVM. Tit. III.

I. VLPIANVS.

HOc interdictum uulgo QVOD LEGATORVM appellatur. est aũt & ipsum apiscendæ possessionis, & continet hanc causſam: ut quod quis legatorum nomine, nõ ex uoluntate hæredis occupauit, id restituat hæredi. etenim æquissimum prætori uisum est, unumquenq; non sibi ipsum ius dicere occupatis legatis, sed hæc ab hærede petere. Redigit igitur ad hæredes per hoc interdictum ea, quæ legatorum nomine possidentur: ut perinde legatarij possint eum conuenire. Hoc interdictũ & hæredem hæredis bonorum'q; possessoris habere, recte propter utilitatem dicendum est: nec non cæteros quoq; successores. Quia autem nonnunquam incertum est, utrũ quis pro legato, an pro hærede, uel pro possessore possideat: belliſſime Arrianus scribit, & hæreditatis

petitionem in eum instituendam, & hoc interdictum reddendum, ut siue quis pro hærede, uel pro possessore, siue pro legato possideat, hoc interdicto teneatur: quemadmodum solemus facere, quoties incertũ est, quæ potius actio teneat. nã duas dictamus, protestati ex altera nos uelle consequi, quod nos contingat. Si quis ex mortis causa donatione possideat: utiq; cessabit hoc interdictum: quia portio legis Falcidiæ apud hæredem ipso iure remanet, & si corporaliter res in solidum translatæ sunt. Qui uero ex causa præceptionis possidet: utiq; tenetur hoc interdicto: sed pro ea scilicet parte, quam iure legati habet, non etiam pro ea, quam quasi hæres habet. Idemq; erit dicendum, & si alio genere legati uni ex hæredibus legatum sit. nam & hic dicendum est, pro ea parte, qua hæres est, cessare interdictum. Quod ait prætor, AVT DOLO DESIIT POSSIDERE: sic accipere debemus, desijt habere facultem restituendi. Vnde quæsitũ est, si ususfructus uel usus fuerit alicui relictus, eumq; occupauerit: an hoc interdicto restituere sit compellendus? mouet, quod neq; ususfructus, neq; usus possidetur, sed magis tenetur. potest tamen defendi competere interdictum. Idem dicendum est & in seruitute relicta. Quæsitum est, si quis legatorum seruandorũ causa missus sit in possessionem: an hoc interdicto teneatur ad restitutionem? mouet illud primum, quod non possidet is, qui missus est in possessionem legatorum causa, sed potius custodit. deinde quod prætorem habet huius rei authorem. tutius tamen erit dicendum, hoc interdictum competere: maxime si satisdatum sit iam legatorum nomine, nec recedat. tunc enim etiam possidere uidetur. Legatorum nomine nõ tantum ipsum possidere dicimus, cui legatum est: uerum hæredem quoq; eius, cæterosq; successores. Quod ait prætor, VOLVNTATE EIVS, AD QVEM EA RES PERTINET: ita erit interpretandũ, ut si post aditam hæreditatem, uel bonorum possessionem agnitam, uoluntas accommodata est legatario, ut possideret: interdictum cesset. quod si ante aditam hæreditatem bonorumue possessionem agnitam hoc factum est: rectius dicetur, eam uoluntatẽ non nocere debere. Si duæ res legatæ sint, altera ex uoluntate occupata, altera non ex uoluntate: eueniet, ut altera reuocari possit, altera nõ possit. Idemq; erit probandum & in una re, cuius pars ex uoluntate, altera pars non ex uoluntata occupata est. nam pars sola per interdictũ aufertur. Illud tenendum est: siue à te, siue ab eo, in cuius locũ successisti, possideri aliquid cœptum est: interdicto huic locum fore. In locũ successisse accipimus: siue per uniuersitatem, siue in rem sit successum. Prodest autem possedisse, quoties uoluntate eius, ad quem ea res pertinet, possideri cœptum est. sed & si postea uoluntas accessit eius, ad quem ea res pertinebat

tinebat, tamen prodesse possessori debere. unde si quis cœpit quidem ex uoluntate eius, ad quem ea res pertinet, possidere: postea uero uoluntas non perseuerat: nihil nocet: quia semel possideri cœpit eius uoluntate. Si alter ex hæredibus, ijsúe, ad quos ea res pertinet, uoluerit rem à legatario possideri, alter non: ei, qui noluerit, interdictum competere: ei, qui uoluit, non competere, palam est. Quod ait prætor, NISI SATISDATVM SIT: accipere debemus, si perseueret satisdatum, scilicet ut si non perseueret cautum, mittatur in possessionem legatorum seruãdorum causſa. Satisdatum sic arbitror, si sic satisdatum sit, ut legatario uel ipso iure adquisita sit idonea cautio, uel per mandati actionem adquiri possit: & tunc interdicto locum fore. Si quarundã rerum nomine satisdatum sit, quarundam non sit satisdatum: earum rerum nomine sine impedimento agi poterit, de quibus satisdatum est: cæterarum non poterit.

II. PAVLVS.

Diuersum est, si postea pars legato adcreuerit. nam hoc nomine tenentur fideiussores in totum. Quod ait prætor, SI PER BONORVM POSSESSOREM NON STAT, VT SATISDETVR: sic accipimus, si paratus sit satisdare. non ergo offerre debet satisdationem, sed petenti satis moram nõ facere. Ex hoc interdicto, qui non restituit, in id, quod interest, debet condemnari. Si legatarius repromissione cõtentus fuit: dandum est interdictum. idem dicendum est, si legatarius pignoribus uoluit sibi caueri. Si per legatarium factum sit, quo minus satisdetur: licet cautum non sit, tenetur interdicto. sed si forte factum sit per legatarium, quo minus satisdetur: eo autem tempore, quo editur interdictum, satis accipere paratus sit: non competit interdictum, nisi satisdatum sit. Item si per bonorum possessorem stetit, quo minus satisdaret, sed modo paratus est cauere: tenet interdictum. illud enim tempus inspicitur, quo interdictum editur.

NE VIS FIAT EI, QVI IN POSSESSIONEM missus erit. Tit. IIII.

I. VLPIANVS.

Ait prætor. SI QVIS DOLO MALO FECERIT, QVO MINVS QVIS PERMISSV MEO, EIVS'VE, CVIVS IVRISDICTIO DE EA RE FVERIT, IN POSSESSIONE BONORVM SIT: IN EVM IN FACTVM IVDICIVM, QVANTI EA RES FVIT, OB QVAM IN POSSESSIONEM MISSVS ERIT, DABO. Hoc interdictũ summa prudentia prætor proposuit. fru-

ſtra eũ in poſſeſſionẽ mitteret rei ſeruandæ cauſſa, niſi miſſos tueretur,& prohibentes uenire in poſſeſſionem coërceret. Eſt autem generale hoc edictum.pertinet enim ad omnes,qui in poſſeſſionem â prætore miſſi ſunt. cõuenit enim prætori, omnes,quos in poſſeſſionẽ miſit,tueri.Sed ſiue rei ſeruandæ cauſſa,ſiue legatorum,aut uentris nomine in poſſeſſionem miſſi fuerint: habent ex hoc edicto in factum actionem:ſiue dominus, ſiue alter prohibuerit. Hæc actio non tantum eum tenet,qui prohibuit quẽ uenire in poſſeſſionem: ſed etiam eum, qui poſſeſſione pulſus eſt, cum ueniſſet in poſſeſſionem:nec exigitur, ut uim fecerit,qui prohibuit. Si quis ideo poſſeſſione arcuerit,quia rem ſuam putabat,uel ſibi obnoxiam,uel certe non eſſe debitoris: conſequens eſt,ut hoc edicto non teneatur. Hæc uerba QVANTI EA RES FVIT, OB QVAM IN POSSESSIONEM MISSVS ERIT, continent utilitatem creditoris: ut quantum intereſt eius poſſeſſionem habere, in tantum,qui prohibuit,condemnetur. Proinde ſi ob falſum creditũ, uel ob falſam petitionem miſſus eſt in poſſeſſionem, uel ſi exceptione ſubmoueri potuit:nihil ei debet prodeſſe hoc edictũ:quia propter nullam cauſſam in poſſeſſionẽ miſſus eſt. Hoc edicto neq; pupillũ, neq; furioſum teneri conſtat:quia affectu carent. Sed pupillum eum debemus accipere,qui doli capax nõ eſt.cæterum ſi iam doli capax ſit:contra erit dicendũ.ergo & ſi tutor dolo fecerit,in pupillum dabimus actionem:ſi modo ſoluendo ſit tutor. ſed & ipſum tutorem poſſe conueniri,Iulianus ſcribit. Si domini uel patris uolũtate prohibitus quis ſit â poſſeſſione:in ipſos dabitur actio, quaſi qui per alios hoc fecerint.

Hanc actionem,excepta legatorum miſſione,intra annum competere,& non poſtea,ſciendum eſt: cum ſit pœnalis. nec in hæredes ſimilesq; perſonas datur, niſi in id,quod ad eas peruenit. ſed hæredi ſimilibusq; perſonis dabitur. At cum prohibitus quis eſt legatorũ uel fideicommiſſorum cauſſa poſſeſſionem apiſci:tunc actio & perpetua eſt,& in hæredem datur: quia eſt in poteſtate ſucceſſorum euitare interdictum,ſatiſdatione oblata.

II. PAVLVS.

SVo quis,an alieno nomine prohibitus ſit, nihil intereſt. hæc enim uerba QVANTI EA RES FVIT, referenda ſunt ad perſonam domini. Item tam is tenetur,qui ſuo nomine,q̃ qui alieno nomine prohibuit.

III. VLPIANVS.

SI quis miſſus fuerit in poſſeſſionem fideicommiſſi ſeruãdi cauſſa, & non admittatur:poteſtate eius inducendus eſt in poſſeſſionem, qui eum miſit. At ſi quis uolet uti interdicto: conſequens erit dicere, interdictũ locum habere. ſed melius eſſet dicere,extra ordinem ipſos iure

iure suæ potestatis exsequi oportere decretũ suum: nonnunquã etiam per manum militarem. Constitutum est ab Antonino, ut etiam in bona hæredis quis admittatur certis modis. si quis igitur in his bonis non admittatur: dicendum est, actionem hanc utilem competere. cæterum poterit uti & extraordinaria exsecutione. Cum prætor uentrẽ in possessionem mittit: & hoc interdictum restitutorium & prohibitorium est. Sed si mulier uelit in factum actione uti: ad exemplum creditorum magis, quàm interdicto posse eam experiri, sciendum est. Si mulier dicatur calumniæ caussa in possessionem ueniisse, eo quod non sit prægnans, uel non ex eo prægnans, uel si de statu mulieris aliquid dicatur: epistola diui Hadriani ad exemplum præsumptionis Carboni atti edicti uentri prætor pollicetur possessionem.

IIII. IDEM.

PEr interdictum etiam ei subuenit prætor, qui damni infecti ab eo in possessionem missus est, ne ei uis fiat. Pœna autem eius, qui non promittit, uel satis non dat, hæc est, ut in possessionem mittatur aduersarius. siue ergo promittat, siue per eum non fiat, quo minus promittat: nõ tenebit interdictũ, repulso per exceptionem eo, qui experit. Prætor in eum, qui neq; cauit, neq; possidere passus est eum, qui missus est, iudicium pollicetur in tantum, quantũ præstare eum oportet, si de ea re cautũ fuerat. Sed & ex alia caussa hoc iudiciũ proposuit: si eo tempore, quo in possessionem mitti desiderabat, prætoris adeũdi potestas non fuerit: scilicet ut si cum potestas prætoris adeundi non esset, damnum interim datum est, haberet iudiciũ, qui damnũ passus est. Item subiectum, si ex alia caussa, qui in possessionem missus est, prohibitus esse dicetur, habere in factum actionem.

DE TABVLIS EXHIBENDIS Tit. V.

I. VLPIANVS.

PRætor ait. QVAS TABVLAS LVCIVS TITIVS AD CAVSAM STATVS SVI PERTINENTES RELIQVISSE DICETVR: SIVE PENES TE SVNT, AVT DOLO MALO TVO FACTVM EST, VT DESINERENT ESSE: ITA EAS ILLI EXHIBEAS. ITEM SI LIBELLVS, ALIVD'VE QVID RELICTVM ESSE DICETVR, DECRETO COMPRAEHENDAM. Si quis forte confiteatur penes se esse testamentum: iubendus est exhibere: & tempus ei dandum est, ut exhibeat, si non potest in præsentiarum exhibere, sed si neget se exhibere posse, uel oportere: hoc interdictum competit. Hoc interdictum pertinet non tantum ad testamenti tabulas, uerum

uerum ad omnia, quæ ad cauſſam teſtamenti pertinent: utputa & ad codicillos. Siue aũt ualet teſtamentum, ſiue non: uel quod ab initio inutiliter factum eſt, ſiue ruptum, uel in quo alio uicio ſit: ſed & ſi falſum eſſe dicatur, uel ab eo factum, qui teſtamenti factionem non habuerit: dicendum eſt interdictum ualere. Siue ſupremæ tabulæ ſint, ſiue non ſint, ſed priores: dicendum interdictum hoc locum habere. itaq; dicendũ eſt ad omnem omnino ſcripturam teſtamenti, ſiue perfectam, ſiue imperfectam, hoc interdictum pertinere. Proinde ſi plures tabulæ ſint teſtamẽti eius, quia ſæpius fecerat: dicendum eſt interdicto locum fore. eſt enim, quod ad cauſſam teſtamenti pertineat, quidquid quoquo tempore factũ exhibere debeat. Sed & ſi de ſtatu diſceptetur, ſi teſtator forte filiusfamilias uel ſeruus hoc feciſſe dicatur, & hoc exhibebitur. Item ſi filiusfamilias fecerit teſtamentũ, qui de caſtrenſi peculio teſtabatur: habet locum interdictum. idem eſt, ſi is, qui teſtamentum fecerit, apud hoſtes deceſſit. Hoc interdictum ad uiui tabulas non pertinet: quia uerba prætoris RELIQVERIT fecerunt mentionẽ. Sed & ſi dolo teſtamentum ſit deletum,

II. PAVLVS.

Vel totum, uel pars eius:

III. VLPIANVS.

LOcum habet hoc interdictum. Si tabulæ in pluribus codicibus ſcriptæ ſint: omnes interdicto iſto continentur: quia unum teſtamentum eſt. Si tabulæ teſtamenti apud aliquem depoſitæ ſint à Titio: hoc interdicto agendum eſt & cum eo, qui detinet, & cum eo, qui depoſuit. proinde & ſi cuſtodiam tabularum ædituus uel tabularius ſuſcepit: dicendum eſt teneri eum interdicto. Si penes ſeruum tabulæ fuerint: dominus interdicto tenebitur. Si ipſe teſtator, dum uiuit, tabulas ſuas dicat eſſe, & exhiberi deſideret: interdictum hoc non habebit: ſed ad exhibendum erit agendum, ut exhibitas uindicet. quod in omnibus, qui corpora ſua eſſe dicunt inſtrumentorum, probandum eſt. Si quis dolo malo fecerit, quo minus penes eum tabulæ eſſent: nihilominus hoc interdicto tenebitur: nec præiudicatur aliquid legi Corneliæ teſtamentariæ, quaſi dolo malo teſtamentum ſuppreſſerit. nemo enim ideo impune retinet tabulas, quod maius facinus admiſit: cum exhibitis tabulis admiſſum eius magis manifeſtetur. & poſſe aliquem dolo malo facere, ut in eam legem non incidat: utputa ſi neq; amouerit, neq; cælauerit tabulas: ſed idcirco alij tradiderit, ne eas interdicenti exhiberet: hoc eſt, ſi non ſupprimendi animo, uel conſilio fecit, ſed ne huic exhiberet. Hoc interdictum exhibitorium eſt. Quid ſit exhibere uideamus. exhibere hoc eſt, materiæ ipſius adprehendendæ co-

dæ copiam facere. Exhibere autem apud prætorem oportet: ut ex authoritate eius signatores admoniti ueniant ad recognoscenda signa. & si forte non obtemperent testes: Labeo scribit, coërceri eos prætore debere. Solent autem exhiberi tabulas desiderare omnes omnino, qui quid in testamento adscriptum habent. Condemnatio autem huius iudicij, quãti interfuit, æstimari debet. quare si hæres scriptus hoc interdicto experiatur: ad hæreditatem referenda est æstimatio. & si legatum sit: tantũ uenit in æstimationem, quantum sit in legato. & si sub conditione legatum sit: quasi conditione existente, sic æstimandum est. nec compelli debebit, ut se restituturum caueat, quidquid consecutus est, si conditio defecerit: quia pœna cõtumaciæ præstatur ab eo, qui non exhibet. Inde quæritur, si hinc consecutus est æstimationem legatarius, postea legatũ petat: an sit audiendus? & putem, si hæres idem præstiterit: exceptione doli repellendum. si alius: repelli non oportere. ideo & si hæres sit, qui interdicto usus, æstimationẽ consecutus est: eadem erit æstimationis distinctio. Interdictum hoc post annum competere constat. sed & hæredi cæteris q; successoribus competit.

IIII. PAVLVS.

SI sint tabulæ apud pupillum, & dolo tutoris desierint esse: in ipsum tutorem competit interdictum. æquum est enim, ipsum ex delicto suo teneri, non pupillum.

V. IABOLENVS.

DE tabulis proferendis interdictum competere non oportet, si hæreditatis controuersia ex his pendet, aut si ad publicam quæstionem pertinent. itaq; in æde sacra interim deponendæ sunt, aut apud uirum idoneum.

NE QVID IN LOCO SACRO FIAT. Tit. VI.

I. VLPIANVS.

AIt prætor. IN LOCO SACRO FACERE, IN'VE EVM IMMITTERE QVID, VETO. Hoc interdictum de loco sacro, non de sacrario competit. Quod ait prætor, NE QVID IN LOCO SACRO FIAT: non ad hoc pertinet, quod ornamenti causſa fit, sed quod deformitatis, uel incommodi. Sed & cura ædium, locorum q; sacrorum mandata est his, qui ædes sacras curant.

II. HERMOGENIANVS.

IN muris, item q; portis, & alijs sanctis locis aliquid facere, ex quo

damnum aut incommodum irrogetur, non permittitur.

III. PAVLVS.

NEq; muri, neq; portæ habitari sine permissu principis propter fortuita incendia possunt.

DE LOCIS ET ITINERIBVS PVBLICIS. Tit. VII.

I. POMPONIVS.

QVilibet in publicum petere permittendum est id, quod ad usum omnium pertinet: ueluti uias publicas, itinera publica, & ideo quolibet postulante, de his interdicitur.

II. VLPIANVS.

NEmini licet in uia publica monumentū exstruere.

III. IDEM.

VIæ uicinales, quæ ex agris priuatorum collatis factæ sunt, quarum memoria non exstat, publicarum uiarum numero sunt. sed inter eas, & cæteras uias militares hoc interest: quod uiæ militares exitum ad mare, aut in urbes, aut ad flumina publica, aut ad aliam uiam militarem habent. harum autem uicinalium uiarum dissimilis est conditio. nam pars earum in militares uias exitum habet, pars sine ullo exitu intermoritur.

NE QVID IN LOCO VEL ITINERE publico fiat. Tit. VIII.

I. PAVLVS.

IN loco publico prætor prohibet ædificare, & interdictum proponit.

II. VLPIANVS.

PRætor ait. NE QVID IN LOCO PVBLICO FACIAS, INVE EVM LOCVM IMMITTAS, QVA EX RE QVID ILLI DAMNI DETVR, PRAETER QVAM QVOD LEGE, SENATVSCONSVLTO, EDICTO, DECRETOVE PRINCIPVM TIBI CONCESSVM EST. DE EO, QVOD FACTVM ERIT, INTERDICTVM NON DABO. Hoc interdictum prohibitorium est: & tam publicis utilitatibus, quàm priuatorum per hoc prospicitur. Loca enim publica utiq; priuatorum usibus deseruiunt, iure scilicet ciuitatis, non quasi propria cuiusq;: & tantum iuris habemus ad obtinendum, quantum quilibet ex populo ad prohibendū habet. propter quod si forte in publico fiet opus

opus,quod ad priuati damnum redundet:prohibitorio interdicto potest conueniri, propterq; eam rem hoc interdictum propositum est.

Publici loci appellatio quemadmodum accipiatur, Labeo definit: ut & ad aréas,& ad insulas,& ad agros,& ad uias publicas,itinera q; publica pertineat. Hoc interdictum ad ea loca,quæ sunt in fisci patrimonio,nō puto pertinere. in his enim neq; facere quidquam,neq; prohibere priuatus potest.res enim fiscales quasi propriæ & priuatæ principis sunt. Igitur si quis in his aliquid faciat: nequaquam hoc interdictum locum habebit.sed si forte de his sit controuersia: præfecti eorū iudices sunt. Ad ea igitur loca hoc interdictum pertinet, quæ publico usui destinata sunt:ut si quid illic fieret, quod priuato noceret,prætor in eo reddiceret interdicto suo. Cum quidā uelum in mœniano immissum haberet,quod uicini luminibus officiebat: utile interdictum competijt, NE QVID IN PVBLICVM MITTAS, QVA EX RE LVMINIBVS CAII SEII OFFICIAS. Si quis id,quod in publico loco positū habuit,reficere uoluit:huic interdicto locū esse,Aristo ait,ad prohibendū eum reficere. Aduersus eum,qui molē in mare proiecit, interdictū utile competit ei, cui forte hæc res nocitura sit. Si aūt nemo damnum sentit: tuendus est is,qui in litore ædificat,uel molem in mare iacit.

Si quis in mari piscari,aut nauigare prohibeatur:non habebit interdictum:quemadmodum nec is,qui in campo publico ludere,uel in publico balineo la uare,aut in theatro spectare arceatur: sed in omnibus his casibus iniuriarum actione utendum est. Merito ait prætor,QVA EX RE QVID ILLI DAMNI DETVR.nam quoties aliquid in publico fieri permittitur: ita oportet permitti,ut sine iniuria cuiusq; fiat: & ita solet princeps, quoties aliquid noui operis instituendum petitur, permittere. Damnum autem pati uidetur, qui commodum amittit, quod ex publico consequebatur,qualecunq; sit. proinde si cui prospectus,si cui aditus sit deterior,aut angustior:interdicto opꝰ est. Si quid in loco publico ædificauero,ut ea,quæ ex meo ad te nullo iure defluebant, desinant fluere: interdicto me non teneri, Labeo putat. Planè si ædificium hoc effecerit,ut minus luminis insula tua habeat:interdictū hoc competit. Idem ait:si in publico ædificem, deinde hoc ei ædificio obstet, quod tu in publico ædificaueras: cessare hoc interdictum, cum tu quoq; illicite ædificaueris:nisi forte tu iure tibi concesso ædificaueras. Si quis à principe simpliciter impetrauerit, ut in publico loco ædificet: non est concedendum sic ædificare, ut cum incōmodo alicuius id fiat: neq; sic concedit̄,nisi forte quis hoc impetrauerit. Si quis nemine ꝓhibente in publico ædificauerit: non esse eū cogendum tollere,ne ruinis urbs deformetur. & quanquam ꝓhibitoriū est interdi

ctum, non restitutorium. si tamen obstet ædificium id publico usui: utique is, qui operibus publicis procurat, debebit id deponere: aut si non obstet, solarium ei imponere. sic enim uectigal hoc appellatur ex eo, quod pro solo pendatur. si tamen adhuc nullum opus factum fuerit: officio iudicis continetur, uti caueatur non fieri: & ea omnia etiam in persona hæredum, cæterorumq; successorum erunt cauenda.

Locorum sacrorum diuersa est caussa. in loco enim sacro non solum facere uetamur, sed & factum restituere iubemur. hoc propter religionem. Ait prætor. IN VIA PVBLICA ITINERE'VE PVBLICO FACERE, IMMITTERE QVID, QVO EA VIA, ID'VE ITER DETERIVS SIT, FIAT, VETO. Viam publicam eam dicimus, cuius etiã solum publicum est. non enim sicut in priuata uia, ita & in publica accipimus. uiæ priuatæ solũ alienũ est, ius tantũ eundi agendi nobis cõmpetit. uiæ autem publicæ solum publicum est, relictum ad directum certis finibus latitudinis ab eo, qui ius publicandi habuit, ut ea publice iretur, commearetur. Viarum quædam publicæ sunt, quædam priuatæ, quædam uicinales. Publicas uias dicimus, quas Græci *βασιλικὰς, nostri prætorias, alij cõsulares uias appellant. Priuatæ sunt, quas agrarias quidam dicunt. Vicinales uiæ sunt, quæ in uicis sunt, uel quæ in uicos ducunt. has quoq; publicas esse quidam dicunt. quod ita uerum est, si non ex collatione priuatorum hoc iter cõstitutum sit: aliter atq; si ex collatione priuatorum reficiatur. nam si ex collatione priuatorũ reficiatur: non utiq; priuata est. refectio enim idcirco de communi fit, quia usum utilitatemq; communem habet. Priuatæ uiæ dupliciter accipi possunt: uel hæ, quæ sunt in agris, quibus imposita est seruitus, ut ad agrum alterius ducant: uel hæ, quæ ad agros ducunt, per quas omnibus commeare liceat, in quas exitur de uia consulari, & sic post illam excipit uia, uel iter, uel actus ad uillã ducens. has ergo, quæ post consularem excipiunt in uillas, uel in alias colonias ducentes, putem etiam publicas esse. Hoc interdictum tantum ad uias rusticas pertinet, ad urbicas uero non. harum enim cura pertinet ad magistratus: & siue publice exemptus commeatus sit, uel uia coartata: interueniunt magistratus. Si quis cloacam in publicam uiam immitteret, exq; ea re minus habilis uia per cloacam fieret: teneri eũ Labeo scribit. immisisse enim eum uideri. Proinde & si fossam quis in suo fundo fecerit, ut ibi aqua collecta in uiã decurrat, hoc interdicto tenebitur. immissum enim habere & hunc uideri. Ideo Labeo scribit: si quis in suo ita ædificauerit, ut aqua in uia collecta restagnet: nõ teneri eum interdicto, quia non immittat aquam, sed non recipiat. Nerua autem melius scribit, utrunq; teneri. Planè si fundus uiam publicam cõtingat, & ex eo aqua deri-

*al's. ἐπὶ δημίας.

deriuata deteriorem uiam faciat, quæ tamen aqua ex uicini fundo in tuum ueniat: ſiquidem neceſſe habeas eam aquam recipere: interdictum locum habebit aduerſus uicinum tuum. ſi autem neceſſe non ſit: non teneri uicinum tuum: te tamē teneri. eum enim uideri factum habere, qui uſum eius aquæ habeat. Item Nerua ſcribit, ſi tecum interdicto agatur: nihil ultra te facere cogendū, quàm ut arbitratu eius, qui tecum experitur, cum uicino experiaris. cæterum aliter obſeruantibus futurum erit, ut tenearis, etiam ſi bona fide cum uicino egeris, neq; per te ſtet, quo minus arbitratu actoris cum uicino experiaris.

Idē ait: ſi odore ſoli locus peſtilentioſus fiat, non eſſe ab re, de ea re interdicto uti. Hoc interdictū etiā ad ea, quæ paſcuntur in uia publica itinereue publico, & deteriorem faciunt uiam, locum habet. Deinde ait prætor. QVO EA VIA, ID'VE ITER DETERIVS SIT, FIAT. hoc, ſiue ſtatim deterior ſit uia, ſiue poſtea. ad hoc enim pertinent hæc uerba SIT FIAT. etenim quædam ſunt talia, ut ſtatim facto ſuo noceant: quædam talia, ut in præſentia quidem nihil noceant, in futurum autem nocere debeant. Deteriorem autem uiam fieri ſic accipiendum eſt: ſi uſus eius ad commeandum corrumpatur, hoc eſt ad agendum, uel ad eundū: ut cum plana fuerit, cliuoſa fiat, uel ex molli aſpera, aut anguſtior ex latiore, aut paluſtris ex ſicca. Scio tractatum, an permittendum ſit, ſpecus & pontem per uiam publicam facere. & pleriq; probant, eum interdicto teneri. non enim oportere eum deteriorem uiam facere. Hoc interdictum perpetuum & populare eſt: condemnatioq; ex eo facienda eſt, quanti actoris interſit. Prætor ait. QVOD IN VIA PVBLICA ITINERE'VE PVBLICO FACTVM, IMMISSVM HABES, QVO EA VIA, ID'VE ITER DETERIVS SIT, FIAT, RESTITVAS. Hoc interdictum ex eadem cauſſa proficiſcitur, ex qua & ſuperius: & tantum intereſt, quod hoc reſtitutorium, illud prohibitorium eſt. Hoc interdicto non is tenetur, qui in uia publica aliquid fecit: ſed is, qui factum habet. proinde ſi alius fecit, alius factum habet: is tenetur, qui factum habet. & eſt hoc utilius: quia is poteſt reſtituere, qui factum immiſſum habet. Habere eum dicimus, qui utitur, & iure poſſeſſionis fruitur: ſiue ipſe opus fecit, ſiue ex cauſſa conductionis, uel emptionis, uel legato, uel hæreditate, uel quo alio modo adquiſijt.

Vnde Ofilius putat eum, qui pro derelicto reliquit id opus, quod fecit: ſi uiam publicam corrupit, & reliquit: non teneri hoc interdicto. non enim habere, quod fecit. Sed an in eum actio debeat dari, uidebimus. & puto utile interdictum competere: ut quod in uia publica edificauit, reſtituat. Si ex fundo tuo arbor in uia publica ſic cecidérit, ut itineri impedimento ſit, eamq; pro derelicto habeas: non tene-

ri te, Labeo scribit. si tamen actor (inquit) sua impensa arborem tollere paratus fuerit: recte tecum acturum interdicto de uia publica reficienda. Sed si pro derelicto non habeas: recte tecum agi hoc interdicto. Idem Labeo scribit, si uicinus meus uiam opere corruperit quamuis opus, quod fecit, tam ipsi, quàm mihi utile sit: tamen si is uicinus fundi sui caussa id fecerit, me non posse hoc interdicto conueniri. si autem hoc opus fieri communiter curauimus: utrumq; nostrum teneri. Hoc interdictum locum habere etiam aduersus eum, qui dolo malo fecit, quo minus possideret, uel haberet. etenim parem esse conditionem eius, qui quid possideat uel habeat, atq; eius, cuius dolo malo factum sit, quo minus possideret uel haberet. & mihi uidetur uera Labeonis sententia. RESTITVAS prætor inquit. restituere uidetur, qui in pristinum statum reducit, quod fit: siue quis tollat id, quod factum est, siue reponat, quod sublatum est. Et id interdum suo sumptu. nam si ipse, quo cum interdixit, fecerit, uel iussu eius alius, aut ratum habitum sit, quod fecit: ipse suis sumptibus debet restituere. si uero nihil horum interuenit, sed habet factum: tunc dicemus, patientiam solam eum præstare debere. Interdictum hoc non esse temporarium, sciendum est. pertinet enim ad publicam utilitatem: condemnatioq; ex eo facienda est, quanti actoris interfit tolli: quod factũ est.

Prætor ait. QVO MINVS ILLI VIA PVBLICA ITINERE VE PVBLICO IRE AGERE LICEAT, VIM FIERI VETO.

III. CELSVS.

LItora, in quæ populus Romanus imperium habet, populi Romani esse arbitror. Maris esse communem usum omnibus hominibus, ut aëris: iactasq; in id pilas esse eius, qui iecerit. sed id concedendum nõ esse, si deterior litoris marisue usus quo eo modo futurus sit.

IIII. SCAEVOLA *lib. II. responsorum respondit.*

IN litore iure gentium ædificare licere, nisi si usus publicus impediretur.

V. PAVLVS

SI per publicum locum riuus aquæductus priuato nocebit: erit actio priuato ex lege duodecim tabularum, ut de noxa domino caueat.

VI. IVLIANVS.

EI qui interdicto experit̃, ne quid in loco publico fiat, quo damnũ priuato detur: quamuis de loco publico interdicat: nihilominus procuratoris dandi facultas est.

VII. PAVLVS.

SIcut is, qui nullo prohibente in loco publico ædificauerat, cogendus non est demoliri, ne urbs deformet̃ ruinis: ita qui aduersus edi-

dum

ctum prætoris ædificauerit, tollere ædificium debet: alioqui inane & lusorium prætoris imperium fuerit.

DE LOCO PVBLICO FRVENDO. Tit. IX.

I. VLPIANVS.

PRætor ait. QVO MINVS LOCO PVBLICO, QVEM IS, CVI LOCANDI IVS FVERIT, FRVENDVM ALII LOCAVIT: EI, QVI CONDVXERIT, SOCIO'VE EIVS EX LEGE LOCATIONIS FRVI LICEAT, VIM FIERI VETO. Interdictū hoc publicæ utilitatis cauſſa proponi, palam eſt. tuetur enim uectigalia publica, dum prohibetur quis uim facere ei, qui ad fruendum conduxit. ſed ſi ſimul ueniant ad interdictum mouendū ipſe, qui conduxit, & locius eius: magis eſt, ut ipſe conductor præferatur. Ait prætor. QVO MINVS EX LEGE LOCATIONIS FRVI LICEAT. merito ait EX LEGE LOCATIONIS. ultra legem enim uel contra legem non debet audiri, qui frui deſiderat.

II. PAVLVS.

COncedi ſolet, ut imagines & ſtatuæ, quæ ornamento reipublicæ ſint futuræ, in publico ponantur.

DE VIA PVBLICA, ET SI QVID IN EA factum eſſe dicatur, & de ea ex edicto ædilium curulium à ſingulis reficienda. Tit. X.

I. VLPIANVS.

PRætor ait. QVO MINVS ILLI VIAM PVBLICAM, ITER'VE PVBLICVM APERIRE REFICERE LICEAT: DVM NE EA VIA ID'VE ITER DETERIVS FIAT: VIM FIERI VETO. Viam aperire eſt ad ueterem altitudinem latitudinemq; reſtituere. ſed & purgare refectionis portio eſt. Purgare autem proprie dicitur ad libramentum proprium redigere: ſublato eo, quod ſupra eam eſſet. reficit enim, & qui aperit, & qui purgat: & omnes omnino, qui in priſtinum ſtatum reducunt. Si quis ſub ſpecie refectionis deteriorem uiam faciat: impune uim patietur. propter quod neq; altiorem, neq; longiorē, neq; latiorem, neq; humiliorem uiam ſub nomine refectionis is, qui interdicit, poteſt facere: uel in uiam terrenam glaream iniicere, aut ſterne re uiam lapide, quæ terrena ſit: uel cōtra lapide ſtratam terrenā facere.

Interdictum hoc perpetuò dabitur, & omnibus, & in omnes: & habet

bet condemnationem in id,quod actoris intererat.

II. IABOLENVS.

VIam publicam populus non utendo amittere non potest.

III. Ἐκ τοῦ ἀσυνομικοῦ μονοβίβλου τοῦ Παπινιανοῦ.

Οἱ ἀσυνομικοὶ ὡμελειτώσαν κὴ τὴν πόλιν ὁδῶν, ὅπως ἂν ὁμαλισθῶσι, καὶ τὰ ῥεύματα μὴ βλάπτῃ τὰς οἰκίας, μὴ γέφυρα ὦσιν, οὗ ἂν δέῃ. Ἐπιμελείτωσαν δὲ καὶ οἱ ἴδιοι τοίχοι ἢ τῶν ἄλλων, ἢ τῶν περὶ τὰς οἰκίας, ὅταν εἰς τὴν ὁδὸν φερόμενοι, σφαλεροὶ ὦσιν, ἵνα ὡς δεῖ, καθαίρωσιν· οἱ δὲ ἀμελοῦντες τῶν οἴκων, καὶ ὡμισκυβάζωσιν. Ἂν δὲ μὴ καθαίρωσιν, μηδὲ ἐπισκυβάζωσι: ξημιούτωσαν αὐτοὺς, ἕως ἂν ἀσφαλῆ ποιήσωσιν. Ἐπιμελείτωσαν δὲ καὶ ὅπως μηδεὶς ὀρύσσῃ τὰς ὁδοὺς, μηδὲ χωννύῃ, μηδὲ κτίσῃ εἰς τὰς ὁδοὺς μηδέν. Εἰ δὲ μή: ὁ μὲν δοῦλος ὑπὸ τοῦ ἐντυχόντος μαστιγούσθω. Ὁ δὲ ἐλεύθερος ζυδεικνύσθω τοῖς ἀσυνόμοις. οἱ δὲ ἀσυνόμοι ζημιούτωσαν κατὰ τὸν νόμον, καὶ ἂ γεγονὸς καταλυέτωσαν. Ἐπισκυβάζῃ δὲ τὰς ὁδοὺς τὰς δημοσίας κατὰ τὴν αὐτοῦ οἰκίαν ἕκαστον, καὶ τὰς ὑδροῤῥοὰς ἐκκαθαίρῃ τὰς ἐκ τῶν ὑπαιθρίων, καὶ ἐπισκυβάζειν οὕτως, ὡς ἂν μὴ κωλύῃ ἐπιέναι. Ὅσοι δὲ μισθωσάμενοι οἰκοῦσιν, ἐὰν μὴ ἐπισκυβάζῃ ὁ δεσπότης, αὐτοὶ ἐπισκυβάσαντες ὑπολογιζέσθωσαν τὸ ἀνάλωμα κατὰ τὸν μισθόν. Ἐπιμελείτωσαν δὲ καὶ ὅπως πρὸ τῶν ἐργασηρίων μηδὲν προκείμενον ᾖ, ὃ λύμην ἐὰν κναφεὺς ἰμάλια χύσῃ, ἢ τέκτων προχύσῃ ἔξω τιθῇ. τιθέσθωσαν δὲ καὶ οὗτοι, ὥστε μὴ κωλύειν ἅμαξαν βαδίζειν. μὴ ἐάτωσαν δὲ μηδὲ μάχεσθαι ἐν ταῖς ὁδοῖς, μηδὲ κόπρον ἐκβάλλειν, μηδὲ νεκρὰ, μηδὲ δέρματα ῥίπτειν.

IIII. PAVLVS.

SI in agrum uicini uiam publicam quis reiecerit:tantũ in eum uiæ *reiectæ actio dabitur,quanti eius interest,cuius fundo iniuria irrogata est. Qui uiam publicam exarauerit, ad munitionem eius solus compellitur.

*al's.recceptæ.

DE FLVMINIBVS, NE QVID IN FLVMINE ripaue eius fiat,quo peius nauigetur. Tit. XI.

I. VLPIANVS.

AIt prætor. NE QVID IN FLVMINE PVBLICO RIPAVE EIVS FACIAS: NE QVID IN FLVMINE PVBLICO, NE'VE IN RIPA EIVS IMMITTAS, QVO STATIO ITERVE NAVIGIO DETERIVS SIT, FIAT. Flumen à riuo magnitudine discernendum est, aut existimatione circũcolentium. Item fluminum quædam sunt perennia, quædam torrentia. perenne est,quod semper fluit,id est ἀέννα: torrens,quod hyeme, hoc est χειμάῤῥους. Si tamen aliqua æstate exaruit, quod alioquin perenne fluc

ne fluebat:non ideo minus perenne eſt. Fluminum quædam publica ſunt,quædam non. Publicum flumen eſſe Caſſius definit,quod perenne ſit.hæc ſententia Caſſij,quam Celſus probat,uidetur eſſe probabilis. Hoc interdictum ad flumina publica pertinet. ſi autem flumen priuatum ſit:ceſſabit interdictum.nihil enim differt à cæteris locis priuatis flumẽ priuatum. Ripa autem ita recte definitur:id,quod flumen continet, naturalem rigorem curſus ſui tenens. Cæterum ſi quando uel imbribus,uel mari,uel qua alia ratione ad tempus excreuit:ripas non mutat. Nemo denique dixit Nilum, qui incremento ſuo Aegyptum cooperit,ripas ſuas mutare,uel ampliare.nam cum ad perpetuam ſuam menſuram redierit,ripæ aluei eius muniendæ ſunt.Si tamen flumen naturaliter creuit,ut perpetuum incrementum nactũ ſit, uel alio flumine admiſto,uel qua alia ratione:dicendum eſt procul dubio ripas quoque eum mutaſſe,quemadmodum ſi alueo mutato aliâ cœpiſſet fluere. Si inſula in publico flumine nata fuerit,inque ea aliquid fiat:non uidetur in publico fieri. Illa enim inſula,aut occupantis eſt, ſi limitati agri fuerunt:aut eius, cuius ripam contingit: aut ſi in medio alueo nata eſt,eorum, qui prope utraſque ripas prædia poſſident. Simili modo & ſi flumen alueum ſuum reliquerit,& aliâ fluere cœperit: quidquid in uetere alueo factum eſt:ad hoc interdictum non pertinet. non enim in flumine publico factum erit,quod eſt utriuſque uicini. At ſi limitatus eſt ager:occupãtis alueus fiet.certe * deſinit eſſe publicus. Ille etiam alueus,quem ſibi flumen fecit, & ſi priuatus ante fuit, incipit eſſe tamen publicus:quia impoſſibile eſt,ut alueus fluminis publici nõ ſit publicus. Si foſſa manufacta ſit,per quam fluit flumen publicum: nihilominus publica fit. & ideo ſi quid ibi fiat, in flumine publico factum uidetur:aliter,atque ſi flumen aliquam terram inundauerit,non alueum ſibi fecerit.tunc enim non fit publicum, quod aqua coopertum eſt. Item ſi amnis aliquid circũeat:ſciendum eſt,manere eius,cuius fuerit.ſi quid igitur factum eſt illic:non eſt factum in publico flumine: nec pertinet ad hoc interdictum, ſi quid in priuato factum ſit: nec quidem ſi in priuato flumine fiat.nam quod fit in priuato flumine:perinde eſt,atque ſi in alio loco priuato fiat. In publico flumine factum accipere debemus, quidquid in aqua factum eſt. nam ſi quid extra factum ſit:non eſt in flumine publico factum.& quod in ripa fit, non uidetur in flumine publico factum. Non autem omne, quod in flumine publico ripaúe fit, coërcet prætor: ſed ſi quid fiat, quo deterior ſtatio & nauigatio fiat. Ergo hoc interdictum ad ea tantum flumina pertinet, quæ ſunt nauigabilia: ad cætera non pertinet. Sed Labeo ſcribit,non eſſe iniquum,etiam ſi quid in flumine eo, quod nauigabi-

* aliàs. ſi deſinit.

le non sit,fiat, ut exaresçat,uel aquæ cursus impediatur: utile interdictum competere,ne uis ei fiat,quo minus id opus,quod in alueo flumi nis ripaue ita factũ sit, ut iter cursusue fluminis deterior sit,fiat:tollere, demoliri,purgare,restituere uiri boni arbitratu possit. Stationẽ à sta tuendo dicimus.is igitur locus demonstratur,ubicunq; naues bene stare possunt. Ait prætor, ITER'QVE NAVIGIO. hoc pro nauigatione positum est. imò nauigium solemus dicere etiam ipsam nauem. Iter ergo nauigio potest & sic accipi:iter naui deterius fiat. Nauigij appellatione etiam rates continentur: quia plerunq; & ratium usus necessarius est. Si pedestre iter impediatur:non ideo minus iter nauigio deterius fit. Deterior statio,itemq; iter nauigio deterius fieri uidetur, si usus eius corrũpatur, uel difficilior fiat, aut minor,aut rarior, uel si in totũ auferatur. Proinde siue deriuetur aqua, ut exiguior facta minus sit nauigabilis:uel si dilatetur,ut diffusa aquã breuem faciat: siue contra sic coangustetur,ut rapidius flumen faciat:uel si quid aliud fiat, qd nauigationẽ incommodiorem difficilioremue faciat, uel prorsus impediat:interdicto locus erit. Labeo scribit,non esse dicendum,dandam exceptionem ei,qui interdicto conuenitur, AVT NISI RIPAE TVENDAE CAVSSA FACTVM SIT: sed ita excipiendum ait, EXTRA QVAM SI QVID ITA FACTVM SIT, VTI DE LEGE FIERI LICVIT.

Si in mari aliquid fiat: Labeo ait competere tale interdictum, NE QVID IN MARI IN'VE LITORE, QVO PORTVS, STATIO, ITER'VE NAVIGIO DETERIVS FIAT. sed & si in flumine publico,nõ tamen nauigabili,fiat:idem putat. Deinde ait prætor. QVOD IN FLVMINE PVBLICO, RIPA'VE EIVS FIAT: SIVE QVID IN ID FLVMEN RIPAM'VE EIVS FACTVM VEL IMMISSVM HABEAS, QVO STATIO, ITER'VE NAVIGIO DETERIVS SIT, FIAT: RESTITVAS. Superius interdictum prohibitorium est, hoc restitutorium, ad eandẽ causſam pertinens. Iubetur autem is,qui factũ,uel immissum habet, restituere, quod habet:si modo id,quod habet,stationem uel nauigiũ deterius faciat. Hæc uerba FACTVM VEL IMMISSVM HABEAS ostendũt nõ eũ teneri,qui fecit uel immisit,sed qui factũ siue immissũ habet. denicq; Labeo scribit, si auctor tuus aquã deriuauerit:teneri te hoc interdicto, si ea utaris.

II. POMPONIVS.

QVo minus ex publico flumine ducatur aqua, nihil impedit: nisi imperator,aut senatus uetet: si modo ea aqua in usu publico nõ erit. sed si aut nauigabile est, aut ex eo aliud nauigabile sit: non permittitur id facere.

III. PAVLVS.

FLumina publica,quæ semper fluunt, ripæq; eorum publicæ sunt. Ripa

Ripa ea putatur esse, quæ pleniſſimum flumen continet. Secundum ripas fluminum loca nō omnia publica sunt: cum ripæ cedant, ex quo primum à plano uergere incipit usq; ad aquam.

IIII. SCAEVOLA.

QVæsitum est, an is, qui in utraq; ripa fluminis publici domus habeat, pontem priuati iuris facere possit? respondit. non posse.

NE QVID IN FLVMINE PVBLICO IN'VE ripa eius fiat, quo aliter aqua fluat, atq; priore æstate fluxit. Tit. XII.

I. VLPIANVS.

AIt prætor. IN FLVMINE PVBLICO, IN'VE RIPA EIVS FACERE, AVT IN ID FLVMEN RIPAM'VE EIVS IMMITTERE, QVO ALITER AQVA FLVAT, QVA'M PRIORE AESTATE FLVXIT, VETO. Hoc interdicto prospexit prætor, ne deriuationibus minus concessis flumina exaresc ant, uel mutatus alueus uicinis aliquam iniuriam adferat. pertinet autem ad flumina publica, siue nauigabilia sunt, siue non sunt. Ait prætor. QVO ALITER AQVA FLVAT, QVA'M PRIORE AESTATE FLVXIT. non omnis ergo, qui immisit, uel qui fecit, tenetur: sed qui faciendo uel immittendo efficit aliter, quàm priore æstate fluxit, aquam fluere. Quod aũt ait, ALITER FLVAT, non ad quantitatem aquæ fluentis pertinet, sed ad modum, & ad rigorem cursus aquæ referendũ est. Et generaliter dicendum est, ita demum interdicto quem teneri, si mutetur aquæ cursus, per hoc, quod factũ est: dum uel depressior uel altior fiat aqua, ac per hoc rapidior sit cum incommodo accolentiũ. Et si quid aliud uicĩ accolæ ex facto eius, qui conuenitur, sentient: interdicto locus erit. Si quis ex riuo tecto per apertum ducere uelit: uel contra qui ante aperto duxit, nunc operto uelit: interdicto teneri placuit: si modo hoc factum eius incommodum circa colentibus adferat. Simili modo & si incile ducat, aut alio loco fiat, aut si alueũ fluminis mutet: hoc interdicto tenebitur. Sunt qui putant, contra hoc interdictum excipiendum, QVOD EIVS RIPAE MVNIENDAE CAVSSA NON FIAT: scilicet ut si quid fiat, quo aliter aqua fluat (si tamen muniendæ ripæ causſa fiat) interdicto locus non sit. Sed nec hoc quibusdã placet. nec enim ripæ cum incommodo accolentiũ muniendæ sunt. Hoc tamen iure utimur, ut prætor ex causſa æstimet, an hanc exceptionem dare debeat. Plerunq; enim utilitas suadet istam exceptionem dari. sed & si aliqua utilitas uertatur eius, qui quid in flumine publico

fecit. pone enim grande damnum flumen ei dare solitum. prædia eius depopulari. si forte aggeres, uel quam aliam munitionem adhibuit, ut agrum suum tueretur, eaq; res cursum fluminis ad aliquid immutauerit: cur ei non consulatur? Pleroscq; scio prorsus flumina auertisse, aliueos q; mutasse, dum prædijs suis consulunt. oportet enim in huiusmodi rebus utilitatem & tutelam facientis spectari, sine iniuria tamen accolarum. Is autem hoc interdicto tenetur, qui aliter fecit fluere aquam, quàm priore æstate fluxit. & idcirco aiunt prætorem priorem æstatem comprehendisse: quia semper certior est naturalis fluminum cursus æstate, quàm hyeme. nec ad instantem æstatem, sed ad priorem hoc interdictum refertur: quia illius æstatis fluxus indubitatior est. Aestas ad æquinoctium autumnale refertur. & si forte æstate interdicetur: proxima superior æstas intuenda erit. si uero hyeme: tunc non proxima hyemi æstas, sed superior erit inspicienda. Hoc interdictum cuiuis ex populo competit, sed non aduersus omnes. uerum aduersus eum, qui id egit, ut aliter aqua flueret, cum ius non haberet.

Hoc interdictũ & in hæredes competit. Deinde ait prætor. QVOD IN FLVMINE PVBLICO RIPA'VE EIVS FACTVM: SIVE QVOD IN FLVMEN RIPAM'VE EIVS IMMISSVM HABES: SI OB ID ALITER AQVA FLVAT, ATQVE PRIORE AESTATE FLVXIT: RESTITVAS. Hoc interdictum restitutorium proponitur. superius enim prohibitorium est: & pertinet ad ea, quæ nondum facta sunt. Si quid igitur iam factum est: per hoc interdictum restituetur. si quid, ne fiat, prospicitur: superiore interdicto erit utendum. & si quid post interdictum redditum fuerit factum, coërcebitur. In hoc interdicto restitutorio nõ est iniquum uenire (ut Labeo ait) etiam quod dolo factum est, quo minus haberes.

VT IN FLVMINE PVBLICO NAVIGARE LICEAT. Tit. XIII.

I. VLPIANVS.

PRætor ait. QVO MINVS ILLI IN FLVMINE PVBLICO NAVEM, RATEM AGERE: QVO'VE MINVS PER RIPAM ONERARE, EXONERARE LICEAT: VIM FIERI VETO. ITEM VT PER LACVM, FOSSAM, STAGNVM PVBLICVM NAVIGARE LICEAT, INTERDICAM. Hoc interdicto prospicitur, ne quis flumine publico nauigare prohibeatur. sicut enim ei, qui uia publica uti prohibetur, interdictũ supra propositum est: ita hoc quoq; proponendũ prætor putauit. Si priuata sunt

supra

supraſcripta: interdictum ceſſat. Lacus eſt, quod perpetuam habet aquam. Stagnũ eſt, quod temporalem continet aquã ibidẽ ſtagnantem, quæ quidem aqua plerunq; hyeme cogitur. Foſſa receptaculũ aquæ manu factum. Poſſunt autem etiam hæc publica eſſe non publica. Planè qui ſtagnum uel lacum conduxit, ſi piſcari prohibeatur: utile interdictum competere, Sabinus conſenſit. & ita Labeo. Ergo & ſi à municipibus conductum habet: æquiſſimũ erit, ob uectigalis fauorem interdicto eum tueri. Si quis uelit interdictum tale mouere, ut locus deprimatur pecoris adpellendi gratia: nõ debet audiri. & ita Mela ſcribit. Idem ait, tale interdictum competere, ne cui uis fiat, quo minus pecus ad flumen publicum ripamúe fluminis publici adpellatur.

DE RIPA MVNIENDA. Tit. XIIII.

I. VLPIANVS.

PRætor ait. QVO MINVS ILLI IN FLVMINE PVBLICO RIPA'VE EIVS OPVS FACERE, RIPAE AGRI'VE, QVI CIRCA RIPAM EST, TVENDI CAVSSA LICEAT: (DVM NE OB ID NAVIGATIO DETERIOR FIAT) SI TIBI DAMNI INFECTI IN ANNOS DECEM BONI VIRI ARBITRATV VEL CAVTVM, VEL SATISDATVM EST, AVT PER ILLVM NON STAT, QVO MINVS BONI VIRI ARBITRATV CAVEATVR, VEL SATISDETVR: VIM FIERI VETO. Ripas fluminum publicorum reficere, munire utiliſſimum eſt. Sicut igitur de uia publica reficienda interdictum propoſitum eſt: ita etiã de ripa fluminis munienda proponendum fuit. Merito adiecit, DVM NE OB ID NAVIGATIO DETERIOR FIAT. Illa enim ſola refectio toleranda eſt, quæ nauigationi impedimento nõ eſt. Is autem, qui ripam uult munire, de damno futuro debet uel cauere, uel ſatiſdare ſecundum qualitatem perſonæ. & hoc interdicto expreſſum eſt, ut damni infecti in annos decem uiri boni arbitratu uel caueatur, uel ſatiſdetur. Dabitur autem ſatis uicinis: ſed & his, qui trans flumen poſſidebunt. etenim curandũ fuit, ut eis ante opus factum caueretur. nam poſt opus factum perſequendi hoc interdicto nulla facultas ſupereſt, etiam ſi quid damni poſtea datum fuerit: ſed lege Aquilia experiendum eſt. Et illud notandum eſt, quod ripæ, lacus, foſſæ, ſtagni muniendi cauſſa prætor nihil cauit. ſed idem erit obſeruandum, quod in ripa fluminis munienda.

DE VI ET DE VI ARMATA. Tit. XV.

I. VLPIANVS.

PRætor ait. VNDE TV ILLVM VI DEIECISTI, AVT FAMILIA TVA DEIECIT: DE EO, QVOD EVE ILLE TVNC IBI HABVIT, TANTVMMODO INTRA ANNVM: POST ANNVM VERO DE EO, QVOD AD EVM, QVI VI DEIECIT, PERVENERIT: IVDICIVM DABO.

Hoc interdictum proponitur ei, qui ui deiectus est. Etenim fuit æquissimum, ui deiecto subueniri. propter quod ad recuperandam possessionem hoc interdictum proponitur. Ne quid autem per uim amittatur, & legibus Iulijs publicorum & priuatorum prospicitur, necnon & constitutionibus principum. Hoc interdictum nō ad omnem uim pertinet. uerum ad eos tantum, qui de possessione deijciuntur. Ad. solam autem atrocem uim pertinet hoc interdictum: & ad eos tantū, qui de solo deijciuntur, utputa de fundo, siue de ædificio. ad alium aūt non pertinet. Et si quis de area deiectus sit, sine dubio interdicto locus est. Et generaliter ad omnes hoc pertinet interdictum, qui de re solo cohærenti deijciuntur. qualis qualis enim fuerit locus, undè quis ui deiectus est, interdicto locus erit. Proinde & si superficiaria insula fuerit, qua quis deiectus est: apparet interdicto locum fore. Illud utiq; in dubium non uenit: interdictum hoc ad res mobiles non pertinere. nam ex caussa furti, uel ui bonorum raptorum actio competit. poterit & ad exhibendum agi. Planè si quæ res sunt in fundo, uel in ædibus, unde quis deiectus est: earum etiam nomine interdictum competere, non est ambigendum. Si quis de naui ui deiectus est, huic interdicto locus nō est. argumēto eius, qui de uehiculo detractus est, quem nemo dixit interdicto hoc uti posse. Planè si quis de ligneis ædibus deiectus fuerit: nemo ambigit interdicto locum fore: quia quale quale sit, quod solo cohæreat, unde quis deiectꝰ est ui, habet locū interdictū. Deijcit is, qui possidet: siue naturaliter, siue ciuiliter possideat. nam & naturalis possessio ad hoc interdictum pertinet. Deniq; & si maritus uxori donauit, eaq; deiecta sit: poterit interdicto uti. non tamen, si colonus sit.

Ait prætor. DEIECISTI, AVT FAMILIA TVA DEIECIT. merito familiæ mentio habita. nam cum DEIECISTI uerbum referatur ad personam eius, qui deiecit, nec pertineat ad eum, cuius familia deiecit: (nec enim ego uideor deiecisse, si familia mea deiecerit) consequens fuit addere, AVT FAMILIA TVA DEIECIT. Deiecisse autem etiam is uidetur, qui mandauit, uel iussit, ut aliquis deijceretur. parui enim refert uisum est, suis manibus quis deijciat, an uero per alium. quare si familia mea ex uoluntate mea deiecerit: ego uideor deiecisse. Quoties uerus procurator deiecit: cum utrolibet eorum, id est siue domino, siue

no,siue procuratore,agi posse Sabinus ait, & alterius nomine alterum eximi:sic tamen,si ab altero eorum litis æstimatio fuerit præstita. non enim excusatus est,qui iussu alicuius deiecit: non magis,quàm si iussu alicuius occidit. Cum autem falsus est procurator:cum ipso tantũ procuratore interdici debere. Sabini sententia uera est. Sed &si quod alium deiecit,ratum habuero:sunt,qui putant secundũ Sabinũ & Cassiũ, qui ratihabitionem mandato comparant:uideri me deiecisse, interdicto q; isto teneri. & hoc uerum est. rectius enim dicitur,ratihabitionem in maleficio mandato comparari. Quod ergo additur, AVT FAMILIA TVA DEIECIT: merito scriptum est,in eum scilicet casum,in quẽ familia mea ui deiecit. cæterum si iussit:deiecit ipse. nec grauari debet dominus,qui non iussit,seruorum suorum factum præstare,si non iussu eius deiecerunt. nam nõ grauabitur hoc nomine. quippe cum aut peruenerit ad eum aliquid,& restituet:aut non peruenerit, & ipsos seruos noxæ dedendo maleficij caussa indemnis erit. Quod enim noxæ dedere compellitur: in damno non debet computari: cum serui in hoc possint domini conditionem deteriorem facere. Familiæ autem appellatio seruos continet. Sed quæritur,quem numerum seruorum contineat:utrum plurium,an uero duorum,uel trium? sed uerius est in hoc interdicto,etiam si unus seruus ui deiecerit, familiam uideri deiecisse. Familiæ appellatione & eos,quos seruorum loco habemus,contineri oportere,dicendum est. Si quis tamen neget se seruum uel familiam defendere:cogendus est pati hoc interdictũ, ad hoc scilicet,ut quod ad eum peruenerit, restituat. Si filiusfamilias uel mercẽnarius ui deiecerit:utile interdictum competit. Si aduersus eũ, qui in libertatem ex seruitute uel contra peritur,post incohatum liberale iudicium utatur interdicto, & liber iudicatus fuerit, & apparuerit ignorante eo à seruis suis ui me deiectum:in possessionem restituar.

Quod seruus,uel procurator,uel colonus tenent:dominus uidetur possidere. & ideo his deiectis,ipse deijci de possessione uidetur: etiam si ignoret eos deiectos,per quos possidebat. Et si quis igitur alius,per quẽ possidebat,deiectus fuerit:mihi competere interdictum,nemini dubiũ est. Interdictum autem hoc nulli competit,nisi ei,qui tunc,cum deijceretur,possidebat:nec alius deijci uisus est,quàm qui possidet. Sine autem corpore,siue animo possidens quis deiectus est: palam est eũ ui deiectum uideri. Idcirco q; si quis de agro suo,uel de domo processisset,nemine seruorum relicto, mox reuertens prohibitus sit ingredi ad ipsum prædium:uel si quis eum in medio itinere detinuerit,& ipse possederit:ui deiectus uidetur. ademisti enim ei possessionem, quam animo retinebat,& si non corpore. Quod uulgo dicitur, æstiuorũ hyberno

bernorumq; ſaltuũ nos poſſeſſiones animo retinere; id exempli cauſſa didici dicere Proculum. nam ex omnibus prædijs, ex quibus non hac mente recedimus, ut omiſiſſe poſſeſſionẽ uelimus, idem eũ Eum, qui neq; animo, neq; corpore poſſidebat, ingredi aũt & incipere poſſidere prohibeatur: uerius eſt, non uideri deiectum. deijcitur enim, qui amittit poſſeſſionem, non qui non accipit. Vim ui repellere licere Caſſius ſcribit, idq; ius natura comparatur. Apparet autem (inquit) ex eo, arma armis repellere licere. Vi poſſidere eum definiendum eſt, qui expulſo uetere poſſeſſore adquiſitam per uim poſſeſſionem tenet: aut qui in hoc ipſum aptatus & præparatus uenit, ut contra bonos mores, ne auxilio prohiberi poſſit ingrediens in poſſeſſionem, faciat. Sed qui per uim poſſeſſionem ſuam retinuit: Labeo ait, non ui poſſidere. Idem Labeo ait: eum, qui metu turbæ perterritus, fugerit: ui ui deri deiectum. Sed Pomponius ait, uim ſine corporali ui locum nõ habere. Ego etiam eum, qui fugatus eſt, ſuperuenientibus quibuſdam, ſi illi ui occupauerint poſſeſſionem, uideri ui deiectum. Qui etiã à me ui poſſidebat, ſi ab alio ui deijciatur: habet interdictum. Qui ui deiectus eſt, quidquid damni ſenſerit ob hoc, quod deiectus eſt, recuperare debet. priſtina enim cauſſa reſtitui debet, quam habiturus erat, ſi non fuiſſet deiectus. Si fundus, à quo ui expulſus ſum, mihi reſtitutus eſſet: cæteræ uero res, quæ ui ablatæ ſunt, non reſtituerentur: hic dicendum eſt, interdictum nihilominus tenere: quia uerum eſt, me ui eſſe deiectum. Planè ſi quis uelit de poſſeſſione quidem rei ſoli per hoc interdictum experiri, de rebus uero mobilibus ad exhibendum actione: poteſt habere hoc in ſuo arbitrio. & ita Iulianus ſcribit. Idem ſcribit, & ſi quis ui bonorũ raptorum de huiuſmodi rebus uelit experiri. Quod autem ait prætor, QVAE QVE IBI HABVIT, ſic accipimus: ut omnes res contineantur, non ſolum quæ propriæ ipſius fuerunt, uerum & ſi quæ apud eum depoſitæ, uel ei cõmodatæ, uel pignoratæ, quorumq; uſum, uel uſumfructum, uel cuſtodiã habuit, uel ſi quæ ei locatæ ſunt. cum enim prætor dicat HABVIT: omnia hæc habendi uerbo continentur. Rectiſſime autem prætor addidit, TVNC IBI HABVIT. TVNC ſic accipimus, cum deijceretur. & ideo ſi quid poſtea deſijt illic eſſe: dicendum erit in interdictum uenire. ſic fit, ut etiam ſi homines uel pecora demortua ſint poſt deiectionem, interdicto locus ſit. Denicq; Iulianus ſcribit: eum, qui ui deiecit ex eo prædio, in quo homines fuerant, propius eſſe, ut etiam ſine culpa eius mortuis hominibus, æſtimationem eorũ per interdictum reſtituere debeat: ſicuti fur hominis etiam mortuo eo tenetur. huic conſequens eſſe ait, ut uillæ quoq; & ædium incendio conſumptarum precium reſtituere cogatur. Vbi enim quis (inquit)

(inquit) deiecit ui, per eum ſtetiſſe uidetur, quo minus reſtitueret. & id circo conſtare ait: eum, qui ui deiecit, quiũe dolo malo deſierit poſſidere, interdicto teneri. IBI aũt ait prætor, ut ne quis & quæ illic non habuit, cõplectatur. Sanè quod ait prætor IBI, quomodo accipimus? utrum in eo loco, unde quis ui deiectus eſt: an uero in omni poſſeſſione? & melius dicetur, non ad angulum unum referendum, uel locum, in quo fuerit, uerum etiam ad omnem partem poſſeſſionis, qua quis caruit, cum deiiceretur. Annus in hoc interdicto utilis eſt. Ex die, quo quis deiectus eſt, fructuum ratio habetur: quamuis in cæteris interdictis, ex quo edita ſunt, non retro computantur. Idem eſt & in rebus mobilibus, quæ ibi erant. nam & eorum fructus computandi ſunt, ex quo quis ui deiectus eſt. Non ſolum autem fructuum in hoc interdictõ ratio habetur: uerum cæterarum etiam utilitatum habenda eſt. nam & Viuianus refert, in hoc interdicto omnia, quæcunq; habiturus uel adſecuturus erat is, qui deiectus eſt, ſi ui deiectus non eſſet, reſtitui, aut eorum litem à iudice æſtimari debere: eumq; tantum conſecuturum, quanti ſua intereſſet, ſi ui deiectus non eſſet. Ex interdicto VN DE VI etiam is, qui non poſſidet, reſtituere cogetur. Interdictum hoc (quia atrocitatem facinoris continet in ſe) quæſitum eſt, an liberto in patronum, uel liberis aduerſus parentes competat? & uerius eſt, nec liberto in patronum, nec in parentes liberis dandũ eſſe: meliusq; erit in factum actionem his competere: aliter, atq; ſi ui armata uſus ſit aduerſus libertum patronus, uel aduerſus liberos parens. nam & hic interdictum competit. Hoc interdictum & hæredi, & cæteris ſucceſſoribus competit. Non autem alij, quàm ei, qui poſſidet, interdictum VNDE VI competere: argumentum præbet, quod apud Viuianum relatum eſt, ſi quis me ui deiecerit, meos non deiecerit: non poſſe me interdicto hoc experiri: quia per eos retineo poſſeſſionem, qui ui deiecti non ſunt. Idem Viuianus refert. ſeruos quoſdam ui expulit, alios detinuit, & uinxit. aut etiam eis imperauit. ui te deiectum intelligi. deſiſſe enim te poſſidere, cum ſerui ab alio poſſideantur. Et quod in parte ſeruorũ dictũ eſt, idem in omnibus dici placuit: ſi forte nemo depulſus eſſet, ſed poſſideri ab eo cœpiſſent, qui ingreſſus eſſet in poſſeſſionem. Quid dicturi eſſemus (tractat) ſi aliquo poſſidente ego quoq; ingreſſus ſim in poſſeſſionem, & non deiiciam poſſeſſorem, ſed uinctũ opus facere cogam? quatenus (inquit) res eſſet. ego uerius puto, eum quoq; deiectũ uideri, qui illinc uinctus eſſet. Ex cauſſa huius interdicti in hæredem & bonorum poſſeſſorem cæterosq; ſucceſſores in factum actio competit in id, quod ad eos peruenit.

II. PAVLVS.

DOloûe malo eorum factum est,quo minus peruenirent.

III. VLPIANVS.

QVod quidem est,& si quis armis deiectus est:quia & ex facinoribus defunctorum de eo,quod ad hæredem peruenit,actio datur. Sufficit enim non in lucro uersari eum hæredem,non etiã subire damnum. Hæc actio, quæ aduersus hæredem, cæterosq; successores pertinet,perpetuo competit:quia in ea rei persecutio cõtinetur. Armis deiectum quomodo accipimus? arma sunt omnia tela:hoc est, & fustes,& lapides,non solum gladij,hastæ,& frameæ, id est rhomphææ. Planè & si unus uel alter fustes uel gladium tenuit:armis possessor deiectus uidetur. Plus dicitur,& si inermes uenerunt,si in ipsa contrectatione,qui inermes uenerant,eò processerunt, ut fustes aut lapides sumerent:uis erit armata. Qui armati uenerunt: & si non armis usi sunt ad deijciendũ, si deiecerint: armata uis facta esse uidetur. sufficit enim terror armorum,ut uideantur armis deiecisse. Si quis autem uisis armatis,qui aliò tendebant,metu hoc deterritus profugerit: non uidetur ui deiectus:quia non hoc animo fuerunt,qui armati erant,sed aliò tendebant. Proinde & si cum armatos audisset uenire,metu possessione decesserit:siue uerum,siue falsum audisset: dicendum est,non armis eum esse deiectũ,nisi possessio ab his fuerit occupata. Si autem cum dominus ueniret in possessionem,armati eum prohibuerũt, qui inuaserant possessionem:uideri eum armis deiectum. Eum igitur, qui cum armis uenit,possumus armis repellere:sed hoc confestim, nõ ex interuallo:dummodo sciamus,non solum resistere permissum, ne deijciatur:sed & si deiectus quis fuerit,eundem deijcere non ex interuallo,sed ex continenti posse. Cum procurator armatus uenit, & ipse dominus armis deiecisse uidetur:siue mandauit,siue (ut Iulianus ait) ratum habuit. hoc & in familia dicendum est. nam cum familia sine me armata uenit: ego non uideor uenisse, sed familia:nisi uel iussi, uel ratum habui. Hoc interdictum etiam aduersus eum proponitur, qui dolo malo fecit,quo quis armis deijceretur:& post annum redditur in id,quod peruenit ad eum,qui prohibuit. VNDE VI interdictũ necessariũ fuisse fructuario apparet, si prohibeatur uti frui usufructuendi. Vti frui aũt prohibuisse is uidetur, qui ui deiecit utentem & fruentem:aut non admisit,cum ex fundo exisset, nõ ususfructus deseren di caussa. Cæterum si quis ab initio uolentem incipere uti frui prohibuit:hoc interdictum locum non habet.quid ergo est? debet fructuarius usumfructum uindicare. Pertinet autem hoc interdictum ad eũ, qui fundo uti frui prohibitus est. sed pertinebit etiam ad eum,qui ædificijs uti frui prohibetur. Consequenter aũt dicemus, ad res mobiles

hoc

hoc interdictum non pertinere, si quis uti frui prohibitus sit re mobili: nisi rei soli accedebant res mobiles. Si igitur ibi fuerunt: dicendum est etiam ad eas res referri hoc interdictum debere. Item si non usus fructus, sed usus sit relictus: competit hoc interdictum. ex quacunq; enim caussa constitutus est usus fructus, uel usus: hoc interdictum locum habebit. Qui usus fructus nomine qualiter qualiter fuerit quasi in possessione, utetur hoc interdicto. sed & si quis postea, quàm prohibitus est, capite minutus sit, uel mortuus: recte dicitur, hæredibus & successoribus competere hoc interdictum: non ut in futurum cõstituatur usus fructus, sed ut præterita caussa & damnum præteritũ sarciatur. Hæres quoq; simili modo debebit in factum actionem susscipere in id, quod ad se peruenit.

IIII. IDEM.

Si ui me deiecerit quis nomine municipum: in municipes mihi interdictum reddendum Pomponius scribit, si quid ad eos peruenit.

V. IDEM.

Si iterum tibi possessionem ui tradidero: dicit Pomponius, VNDE VI interdictum cessare: quoniam non est ui deiectus, qui compulsus est in possessionem inducere.

VI. PAVLVS.

In interdicto VNDE VI tanti condemnatio facienda est, quanti intersit possidere: & hoc iure nos uti, Pomponius scribit: id est, tanti rem uideri, quanti actoris intersit: quod aliàs minus sit, aliàs plus. nam sæpe actoris pluris interesse hominem retinere, quàm quanti is est: ueluti cum quæstionis habendæ, aut rei probandæ gratia, aut hæreditatis adeundæ interest eius eum possideri.

VII. IDEM.

Cum à te ui deiectus sim, si Titius ui eandem rem possidere cœperit: non possum cum alio, quàm tecum experiri interdicto.

VIII. IDEM.

Fulcinius dicebat ui possideri, quoties uel non dominus (cum tamen possideret) ui deiectus est.

IX. IDEM.

Si plures hæredes sunt: unusquisq; non amplius, quàm ad eum peruenerit, tenetur. qua de caussa interdum in solidum tenebitur is, ad quem totũ peruenerit, quãuis ex parte hæres sit. Deiectum ab usu fructu in eadẽ caussa prætor restituere debet: id est in qua futurus esset, si deiectus non esset. itaq; si tempore usus fructus finitus fuerit, postq; deiectus est à domino: nihilominus cogẽdus erit restituere, id est usum fructum iterum constituere.

X. CAIVS.

SI de fundo proprietarium uel fructuarium prædo expulerit, atq; ob id fructuarius cõstituto tempore non usus, perdiderit ius suum: nemo dubitat, quin tunc dominus (siue experiatur cum fructuario aduersus prædonem, siue non experiatur) retinere debeat reuersum ad se usumfructum: & quod fructuarius perdidit, id ad damnum eius pertineat, cuius facto perijt.

XI. POMPONIVS.

VIm facit, qui non sinit possidentem eo, quod põssidebat, uti arbitrio suo: siue in serendo, siue in fodiẽdo, siue in arando, siue quid ædificando, siue quid omnino faciendo, per quod liberam possessionẽ aduersarij non reliquit.

XII. MARCELLVS.

COlonus eum, cui locator fundum uendiderat, cum is in possessionem esset, non admisit. deinde colonus ui ab alio deiectus est. quærebatur, quis haberet interdictum VNDE VI? dixi. nihil interesse, colonus dominum ingredi uolentem prohibuisset: an emptorem, cui iussisset dominus tradi possessionem, non admisisset. Igitur interdictũ VNDE VI colono competiturum: ipsumq; simili interdicto locatori obstrictum fore, quem deiecisse tunc uideretur, cum emptori possessionem non tradidisset: nisi forte propter iustã & ꝓbabilem causſam id fecisset.

XIII. VLPIANVS.

NEq; VNDE VI, neq; aliud interdictum famosum est.

XIIII. POMPONIVS.

SEd si ui armata deiectus es: sicut ipsum fundũ recepisses etiam si ui, aut precariò, aut clam eũ possideres: ita res q̃q; mobiles omnimodo recipies.

XV. PAVLVS.

SI ui me deieceris, uel ui aut clam feceris: quamuis sine dolo & culpa amiseris possessionem: tamen damnandus es, quanti mea interfit: quia in eo ipso culpa tua præcesserit, quod omnimodo ui deiecisti, aut ui aut clam fecisti.

XVI. VLPIANVS.

IN interdicto VNDE VI, si à filiofamilias deiectus es: dicendum est, ut & eius causſa, quod ad patrem peruenit, ipse teneatur.

XVII. IVLIANVS.

QVi possessionem ui ereptam ui in ipso congressu recipit: in pristinam causſam reuerti potius, quàm ui possidere intelligendus est. Ideoq; si te ui deiecero, ilico tu me, deinde ego te: VNDE VI interdictum tibi utile erit.

XVIII. PAPINIANVS.

Cum

CVm fundum, qui locauerat, uendidisset: iussit emptorem in uacuam possessionem ire, quem colonus intrare prohibuit. postea emptor ui colonũ expulit. de interdictis VNDE VI quæsitum est. placebat, colonum interdicto uenditori teneri: quia nihil interesset, ipsum, an alium ex uoluntate eius missum intrare prohibuerit. neq; enim ante amissam possessionem uideri, cũ si tradita fuisset emptori: quia nemo eo animo esset, ut possessionem omitteret propter emptorem, quam emptor adeptus non fuisset. emptorem quoq; qui postea uim adhibuit, & ipsum interdicto colono teneri. nõ enim ab ipso, sed à uenditore per uim fundum esse possessum, cui possessio per uim esset ablata. Quæsitum est, an emptori succurri debeat, si uoluntate uenditoris colonum postea ui expulisset? dixi, non esse iuuandum: quia mandatum illicitum suscepit. Eum, qui fundum uindicauit ab eo, cum quo interdicto VNDE VI potuit experiri pendente iudicio: nihilominus interdicto recte agere placuit.

XIX. TRIPHONINVS.

MErito Iulianus respondit, si me de fundo ui deieceris, in quo res mouentes fuerint, cum mihi interdicto VNDE VI restituere debeas, non solum possessionem soli, sed & ea, quæ ibi fuerunt: quanq; ego moram fecero, quo minus interdicto te conuenirem: subtractis tamen mortalitate seruis, aut pecoribus, alijsue rebus casu intercidentibus, tuum onus in eis nihilominus restituendis esse: quia ex ipso tempore delicti plus, quàm fruſtrator debitor constitutus es.

XX. LABEO.

SI colonus tuus ui deiectus est: ages VNDE VI interdicto. Idem est, si inquilinus tuus ui deiectus fuerit. PAVLVS. idem dici potest de coloni colono, item inquilini inquilino.

VTI POSSIDETIS. Tit. XVI.

I. VLPIANVS.

AIt prætor. VTI EAS AEDES, DE QVIBVS AGITVR, NEC CLAM, NEC VI, NEC PRECARIO ALTER AB ALTERO POSSIDETIS: QVO MINVS ITA POSSIDEATIS, VIM FIERI VETO. DE CLOACIS HOC INTERDICTVM NON DABO: NEQVE PLVRIS, QVAM QVANTI EA RES ERIT, INTRA ANNVM, QVO PRIMVM EXPERIVNDI POTESTAS FVERIT, AGERE PERMITTAM. Hoc interdictum de soli possessore scriptum est, quem potiorem prætor in soli possessione habeat: & est prohibitorium ad retinendam possessionem. Huius aũt

interdicti proponendi causſa hæc fuit:quod ſeparata debeat eſſe poſſeſſio à proprietate. fieri etenim poteſt,ut alter poſſeſſor ſit,dominus nō ſit:alter dominus quidem ſit,poſſeſſor uero non ſit.fieri etiã poteſt,ut & poſſeſſor idem,& dominus ſit. Quoties ergo inter litigatores eſt proprietatis controuerſia: aut conuenit uter poſſeſſor ſit,uter peritor: aut non conuenit.ſi conuenit:abſolutum eſt:& ille poſſeſſoris commodo,quem conuenit poſſidere,ille petitoris onere fungitur. ſed ſi inter ipſos cõtendatur,uter poſſideat,quia alteruter ſe magis poſſidere adfirmat:tunc ſi res ſoli ſit,de cuius poſſeſſione cõtenditur,ad hoc interdictũ remittentẽ. Eſt hoc igitur interdictũ,quod uulgo VTI POSSIDETIS appellatur,retinendæ poſſeſſionis. Nam huius rei causſa redditur, ne uis fiat ei,qui poſſidet. Et conſequenter proponitur poſt interdictũ, VNDE VI. Illud enim reſtituit ui amiſſam poſſeſſionem:hoc tuetur, ne amittatur poſſeſſio.deniq; prætor poſſidenti uim fieri uetat:& illud quidem interdictum oppugnat poſſeſſorem,hoc tuetur. & (ut Pedius ait)omnis de poſſeſſione controuerſia,aut ad hoc pertinet,ut quod nõ poſſidemus,nobis reſtituatur:aut ad hoc,ut retinere nobis liceat,quod poſſidemus. Reſtituendæ poſſeſſionis ordo aut interdicto expeditur, aut per actionem. Retinendæ itaq; poſſeſſionis duplex uia eſt: aut exceptio,aut interdictum. exceptio datur ex multis cauſſis ei,qui poſſidet. Perpetuò aũt huic interdicto inſunt hæc:quod nec ui,nec clam, nec precariò ab illo poſſideas. Interdictũ autem,quod eſt VTI POSSIDETIS, poſſeſſorem prædij tuetur. actio enim nunquam ultro poſſeſſori datur:quippe cum ſufficiat ei,quod poſſideat. Hoc interdictum locum habet:ſiue quis totum fundum poſſidere ſe dicat,ſiue pro certa parte,ſiue pro indiuiſo. Hoc interdictum in omnibus etiam poſſeſſionibus,quæ ſunt ſoli,ſine dubio locũ habebit: dummodo poſſideri poſſint. Quod ait prætor in interdicto,NEC VI,NEC CLAM NEC PRECARIO ALTER AB ALTERO POSSIDETIS, hoc eo pertinet:ut ſi quis poſſidet ui,aut clam,aut precariò:ſiquidem ab alio: proſit ei poſſeſſio.ſi uero ab aduerſario ſuo:non debeat eum propter hoc, quod ab eo poſſidet,uincere. has enim poſſeſſiones non debere proficere, palam eſt.

II. CAIVS.

IVſta enim,an iniuſta aduerſus cæteros poſſeſſio ſit,in hoc interdicto nihil refert. qualiſcunq; enim poſſeſſor hoc ipſo,quod poſſeſſor eſt, plus iuris habet,quàm ille,qui non poſſidet.

III. PAVLVS.

SI duo quoq; poſſideant in ſolidum:uideamus, quid ſit faciendum. quod qualiter procedat, tractemus: ſi quis ꝓponeret poſſeſſionẽ iuſtam

ſtam & iniuſtã. ego poſſideo ex iuſta cauſſa: tu ui, aut clam. ſi à me poſſides: ſuperior ſum in interdicto. ſi uero non à me: neuter noſtrum uincetur. nam & tu poſſides, & ego. Hoc interdictum duplex eſt: & hi, quibus competit, & actores & rei ſunt. Hoc interdictum ſufficit ei, qui ædificare in ſuo prohibetur. etenim uideris mihi poſſeſſionis controuerſiam facere, qui prohibes me uti mea poſſeſſione. Cum inquilinus dominum ædes reficere uolentem prohiberet: æque competere interdictum VTI POSSIDETIS placuit: teſtariq; dominum, nõ ſe prohibere inquilinũ, ne habitaret, ſed ne poſſideret. Item uideamꝰ, ſi actor uicini tui ex fundo tuo uites in ſuas arbores tranſduxit, quid iuris ſit. & ait Pomponius, poſſe te ei denunciare, uites præcidere (idq; & Labeo ſcribit) aut uti eum debere interdicto VTI POSSIDETIS de eo loco, quo radices continentur uitium. nam ſi tibi uim fecerit, quo minus eas uites uel præcidas, uel tranſducas: uim tibi facere uidet̃, quo minus poſſideas. etenim qui colere fundum prohibetur, poſſidere prohibetur, ut Pomponius inquit. Item uideamus, ſi proiectum ſupra uicini ſolum non iure habere dicatur: an interdictum VTI POSSIDETIS ſit utile alteri aduerſus alterum. & eſt apud Caſſium relatum, utriq; eſſe inutile: quia alter ſolum poſſidet, alter cum ædibus ſuperficiem. Labeo quoq; ſcribit, ſi ex ædibus meis in ædes tuas proiectum habeo: interdicis mecum, ſi eum locum poſſideamus, qui proiecto tegetur. an quo facilius poſſim retinere poſſeſſionem, ius proiectionis interdico tecum, SICVTI NVNC POSSIDETIS EAS AEDES, EX QVIBVS PROIECTVM EST? Sed ſi ſupra ædes, quas poſſideo, cœnaculũ ſit, in quo alius quaſi dominus moretur: interdicto VTI POSSIDETIS me uti poſſe, Labeo ait: non eum, qui in cœnaculo moraretur. ſemper enim ſuperficiem ſolo cedere. Planè ſi cœnaculum ex publico aditum habeat: ait Labeo, uideri nõ ab eo ædes poſſideri, qui κειμήλια poſſidet: ſed ab eo, cuius ædes ſupra κειμήλια eſſent. & uerũ eſt hoc in eo, qui aditũ ex publico habuerit. Cæterũ ſuperficiarij proprio interdicto, & actionibus à prætore utent̃. dominus autem ſoli tam aduerſus alium, quàm aduerſus ſuperficiariũ potior erit in interdicto VTI POSSIDETIS: ſed prætor ſuperficiariũ tuebitur ſecundum legem locationis. & ita Pomponius quoq; probat.

Creditores miſſos in poſſeſſionem rei ſeruandæ cauſſa, interdicto VTI POSSIDETIS uti non poſſe, & merito: quia non poſſident. Idemq; & in cæteris omnibus, qui cuſtodiæ cauſſa miſſi ſunt in poſſeſſionem, dicendum eſt. Si uicinus meus in parte mea tectoria habeat, & in parte ſua: VTI POSSIDETIS interdictum mihi efficax eſt, ut ea tollere compellatur. Non uideor ui poſſidere, ſi ab eo, quem ſcirem ui in poſſeſſione eſſe, fundum accipiam. In hoc interdicto condemnatio-

nis

nis ſumma refertur ad æſtimationem rei ipſius. QVANTI RES EST ſic accipimus, quanti uniuſcuiuſq; intereſt poſſeſſionem retinere. Seruij autem ſententia eſt, exiſtimantis tanti poſſeſſionem æſtimandam, quanti ipſa res eſt. Sed hoc nequaquam opinandum eſt. longe enim aliud eſt rei precium, aliud poſſeſſionis.

IIII. IDEM.

IN ſumma puto dicendum, & inter fructuarios hoc interdictum reddendum: & ſi alter uſumfructum, alter poſſeſſionem ſibi defendat. idem erit probandum, & ſi uſusfructus quis ſibi poſſeſſionem defendat. & ita Pomponius ſcribit. proinde & ſi alter uſum, alter ſibi fructũ tueatur: & his interdictum erit dandum.

DE SVPERFICIEBVS. Tit. XVII.

I. VLPIANVS.

AIt prætor. VTI EX LEGE LOCATIONIS SIVE CONDVCTIONIS SVPERFICIE, QVA DE AGITVR, NEC VI, NEC CLAM, NEC PRECARIO ALTER AB ALTERO FRVEMINI: QVO MINVS ITA FRVAMINI, VIM FIERI VETO. SI QVA ALIA ACTIO DE SVPERFICIE POSTVLABITVR: CAVSSA COGNITA DABO. Qui ſuperficiem in alieno ſolo habet, ciuili actione ſubnixus eſt. nam ſi conduxit ſuperficiem, ex conducto: ſi emit, ex empto agere cum domino ſoli poteſt. Etenim ſi ipſe eum prohibeat: quod intereſt, agendo conſequetur. ſin autem ab alio prohibeat: præſtare ei actiones ſuas dominus debet & cedere. Sed longe utilius uiſum eſt (quia incertũ erat, an locatio exiſteret: & quia melius eſt poſſidere potius, quàm in perſonam experiri) hoc interdictũ proponere, & quaſi in rem actionem polliceri. Proponitur autem interdictum duplex, exemplo interdicti VTI POSSIDETIS. Tuetur itaq; prætor eum, qui ſuperficiem petit, ueluti VTI POSSIDETIS interdicto: neq; exigit ab eo, quam cauſſam poſſidendi habeat. unum tantum requirit, num forte ui, clam, precariò ab aduerſario poſſideat. Omnia quoq;, quæ in VTI POSSIDETIS interdicto ſeruantur, hic quoq; ſeruabuntur. Quod ait prætor, SI QVA ALIA ACTIO DE SVPERFICIE POSTVLABITVR: CAVSSA COGNITA DABO, ſic intelligendum eſt: ut ſi ad tempus quis ſuperficiem cõduxerit, negetur ei in rem actio. Et ſanè cauſſa cognita ei, qui non ad modicum tempus conduxit ſuperficiem, in rem actio competet. Is autem, in cuius ſolo ſuperficies eſt, utiq; non indiget utili actione: ſed habet in rem, qualem habet de ſolo. Planè ſi aduerſus ſuperficiarium uelit uindicare: dicendum eſt, exce-

exceptione utendum in factum data. nam cui damus actionem, eidem exceptionē competere, multo magis quis dixerit. Si soli possessori superficies euincatur: æquissimum erit subueniri ei, uel ex stipulatu de euictione, uel certe ex empto actione. Quia autem etiam in rem actio de superficie dabitur: petitori quoq; in superficiem dari, & quasi usumfructum siue usum quendam inesse, & constitui posse per utiles actiones, credendum est. sed & tradi posse intelligendum est, ut & legari & donari possit: & si duobus sit communis, etiam utile communi dividundo iudicium dabimus. Seruitutes quoq; prætorio iure constituentur: & ipsæ ad exemplum earū, quæ ipso iure cōstitutæ sunt, utilibus actionibus petentur: sed & interdictum de his utile competet.

II. CAIVS.

SVperficiarias ædes appellamus, quæ in conducto solo positæ sunt, quarum proprietas & ciuili & naturali iure eius est, cuius & solum.

DE ITINERE ACTV'QVE PRIVATO. Tit. XVIII.

I. VLPIANVS.

PRætor ait. QVO ITINERE ACTV'QVE PRIVATO, QVO DE AGITVR, VEL VIA, HOC ANNO, NEC VI, NEC CLAM, NEC PRECARIO' AB ILLO VSVS ES: QVO MINVS ITA VTARIS, VIM FIERI VETO. Hoc interdictum prohibitorium est, pertinens ad tuendas rusticas tantummodo seruitutes. Hoc interdicto prætor non inquirit, utrū habuit iure seruitutem impositam, an non: sed hoc tantum, an itinere actúq; hoc anno usus sit, non ui, non clam, non precariō: & tuetur eū, licet eo tempore, quo interdictum redditur, usus non sit. siue igitur habuit ius uiæ, siue nō habuit: in ea conditione est, ut ad tuitionem prætoris pertineat: si modo eo anno, uel modico tempore usus sit, id est, non minus, q̄ triginta diebus. neq; ad præsens tempus refertur usus: quia plerunq; itineribus uel uia non semper utimur, nisi cū usus exegit. ita q̄ annui temporis spacio concluſit usum. Annum ex die interdicti retrorsum computare debemus. Si quis hoc interdicto utatur: sufficit alterutrum probare, uel iter, uel actum in usu habuisse. Iulianus ait, quoad usq; ingressus est, eo usq; ei competere interdictum. quod uerum est. Viuianus recte ait eum, qui propter incommoditatem riui, aut propterea quia uia publica interrupta erat, per proximi uicini agrū iter fecerit: quamuis id frequenter facit: non uideri omnino usum esse. Itaq; inutile esse interdictum, non quasi precariō usum, sed quasi nec

usum. ergò secundum hæc neutro usus uidetur. multo enim minus illo usus est, per quem non iuit propter incommoditatem riui, aut propterea, quia uia publica prærupta erat. Idem erit dicendum, & si non erat uia publica, sed sit iter priuatũ. nam & hic eadẽ quæstiõ est. Is, cuius colonus, aut hospes, aut quis alius iter ad fundum fecit: usus uidetur itinere, uel actu, uel uia: & idcirco interdictum habebit. & hæc ita Pedius scribit. & adijcit. etiam si ignorauit, cuius fundus esset, per quẽ iret: retinere eum seruitutem. Si quis autem, cum putaret fundum ad se pertinere, suo nomine iter fecerit amicus meus: utiq; sibi, non mihi interdictum adquisijsse intelligetur. Si quis autem propter inundationem usus non sit itinere actuq; hoc anno, cum superiore usus sit: potest repetita die hoc interdicto uti per in integrum restitutionem ex illa parte, SI QVA MIHI IVSTA CAVSSA ESSE VIDEBITVR. Sed & si per uim hoc ei contigerit: in integrum eum restitui oportere, Marcellus probat. Præterea & alijs casibus interdictum repetita die competit, ex quibus quis in integrum restitutionem impetrare solet. Præterea sciendum est, si dilatione data aduersario futurum est, ut causa interdicti mei deterior fiat: æquissimum esse, repetita die interdictum reddi. Si tibi fundum precariò concessero, cui uia debebatur: deinde tu à domino fundi precariò rogaueris, ut ea uia ad eum fundũ utaris: an noceat tibi exceptio, si aduersus eum uelis interdicere, à quo precariò uiam rogasti? & magis est, ut noceat. idq; colligi potest ex eo, quod Iulianus scribit in specie huiusmodi. (quærit enim.) si ego tibi fundum precariò dedero, cui uia debebatur: & tu rogaueris precariò, ut ea uia utaris: nihilominus interdictum utile mihi esse: quia sicuti me precarium rei meæ non tenet, ita etiam nec per te precariò possidere intelligor. quoties enim colonus meus, aut is, cui precariò fundum dedi, uia utitur: ego ire intelligor. propter quod & recte dico, me itinere usum. Quæ ratio (inquit) efficit, ut si uiam precariò rogauero, & tibi fundum precariò dedero: quamuis hac mente ieris, quasi fundo meo deberetur: interdictum inutile sit, & precariò eo itinere usus esse uidear non immerito. non enim opinio tua, sed mea quærenda est. tu tamen (ut credo) poteris interdicto uti, & si de hoc nihil scribat Iulianus.

Si quis supradicto tempore anni non ui, non clam, non precariò itinere usus sit: uerum postea non sit usus, sed clam, precariõe: uidendũ est, an ei noceat & magis est, ut nihil ei noceat, quod attinet ad interdictum.

II. PAVLVS.

NEc enim corrumpi, aut mutari, quod recte transactum est, superueniente delicto potest.

III. VLPIANVS.

Inde

INde etiam illud Labeo scribit. si cũ à me recte uia utebaris, fundum uendidero, per quẽ utebaris: deinde emptor te phibuerit: licet clam uidearis abeo uti: (nam qui prohibitus utitur, clam utitur.) tamen interdictum tibi competere intra annum: quia hoc anno non ui, non clam, non precariò usus sis. Item sciendum est, non tantum eum clam uia uti, qui ipse prohibitus utitur: uerum eum quoq; per quem quis id ius retinebat: si eo prohibito, per quem retinebat, utatur. Planè si ignoraui prohibitum, & si perseuero uti: nihil mihi nocere, dicendũ est. Si quis ab auctore meo ui, aut clam, aut precariò usus est: recte à me uia uti prohibetur, & interdictum ei inutile est: quia à me uidetur ui, aut clam, uel precariò possidere, qui ab auctore meo uicioſe possidet. Nam & Pedius scribit: si ui, aut clam, aut precariò ab eo usus sit, in cuius locum hæreditate, uel emptione, alioúe quo iure successi: idem esse dicendum. cum enim successerimus in locum eorum: æquũ non est, nocere aduersus nos hoc, quod aduersus eum non nocuit, in cuius locum successimus. In hoc interdicto examinatur, quanti eius interſit, uia non prohiberi siue itinere. Vti uidemur seruitutibus etiam per seruos, uel colonos, uel amicos, uel etiam hospites: & ferè per eos omnes, qui nobis retinent seruitutes. sed enim per fructuariũ quidem seruitus retinetur: per fructuariũ autem interdictum hoc domino non competere, Iulianus ait. Idem Iulianus scribit: si meus ususfructus in fundo tuo, proprietas uero tua fuerit, & uterq; nostrũ per uicini fundum ierit: utile interdictum de itinere nos habere: & siue forte ab extraneo fructuarius prohibeatur, siue etiam à domino, sed & si dominus à fructuario: competet. nam & si quilibet alius prohibeat ire: interdictum aduersus eum competit. Hoc interdictum & ei competit, qui donationis causſa fundi uacuam possessionem adeptus est. Si quis mandatu meo fundum emerit: æquissimum est, mihi hoc interdictum dari, ubi ille usus est, qui mandatu meo emit. Sed & si quis usumfructum emit, uel usum, uel cui legatus est & traditus: hoc interdicto uti poterit. hoc amplius & is, cui dotis causſa fundus traditus est, experiri hoc interdicto poterit. Et generaliter ex omnibus causſis, quæ instar uendi tionis habent, uel etiam alterius contractus: dicendum est, huic interdicto locum fore. Ait prætor. QVO ITINERE ACTV QVE HOC ANNO NON VI, NON CLAM, NON PRECARIO AB ALIO VSVS ES: QVO MINVS ITER ACTVM QVE, VT TIBI IVS EST, REFICIAS, VIM FIERI VETO. Qui hoc interdicto uti uolet, is aduersario damni infecti, quod per eius uiciũ datum sit, caueat. Vtilitas suasit hoc quoq; interdictum proponere. nanq; consequens erat, ei, qui itinere utitur, interdictum proponere, ut refici iter possit. quemadmodum enim aliàs

uti potest itinere, uel etiam actu commode, quàm si refecerit? corrupto enim itinere, minus commode frui aut agi potest. Hoc autem à superiore distat, quod illo quidē interdicto omnes uti possunt, qui hoc anno usi sunt. Hoc aūt interdicto is demum uti potest, qui hoc anno usus est, & ius sibi esse reficiendi docet. Ius autem uidetur ei esse reficiendi, cui seruitus debetur. Itaq; qui hoc interdicto utitur, duas res debet ostendere: & hoc anno se usum, & ei seruitutem competere. Cæterum si desijt alterutrum: deficit interdictum, nec immerito. qui enim uult ire agere tantisper, quoad de seruitute cōstet: non debet de suo iure docere. quid enim perdit, qui patitur eum hoc facere, quod hoc anno fecit? Enimuero qui uult reficere, aliquid noui facit: neq; debet ei permitti in alieno id moliri, nisi iure habeat seruitutem. Fieri aūt potest, ut qui ius eundi habet & agendi, reficiendi ius non habeat: quia in seruitute constituenda cautum sit, ne ei reficiendi ius sit: aut sic, ut si uelit reficere, usq; ad certum modum reficiendi ius sit. Merito ergo ad refectionem se prætor retulit, VT TIBI (inquiens) IVS EST, REFICIAS. VTI autem IVS EST, hoc est: reficias, sicuti per seruitutē impositam licet. Reficere sic accipimus, ad pristinam formam iter & actum reducere: hoc est, ne quis dilatet, aut producat, aut deprimat, aut exaggeret. longe enim aliud est reficere, aliud facere. Apud Labeonē quæritur, si pontem quis nouū uelit facere uiæ muniendæ caussa: an ei permittatur? & ait permittendū, quasi pars sit refectionis huiusmodi munitio. & ego puto ueram Labeonis sententiam: si modo sine hoc commeari non possit.

IIII. VENVLEIVS.

VEteres nominatim adijciebant, ut ea quoq;, quæ ad refectionem utilia essent, adportanti uis non fieret. quod superuacuum est: quoniā qui adportare non patitur ea, sine quibus refici iter non possit: uim facere uidetur, quo minus reficiatur. Si quis autem, cū possit per compendiaria adportare, quæ refectioni necessaria sunt, longiore itinere uelit ita adportare, ut deteriorem caussam eundi faciat: impune uis ei fiet: quia ipse sibi impedimento sit, quo minus reficiat.

V. VLPIANVS.

APparet ergo eū, qui non patitur hæc congeri, uim facere, quo minus quis reficiat. Planè si quis cū posset alia parte agri sine incommodo domini fundi impensam adportare, id egit, ut altera parte adportaret: impune ei uim fieri recte placuit. Hoc interdictū nō solum ipsi, uerum successoribus quoq; esse dandum, non est ambigendum. emptori quoq; dabitur & in emptorem. Si quis seruitutem iure impositam habeat, habeat autem uelut longæ possessionis prærogatiuam

tiuam ex eo, quod diu usus est seruitute: hoc interdicto uti potest.

Qui hoc interdicto usurus est, de uicio operis cauere aduersario debet.

VI. PAVLVS

Sicut non nocet ei, qui sine uicio usus est, quod eodem anno uicioſe usus est: ita emptori hæredíq; non nocebit, quod ipsi uicioſe usi sunt, si testator uenditorúe recte usi sunt.

VII. CELSVS.

Si per fundum tuum nec ui, nec clam, nec precariò commeauit aliquis: non tamen tanquam id suo iure faceret, sed si prohiberetur, non facturus: inutile est ei hoc interdictũ de itinere actuq;. nam ut hoc interdictum competat, ius fundi possediſſe oportet.

DE AQVA COTIDIANA ET AESTIVA. Tit. XIX.

I. VLPIANVS.



It prætor. VTI HOC ANNO AQVAM, QVA DE AGITVR, NON VI, NON CLAM, NON PRECARIO' AB ILLO DVXISTI: QVO MINVS ITA DVCAS, VIM FIERI VETO. Hoc interdictum prohibitorium est, & interdum restitutorium est, & pertinet ad aquã cotidianam. Cotidiana autem aqua non illa est, quæ cotidie ducitur: sed ea, qua quis cotidie possit uti, si uellet: quanquam cotidianam interdum hyeme ducere non expediat, & si posset duci. Duo autem sunt genera aquarum: est cotidiana, est & æstiua. cotidiana ab æstiua differt usu, non iure. Cotidiana est, quæ duci adsidue solet, uel æstiuo tẽpore, uel hyberno, etiam si aliquando ducta non est. ea quoq; dicitur cotidiana, cuius seruitus intermissione temporis diuisa est. Aestiua autẽ ea est, qua æstate sola uti expedit: sicut dicimus uestimenta æstiua, saltus æstiuos, castra æstiua: quibus interdum etiam hyeme, plerunq; autem æstate utamur. Ego probandum puto, ex proposito utentis & ex natura locorum aquam æstiuam à cotidiana discerni. nam si sit ea aqua, quæ perpetuo duci possit, ego autem æstate sola ea utar: dicendum est, hanc aquã esse æstiuã. Rursus si ea sit aqua, quæ non nisi æstate duci possit: æstiua dicet. & si ea sint loca, quæ natura non admittant aquã, nisi æstate: dicendũ erit, recte æstiuam dici. Quod aũt scriptũ est in interdicto VTI HOC ANNO AQVAM DVXISTI: hoc est non cotidie, sed hoc anno, uel una die, uel una nocte. Ergo cotidiana quidem aqua est, quæ cotidie duci possit, uel hyeme, uel æstate, & si aliquo momento temporis ducta non sit. Aestiua autem aqua est, quæ cotidie quidem duci pos-

sit,ut tamen æstate ducatur tantum, non etiam hyeme: non quia non possit & hyeme, sed quia non solet. Loquitur autem prætor in hoc interdicto de ea aqua sola,quæ perennis est. nulla enim alia duci aqua potest,nisi quæ perennis est. Quanquã autem ad perennes aquas dixerimus hoc interdictum pertinere:ad eas tamen perennes pertinet, quæ duci possunt.Cæterũ sunt quædam aquæ, quæ & si perennes sunt, duci tamen non possint: utputa puteales, & quæ ita sunt submersæ, ut defluere extra,& usui esse non possint. sed huiusmodi aquis, quæ duci non possunt, haustus seruitus imponi potest. Hæc interdicta de aqua,item de fonte ad eam aquam pertinere uidentur,quæ à capite ducitur,non aliunde.Harum enim aquarum etiam seruitus iure ciuili cõstitui potest. Caput aquæ illud est,unde aqua nascitur. si ex fonte nascatur:ipse fons.si ex flumine,uel lacu: prima incilia, uel principia fossarum,quibusq; ex flumine uel ex lacu in primum riuum compelli solent. Planè si aqua sudoribus manando, in aliquem primum locũ effluere,atq; ibi apparere incipit:eius hoc caput dicemus,ubi primũ emergit.Et qualiter qualiter sit constitutum ius aquæ,dicendũ est hoc interdictum locum habere.sed & si iure aqua non debetur alicui,sed tamen iure ducere se putauit:cum non in iure, sed in facto errauit:dicendum est,eoq; iure utimur,ut interdicto hoc uti possit.sufficit enim,si iure se ducere putauit:nec ui,nec clam,nec precariò duxit. Illud quæritur: utrum ea tantũ aqua his interdictis contineatur,quæ ad agrũ irrigandũ pertinet:an uero omnis,etiã ea,quæ ad usum quoq; & commodum structũ: & hoc iure utimur,ut hæc quoq; contineatur. propter quod etiam si in urbana prædia quis aquam ducere uelit: hoc interdictũ locum habere potest. Præterea Labeo scribit:& siquidem ductus aquarũ non sint fundi,qui à quocunq; duci possint:tamen ad hoc interdictum pertinere. Idem Labeo scribit,& si prætor hoc interdicto de aquis frigidis sentiat: tamen de calidis aquis interdicta nonesse deneganda.nanq; harum quoq; aquarum usum esse necessariũ.nonnunquã eñ refrigeratæ usum irrigandis agris præstant.his accedit,quod in quibusdam locis & cum calidæ sunt,irrigandis tamen agris necessariæ sunt: ut Hierapoli. constat eñ apud Hieropolitanos in Asia aqua agrum calida irrigari. & quamuis ea sit aqua,quæ irrigando non sit necessaria: tamen nemo ambiget,his interdictis locũ fore. Siue aũt intra urbem sit aqua,siue extra urbem: huic interdicto locus erit. Illud tamen hic intelligendũ est, eodem modo prætorem duci aquam iussisse, quo ducta est hoc anno. Proinde neq; amplioris modi,neq; aliam permisisse potest uideri.quare si alia aqua sit,quam quis uelit ducere, quàm hoc anno duxerit:uel eandem,per aliam tamen regionem uelit ducere:impune eius fiet

fiet. Illud Labeo dicit: omnes partes illius fundi, in quem locũ aqua ducitur, eodem numero esse. Ergo & si forte actor confinem agrum emerit, & ex agro, in quem hoc anno aquam duxerit, postea fundi empti nomine uelit aquam ducere: ita demũ recte eũ hoc interdicto uti, ut de itinere actúq; poterit: ut semel in suũ ingressus, inde egredi, quà uelit, possit: nisi ei nocitum sit, ex quo aquam ducit. Item quæritˆ, si quis aquæ, quam hoc anno ducebat, aliam aquam miscuerit: an impune prohibeatur? & extat Ofilij sententia existimantis recte eum prohiberi: sed eò loci, in quo prius aliam aquam in riuum admittit. & in totam aquam recte eum prohiberi. Ego Ofilio adsentio, nõ posse diuidi: quia non potest ita in parte uis fieri, ut uon in tota aqua fiat. Trebatius, cum amplior numerus pecoris ad aquam adpelleretur, quàm deberet adpelli: posse uniuersum pecus impune prohiberi: quia iunctum pecus ei pecori, cui adpulsus debeatur, totũ corrumpat pecoris adpulsum. Marcellus autem ait: si quis ius habens pecoris adpellendi, plura pecora adpulerit: non in omnibus pecoribus eum prohibendum. quod est uerum: quia pecora separari possunt. Aristo putat eum demum interdictum hoc habere, qui se putat suo iure uti: non eum, qui scit nullum ius se habere, & utitur. Idem ait eum, qui hoc anno aquam duxerit, nec ui, nec clam, nec precariò, & eodem anno uicioſe usus est: recte tamen hoc interdicto usurũ. quod referri ad id tẽpus potest, quod sine uicio fuerit. esse enim uerum, hoc anno non ui, non clam, non precariò usum. Quæsitum est. si quis ante annum aquam duxerit, deinde sequenti tempore (hoc est intra annum) aqua influxerit ipsa met, nõ ducente aliquo: an huic interdicto locus sit? & refert Seuerus Valerius, competere ei hoc interdictum, quasi duxisse uideatur: licet penitus per spicientibus non uideatur iste duxisse. Item quæsitum est: si quis dũ putat tertio quoq; die habere se ius aquæ ducendæ, duxerit una die: an recte, & sine captione possessoris duxisse uideatur, ut hoc interdictum habeat? ait emˆ prætor: VTI HOC ANNO AQVAM DVXISTI, id est alternis diebus. Illud autẽ nihil interest, utrum quinto die aqua debeatur, an alternis diebus, an cotidie ei, qui hoc interdicto uti uelit. nam cũ sufficiat, uel uno die hoc anno aquam duxisse: nihil refert qualem aquæductum habens duxerit: dum si quis, cum quinto quoq; die uteretur, quasi alternis diebus ducens interdixerit, nihil ei prodesse uideatur.

Præterea illud sciendum est: si cum aquam duxisses, aduersarius te prohibuerit, deinde tu interim ius aquæ ducendæ amiseris: in restitutionem hoc uenire, ut tibi præstetur per hoc interdictum, quod amisisti & hoc uerum puto. Si fundum, ad quem aquam ducebas, uendideris & tradideris: nihilominus tibi interdictum utile est. Competit hoc

tit hoc interdictum aduersus eum, qui prohibet me aquam ducere: & nihil interest, utrum dominium quis fundi habeat, an non. idcircoq; is tenetur interdicto. nam & si seruitus cœperit: aduersus quemuis potest uindicari. Si inter riuales, id est qui per eundem riuum aquam ducunt, sit contentio de aquæ usu, utroq; suum esse usum contendente: duplex interdictum utriq; competit. Labeo putat per hoc interdictũ prohiberi quem, ne quid in illo fundo faciat, fodiat, serat, succidat, puret, ædificet, qua ex re ea aqua, quam ille hoc anno per fundum tuum sine uicio duxit, inquinetur, uicietur, corrumpatur, deteriorue fiat. & si militer de æstiua aqua debere ei interdici ait. Si quis hoc cesserit, ne liceat sibi aquã quærere: ea cessio ualet. Deinde ait prætor. VTI PRIORE AESTATE AQVAM, QVA DE AGITVR, NEC VI, NEC CLAM, NEC PRECARIO AB ILLO DVXISTI: QVO MINVS ITA DVCAS, VIM FIERI VETO. INTER HAEREDES ET EMPTORES ET BONORVM POSSESSORES INTERDICAM. Hoc interdictum de aqua æstiua proponitur. Quia autem diximus, æstiuam aquam aliquid distare ab aqua cotidiana: sciendũ est, etiã in interdictis distare: quod qui de aqua cotidiana interdicit, ita interdicat, VTI HOC ANNO AQVAM DVXISTI. at qui de æstiua: VTI PRIORE AESTATE. nec immerito. nam qui hyeme non utitur: referre se non ad præsentem æstatem, sed ad priorem debuit. Aestatem incipere sic peritiores tradiderunt ab æquinoctio uerno, & finiri æquinoctio autumnali: & ita senis mensibus æstas diuiditur, atq; hyems. Priorem æstatem ex comparatione duarum æstatum accipe. propter hoc si æstate interdicatur: nonnunquam annum & sex menses continet. quod ita contingit, si initio ueri æquinoctij ducta sit aqua, & sequenti æstate pridie æquinoctium autumnale interdicatur. & proinde si hyeme interdicatur: hæc res etiam in biennium extenditur. Si quis hyeme tantum aquam solitus fuerit ducere, æstate non fuerit solitus: utile interdictũ ei competit. Qui hac æstate duxit, non superiore: utile interdictum habet. Ait prætor. INTER HAEREDES, ET EMPTORES, ET BONORVM POSSESSORES INTERDICAM. hæc uerba nõ solum ad æstiuã aquam, uerum ad cotidianam q̃q; referenda esse, sciendũ est. nam sicuti de itinere actuq; & successoribus dantur interdicta, & emptori: ita hæc quoq; danda prætor putauit. Ait prætor. QVO EX CASTELLO ILLI AQVAM DVCERE AB EO, CVI EIVS REI IVS FVIT, PERMISSVM EST: QVO MINVS ITA, VTI PERMISSVM EST, DVCAT: VIM FIERI VETO. QVANDO QVE DE OPERE FACIENDO INTERDICTVM ERIT, DAMNI INFECTI CAVERI IVBEBO. Hoc interdictum necessariò propositum est. nam cum superiora interdicta ad eos pertinent, qui à capite ducũt, uel

uel impoſita ſeruitute, uel quia putant impoſitam: æquiſſimum uiſum eſt, ei quoq; qui ex caſtello ducit, interdictum dari: id eſt ex eo receptaculo quod aquã publicam ſuſcipit. ita eñ caſtellũ accipe, ſi ex caſtello permiſſum eſt. ſed & ſi alio ex loco permiſſum eſt, dandũ erit interdictum. Permittitur autem aquam ex caſtello, uel ex riuo, uel ex quo alio loco publico ducere: idq; à principe conceditur. aliĳ nulli competit ius aquæ dandæ. & datur interdum prædĳs, interdum perſonis. quod prædĳs datur, exſtincta perſona non exſtinguitur. quod daturperſonis: cum perſonis amittitur. ideoq; neq; ad alium dominum prædiorum, neq; ad hæredem, uel qualemcunq; ſucceſſorem tranſit. Planè ei, ad quem dominium tranſit, impetrabile eſt. nam ſi docuerit prædĳs ſuis aquam debitam: & ſi nomine eius fluxiſſet, à quo dominium ad ſe tranſĳt: indubitate impetrat ius aquæ ducendæ. nec eſt hoc beneficium, ſed iniuria, ſi quis forte non impetrauerit. Meminiſſe autem debemus, in hoc interdicto totam quæſtionem finiri adſignationibus. non enim præparat hoc interdictum cauſſam, ut ſuperiora interdicta, nec ad poſſeſſionem temporariam pertinet: ſed aut habet ius adſignatum ſibi, aut non habet, & hoc interdictum finitur totum.

II. IVLIANVS.

SI diurnarum, aut nocturnarum horarum aquæductum habeam: non poſſum alia hora ducere, quàm in qua ius habeam ducendi.

III. VLPIANVS.

HOc iure utimur, ut etiam non ad irrigandum, ſed pecoris cauſſa, uel amœnitatis aqua duci poſſit. Ex flumine aquã ducere plures poſſunt: ita tamen, ut uicinis non noceat: uel ſi anguſtus amnis ſit, etiam ei, qui in alia ripa ſit. Si aquam ex flumine publico duxeris, & flumen receſſerit: non potes ſubſequi flumen: quia ei loco ſeruitus impoſita non ſit, quamuis is locus meus ſit. ſed ſi alluuione paulatim acceſſerit fundo tuo: ſubſequi potes: quia locus totus fluminis ſeruiat ductioni. ſed ſi circumfluere cœperit mutato alueo: nõ potes: quia meus locus non ſeruiat, interruptaq; ſit ſeruitus. Aqua, quæ in riuo naſcitur, tacite lucri fit ab eo, qui ducit. Ductus aquæ, cuius origo memoriam exceſſerit, iure conſtituti loco habetur. Is, qui ius aquæ cotidianæ habet: uel fiſtulã in riuo ponere, uel aliud quodlibet facere poteſt: dummodo ne fundum domino, aut aquagium riualibus deteriorus faciat. Si aqua ducatur: & ſupra eam aqua alia per pontem, qui ſupra riuũ factus ſit, iure ducitur: dum inferiori riuo non noceatur.

IIII. IVLIANVS.

LVcio Titio ex fonte meo, ut aquam duceret, ceſſi. quæſitum eſt, an & Mæuio cedere poſſim, ut per eundem æquæductum aquam

ducat:& si putaueris posse cedi per eundē aquæductum duobus, quem admodum uti debeant? Respondi. sicut iter, actus, uia pluribus cedi, uel simul,uel separatim potest: ita aquæ ducendæ ius recte cedetur. sed si inter eos,quibus aqua cessa est,non conuenit,quemadmodum utantur: non erit iniquum utile iudicium reddi: sicut inter eos, ad quos ususfructus pertinet, utile communi diuidundo iudicium redditur. placuit.

V. IDEM.

CVm constet,non solum temporibus,sed etiam mensuris aquam posse diuidi. Potest eodem tempore alius cotidianam, alius æstiuā aquam ducere: ita ut æstate diuidatur inter eos aqua: hyemę solus ducat is, qui cotidianæ ius habet. Inter duos, qui eodem riuo aquam certis horis separatim ducebāt, conuenit, ut permutatis inter se temporibus aqua uterentur. quæro,cum amplius tempore seruitutibus præfinito ita duxissent,ut neuter eorum suo tempore usus esset: num ius utendi amisissent? negaui,amisisse.

VI. MARTIANVS.

DE interdicto de aqua æstiua,item cotidiana quærentes,primum constituendum existimabamus, quæ esset aqua æstiua, de qua proprium interdictum ad prioris æstatis tempus relatum reddi solet: hoc est æstiua aqua utrum ne ex iure æstiuo duntaxat tempore utendi diceretur, an ex mente propositoq; ducentis, quod æstate eam ducendi cōsilium haberet: an ex natura ipsius aquæ, quæ æstate tantum duci posset: an ex utilitate locorum,in quæ duceretur. Placebat igitur, aquam ob has duas res, naturam suam utilitatemq; locorū,in quæ deducitur,proprie appellari: ita,ut siue eius natura erit,ut nisi æstate duci non possit,etiam si hyeme quoq; desideraretur: siue omni tempore anni duci eā ipsius natura permitteret, si utilitas locorū, in quæ ducitur, æstate duntaxat usum eius exigeret, æstiua recte diceretur.

VII. PAVLVS.

SI de uia, itinere, actu, aquæductu agatur: huiusmodi cautio præstanda est,quàmdiu quis de iure suo doceat se non impediturum agentem,& aquam ducentem,& iter facientem. quod si neget ius esse aduersario agendi,aquamúe ducendi: cauere sine præiudicio amittendæ seruitutis debebit,donec quæstio finiatur,non se usurum.

VIII SCAEVOLA.

CVi per fundum iter aquæ debetur: quacunq; uult, in eo riuum facere licet: dum ne aquæductum interuertat.

DE RIVIS. Tit. XX.

Vlpia-

I. VLPIANVS.

PRætor ait. RIVOS, SPECVS, SEPTA REFICERE, PVRGARE AQVAE DVCENDAE CAVSSA, QVO MINVS LICEAT ILLI: DVM NE ALITER AQVAM DVCAT, QVAM VTI PRIORE AESTATE NON VI, NON CLAM, NON PRECARIO A TE DVXIT: VIM FIERI VETO. Hoc interdictum utiliſſimum eſt. nam niſi permittatur alicui reficere, alia ratione uſus incõmodabitur. Ait prætor RIVVM, SPECVS, SEPTA. Riuus eſt locus per longitudinem depreſſus, quo aqua decurrat, cui nomen eſt ἀπὸ τοῦ ῥεῖν. Specus aũt locus eſt, ex quo deſpicitur. inde ſpecula ſunt dicta. Septa ſunt, quæ ad incile opponuntur aquæ deriuandæ cõpellendæue ex flumine cauſſa: ſiue ea lignea ſunt, ſiue lapidea, ſiue ex alia qualibet materia ad cõtinendam tranſmittendamq; aquã excogitata. Incile autem eſt locus depreſſus ad latus fluminum, ex eo dictus, quod incidatur. inciditur enim uel lapis, uel terra, unde primum aqua ex flumine agi poſſit. Sed & foſſæ, & putei hoc interdicto continentur. Deinde ait prætor REFICERE, PVRGARE. Reficere eſt, quod corruptum eſt, in priſtinum ſtatum reſtaurare. Verbo reficiendi tegere, ſubſtruere, ſarcire, ædificare, item aduehere, adportareq; ea, quæ ad eandem rem opus eſſent, continentur. Purgandi uerbum pleriq; quidem putant ad eum riuum pertinere, qui integer eſt. ſed palam eſt & ad eum pertinere, qui refictione indiget. plerumq; enim refictione & purgatione riuus indiget. AQVAE (inquit) DVCENDAE CAVSSA. merito hic additur: ut ei demũ permittatur, & reficere, & purgare riuum, qui aquæ ducendæ cauſſa id fecit. Hoc interdictũ competit etiã ei, qui ius aquæ ducendæ non habet: ſi modo aut priore æſtate, aut eodem anno aquam duxerit: cum ſufficiat, non ui, non clam, non precariò duxiſſe. Si quis terrenum riuum ſigninum facere uelit: uideri eum non recte hoc interdicto uti. non enim reficit, qui hoc facit. & ita Ofilio uidetur. Proinde & ſi per alium locum uelit ducere, impune prohibetur. ſed & ſi eundem riuum deprimat, uel attollat, aut dilatet, uel extendat, uel operiat apertum, uel contra. Ego cæteros quidem impune prohiberi puto. at qui operit apertum, uel contra: eũ non puto prohibendum, niſi ſi quam maiorem utilitatem ſuam aduerſarius oſtendat.

II. PAVLVS.

LAbeo non poſſe ait, ex aperto riuo terrenum fieri: quia commodũ domino ſoli auferretur adpellendi pecus, uel hauriendi aquã. quod ſibi non placere Põponius ait: quia id domino magis ex occaſione, quã ex iure cõtingeret: niſi ab initio in imponẽda ſeruitute id actũ eſſet.

III. VLPIANVS.

SErvius autem scribit, aliter duci aquam, quæ ante per specum ducta sit, si nunc per apertum ducatur. Nam si operis aliquid faciat quis, quo magis aquam conseruet, uel contineat: non impune prohiberi. ego, & in specu contra, si non maior utilitas uersetur aduersarij.

Seruius & Labeo scribunt. si riuum, qui ab initio terrenus fuerit, qui aquam non continebat, cæmenticium uelit facere: audiendum esse. Sed & si eum riuum, qui structilis fuit, postea terrenum faciat, aut partem riui: æque non esse prohibendum. mihi uidetur, urgentes & necessarias refectiones esse admittendas. Si quis nouum canalem, uel fistulas in riuo uelit collocare, cum id nunquam habuerit: utile ei hoc interdictum futurum, Labeo ait. nos & hic opinamur utilitatem eius, qui ducit, siue incommoditate eius, cuius ager est, spectandam. Si aqua in unũ lacum conducatur, & inde per plures ductus ducatur: hoc interdictum utile erit uolenti reficere ipsum lacum. Hoc interdictum ad omnes riuos pertinet: siue in publico, siue in priuato sint constituti. Sed & si calidæ aquæ riuus sit: de hoc reficiendo competit interdictum. Aristo & de cuniculo restituendo, per quem uapor trahitur in balnearijs, putat utilem actionem competere. & erit dicendum, utile interdictum etiam ex hac caussa competere. Iisdem autem personis, & in easdem interdictum hoc datur, quibus & in quas & de aqua interdicta redduntur, quæ supra sunt enumerata. Si quis riuum reficienti opus nouum nunciat: belle dictum est, posse contemni operis noui nunciationem. cum enim prætor ei uim fieri uetet: absurdum est per operis noui nunciationem eum impediri. Planè per in rem actionem dicendum, posse aduersus eum uindicari, ius ei non esse, hoc dubium non est. De damno quoq; infecto cauere eum debere, minime oportet dubitari. Si quis exportare, uehereq; ea, quæ refectioni necessaria sunt, prohibeat: hoc interdictum competere ei Ofilius putat. quod est uerum.

IIII. VENVLEIVS.

DE riuis reficiendis ita interdicetur, ut non quæratur, an aquam ducere actori liceret. non enim tam necessariam refectionem itinerum, quàm riuorum esse: quando nõ refectis riuis omnis usus aquæ auferretur, & homines siti necarentur. & sanè aqua peruenire, nisi refecto riuo, non potest. at non refecto itinere: difficultas tantũ eundi agendiq; fieret, quæ temporibus æstiuis leuior esset.

DE FONTE. Tit. XXI.

Vlpia-

I. VLPIANVS.

PRætor ait. VTI DE EO FONTE, QVO DE AGITVR, HOC ANNO AQVA NEC VI, NEC CLAM, NEC PRECARIO' AB ILLO VSVS ES: QVO MINVS ITA VTARIS, VIM FIERI VETO. DE LACV, PISCINA, PVTEO, ITEM INTERDICAM. Hoc interdictum proponitur ei, qui fontana aqua uti prohibetur. seruitutes enim non tantum aquæ ducendæ esse solent, uerum etiam hauriendæ. & sicut discretæ sunt seruitutes ductus aquæ & haustus aquæ: ita interdicta separatim redduntur. Hoc autem interdictum locum habet, si quis uti prohibeatur aqua: hoc est, siue haurire prohibeatur, siue etiam pecus ad aquam adpellere. & eadem sunt hic dicenda (quod ad personam attinet) quæcunq; in superioribus interdictis diximus. Hoc interdictum de cisterna non competit. nam cisterna non habet perpetuam causſam, nec uiuam aquam. ex quo apparet, in his omnibus exigendum, ut uiua aqua sit. cisternæ autem imbribus concipiuntur. Deniq; constat interdictum cessare, si lacus, piscina, puteus aquam uiuam non habeat. Planè si quis ire ad haustum prohibeatur: æque interdictum sufficiet. Deinde ait prætor. QVO MINVS FONTEM, QVO DE AGITVR, PVRGES, REFICIAS, VT AQVAM COERCERE, VTI'QVE EA POSSIS: DVM NE ALITER VTARIS, ATQVE VTI HOC ANNO NON VI, NON CLAM, NON PRECARIO' AB ILLO VSVS ES: VIM FIERI VETO. Hoc interdictum eandem habet utilitatem, quam habet interdictum de riuis reficiendis. nisi enim purgare & reficere fontem licuerit: nullus erit eius usus. purgandus aũt & reficiendus est ad aquam coërcendam, ut uti quis aqua possit: dummodo non aliter utatur, cꝫ sicuti hoc anno usus est. Coërcere aquam est continere, sic ne diffluat, uel dilabat̃: dummodo non permittatur cui nouas uenas quærere uel aperire. hic enim innouat aliquid præter id, quàm præcedente anno usus est. Sed & de lacu, puteo, piscina reficiendis, purgandis interdictum competit: & omnibus personis dabitur, quibus permittitur interdictum de aqua æstiua.

DE CLOACIS. Tit. XXII.

I. VLPIANVS.

PRætor ait. QVO MINVS ILLI CLOACAM, QVAE EX AEDIBVS EIVS IN TVAS PERTINET, QVA DE AGITVR, PVRGARE, REFICERE LICEAT: VIM FIERI VETO. DAMNI INFECTI, QVOD OPERIS VICIO FA-

CTVM SIT, CAVERI IVBEBO. Sub hoc titulo duo interdicta prætor subiecit, unum prohibitorium, alterum restitutorium. & primum prohibitorium. Curauit autem prætor per hæc interdicta, ut cloacæ purgentur & reficiantur: quorum utrumque & ad salubritatem ciuitatum, & ad tutelam pertinet. nam & cœlum pestilens, & ruinas minantur immundiciæ cloacarum. item si non reficiantur.

Hoc autem interdictum propositum est de cloacis priuatis. publicæ enim cloacæ publicã curam merentur. Cloaca autem est locus cauus, per quam colluuies quædam fluat. Hoc interdictũ, quod primum proponitur, prohibitorium est: quo prohibetur uicinus uim facere, quo minus cloacæ reficiantur. Cloacæ appellatione & tubus & fistulæ continentur. Quia autem cloacarum purgatio & refectio ad publicam utilitatem spectare uidetur: idcirco placuit non esse in interdicto addendũ, QVOD NON VI, NON CLAM, NON PRECARIO AB ILLO VSVS ES: ut etiam si quis talem usum habuerit, tamen non prohibeatur uolens cloacam reficere uel purgare. Deinde ait prætor. QVAE EX AEDIBVS EIVS IN TVAS PERTINET. hic accipere debes AEDES pro omni ædificio, hoc est ex ædificio eius in tuum ædificiũ. Hoc amplius Labeo putat huic interdicto locum esse, & si area ab utra libet parte ædium sit: & si forte (inquit) cloaca ducta sit ex urbano ædificio in proximum agrum. Idem Labeo etiam eum, qui priuatã cloacam in publicum immittere uelit, tuendũ ait, ne ei uis fiat. Sed & si quis uelit talem cloacam facere, quæ exitum habeat in publicam cloacam: non esse eum impediendum, Pomponius putat. Quod ait prætor PERTINET, hoc significat: quod ex ædibus eius in tuas pertinet, hoc est derigitur, extenditur, péruenit: & tam ad proximũ uicinum hoc interdictum pertinet, quàm aduersus ulteriores, per quorum ædes cloaca currit. Vnde Fauius Mela scribit, competere hoc interdictum, ut in uicini ædes ueniat, & rescindat pauimenta purgandæ cloacæ gratia, uerendum tamen esse Pomponius scribit, ne in eo casu damni infecti stipulatio non committatur. sed hæc stipulatio nõ committetur, si paratus sit restaurare id, quod ex necessitate reficiendæ cloacæ causſa rescindat. Si quis purganti mihi cloacam, uel reficienti, opus nouum nunciauerit: rectissime dicetur, contempta nunciatione posse me reficere id, quod iam instituera m. Sed & damni infecti cautionem pollicetur, si quid ibi operis uicio factum sit. nam sicuti reficere cloacas, & purgare permittendum fuit: ita dicendum est, ne damnũ ædibus alienis detur.

Deinde ait prætor. QVOD IN CLOACA PVBLICA FACTVM, SIVE IMMISSVM HABES, QVO VSVS EIVS DETERIOR SIT, FIAT, RESTITVATVR. ITEM NE QVID FIAT, IMMITTATVR VE, INTERDICAM.

Hoc

Hoc interdictum ad publicas cloacas pertinet: ne quid in cloacam immittas, néue facias, quo usus deterior sit, néue fiat.

II. VENVLEIVS.

QVanquam de reficienda cloaca, nõ etiam de noua facienda hoc interdicto compræhendatur: tamen æque interdicẽdum Labeo ait, ne facienti cloacam uis fiat: quia eadem utilitas sit. Prætorem enim sic interdixisse, ne uis fieret, quo minus cloacam in publicum facere liceret. idq; Ofilio & Trebatio placuisse, ipse dicendum ait, ut factam cloacam purgare & restituere permittendum sit per interdictum. nouam uero facere is demum cõcedere debeat, cui uiarum publicarũ cura sit.

QVOD VI AVT CLAM. Tit. XXIII.

I. VLPIANVS.

PRætor ait. QVOD VI AVT CLAM FACTVM EST, QVA DE RE AGITVR, ID CVM EXPERIVNDI POTESTAS EST, RESTITVAS. Hoc interdictũ restitutoriũ est, & per hoc occursum est calliditati eorũ, qui ui aut clã quædã moliunt. iubentur eĩ restituere ea: & parui refert, utrũ ius faciendi habuit, an nõ. siue enim ius habuit, siue non: tamẽ tenẽ interdicto, propterea q̃ ui aut clam fecit. tueri eĩ ius suum debuit, non iniuriam cõminisci. Deniq; est quæsitum, an hoc interdicto utenti exceptionẽ possit quis obijcere, SI EAM NON IVRE MEO RECEPERIM: & magis est, ne possit. nam aduersus uim, uel quod clam factum est, nulla iusta exceptione se tueri potest. Hoc interdictum ad ea sola opera pertinet, quæcunq; in solo ui aut clam fiunt. Quid sit ui uel clam factum, uideamus. Vi factum uideri Quintus Mutius scripsit, si quis cõtra, quàm prohiberetur, fecerit. & mihi uidetur plana esse Quinti Mutij definitio. Sed & si quis iactu uel minimi lapilli prohibitus, facere perseuerauit: hũc quoq; uim fecisse uideri, Pedius & Pomponius scribunt. eoq; iure utimur. Sed & si contra testationem denunciationemq; fecerit: idem esse, Cascellius & Trebatius putant. quod uerum est, Sed & Aristo ait, eum quoq; uim facere, qui cum sciret se prohiberi, per uim molitus est, ne prohiberi possit.

Item Labeo dicit: si quem facientem prohibuero, isq; destiterit in præsentiarũ, rursusq; facere cœperit: postea uim eum uideri fecisse; nisi permissu meo facere cœperit, uel qua alia iusta causa accedẽte. Si quis tantũ imbecillitate impeditus, uel etiã ne offenderet uel te, uel eũ, qui te magni faciebat, ideo non uenerit ad prohibendum: non uidebitur aduersarius uim fecisse. & ita Labeo scribit. Idẽ ait, & si te uolentem

tem ad prohibendum uenire deterruerit aliquis (armis forte) sine ullo dolo malo meo, ac ppter hoc nõ ueneris: non uideri me uim fecisse.

II. VENVLEIVS.

NE in aliena potestate sit, conditionem meam nihil delinquentis deteriorem facere.

III. VLPIANVS.

PRohiberi autem nõ utiq; per semetipsum necesse est: sed & si quis per seruũ suum, uel procuratorẽ prohibuerit, recte uidetur prohibuisse. idem etiã, & si mercennarius meus prohibuerit. Nec quẽ moueat, quod per liberam personam actio adquiri non solet. nam prohibitio hæc demõstrat uim te facere. Quid mirũ, cũ & si clam me uim feceris, habeam tamen actionem? ergo magis facto tuo delinquentis, ꝙ alieno adquiritur mihi actio. Illud sciendum, non omnibus momentis uim esse faciendam: sed semel inter initia facta perseuerat. Sed si permiserit: aduersus eum, qui utetur interdicto, exceptio erit necessaria. Non tantum autem si ego permisero, sed & si procurator meus, uel tutor, qui tutelam administrat, uel curator pupilli, furiosi, siue adolescentis: dicendum erit, exceptioni locum fore. Planè si præses uel curator reipublicæ permiserit in publico facere: Nerua scribit, exceptionem locum non habere: quia & si ei locorum (inquit) publicorũ procuratio data est, concessio tamen data non est. Hoc ita uerum est, si non lex municipalis curatori reipublicæ amplius concedat. Sed & si à principe, uel ab eo, cui princeps hoc ius cõcedendi dederit, permissum sit, idem erit probandũ. Si quis paratus sit se in iudicio defendere aduersus eos, qui interdicendũ putant, ne opus fiat: an uideat uim facere desinere? & magis est, ut desinat: si modo satis offerat, & defendere paratus sit, si quis agat. & ita Sabinus scribit. Sed & si quis damni infecti paratus sit cauere, cũ propter hoc tantũ esset prohibitus, uel quia nõ defendebat, uel damni infecti non promittebat: consequens est dicere, desinere eum uim facere. Clam facere uideri Cassius scribit eũ, qui cælauit aduersarium, neq; ei denunciauit: si modo timuit eius controuersiam, aut debuit timere. Item Aristo putat eum quoq; clam facere, qui cælandi animum habet eum, quem prohibiturum se intellexerit: & id existimat, aut existimare debet se prohibitum iri.

IIII. VENVLEIVS.

SEruius etiã clam facere eum ait, qui existimare debeat sibi controuersiam futuram: quia non opinionem eius & resupinam existimationem sequi oporteat: ne melioris conditionis sint stulti, quàm periti.

V. VLPIANVS.

ET qui aliter fecit, quàm denunciauit: uel qui decepto eo facit, ad

ad quem pertinuit non facere: uel consultò tunc denunciat aduersario, cum eum scit non posse prohibere: uel tam sero denunciat, ut abire prohibituus prius, quàm fiat, non possit. & hæc ita Labeonem probare Aristo ait. Si quis se denunciauerit opus facturum: non semper nõ uidẽ clam feciſſe, si post denunciationem fecerit. debebit enim (& ita Labeo) & diem & horam denunciatione complecti, & ubi, & quod opus facturus sit: neq; quidem perfusorie, aut obscure dicere, aut denũciare: neq; tam arctare aduersarium, ut intra diem occurrere ad prohibendum non possit. Et si forte non sit, cui denuncietur, neq; dolo malo factum sit, ne sit: amicis deniq;, aut procuratori, aut ad domum denunciandum est. Sed & Seruius recte ait: sufficere fœminæ uiro notum facere opus se facturum, uel deniq; sciente eo facere: quanq; eti am illud sufficiat, cælandi animum non habere. Item ait: si quis in publico uelit municipij facere: sufficere ei, si curatori rei publicæ denunciat. Si quis dum putat locum tuum esse, qui est meus, cælandi tui, non mei causſa fecerit: mihi interdictum competere. Idem dicitur, & si serui mei uel procuratoris cælandi causſa factum sit: mihi interdictum competere. Si quis cum *non denunciasset opus se factu rum, eiq; renũciatum esset, ne faceret, fecerit: utilius puto, probandũ eſt negatui eum feciſſe. Hæc uerba, QVOD VI AVT CLAM FACTVM EST, ait Mutius ita esse, quod tu aut tuorum quis fecit, aut tuo iussu factum est. Labeo autem ait, plures personas contineri his uerbis. nam ecce primum hæredes eorum, quos enumerat Mutius, contineri his uerbis putat. Idem ait & aduersus procuratorem, tutorem, curatorem municipij, uel syndicum, alieno nomine interdici posse. Si quid seruus meus fecit, non ob id mecum actio est: si non id meo nomine, aut suo fecerit. nam si tuum seruum mercennarium habuero, quidquid ab eo factum fuerit meo nomine: ob id non tecum, sed mecum, cuius iussu aut nomine id opus à seruo tuo factum fuit, agendum erit hoc interdicto. Similiter & quod cuius iussu factum erit: ob id nõ cum eo, sed cuius nomine iusserit, hæc actio est. Nam si procurator, tutor, curator, duumuir municipij, quid eius nomine, cuius negocium procuraret, fieri iusserit: ob id agendum erit cum eo, cuius nomine factũ quid erit: non cum eo, qui ita iusserit. & si tibi mandauero, ut opus fieri iuberes, & in ea re mihi parueris: mecum (inquit) non tecũ erit actio. Et cum interdictũ sit sic scriptum, QVOD VI AVT CLAM FACTVM EST, non ita, QVOD VI AVT CLAM FECISTI: latius porrigi id, quàm ad has personas, quas supra numerauimus, Labeo putat. & hoc iure utimur: ut siue ego feciſſem, siue fieri iussiſſem, interdicto QVOD VI AVT CLAM tenear.

*aliàs de

VI. PAVLVS

SI ego tibi mandauero opus nouum facere, tu alij: non poteſt uideri meo iuſſu factum. teneberis ergo & tu & ille. & an ego teneat, uideamus. & magis eſt, & me, qui initiũ rei præſtiterim, teneri. ſed uno ex his ſatisfaciente, cæteri liberantur.

VII. VLPIANVS.

SI alius fecerit me inuito: tenebor ad hoc, ut patientiam præſtem. Neratius quoque ſcribit eum, cuius ſeruus ui aut clam fecerit: aut ſua impenſa ex hoc interdicto opus reſtituere debere, aut patientiam reſtituendi præſtare, & ei ſeruum noxæ dedere. Et planè ſi mortuo alienatoue ſeruo interdicetur: patientiam dũntaxat præſtare debere ait: ita, ut emptor eo interdicto poſſit conueniri, ut uel impenſam præſtet, aut noxam det: dominoq; ſua impenſa reſtituente, aut damnato, quia non reſtitueret, emptorem liberari. eadem & ſi contra dominus ſerui uel opus reſtituiſſet, uel in litis æſtimatione damnatus eſſet. Quod ſi tantum noxæ dedidiſſet: aduerſus dominum operis utiliter interdici. Ait Iulianus. qui ante nunciationis remiſſionem contra, quàm prohibitus fuerit, opus fecerit: duobus interdictis tenebitur: uno, quod ex operis noui nunciatione competit: altero, QVOD VI AVT CLAM. Remiſſione autem facta, intelligendus nõ erit ui aut clam facere. licere enim debet ædificare ei, qui ſatisfecerit, cum poſſeſſor hoc ipſo conſtituatur: clamq; facere (quãuis prohibeatur) nec antere miſſionẽ, nec poſtea exiſtimandus eſt: cũ is, qui opus nouũ nũciat, nõ poſſit uideri cælatus, & præoccupatus, ante quàm cõtrouerſiã faceret.

Belliſſime apud Iulianũ quæritur, an hæc exceptio noceat in hoc interdicto, QVOD TV NON VI AVT CLAM FECERIS? utputa utor aduerſus te interdicto, qd' ui aut clã feciſti. an poſſis obijcere mihi eandẽ exceptionẽ, QVOD NON VI AVT CLAM FECISTI? & ait Iulianus æquiſſimum eſſe, hanc exceptionem dari. nam ſi tu (inquit) ædificaueris ui aut clam, ego idem demolitꝰ fuero ui aut clam, & utaris aduerſus me interdicto, hanc exceptionem profuturam. quod non aliter procedere debet, niſi ex magna & ſatis neceſſaria cauſſa. alioquin hæc omnia officio iudicis celebrari oportet. Eſt autem & alia exceptio, de qua Celſus dubitat, an ſit obijcienda. utputa ſi incendij arcendi cauſſa uicini ædes intercidi, & QVOD VI AVT CLAM mecũ agatur, aut dãni iniuria. Gallus eñ dubitat, an excipi oporteat, quod incendij defendendi cauſſa factum ſit. Seruius autem ait, ſi id magiſtratus feciſſet: dandam eſſe. priuato non eſſe idem concedendũ. ſi quid tamen ui aut clam factum eſſet, neq; ignis uſq; eò perueniſſet: ſimpli item æſtimandam. ſi peruenſſet: abſolui eum oportere. Idem ait eſſe, ſi damni iniu-

ria

ria actum foret: quoniam nullam iniuriam aut damnum dare uiderētur, æque perituris ædibus. Quod si nullo incendio id feceris, deinde postea incendium ortum fuerit: non idem erit dicendum: quia non ex post facto, sed ex præsenti statu damnum factum sit, nec ne, æstimari oportere, Labeo ait. Notauimus supra, quod quamuis uerba interdicti late pateant: tamen ad ea sola opera pertinere interdictum placere, quæcunq; fiant in solo. eum enim, qui fructum tangit: non teneri interdicto QVOD VI AVT CLAM. nullum em̄ opus in solo facit. At qui arbores succidit: utiq; tenebitur. sed & qui arundinē, & qui salictum. terræ em̄, & quodammodo solo ipsi corrumpendo manus infert. Idem & in uineis succisis. cæterum qui fructum aufert: furti debet conueniri. Itaq; si quid operis in solo fiat: interdictum locum habet. In solo fieri accipimus, & si quid circa arbores fiat, non tamen si quid circa fructū arborum. Si quis aceruum stercoris circa agrum pinguem diiecerit: cum eo, quod ui aut clam factum est, agi potest. & hoc uerum est: quia solo uicium sit adhibitum. Planè si quid agri colendi caussa factū sit: interdictū QVOD VI AVT CLAM locū non habet, si melior caussa facta sit agri: quamuis prohibitus quis ui uel clam fecerit. Præterea si foſſam feceris in sylua publica, & bos meus in eam ceciderit: agere possum hoc interdicto, quia in publico factum est. Si quis ædificium demolitus fuerit, quamuis non usq; ad solum: quin interdicto teneatur, desijt dubitari. Proinde & si tegulas de ædificio sustulerit, magis est, ut interdicto teneatur.

VIII. VENVLEIVS.

NAm origō huius rei à solo proficiscitur. Cæterum per se tegulæ non possidentur, sed cum uniuersitate ædificij. nec ad rem pertinet, ad fixæ sint, an tantum positæ.

IX. VLPIANVS.

NAm & si ramos quis de arboribus abstulerit, ad hoc interdictum admittimus. hæc ita, si de ædificio tegulas sustulerit. cæterum si nō de ædificio, sed seorsum positas: cessat hoc interdictum. Si tamen sera, uel clauis, uel specularīū, uel cancellus sit ablatus: QVOD VI AVT CLAM agi non poterit. Sed si quis aliquid ædibus adfixū euulserit (statuam forte, uel quid aliud) QVOD VI AVT CLAM interdicto tenebitur. Si quis ui aut clam agrum inarauerit, uel foſſam fecerit: hoc interdicto tenebit̄. sed si aceruum succenderit, uel disperserit, sic ut non ad usum agri conuertatur: interdicto locus non erit.

X. VENVLEIVS.

QVia aceruus solo non cohæret, sed à terra sustinetur. ædificia autem solo cohærent.

XI. VLPIANVS.

IS, qui in puteum uicini aliquid effuderat, hoc facto aquam corrupit. ait Labeo, interdicto QVOD VI AVT CLAM eum teneri. portio enim agri uidetur aqua uiua, quemadmodum si quid operis in aqua feciſſet. Quæſitum eſt, ſi ſtatuã in municipio ex loco publico quis ſuſtulerit, uel ui aut clã: an hoc interdicto teneatur? & exſtat Caſſij ſententia: eũ, cuius ſtatua in loco publico in municipio ſit poſita, QVOD VI AVT CLAM agere poſſe: quia interſit eius eã nõ tolli. municipes etiam furti acturos: quia res eorum ſit quaſi publicata. ſi tamen decederit: ipſi eam detrahunt. & hæc ſententia uera eſt. Si quis de monumento ſtatuam ſuſtulerit: an ei, ad quem ius ſepulchri pertinet, agere permittatur? & placet, & in his interdicto locum eſſe. Et ſanè dicẽdum eſt, ſi qua ſepulchri ornandi cauſſa adpoſita ſint, ſepulchri eſſe uideri. idem eſt, & ſi oſtium euellat uel effringat. Si quis in uineas meas uenerit, & inde radices abſtulerit: hoc interdicto tenebit. Quod ait prætor. QVOD VI AVT CLAM FACTVM EST, ad quod tempus referatur, uideamus: utrum ad præteritum, an ad præſens. quæ ſpecies & apud Iulianum expoſita eſt. Ait enim, in hoc interdicto præſentis temporis ſignificationem accipi debere. ſi tamen (inquit) ex opere damnum datum fuerit: aut dominus, aut is, cuius fundo nocitum erit, ſua impenſa id ſuſtulerit: utilius, probari, ut & damnum ſarciatur, & impendia reſtituantur. Et hoc interdictum complectitur, quodcunq; aut ui, aut clam factum eſt. Sed interdum euenit, ut quid & ui & clam fiat: partim ui, & partim clam in eodem opere. utputa ſi prohiberem, fundamenta poſuiſti. poſtea cum conueniſſem, ne reliquũ opus fieret, abſente & ignorante me reliquum opus perfeciſti. uel contra, fundamenta clam ieciſti: deinde cætera me prohibente ædificaſti. Hoc iure utimur, ut & ſi ui & clam factum ſit, interdictum hoc ſufficiat. Si tutoris iuſſu aut curatoris factum ſit: cum placeat, quod Caſſius probat, ex dolo tutoris & curatoris pupillum uel furioſum non teneri: euenit, ut in ipſum tutorẽ curatoremq; aut utilis actio competat, aut etiam utile interdictum. Certe ad patientiam tollendi operis utiq; tenebũtur pupillus & furioſus. ſed an ignoſcitur ſeruo ad noxã, qui obtemperauerit tutori, aut curatori? nam ad quædam, quæ nõ habent atrocitatem facinoris uel ſceleris, ignoſcitur ſeruis: ſiue dominis, ſiue his, qui uice dominorum ſunt, obtemperauerint. quod & in hoc caſu admittendum eſt. Si poſtea, quàm ui aut clam factũ eſt, uenierit fundus: an uenditor nihilominus experiri poſſit hoc interdicto, uideamus. & exſtat ſententia exiſtimantium, nihilominus competere ei interdictum, nec finiri uenditione. ſed nec ex empto actione erit quidq; præ-

præstandum emptori ex eo opere, quod ante uenditionem factum est. satis enim esse, quod utiq; propter hoc opus uiliori prædium distraxerit. Certe & si non uiliori prædium uendidit: idem erit probandum. Planè si post uenditionem fundi opus factum est: & si ipse uenditor experiatur, quia nondum traditio facta est: tamen ex empto actione emptor tenebitur. omne enim & commodum & incommodum ad emptorē ptinere debet. Si fundus in diem addictus sit, cui cōpetet interdictū: & ait Iulianus, interdictū QVOD VI AVT CLAM ei competere, cuius interfuit opus non fieri. fundo enim in diem addicto & commodum & incommodum omne ad emptorem pertinet, (inquit) ante q̄ uenditio transferatur. & ideo si quid tūc ui aut clam factum est: quamuis melior conditio allata fuerit, ipse utile interdictum habebit. sed eā actionē, sicuti fructus medio tempore perceptos, uenditi iudicio præstare cogendum ait. Aristo autem scribit, non possessori esse denunciandum. nam si quis (inquit) fundum mihi uendiderit, & necdum tradiderit: & uicinus, cum opus facere uellet, & sciret me emisse, & in fundo morari, mihi denunciauerit: esse eum tutum futurum, quod ad suspitionē clam facti operis pertineret. quod sanè uerū est. Ego si post in diem addictionē factam fundus precariò traditus sit: putem emptorem interdictū QVOD VI AVT CLAM habere. si uero aut nondū traditio facta sit, aut etiā facta sit precarij rogatio: nō puto dubitandum, quin uenditor interdictum habeat. ei eñ cōpetere debet, & si res ipsius periculo non sit. nec multum facit, quod res emptoris periculo est. nā & statim post uenditionem contractam periculum ad emptorem spectat: & tamē ante, quām ulla traditio fiat, nemo dixerit interdictum ei cōpetere. si tamen precariò sit in possessione: uideamus, ne (quia interest ipsius, qualiter qualiter possidet) iam interdicto uti possit. ergo & si conduxit, multo magis. nam & colonū posse interdicto experiri, in dubiū non uenit. Planè si postea, q̄ melior conditio allata est, aliquid operis ui aut clam factum sit: nec Iulianus dubitat, interdictum uenditori competere. Nam inter Cassium & Iulianum de illo, quod medio tempore accidit, quæstio est: non de eo opere, quod postea contigit.

Si ita prædium uenierit, ut si displicuisset inemptum esset: facilius admittimus interdictū emptorem habere: si modo est in possessione. Et si rescissio emptionis in alterius arbitrium conferatur, idem erit probandum. Idemq; & si ita uenisset, ut si aliquid euenisset, inemptū esset prædium. & si forte commissoria uenierit, idem dicendum est. Idem Iulianus scribit, interdictum hoc non solū domino prædij, sed etiā his, quorum interest opus factum non esse, competere.

XII. VENVLEIVS.

QVanquam autem colonus & fructuarius fructuum nomine ad hoc interdictum admittantur: tamen & domino id competit, si quid præterea eius interſit.

XIII. VLPIANVS.

DEnique ſi arbores in fundo, cuius uſusfructus ad Titium pertinet, ab extraneo uel proprietario ſuccíſæ fuerint: Titius & lege Aquilia, & interdicto QVOD VI AVT CLAM cum utroque eorum recte experietur. Labeo ſcribit, ſi filio tuo prohibente opus factum eſt, & te habere interdictum. at ſi te prohibente opus factum ſit: & filium tuum nihilominus. Idem ait, aduerſus filiumfamilias in re peculiari neminem clam uideri feciſſe. namque ſi ſcit eum filiumfamilias eſſe: non uidetur eius cælandi gratia feciſſe, quem certum eſt nullam ſecum actionem habere. Si ex ſocijs communis fundi unus arbores ſuccíderit: ſocius cum eo hoc interdicto experiri poteſt, cum ei competat, cuius intereſt. unde apud Seruium amplius relatum eſt. ſi mihi conceſſeris, ut ex fundo tuo arbores cædam, deinde alius eas ui aut clam ceciderit: hoc interdictum mihi competere: quia ego ſum, cuius intereſt. quod facilius erit admittendum, ſi à te emerim, uel ex aliquo contractu hoc conſecutus ſim, ut mihi liceat cædere. Quæſitum eſt, ſi cum prædium interim nullius eſſet, aliquid ui aut clam factum ſit: an poſtea dominio ad alium deuoluto, interdicto locus ſit? utputa hæreditas iacebat. poſtea adijt hæreditatem Titius. an ei interdictum competat? & eſt apud Iulianum ſæpiſſime relatum, hoc interdictum hæredi cõpetere eius, quod ante aditam hæreditatem factum ſit. nec referre Labeo ait, quod non ſcierit, qui hæredes eſſent. hoc enim poſſe quem cauſſari etiam poſt adita hæreditatem. ne illud quidẽ obſtare Labeo ait, quod nemo eo in tempore dominus fuerit. Nam & ſepulchri dominus nemo fuit: & tamen ſi quid in eo fiat, experiri poſſum QVOD VI AVT CLAM. Accedit his, quod hæreditas domini locum obtineat. & recte dicetur, hæredi quoque competere, & cæteris ſucceſſoribus: ſiue ante, quàm ſucceſſerint, ſiue poſtea ſit aliquid ui aut clam admiſſum. Si colonus meus opus fecerit: ſiquidem me uolente uel ratum habente: perinde eſt, atque ſi procurator meus feciſſet. in quo placet, ſiue ex uoluntate mea fecerit, teneri me: ſiue ratum habuero, quod procurator fecit. Iulianus ait. ſi colonus arborẽ, de qua controuerſia erat, ſuccíderit, uel quod aliud opus fecerit: ſiquidem iuſſu domini id factum ſit: ambo tenebuntur, nõ tantum ut patientiam præſtent, ſed ut impenſam quoque ad reſtituendum præbeant. ſi autem dominus non iuſſerit: colonus quidem tenebitur, ut patientiã & impenſam præſtet. dominus uero nihil amplius, quàm patientiam præſtare cogendus erit.

Iulia

XIIII. IVLIANVS.

NAm & si seruus meus ignorante me opus fecerit, eumq; uendidero, uel manumisero: mecum in hoc solum agi poterit, ut pariat opus tolli. cum emptore autē serui, ut aut noxæ dedat, aut impensam, quæ in restitutione facta fuerit, præstet. sed & cum ipso manumisso recte agi poterit.

XV. VLPIANVS.

SEmper aduersus possessorem operis hoc interdictum competit. idcircoq; si quilibet, inscio uel etiam inuito me, opus in fundo meo fecerit, interdicto locus erit. Is, cui fundum pastinandū locaueras, lapidem sibi sustulit, & in uicini prædiū proiecit. ait Labeo, te QVOD VI AVT CLAM nō teneri, nisi id tuo iussu factū sit. ego puto cōductorē teneri: locatorem aūt non aliàs, nisi aut patientiam præstare possit, aut aliquam actionē habeat, quā præstet. cæterū teneri non oportet. Si in sepulchro alieno terra cōgesta fuerit iussu meo: agendū esse QVOD VI AVT CLAM mecum, Labeo scribit. & si communi consilio plurium factum id sit: licere uel cum uno uel cum singulis experiri. opus enim, quod à pluribus pro indiuiso factum est, singulos in solidum obligare. si tamē proprio quis eorum hoc fecerit consilio: cum omnibus esse agendum, scilicet in solidū. Itaq; alter conuentus alterum non liberabit. quinimò perceptio ab altero. superiore etenim casu alterius conuentio alterum liberat. Præterea sepulchri quoq; uiolati agi potest. Hoc interdictū in hæredem cæterosq; successores datur in id, quod ad eos peruenit, & post annū non competit. Annus autem cedere incipit, ex quo id opus perfectum est, aut fieri desijt, licet perfectum non sit. alioquin si à principio operis cœpti annum quis numeret: necesse est cū his, qui opus tardissime facerent, sæpius agi. Sed si is sit locus, in quo opus factum est, qui facile non adiretur (utputa in sepulchro quid ui aut clam factū est, uel in abdito alio loco) sed & si sub terra fiat opus, uel sub aqua, uel sub cloaca aliquid factum sit: etiā post annum caussa cognita competit interdictum de eo, quod factum est. nam caussa cognita annua exceptio remittenda est, hoc est ex magna & iusta caussa ignorantiæ interuenīente. Si quis reipublicæ caussa abfuisset, deinde reuersus interdicto QVOD VI AVT CLAM uti uellet: uerius est non excludi eum anno, sed reuersum annum habere. nam & si minor annis uigintiquinq; reipublicæ caussa abesse cœperit, deinde maior effectus sit, dum abest reipublicæ caussa: futurum est, ut ex quo redit, annus ei cōputetur, non ex quo impleuit uigintiquinq; annos. & ita diuus Pius, & deinceps omnes principes rescripserunt. Hoc interdicto tanti lis æstimatur, quanti actoris interest, id opus factum non esse. Officio autem iudicis ita oportere fieri

fieri restitutionem iudicandum est: ut in omni caussa eadem conditio sit actoris, quæ futura esset, si id opus, de quo actum est, neq; ui, neq; clã factum esset. ergo nõnunquam etiam dominij ratio habenda est: utputa si propter hoc opus, quod factum est, seruitutes amittãtur, aut usus fructus intereat. quod non tantum tunc eueniet, cum quis opus ædificauerit: uerùm etiam si diruisse opus proponatur, & deteriorem conditionem feciſſe, uel seruitutum, uel ususfructus, uel ipsius proprietatis. sed quod interfuit, aut per iusiurandum, quod in litem actor iurauerit: aut si iurare nõ possit, iudicis officio æstimandum est. Eum autem, qui dolo malo fecit, quo minus possit restituere: perinde habendum, ac si posset. culpam quoq; in hoc interdictum uenire, erit probandum: quæ tamen arbitrio iudicis æstimanda erit. Quia autem hoc interdictum continet hoc quod interest: si quis alia actione fuerit consecutus id, quod interfuit opus non esse non factum: consequens erit dicere, ex interdicto nihil eum consequi oportere.

XVI. PAVLVS.

COmpetit hoc interdictum etiam his, qui non possident: si modo eorum interest. Si quis ui aut clam arbores non frugiferas ceciderit, ueluti cypressos: domino duntaxat competit interdictum. sed si amœnitas quædam ex huiusmodi arboribus præstetur: potest dici, & fructuarij interesse propter uoluptatem & gestationem, & esse huic interdicto locum. In summa qui ui aut clam fecit, si possidet, patientiam & impensam tollendi operis: qui fecit, nec possidet, impensam: qui possidet, nec fecit, patientiam tantum debet.

XVII. IVLIANVS.

INterdictum QVOD VI AVT CLAM per quemuis domino adquiritur, licet per inquilinum.

XVIII. CELSVS.

SI immaturam syluam cæduam ceciderit quis: interdicto QVOD VI AVT CLAM tenetur. si maturam similiter cæduam, neq; damno dominus affectus est: nihil præstabit. Non absurde responsum est, si magistratum rogasses, ut aduersarium tuum adesse ad iudicium iuberet, ne opus nouum tibi nunciaret: clam uideri te opus feciſſe, quod interim feceris.

IX. VLPIANVS *lib.* LVII. *ad edictum.*

INterdictum QVOD VI AVT CLAM competere filiofamilias colono arboribus succisis, Sabinus ait.

XX. PAVLVS.

VI facit tam is, qui prohibitus fecit, quàm is, qui quo minus prohibeatur, consecutus est: periculũ (puta) aduersario denũciando, aut

aut ianua præcluſa. Prohibitus autem intelligitur, quolibet actu prohibentis: id eſt uel dicentis ſe prohibere, uel manum opponentis, lapillumue iacentis prohibendi gratia. Tamdiu autem ui faciet prohibitus, quàmdiu res in eodem ſtatu permanebit. nam ſi poſtea conuenerit cum aduerſario: deſinit ui facere. Item ſi prohibiti hæres uel is, qui ab eo emerit, ignorans cauſſam præcedentem, fecerit: dicendũ eſſe Pomponius ait, non incidere eũ in interdictũ. Quod in naue fit, uel in aliâ qualibet re uel ampliſſima, mobili tamen: non continetur hoc interdicto. Siue in priuato, ſiue in publico opus fiat, ſiue in loco ſacro, ſiue religioſo: interdictum competit.

XXI. POMPONIVS.

SI opus, quod quis iuſſus eſt à iudice, qui ex hoc interdicto ſumptus eſt, reſtituere, alius quis ui aut clam ſuſtuliſſet: nihilominus idem ille omnimodo iubetur opus reſtituere. Si iuſſero ſeruum meum opus facere, cum (quantum ad me pertinet) in clandeſtini ſuſpitionem non uenirem: ſeruus autem meus putauerit, ſi rem ſciſſet aduerſarius, prohibiturũ eum: an tenear? & non puto: cum mea perſona ſit intuenda. In opere nouo tam ſoli, quàm cæli menſura facienda eſt.

Si quis propter opus factum ius aliquod prædij amiſerit: id reſtitui ex hoc interdicto debet.

XXII. VENVLEIVS.

SI uitem meam ex fundo meo in fundum tuũ depræhenderis, eaq; in fundo tuo coaluerit: utile eſt interdictũ QVOD VI AVT CLAM intra annum. ſed ſi annus præterierit: nullam remanere actionẽ. radices quoq; quæ in fundo meo ſint, tuas fieri: quia his acceſſiones ſint.

Si quis ui aut clam arauerit: puto eũ teneri hoc interdicto perinde, atq; ſi foſſam feciſſet. non eñ ex qualitate operis huic interdicto locus eſt, ſed ex opere facto, quod cohæret ſolo. Si ad ianuã meam tabulas fixeris, & ego eas prius, q̃ tibi denunciarem, refixero, deinde inuicem interdicto QVOD VI AVT CLAM egerimus: niſi remittas mihi, ut abſoluar: condemnandum te, quaſi rem non reſtituas, quanti mea interſit: aut certe exceptionem mihi profuturam, SI NON VI, NEC CLAM, NEC PRECARIO FECERIS. Si ſtercus per fundum meum tuleris, cum id te facere uetuiſſem: quanquam nihil damni feceris mihi, nec fundi mei faciem mutaueris: tamen teneri te QVOD VI AVT CLAM, Trebatius ait. Labeo contra. nec etiam is, qui duntaxat iter per fundum meum fecerit, aut auem egerit, uenatusue fuerit ſine ullo opere, hoc interdicto teneatur. Si quis proiectum aut ſtillicidium in ſepulchro miſerit: etiam ſi ipſum monumentum non tangeret: recte cũ eo agi, quod in ſepulchro ui aut clam factum ſit: quia ſepulchri ſit non

ſolum is locus,qui recipiat humationem,ſed omne etiam ſupra id cælum. eoq; etiam nomine ſepulchri uiolati agi poſſe. Si is,qui denunciauerit ſe opus facturum,confeſtim opus fecerit: clam feciſſe non intelligitur. nam ſi poſt tempus:uidebitur clam feciſſe.

DE REMISSIONIBVS. Tit. XXIIII.

I. VLPIANVS.

AIt prætor. QVOD IVS SIT ILLI PROHIBERE, NE SE INVITO FIAT IN EO: NVNCIATIO TENET. CAETERVM NVNCIATIONEM MISSAM FACITO. Sub hoc titulo remiſſiones proponuntur: & uerba prætoris oſtendunt remiſſionem ibi demum factam,ubi nũciatio non tenet:& nunciationem ibi demum uoluiſſe prætorem tenere, ubi ius eſt nuncianti prohibere,ne ſe inuito fiat. Cæterum ſiue ſatiſdatio interueniat,ſiue non:remiſſio facta hoc tantum remittit,in quo non tenuit nunciatio. Planè ſi ſatiſdatum eſt,& exinde remiſſio facta eſt: non eſt remiſſio neceſſaria. Ius is habet nouum opus nunciandi,qui aut dominium,aut ſeruitutem habet. Item Iuliano placet, fructuario uindicandarum ſeruitutum ius eſſe. ſecundum quod opus nouũ nunciare poterit uicino,& remiſſio utilis erit. ipſi autem domino prædiĳ ſi nunciauerit,remiſſio inutilis erit. neq; ſicut aduerſus uicinum,ita aduerſus dominum agere poteſt,ius ei non eſſe inuito ſe altius ædificare. ſed ſi hoc facto uſusfructus deterior fiat:petere uſumfructum debebit. Idem Iulianus dicit de cæteris, quibus aliqua ſeruitus à uicino debetur. Ei quoq;,qui pignori fundum accepit, ſcribit Iulianus nõ eſſe iniquum detentionem ſeruitutis dari.

DE PRECARIO. Tit. XXV.

I. VLPIANVS.

PRecarium eſt,quod precibus petenti utendum concedi- tur tamdiu, quàmdiu is, qui conceſſit,patitur. quod genus liberalitatis ex iure gentium deſcendit. & diſtat à donatione eo,quod qui donat,ſic dat, ne recipiat: qui precariò concedit,ſic dat,quaſi tunc recepturus,cum ſibi libuerit precariũ ſoluere. & eſt ſimile commodato. nam & qui commodat rem, ſic commodat, ut non faciat rem accipientis: ſed ut ei utile commodata permittat.

II. IDEM.

Ait

AIt prætor. QVOD PRECARIO' AB ILLO HABES, AVT DOLO MALO FECISTI, VT DESINERES HABERE, QVA DE RE AGITVR, ID ILLI RESTITVAS. Hoc interdictum restitutorium est, & naturalem habet in se æquitatem. nanq; precarium reuocare uolenti competit. est enim natura æquũ, tamdiu te mea liberalitate uti, quàmdiu ego uelim: & ut possim reuocare, cum mutauero uoluntatem. Itaq; cũ quid precariò rogatum est: non solũ hoc interdicto uti possumus, sed etiam præscriptis uerbis actione, quæ ex bona fide oritur. Habere precariò uidetur, qui possessionẽ uel corporis uel iuris adeptus est ex hac solummodo caussa, quod adhibuit preces, & impetrauit, ut sibi possidere aut uti liceat.

III. CAIVS.

VEluti si me precariò rogaueris, ut per fundum meum ire uel agere tibi liceat: uel ut in tectum, uel in aream ædium mearum stillicidium uel tignum in parietem immissum habeas.

IIII. VLPIANVS.

IN rebus etiam mobilibus precarij rogatio constitit. Meminisse autem nos oportet: eum, qui precariò habet, etiam possidere. Tenetur hoc interdicto non utiq; ille, qui precariò rogauit, sed qui precariò habet. etenim fieri potest, ut quis non rogauit, sed habeat precariò: utputa seruus meus rogauit, mihi adquisijt precarium, uel quis alius, qui iuri meo subiectus est. Item si rem meam precariò rogauero: rogaui quidem precariò, sed non habeo precariò: idcirco, quia receptum est, rei suæ precarium non esse. Item qui precariò ad tempus rogauit: finito tempore, etiam si ad hoc tempus non rogauit, tamen precariò possidere uidetur. intelligitur enim dominus, cum patitur eum, qui precariò rogauit, possidere: rursus precariò concedere.

V. POMPONIVS.

SEd si manente adhuc precario, tu in ulterius tempus rogasti: prorogatur precarium. nam nec mutatur caussa possessionis, & non constituit eo modo precariũ, sed in longius tempus profertur. Si uero præterita die rogas: propius est, ut soluta iam caussa precarij, non redintegretur, sed noua constituatur.

VI. VLPIANVS.

CErte si interim dominus furere cœperit, uel decesserit: fieri non posse, Marcellus ait, ut precarium redintegretur. & hoc uerũ est. Si procurator meus me mandante, uel ratum habente, precariò rogauit: ego precariò proprie habere dicor. Is, qui rogauit, ut precariò in fundo moretur: non possidet, sed possessio apud eũ, qui concessit, remanet. nã & fructuarius (inquit) & colonus, & inquilinus sunt in præ-

dio:& tamen non possident. Iulianus ait:eum,qui ui alterum deiecit,& ab eodem precario rogauit:desinere ui possidere, & incipere precario.neq; existimare,sibi ipsum caussam possessionis mutare:cum uoluntate eius, qui deiecit,cœperit precario possidere. nam si ab eodem emisset:incipere etiam pro emptore posse dominium capere. Quæsitum est,si quis rem suam mihi pignori dederit,& precario rogauerit: an hoc interdictum locum habeat? quæstio in eo est, quod consistere precarium rei suæ non possit. mihi uidetur uerius precarium consistere in pignore:cum possessionis rogetur,non proprietatis.& est hæc sententia etiam utilissima. cotidie enim precario rogantur creditores ab his, qui pignori dederunt:& debet consistere precarium.

VII. VENVLEIVS.

SEd & si eam rem, cuius possessionem per interdictum VTI POSSIDETIS retinere possem, (quamuis futurum esset,ut tenear de proprietate) precario tibi concesserim : teneberis hoc interdicto.

VIII. VLPIANVS.

QVæsitum est. si Titius me rogauerit, ut re Sempronij utatur: deinde ego Sempronium rogauero,ut concederet: & ille,dum mihi uult præstitũ,concesserit: & Titius à me habeat precario,& ego cum eo agam interdicto de precario, Sempronius autem nõ agat cum eo: quia hæc uerba AB ILLO PRECARIO HABES ostendunt ei demum competere interdictum,à quo quis precario rogauit,non cuius res est: an tamen Sempronius mecum,quasi à me rogatus,interdictum habeat? & magis est,ne habeat:quia non habeo precario,cum non mihi,sed alij impetraui.mandati tamen actionem potest aduersus me habere, quia mandante me dedit tibi. ac si quis dixerit, non mandatu meo, sed magis mihi credentem hoc feciss̃e: dicendum est in factum dandã actionem etiã aduersus me. Quod à Titio precario quis rogauit,id etiã ab hærede eius precario habere uidetur.& ita Sabinus & Celsus scribit,eoq; iure utimur. ergo & à cæteris successoribus habere quis precario uidetur. idem & Labeo probat,& adñcit:etiam si ignoret quis hæredem:tamen uideri eum habere precario ab hærede. Illud tamen uideamus,quale sit,si à me precario rogaueris,& ego eam rem alienauero:an precarium duret re ad alium translata. & magis est, ut si ille non reuocet:possis interdicere,quasi ab illo precario habeas,nõ quasi à me. & si passus est aliquo tempore à se precario habere:recte interdicet,quasi à se precario habeas. Eum quoq; precario teneri uoluit prætor, qui dolo fecit,ut habere desineret.Illud adnotatur,quod culpam non præstat,qui precario rogauit,sed solum dolum:quanquam is,qui commodatum susceperit, non tantum dolum, sed etiam culpam præstet. nec imme

immerito dolum solum præstat is, qui precariò rogauit: cum totum hoc ex liberalitate descendat eius, qui precariò concessit: & satis sit, si dolus tantum præstetur. culpam tamen dolo proximam cõtineri quis merito dixerit. Ex hoc interdicto restitui debet in pristinã caussam. quod si non fuerit factum: condemnatio in tantum fiet, quanti interfuit actoris ei rem restitui & ex eo tempore, ex quo interdictũ editum est. ergo & fructus ex die interdicti editi præstabuntur. Si seruitute usus non sit is, qui precariò rogauit, ac per hoc amissa sit: uideamus, an interdicto teneatur. ego arbitror non aliàs, quàm si dolo fecerit. Et generaliter erit dicendum, in restitutionem uenire dolum & culpam latam duntaxat: cætera nõ uenire. Planè post interdictum editum oportebit & dolũ, & culpam, & omnem caussam uenire. nam ubi moram quis facit precariò: omnem caussam debebit restituere. Interdictum hoc post annum competere Labeo scribit, eoq; iure utimur. cum enim nonnunquam in longum tempus precarium concedatur: absurdum est dicere, interdictum locum non habere post annum. Hoc interdicto eius hæres, qui precariò rogauit, tenetur, quemadmodum ipse: ut si ue habet, siue dolo fecit, quo minus haberet, uel ad se perueniret, teneatur. ex dolo autem defuncti hactenus, quatenus ad eum peruenit.

IX. CAIVS.

PRecariò possessio constitui potest uel inter præsentes, uel inter absentes: ueluti per epistolam, uel per nuncium.

X. POMPONIVS.

QVamuis ancillam quis precariò rogauerit: id actum uidetur, ut etiam quod ex ancilla natum esset, in eadem caussa haberetur.

XI. CELSVS

SI debitor rem pignoratam precariò rogauit: soluta pecunia precarium soluitur: quippe id actum est, ut usq; eò precarium teneret.

XII. IVLIANVS.

CVm precariò aliquid datur, si cõuenit, ut in calendas Iulias precariò possideat: nunquid exceptione adiuuandus est, ne ante ei possessio auferatur? sed nulla uis est huius conuentionis, ut rem alienam domino inuito possidere liceat. Precariò rogatio & ad hæredẽ eius, qui precariò concessit, transit. ad hæredem autem eius, qui precariò rogauit, non transit: quippe ipsi duntaxat, non etiam hæredi concessa possessio est.

XIII. POMPONIVS.

SI seruus tuus tuo mandatu precariò rogauerit, uel ratum habueris, quod ille rogauit tuo nomine: teneberis quasi precariò habeas. sed si te ignorante suo nomine, uel seruus, uel filius rogauerit: non ui-

deris tu precariò habere: sed illi erit actio de peculio, uel de in rẽ uerso.

XIIII. PAVLVS.

INterdictum de precarijs merito introductum est: quia nulla eo nomine iure ciuili actio est. magis enim ad donationem & beneficij causſam, quàm ad negocij contracti ſpectat precarij conditio.

XV. POMPONIVS

ET habet ſummam æquitatem, ut eatẽnus quiſq; noſtro utat, quatẽnus ei tribuere uelimus. Hoſpites, & qui gratuitam habitationem accipiunt, non intelliguntur precariò habitare. Precariò habere etiam ea, quæ in iure conſiſtunt, poſſumus: ut immiſſa uel protecta. Cum quis de re ſibi reſtituenda cautum habet: precarium interdictum ei non competit. Eum, qui precariò rogauerit, ut ſibi poſſidere liceat: nanciſci poſſeſſionem, non eſt dubium. An is quoq; poſſideat, qui rogatus ſit, dubitatum eſt. placet autem penes utrumq; eſſe eum hominem, qui precariò datus eſſet: penes eum, qui rogaſſet, quia poſſederat corpore: penes dominum, quia non diſceſſerit animo à poſſeſſione. Quo quis loco precariò aut poſſideat, aut cœperit poſſidere: nihil refert, quod ad hoc interdictum pertinet.

XVI. IVLIANVS.

SI adoptauero eum, qui precariò rogauerit, egó quoque precariò poſſidebo.

XVII. IVLIANVS.

QVi precariò fundum poſſidet, is interdicto VTI POSSIDETIS aduerſus omnes, præter eum, quem rogauit, uti poteſt.

XVIII. IVLIANVS.

VNuſquiſq; poteſt rem ſuam, quamuis non poſſideat, precariò dare ei, qui poſſidet.

XIX. IVLIANVS.

DVo in ſolidum precarium habere nõ magis poſſunt, quàm duo in ſolidum ui poſſidere aut clam. nam neq; iuſte, neq; iniuſte poſſeſſiones duæ concurrere poſſunt. Qui ſeruum meum precariò rogat: uidetur à me precariò habere, ſi hoc ratum habuero. & ideo precariò interdicto mihi tenebitur. Cum quid precariò rogatum eſt: non ſolũ interdicto uti poſſumꝰ, ſed & incerti cõdictione præſcriptis uerbis.

XX. VLPIANVS.

EA, quæ diſtracta ſunt, ut precariò penes emptores eſſent, quo ad precium uniuerſum perſolueretur: ſi per emptorem ſteterit, quo minus perſolueretur: uenditorem poſſe conſequi.

XXI. VENVLEIVS.

CVm precariò quis rogat, ut ipſi in eo fundo morari liceat: ſuperuacuum

cuum est adijci IPSI SVIS'QVE. nam per ipsum suis quoq; permissum uti uidetur.

XXII. VLPIANVS

SI is,qui pro possessore precariò possideret,dominum rogauerit, ut sibi seruinere rem liceret:uel is,qui alienam rem emisset,dominum rogauerit:apparet eos precariò possidere:nec existimandos mutare sibi causſam possessionis,quibus à domino concedatur precariò possidere.Nam & si id,quod possideas,alium precariò rogaueris:uideri te desinere ex prima causſa possidere,& incipere ex precario habere.& contra si possessorem precariò rogauerit is, qui rem auocare ei posset, teneri eum precariò:quoniam aliquid ad eum per hanc precarij rogationem peruenit,id est possessio,quæ aliena sit. Si pupillus sine tutoris authoritate precariò rogauerit:Labeo ait,habere eum precariam possessionē, & hoc interdicto teneri. nam quo magis naturaliter possideret, nullum locū esse tutoris authoritati:rectéq; dici, quod precariò habeat:quia quod possidet, ex ea causſa possideat, ex qua rogauerit.nihilq; noui à prætore constituendum:quoniam siue habeat rem,officio iudicis teneatur:siue non habeat, non teneatur.

DE ARBORIBVS CAEDENDIS. Tit. XXVI.

I. VLPIANVS.

AIt prætor. QVAE ARBOR EX AEDIBVS TVIS IN AEDES ILLIVS IMPENDET : SI PER TE STAT, QVO MINVS EAM ADIMAS: TVNC QVOMINVS EAM ILLI ARBOREM ADIMERE, SIBI'QVE HABERE LICEAT, VIM FIERI VETO. Hoc interdictum prohibitorium est. Si arbor ædibus alienis impendeat:utrum totam arborem iubeat prætor adimi:an uero id solum,quod superexcurrit,quæritur.& Rutilius ait ex stirpe excidendam,idq; pleriſq; uidetur uerius. & nisi dominus adimeret arborem:Labeo ait permitti ei, cui arbor officeret,ut (si uelleт)succideret eam,lignaq; tolleret. Arboris appellatione etiam uites continentur. Non solum autem domino ædium, sed etiam ei,qui usumfructum habet,competit hoc interdictum:quia & ipsius interest,arborem istam non impendere. Præterea probandum est,si arbor communibus ædibus impendeat: singulos dominos habere hoc interdictū,& quidem in solidū:quia & seruitutū uindicationem singuli habeāt. Ait prætor.SI PER TE STAT, QVO MINVS EAM ADIMAS: TVNC QVO MINVS EAM ARBOREM ILLI ADIMERE LICEAT,VIM FIERI VETO.Prius itaq; tibi datur adimendi facultas. si tu non facias:

tunc

tunc uicino prohibet uim fieri adimere uolenti. Deinde ait prætor. QVAE ARBOR EX AGRO TVO IN AGRVM ILLIVS IMPENDET, SI PER TE STAT, QVO MINVS PEDES QVINDECIM A TERRA EAM ALTIVS COERCEAS: TVNC QVO MINVS ILLI ITA COERCERE, LIGNA QVE SIBI HABERE LICEAT, VIM FIERI VETO. Quod ait prætor, & lex duodecim tabularum efficere uoluit, ut quindecim pedes altius rami arboris circuncidantur. & hoc idcirco effectum est, ne umbra arboris uicino prædio noceret. Differentia duorum capitum interdicti hæc est. siquidem arbor ædibus impendeat: succidi eam præcipitur. si uero agro impendeat: tantum usq; ad quindecim pedes à terra coërceri.

II. POMPONIVS.

SI arbor ex uicini fundo uento inclinata in tuum fundum sit: ex lege duodecim tabularum de adimenda ea recte agere potes, ius ei non esse, ita arborem habere.

DE GLANDE LEGENDA. Tit. XXVII.

I. VLPIANVS.

AIt prætor. GLANDEM, QVAE EX ILLIVS AGRO IN TVVM CADIT, QVO MINVS ILLI TERTIO QVOQVE DIE LEGERE, AVFERRE LICEAT: VIM FIERI VETO. Glandis nomine omnes fructus continentur.

DE LIBERO HOMINE EXHIBENDO. Tit. XXVIII.

I. VLPIANVS.

AIt prætor. QVEM LIBERVM HOMINEM DOLO MALO RETINES, EXHIBEAS. Hoc interdictum proponitur tuendæ libertatis causſa: uidelicet ne homines liberi retineantur à quoquam.

II. VENVLEIVS.

NEq; enim multum à specie seruientium differunt, quibus non datur facultas recedendi.

III. VLPIANVS.

QVod & lex Fauia prospexit. neq; hoc interdictum aufert legis Fauiæ exsecutionẽ. nã & hoc interdicto agi poterit, & nihilominus accusatio legis Fauiæ instituí. & uersa uice qui egit Fauia, poterit nihilominus etiam hoc interdictum habere: præsertim cum alius interdictum

ctum,alius Fauiæ actionem habere possit. Hæc uerba QVEM LIBERVM ad omnem hominem liberum pertinent:siue pubes sit, siue impubes, siue masculus, siue fœmina, siue plures, siue unus, siue sui iuris, siue alieni. hoc enim tantũ spectamus,an liber sit. Is tamen, qui in potestate habet,hoc interdicto non tenebitur:quia dolo malo non uidetur habere,qui iure suo utitur. Si quis eum,quem ab hostibus redemit,retineat:in ea caussa est,ut interdicto non teneatur. nõ enim dolo malo fecit. planè si offeratur precium:interdictum locum habet. sed & si eum remisit precio non accepto: dicendum est, interdicto locum fore,si postea,quàm semel remisit,uelit retinere. Si eum quis retineat filium,quem non habet in potestate:plerunq; sine dolo malo facere uidebitur. pietas enim genuina efficit sine dolo malo retineri:nisi si euidens dolus malus intercedat. Proinde & si libertum suum, uel alumnum,uel noxæ deditum adhuc impuberem:idem erit dicendum. Et generaliter,qui iustam caussam habet hominis liberi apud se retinendi,non uidetur dolo malo facere. Si quis uolentem retineat:non uidetur dolo malo retinere. sed quid si quidem retineat, non tamen sine calliditate circũuentum, uel seductum,uel sollicitatum,neq; bona, uel probabili ratione hoc facit? recte dicitur dolo malo retinere. Is,qui nescit apud se esse hominem liberum,dolo malo caret. sed ubi certioratus retinet:dolo malo non caret. Planè si dubitat,utrum liber,an seruus sit,uel facit status controuersiam:recedendum erit ab hoc interdicto,& agenda caussa libertatis. etenim recte placuit,tunc demum hoc interdictum locum habere, quoties quis pro certo liber est. Cæterum si quæratur de statu:non oportet præiudicium fieri alienæ cognitioni.

Ait prætor EXHIBEAS. at exhibere est in publicum producere,& uidendi tangendiq; hominis facultatem præbere. proprie autem exhibere est extra secretum habere. Hoc interdictum omnibus competit. nemo enim prohibendus est libertati fauere. Planè ex caussa suspectæ personæ remouendæ sunt: si forte talis persona sit,quam ueri simile sit colludere, uel calumniari. Sed si mulier, uel pupillus hoc interdictum desiderẽt pro cognato, uel parente, uel adfine suo solliciti: dandum esse eis interdictum,dicendum est. nam & publico iudicio reos facere possunt,dum suas suorumq; iniurias exsequuntur. Si plures sunt,qui experiri uolent:eligendus est à prætore,ad quem maxime res pertinet, uel is,qui idoneior est. & est optimum,ex coniunctione, ex fide,ex dignitate actorem hoc interdicto eligendũ. Si tamen postea, quàm hoc interdicto actum est,alius hoc interdicto agere desideret: palam erit,postea alij non facile dandum:nisi si de perfidia prioris potuerit aliquid dici. Itaq; caussa cognita amplius,quàm semel interdictum

hoc erit mouendum. nam nec in publicis iudicijs permittitur amplius agi, poſtq; ſemel actum eſt, quàm ſi præuaricationis fuerit damnatus prior accuſator. Si tamen reus cõdemnatus malit litis æſtimationem ſufferre, quàm hominem exhibere: non eſt iniquum, ſæpius in eum interdicto experiri, uel eidem ſine exceptione, uel alij. Hoc interdictum & in abſentem eſſe rogandum, Labeo ſcribit. ſed ſi non defendatur: in bona eius eundum ait. Hoc interdictum perpetuum eſt.

IIII. VENVLEIVS.

SI quis liberum hominem ignorantem ſuum ſtatum retinet: ſi tamen dolo malo retineat: cogitur exhibere. Trebatius quoq; ait, non teneri eum, qui liberum hominem pro ſeruo bona fide emerit, & retineat. Nullo tẽpore dolo malo retineri homo liber debet: adeo, ut quidam putauerint, nec modicum tempus ad eum exhibendũ dandum: quoniam præteriti facti pœna præſtanda eſt. Creditori non competit interdictũ, ut debitor exhiberetur. nec eñ debitorem latitantem exhibere quiſq; cogitur: ſed in bona eius ex edicto prætoris itur.

DE LIBERIS EXHIBENDIS, ITEM ducendis. Tit. XXIX.

I. VLPIANVS.

AIt prætor. QVI QVAE'VE IN POTESTATE LVCII TITII EST, SI IS, EA'VE APVD TE EST, DOLO'VE TVO MALO FACTVM EST, QVO MINVS APVD TE ESSET: ITA EVM, EAM'VE EXHIBEAS. Hoc interdictũ ppoñ aduerſus eum, quẽ quis exhibere deſiderat eũ, quem in poteſtate ſua eſſe dicit. & ex uerbis edicti apparet: ei, in cuius poteſtate eſt, hoc interdictum competere. In hoc interdicto prætor non admittit cauſſam, cur apud eum ſit is, qui exhiberi debet, quem admodum in ſuperiore interdicto: ſed omnimodo reſtituendum putauit, ſi in poteſtate eſt. Si uero mater ſit, quæ retinet, apud quam interdũ magis, quàm apud patrẽ morari filiũ debere, ex iuſtiſſima ſcilicet cauſſa & diuus Pius decreuit, & à Marco & à Seuero reſcriptum eſt: æque ſubueniendum erit ei per exceptionem. Pari modo ſi iudicatum fuerit, non eſſe eum in poteſtate: & ſi per iniuriam iudicatũ ſit: agenti hoc interdicto obijcienda erit exceptio rei iudicatæ: nec de hoc quæretur, an ſit in poteſtate, ſed an ſit iudicatum. Si quis filiam ſuam, quæ mihi nupta eſt, uelit abducere, uel exhiberi ſibi deſideret: an aduerſus interdictum exceptio danda ſit, ſi forte pater concordans matrimoniũ, & forte liberis ſubnixum uelit diſſoluere? & certo iure utimur, ne bene

cons-

cõcordantia matrimonia iure patriæ potestatis turbentur. quod tamen sic erit adhibendum, ut patri persuadeatur, ne acerbe patriam potestatem exerceat.

II. VENVLEIVS.

IMò magis de uxore exhibenda ac deducenda, pater etiam, qui filiam in potestate habet, à marito recte conuenitur.

III. VLPIANVS.

DEinde ait prætor. SI LVCIVS TITIVS IN POTESTATE LVCII TITII EST: QVO MINVS EVM LVCIO TITIO DVCERE LICEAT, VIM FIERI VETO. Superiora interdicta exhibitoria sunt, hoc est, pertinentia ad exhibitionem liberorũ cæterorumq́, de quibus supra diximus. hoc aũt interdictum pertinet ad ductionem: ut ducere quis possit eos, in quos habet ius ductionis. Itaq; prius interdictũ, quod est de liberis exhibendis, præparatorium est huius interdicti. quo magis enim quis duci possit, exhibendus est. & ex ijsdem caussis hoc interdictum tribuendum est, ex quibus caussis de exhibendis liberis competere diximus. Itaq; quæcunq; ibi diximus, eadem hic quoq; dicta accipienda sunt. Hoc autem interdictum competit non aduersus ipsum filium, quem quis ducere uult: sed utiq; debet esse is, qui eum interdicto defendat. Cæterum cessat interdictum, & succedere poterit notio prætoris: ut apud eum disceptetur, utrum quis sit in potestate, an non.

Iulianus ait. quoties id interdictum mouetur de filio ducendo, uel cognitio: & is, de quo agitur, impubes est: aliàs differri oportere rem in tempus pubertatis, aliàs repræsentari. idq; ex persona eorũ, inter quos controuersia erit, & ex genere caussæ constituendum est. nam si is, qui se patrem dixerit, authoritatis, prudentiæ, fidei exploratæ sit: usq; in diem litis impuberem apud se habebit. si uero qui controuersiam facit, humilis, calumniator, notæ nequiciæ sit: repræsentanda cognitio est. Item si is, qui impuberem negat in aliena esse potestate, uir omnibus modis probatus, tutor uel testamẽto uel à prætore datus est: pupillũ, quem apud se habuit, in diem litis tuebitur. si uero, qui patrẽ se dicit, suspectus, quasi calumniator est: differre litẽ non oportebit. si uero utraq; persona suspecta est, aut tanquam infirma, aut tanquam turpis: non alienum erit (inquit) disponi, apud quem puer interim educetur, & controuersiam in tempus pubertatis differri: ne per collusionẽ, uel imperitiam alterutrius contendentium, aut alienæ potestati paterfamilias addicatur, aut filius alienus patrisfamilias loco constituatur.

Etiam si maxime eum probet filium pater in sua potestate esse: tamẽ caussa cognita mater in retinendo eo potior erit, idq; decretis quibusdam diui Pij continetur. obtinuit enim mater ob nequiciam pa-

tris,ut sine deminutione patriæ potestatis apud eam filius moraretur.

In hoc interdicto,donec res iudicetur,fœminã prætextatã,eumq; qui proxime prætextati ætatem accederet,interim apud matremfamilias deponi prætor iubet.proxime autem prætextati ætatem accedere eum dicimus,qui impuberem ætatem nunc ingressus est. Cum audis matremfamilias,accipe notæ authoritatis fœminam.

IIII. AFRICANVS.

SI eũ,qui se patremfamilias dicat, ego in mea potestate esse, & iussu meo adisse hæreditatem dicam:tam de hæreditate agi oportere, q̃ ad interdictum de filio ducendo iri debere ait.

V. VENVLEIVS.

SI filius sua sponte apud aliquem est, inutile hoc interdictum erit: quia filius magis apud se,quàm apud eum est, in quem interdicetur,cum liberam facultatem abeundi uel remanendi haberet: nisi inter duos,qui se patres dicerent,controuersia esset,& alter ab altero exhiberi eum desideraret.

VTRVBI. Tit. XXX.

I. VLPIANVS.

PRætor ait. VTRVBI HIC HOMO, DE QVO AGITVR, MAIORE PARTE HVIVSCE ANNI FVERIT: QVO MINVS IS EVM DVCAT, VIM FIERI VETO. Hoc interdictum de possessione rerum mobilium locum habet.sed obtinuit,uim eius exæquatam fuisse VTI POSSIDETIS interdicto,quod de rebus soli competit: ut is & in hoc interdicto uincat,qui nec ui, nec clam, nec precariò, dum super hoc ab aduersario inquietatur,possessionem habet.

DE MIGRANDO. Tit. XXXI.

I. VLPIANVS.

PRætor ait. SI IS HOMO, QVO DE AGITVR, NON EST EX HIS REBVS, DE QVIBVS INTER TE ET ACTOREM CONVENIT, VT QVAE IN EAM HABITATIONEM, QVA DE AGITVR, INTRODVCTA, IMPORTATA, IBI NATA, FACTA VE ESSENT, EA PIGNORI TIBI PRO MERCEDE EIVS HABITATIONIS ESSENT: SIVE EX HIS REBVS EST, ET EA MERCES TIBI SOLVTA, EO VE NOMINE SATISFACTVM EST, AVT PER TE STAT, QVO MINVS SOLVATVR: ITA quo

QVO MINVS EI, QVI PIGNORIS NOMINE EVM INDVXIT, INDE ABDVCERE LICEAT, VIM FIERI VETO. Hoc interdictum propo nitur inquilino, qui soluta pensione uult migrare. nã colono non com petit. cui rei etiam extra ordinẽ subueniri potest. ergo infrequens est hoc interdictum. Si tamen gratuitam quis habitationẽ habet, hoc in terdictum utile ei competit. Si pensio nondũ debeatur, ait Labeo in terdictum hoc cessare: nisi paratus sit eam pensionem soluere. Proin de si semestrem soluerit, & semestris debeatur: inutiliter interdicet, ni si soluerit & sequentis semestris: ita tamen, si conuentio specialis facta est in conductione domus, ut non liceat ante finitum annum, uel cer tum tempus migrare. Idem est, & si quis in plures annos conduxerit, & nondum præterierit tempus. nam cum in uniuersam cõductionem pignora sunt obligata: consequens erit dicere, interdicto locũ non fo re, nisi liberata fuerint. Illud notandum est, prætorem hoc non ex egisse, ut in boni fuerit conductoris: nec ut sit pignori res illata, sed ut pignoris nomine inducta sit. Proinde & si aliena sint, & sint talia, quæ pignori teneri non potuerint, pignoris tamen nomine introducta sint: interdicto huic locus erit. quod si nec pignoris nomine inducta sint, nec retineri poterint à locatore. Hoc interdictum perpetuum est, & in successores, & successoribus dabitur.

II. CAIVS.

HOc interdictum inquilino etiam de his rebus, quæ non ipsius sunt, sed forte commodatæ ei, uel locatæ, uel apud eum depositæ sunt, utile esse, non dubitatur.

DE SALVIANO INTERDICTO. Tit. XXXII.

I. IVLIANVS.

SI colonus ancillã in fundo pignoris nomine induxerit, & eam uendiderit: quod apud emptorem ex ea natũ est, eius adpræhẽdendi gratia utile interdictũ reddi oportet. Si colonus res in fundum duorum pignoris nomine intulerit, ita ut utriq; in solidum obligatæ essent: singuli aduersus extraneos Saluiano interdicto recte experientur. inter ipsos uero si reddatur hoc interdictum: possidentis conditio melior erit. At si id actum fuerit, ut pro partibus res obligaretur: utilis actio & aduer sus extraneos, & inter ipsos dari debebit, per quam dimidias par tes possessionis singuli adpræhendant. Idem seruari conuenit, & si colo nus rem, quam cum alio communem habebat, pignoris nomine in duxit: scilicet ut pro parte dimidia pignoris persecutio detur.

II. VLPIANVS.

IN Saluiano interdicto si in fundum communem duorum pignora sunt ab aliquo inuecta: possessor uincet, & erit eis descendendum ad Seruianum interdictum.

DIGESTORVM SEV PANDECTARVM LIBER QVADRAGESIMVS QVARTVS.

DE EXCEPTIONIBVS, PRAESCRIptionibus, & præiudicijs. Tit. I.

I. VLPIANVS.

AGere etiam is uidetur, qui exceptione utitur. nam reus in exceptione actor est.

II. IDEM.

EXceptio dicta est, quasi quædam exclusio, quæ interponi actioni cuiusq; rei solet ad excludendum id, quod in intentionem cõdemnationemue deductum est. Replicationes nihil aliud sunt, quàm exceptiones, & à parte actoris ueniũt. quæ quidem ideo necessariæ sunt, ut exceptiones excludant. semper ẽm replicatio idcirco objicitur, ut exceptionem oppugnet. Illud tenendum est, omnem exceptionem, uel replicationem excluſoriam esse. exceptio actorem excludit, replicatio reum. sed & contra replicationem duplicatio, & contra duplicationem solet dari triplicatio, & cõtra triplicationem rursus quadruplicatio: & ita deinceps multiplicantur nomina, dum aut reus, aut actor objicit. Sanè solemus dicere, quasdam exceptiones esse dilatorias, quasdam peremptorias. utputa dilatoria est exceptio, quæ differt actionem: ueluti procuratoria exceptio dilatoria est. nam qui dicit non licere procuratorio nomine agi: non prorsus litem inficiatur, sed personam euitat.

III. CAIVS.

EXceptiones aut perpetuæ atq; peremptoriæ sunt, aut temporales & dilatoriæ. Perpetuæ atq; peremptoriæ sunt, quæ semper locũ habent, nec euitari possunt: qualis est doli mali, & rei iudicatæ, & si quid contra leges, senatusue consultum factum esse dicetur. item pacti conuenti perpetui, id est ne omnino pecunia petatur. Temporales atq; dilato

dilatoriæ sunt, quæ non semper locum habent, sed euitari possunt: qualis est pacti conuenti temporalis, id est ne forte intra quinquennium agatur. Procuratoriæ quoque exceptiones dilatoriæ sunt, quæ euitari possunt.

IIII. PAVLVS.

IN pupillo, cui soluta est debita pecunia sine tutoris authoritate, si quæratur, an doli exceptione submoueri debeat: illud tempus inspicitur, an pecuniam, uel ex ea aliquid habeat, quo petit.

V. IVLIANVS.

IS, qui dicit se iurasse, potest & alijs exceptionibus uti cum exceptione iurisiurandi, uel alijs solis pluribus enim defensionibus uti permittitur.

VI. IDEM.

SI rem legatam petat legatarius: de dolo testatoris excipitur. nam si heres, qui in uniuersum ius succedit, submouetur exceptione: ita & legatarius debet submoueri, quasi unius rei successor.

VII. IDEM.

EXceptiones, quæ personæ cuiusq; cohærent, nō transeunt ad alios. ueluti ea, quam socius habet in id, quod facere possit, uel parens patronusue, non competit fideiussori. sic mariti fideiussor post solutū matrimonium datus, in solidum dotis nomine condemnatur. Rei autem cohærentes exceptiones etiam fideiussoribus competunt: ut rei iudicatæ, doli mali, iurisiurandi, quod metus causa factum est. igitur & si reus pactus sit in rem, omnimodo cōpetit exceptio fideiussori. In tercessionis quoq; exceptiō, item quod libertatis onerandæ causa petitur, etiam fideiussori competit. Idem dicitur, & si pro filiofamilias contra senatusconsultū quis fideiusserit, aut pro minore uiginti quinq; annis circumscripto: quia si deceptus non sit: tunc nec ipse ante habebit auxiliū, quàm restitutus fuerit, nec fideiussori danda est exceptio.

VIII. IDEM.

NEmo prohibetur pluribus exceptionibus uti, quāuis diuersæ sint.

IX. MARCELLVS.

NOn utiq; existimatur confiteri de intentione aduersarius, cū quo agitur, qui exceptione utitur.

X. MODESTINVS.

MOdestinus respondit. res inter alios iudicatas alijs non obesse: nec si is, contra quem iudicatum est, hæres extiterit ei, contra quem nihil pronunciatum est, hæreditariam litem ei inferenti præscribi ex ea sententia posse, quam proprio nomine disceptans ante, quàm hæres extiterit, excepit.

XI. IVLIANVS.

Qui

QVi agnitis instrumẽtis: quasi uera essent, soluit post sententiam iudicis: quæro, si postea cognita rei ueritate, & repertis falsis instrumentis, accusare uelit, & probare falsa esse instrumenta, ex quibus conueniebatur: cum instrumentis subscripserat ex præcepto, siue interlocutione iudicis: an præscriptio ei opponi possit: cum principalibus cõstitutionibus manifeste caueatur, si res iudicata esset ex falsis instrumentis, & postea falsa inueniantur, nec rei iudicatæ præscriptionem opponi? Modestinus respondit. ob hoc, quod per errorem solutio facta est, uel cautio de soluendo interposita proponitur ex his instrumentis, quæ nunc falsa dicuntur: præscriptioni locum non esse.

XII. VLPIANVS.

GEneraliter in præiudicijs actoris partem sustinet, qui habet intentionem secundum id, quod intendit.

XIII. ALFENVS.

SI post litem de hæreditate contestatam res singulæ petantur: placet, non obstare exceptionem, quod præiudicium hæreditati non fiat. futuri enim iudicij non facti nomine huiusmodi exceptiones comparatæ sunt.

XIIII. PAPINIANVS.

FIliusfamilias peculiarem seruum uendidit, & precium stipulatus est. is homo redhibitus, postea mortuus est, & pater eius pecuniam ab emptore petebat, quam filius stipulatus erat. placuit æquũ esse, in factum exceptionem eum obijcere: quod pecunia ob hominẽ illum expromissa esset, qui redhibitus est.

XV. VLPIANVS.

ADuersus exceptionem iurisiurandi replicatio doli mali non debet dari: cum prætor id agere debeat, ne de iureiurando cuiusquam quæratur.

XVI. AFRICANVS.

FVndum Titianũ possides, de cuius proprietate inter me & te controuersia est: & dico præterea uiam ad eum per fundum Semproniánum, quem tuum esse constat, deberi. si uiam petã: exceptionem, quod præiudicium prædio non fiat, utilem tibi fore putaui: uidelicet quod non aliter mihi uiam deberi probaturus sim, quàm prius probauerim fundum Titianum meum esse.

XVII. PAVLVS *lib.* LXX. *ad edictum.*

SEd si ante uiam, deinde fundum Titianũ petam: quia & diuersa corpora sunt, & causſæ restitutionum dispares: non nocebit exceptio.

XVIII. AFRICANVS.

FVndi, quem tu proprium tuum esse dicis, partem à te peto, & uoló simul

simul iudicio quoq; communi diuidundo agere sub eodem iudice. Item si eiusdem fundi, quem tu possideas, & ego proprium meũ esse dicam, fructus condicere tibi uelim: quæsitum est, an exceptio, quod præiudicium fundo partiũe eius non fiat, obstet: an deneganda sit? & utrubiq; putat interuenire prætorem debere: nec permittere petitori prius, quàm de proprietate constet, huiusmodi iudicijs experiri.

XIX. MARTIANVS.

OMnes exceptiones, quæ reo competunt, fideiussori quoq; etiam inuito reo competunt.

XX. PAVLVS.

EXceptiones opponuntur, aut quia factum sit, quod fieri oportuit: aut quia factum sit, quod fieri non oportuit: aut quia non sit factũ, quod fieri oportuit. quia factum est, quod fieri oportuit: datur exceptio rei uenditæ & traditæ, & rei iudicatæ. quia factum est, quod fieri non oportuit: datur exceptio doli mali. quia non factum est, quod fieri oportuit: ut bonorum possessionis non datæ.

XXI. HERMOGENIANVS.

REi maioris pecuniæ præiudicium fieri uidetur, cum ea quæstio in iudicium deducitur, quæ uel tota, uel ex aliqua parte communis est quæstioni de re maiori.

XXII. PAVLVS.

EXceptio est conditio, quæ modo eximit reum dãnatione, modo minuit damnationem. Replicatio est contraria exceptio, & quasi exceptionis exceptio.

XXIII. LABEO.

PAulus. si quis statuam in municipio ea mente posuit, ut ea municipij esset, & eam petere uult: excludi eum oportet præscriptione in factum data.

XXIIII. HERMOGENIANVS.

FIliusfamilias exceptionem iurisiurandi patri quærit, si eum dare non oportere iurauerit.

DE EXCEPTIONE REI IVDICATAE. Tit. II.

I. VLPIANVS.

CVm res inter alios iudicatæ nullum alijs præiudicium faciant: ex eo testamento, ubi libertas data est, uel legatũ, agi potest: licet ruptum, uel irritum, aut non iustum dicatur testamentũ: nec si superatus fuerit legatarius, præiudicium libertati fit.

II. IDEM.

QVi cum hærede eius egit, qui filium præterierat, & exceptione submotus est, AT SI NON IN EA CAVSSA SINT TABVLAE TESTAMENTI, VT CONTRA EAS BONORVM POSSESSIO DARI POSSIT: obmittente emancipato filio bonorum possessionem, non inique restituetur, ut agat cum hærede. & ita Iulianus libro quarto digestorum scripsit.

III. IDEM.

IVlianus libro tertio digestorum respondit, exceptionem rei iudicatæ obstare, quoties eadem quæstio inter easdē personas reuocatur. & ideo, & si singulis rebus petitis hæreditatem petat, uel contra: exceptione submouebitur.

IIII. IDEM.

REi iudicatæ exceptio tacite continere uidetur omnes personas, quæ rem in iudicium deducere solent.

V. IDEM.

DE eadem re agere uidetur, & qui non eadem actione agit, qua ab initio agebat: sed etiam si alia experiatur, de eadem re tamen. ut puta, si quis mandati acturus, cum aduersarius ei in iudicio sistendi caussa promisisset, propter eandem rem agat negociorum gestorum, uel condicat: de eadem re agit. rectēq; ita definietur: eum demum de re non agere, qui prorsus rem ipsam non persequitur. Cæterum cum quis actione mutata experitur: dummodo de eadem re experiatur (& si diuerso genere actionis, quàm instituit) uidetur de eadem re agere.

VI. PAVLVS.

SIngulis controuersijs singulas actiones, & unum iudicati finē sufficere, probabili ratione placuit: ne aliter modus litium multiplicatus, summam atq; inexplicabilem faciat difficultatem: maxime, si diuersa pronūcientur. párere ergo exceptionē rei iudicatæ, frequens est.

VII. VLPIANVS.

SI quis cum totum petisset, partem petat: exceptio rei iudicatæ nocet. nam pars in toto est. eadem enim res accipitur, & si pars petatur eius, quod totum petitum est. nec interest, utrum in corpore hoc quæratur, an in quantitate, uel in iure. proinde si quis fundum petierit, deinde partem petat, uel pro diuiso, uel pro indiuiso: dicendū erit, exceptionem obstare. proinde & si proponas mihi certum locum me petere ex eo fundo, quem petij: obstabit exceptio. Idem erit probandū, & si duo corpora fuerunt petita, mox alterutrum corpus petatur. nam nocebit exceptio. Item si quis fundum petierit, mox arbores excisas ex eo fundo petat: aut insulam petierit, deinde aream, uel tigna, uel lapides

pides petat. Item si nauem petiero, postea singulas tabulas uindicem.

Si ancillã prægnantẽ petiero, & post litem contestatã conceperit, & pepererit mox partũ eius petam: utrum idem petere uidear, an aliud: magnæ quæstionis est. & quidẽ ita definiri potest: toties eandem rem agi, quoties apud iudicem posteriorẽ id quæritur, quod apud priorem quæsitũ est. In his igit̃ ferè omnibus exceptio nocet. sed in cæmẽtis & tignis diuersum est. nam is, qui insulam petit, si cæmenta, uel tigna, uel quid aliud suum petat: in ea conditione est, ut uideatur aliud petere. etenim cuius insula est, non utiq; & cæmenta sunt. deniq; ea, quæ iuncta sunt ædibus alienis, separata dominus uindicare potest. De fructibus eadem quæstio est, & de partu. hæc enim nondum erant in rebus humanis: sed ex ea re sunt, quæ petita est. magisq; est, ut ista exceptio petitori non noceat. Planè si in restitutionẽ uel fructus uel etiam partus uenerunt, æstimatiq; sunt: consequens erit dicere, exceptionem obijciendam. Et generaliter (ut Iulianus definit) exceptio rei iudicatæ obstat, quoties inter easdem personas eadem quæstio reuocatur, uel alio genere iudicij. & ideo si hæreditate petita singulas res petat, uel singulis rebus petitis hæreditatem petat: exceptione submouebitur. Idem erit probandum, & si quis debitum petierit à debitore hæreditario, deinde hæreditatem petat: uel cõtra, si ante hæreditatem petierit, & postea debitum petat. nam & hic obstabit exceptio. nam cũ hæreditatẽ peto: & corpora, & actiones omnes, quæ in hæreditate sunt, uidentur in petitionem deduci.

XIII. IVLIANVS.

ITem parte fundi petita, qui familiæ erciscundæ uel communi diuidundo agit, æque exceptione submouebitur.

IX. VLPIANVS.

SI à te hæreditatem petam, cum nihil possideres: deinde ubi cœperis aliquid possidere, hæreditatem petam: an noceat exceptio ista? & putem: siue fuit iudicatum hæreditatem meam esse, siue aduersarius (quia nihil possidebat) absolutus est: non nocere exceptionem. Si quis fundum, quem putabat se possidere, defenderit, mox emerit: recte cundum petitorem iudicata, an restituere cogatur? & ait Neratius, si actori iterũ petenti obijciatur exceptio rei iudicatæ: replicare eũ oportere de re secundum se iudicata. Iulianus scribit, exceptionem rei iudicatæ à persona auctoris ad emptorem transire solere: retro autem ad auctorem ab emptore reuerti non debere. Quare si hæreditariam rem uendideris, egoq; eandem ab emptore petiero, & uicero: petenti tibi non opponam exceptionem, AT SI EA RES IVDICATA NON SIT INTER ME ET EVM, CVI VENDIDISTI.

X. IVLIANVS.

ITem si uictus fuero: tu aduersus me exceptionem non habebis.

XI. VLPIANVS.

SI mater filij impuberis defuncti ex senatus consulto bona uindicauerit idcirco, quia putabat rupto patris eius testamento neminem esse substitutum: uictaq; fuerit, quia testamentum patris ruptum non erat: postea autem apertis pupillaribus tabulis apparuit ei non esse substitutum: si peteret rursus hæreditatem, obstaturam exceptionem rei iudicatæ, Neratius ait. ego exceptionem obesse ei rei iudicatæ, non dubito: sed ex caussa succurrendum erit ei, quæ unam tantum caussam egit rupti testamenti. Deniq; & Celsus scribit. si hominem petiero, quem ob eam rem meum esse existimaui, quod mihi traditus ab alio esset, scilicet cũ is ex hæreditaria caussa esset meus: rursus petenti mihi obstaturam exceptionem. Si quis autem fundum petat suũ esse eo, quod Titius eum sibi tradiderit: si postea eum alia ex caussa petat: caussa adiecta non debet submoueri exceptione. Item Iulianus scribit. cum ego & tu hæredes Titio exstitissemus, si tu partẽ fundi, quem totum hæreditariũ dicebas, à Sempronio petieris, & uictus fueris, mox eandem partem à Sempronio emero: agenti tibi mecum familiæ erciscundæ, obstabit exceptio: quia res iudicata sit inter te & uenditorem meum. nam & si ante eandem partem petissem, & agerem familiæ erciscundæ, exceptio obstaret: quia res iudicata sit inter me & te. Eandem caussam facit etiam origo petitionis. Cæterũ si forte petiero fundum uel hominem, mox alia caussa noua post petitionem mihi accesserit, quæ mihi dominium tribuat: non me repellet ista exceptio: ni si forte intermissum dominium medio tempore redijt quodam postliminio. quid enim, si homo, quem petieram, ab hostibus fuerit captus, mox postliminio receptus? hic exceptione submouebor, quia eadem res esse intelligitur. at si ex alia caussa dominium fuero nactus: non nocebit exceptio. & ideo si forte sub conditione res mihi legata fuerit, deinde medio tempore adquisito dominio petam, mox existente conditione legati rursus petam: putem, non obstare exceptionem. alia enim caussa fuit prioris dominij, hæc noua nunc accessit. itaq; adquisitũ quidem postea dominium aliam caussam facit: mutata autem opinio petitoris non facit. utputa opinabatur ex caussa hæreditaria dominiũ habere. mutauit opinionẽ, & cœpit putare ex caussa donationis. hæc res nõ parit petitionẽ nouam. nam qualecunq;, & undecũq; dominium adquisitum habuit, uindicatione prima in iudiciũ deduxit. Si quis iterum petierit, deinde actum petat: puto fortius defendendum, aliud uideri tunc petitum, aliud nunc: atq; ideo exceptionem rei iudicatæ cessare.

Hoc

Hoc iure utimur, ut ex parte actoris in exceptione rei iudicatæ hæ personæ contineantur, quæ rem in iudicium deducunt. inter hos erũt procurator, cui mandatum est: tutor, curator furiosi, uel pupilli, actor municipum. ex persona autem rei etiam defensor numerabitur: quia aduersus defensorem agit, qui litem in iudicium deduxit. Si quis hominẽ à filiofamilias petierit, deinde eundem à patre petat: locum habet hæc exceptio. Si egero cum uicino aquæ pluuiæ arcendæ, deinde alteruter nostrum prædium uendiderit, & agat emptor, uel cum eo agatur: hæc exceptio nocet: sed de eo opere, quod iam erat factũ, cum iudicium acciperetur. Item si rem, quam à te petierat, Titius pignori Seio dederit, deinde Seius pignoraticia aduersus te utat: distinguendum erit, quando pignori dedit Titius. & si quidem ante, quàm peteret: non oportet ei nocere exceptionẽ. nam & ille petere debuit, & ego saluam habere debeo pignoraticiam actionem. sed si postea, cũ petiit, pignori dederit: magis est, ut noceat exceptio rei iudicatæ.

XII. PAVLVS.

CVm quæritur, hæc exceptio noceat, nec ne: inspiciendum est, an idem corpus sit.

XIII. VLPIANVS

QVantitas cũ eadem, & idem ius:

XIIII. PAVLVS.

ET an eadem caussa petendi, & eadem conditio personarum. quæ nisi omnia concurrunt: alia res est. Idem corpus in hac exceptione non utiq; omni pristina qualitate uel quantitate seruata, nulla adiectione deminutioneue facta, sed pinguius pro communi utilitate accipitur. Qui cum partem ususfructus haberet, totum petit: si postea partem adcrescentem petat: non submouebitur exceptione, quia usus fructus non portioni, sed homini adcrescit. Actiones in personam ab actionibus in rem hoc differunt: quod cum eadem res ab eodem mihi debeatur, singulas obligationes singulæ caussæ sequantur, nec ulla earũ alterius petitione uicietur. at cum in rem ago nõ expressa caussa, ex qua rem meã esse dico: omnes caussæ una petitione adprehenduntur. neq; enim amplius, quàm semel res mea esse potest: sæpius autem deberi potest. Si quis interdicto egerit de possessione, postea in rem agens nõ repellitur per exceptionem: quoniam in interdicto possessio, in actione proprietas uertitur.

XV. CAIVS.

SI inter me & te controuersia de hæreditate sit, & quasdam res ex ea idem tu possideas, quasdam ego: nihil uetat, & me à te, & inuicẽ te à me hæreditatẽ petere. q; si post rem iudicatam à me petere cœperis: in-

tereſt,utrũ meam eſſe hæreditatem pronunciatum ſit,an contra. nã ſi meã eſſe:nocebit tibi rei iudicatæ exceptio:quia eo ipſo, quo meã eſſe pronunciatum eſt,ex diuerſo pronunciatum uidetur tuam non eſſe. ſi uero meam non eſſe: nihil de iure tuo iudicatum intelligitur: quia po terit nec mea hæreditas eſſe, nec tua.

XVI. IVLIANVS.

EVidenter enim iniquiſſimum eſt,proficere rei iudicatæ exceptiõ nem ei,contra quem iudicatum eſt.

XVI. CAIVS *lib.*XXX. *ad edictum prouinciale.*

SI rem meam à te petiero,tu autem ideo fueris abſolutus,quod pro baueris ſine dolo malo te deſiſſe poſſidere : deinde poſtea cœperis poſſidere,& ego à te petam:non nocebit mihi exceptio rei iudicatæ.

XVIII. VLPIANVS.

SI quis ad exhibendum egerit,deinde abſolutus fuerit aduerſarius, quia non poſſidebat,& dominus iterum agat:nacto eo poſſeſſionẽ: rei iudicatæ exceptio locum non habebit, quia alia res eſt.

XIX. MARCELLVS.

DVobus diuerſis temporibus eandem ream pignori dedit. egit po ſterior cum priore pignoratitia,& obtinuit. mox ille agere ſimi li actione inſtituit.quæſitum eſt,an exceptio rei iudicatæ obſtaret? Re ſpondit.ſi oppoſuerit exceptionem rei ſibi ante pignoratæ,& nihil ali ud nouum & ualidum adiecerit:ſine dubio obſtabit.eandem enĩ quæ ſtionem reuocat in iudicium.

XX. POMPONIVS.

SI ex teſtamento actum ſit cum hærede ab eo, qui cum totũ argen tum ei legatum erat,menſas dũtaxat ſibi legatas putaret,earumq; duntaxat æſtimationem in iudicio feciſſet: poſtea eundem petiturum de argento quoq; legato Trebatius ait,nec obſtaturam ei exceptionẽ: quoniam non ſit petitum, quod nec actor petere putaſſet,nec iudex in iu dicio ſenſiſſet.

XXI. IVLIANVS.

SI cum teſtaměto argentum mihi legatum eſſet, egerim cum hære de,& poſtea codicillis prolatis ueſtem quoq; mihi legatam eſſe ap pareat:non eſt deducta in ſuperius iudicium ueſtis cauſſa: quia nec liti gatores,nec iudex de alio,quàm de argento actum intelligant. Si pe tiero gregem,& uel aucto uel minuto numero gregis, iterum eundem gregem petã : obſtabit mihi exceptio. ſed & ſi ſpeciale corpus ex gre ge petam:ſi adfuit in eo grege:puto obſtaturam exceptionem. Si Stichum & Pamphilum tuos eſſe petieris, & abſoluto aduerſario Sti chum tuum eſſe petas ab eodem ; exceptionem tibi obſtare conſtat. Si

Si fundum meum esse petiero, deinde postea usumfructum eiusdē fundi petam: quia ex illa caussa, ex qua fundus meus erat, meus est: exceptio mihi obstabit: quia qui fundum habet, usumfructū suum uindicare non potest. Sed si usumfructum, cum meus esset, uindicaui, deinde proprietatem nactus, iterū de usufructu experiar: potest dici alia res esse: quoniam postquàm nactus sum proprietatem fundi, desinit meus esse prior ususfructus, & iure proprietatis quasi ex caussa noua rursus meus esse cœpit. Si pro seruo meo fideiusseris, & mecum de peculio actum sit: si postea recum eo nomine agatur: excipiendum est de re iudicata.

XXII. PAVLVS.

Si cum uno hærede depositi actum sit: tamen & cum cæteris hæredibus recte agetur, nec exceptio rei iudicatæ eis proderit. nam & si eadem quæstio in omnibus iudicijs uertitur: tamen personarum mutatio, cum quibus singulis suo nomine agitur, aliā atq; aliam facit rem. & si actum sit cum hærede de dolo defuncti, deinde de dolo agetur hæredis: exceptio rei iudicatæ non nocebit, quia de alia re agitur.

XXIII. VLPIANVS.

Si in iudicio actum sit, usuræq; solæ petitæ sint: nō est uerendum, ne noceat rei iudicatæ exceptio circa sortis petitionem. quæ enim nō competit, nec opposita nocet. eadem erunt, & si quis ex bonæ fidei iudicio uelit usuras tantum persequi. nam nihilominus usuræ cedunt futuri temporis. quàmdiu enī manet cōtractus bonæ fidei, current usuræ.

XXIIII. IVLIANVS.

Si quis rem à non domino emerit, mox petente domino absolutus sit, deinde possessionem amiserit, & à domino petierit: aduersus exceptionem. SI NON EIVS SIT RES, replicatione hac adiuuabitur, AT SI RES IVDICATA NON SIT.

XXV. IVLIANVS.

Si is, qui hæres non erat, hæreditatem petierit, & postea hæres factus sit eandem hæreditatem petat: exceptione rei iudicatæ non submouebitur. Est in potestate emptoris, intra sex menses redhibitoria agere mallet, an ea, quæ datur QVANTO MINORIS HOMO, CVM VENIRET, FVERIT. nam posterior actio etiam redhibitionem continet, si tale uicium in homine est, ut eum ob id actor emturus non fuerit. quare uere dicetur: eum, qui alterutra earum egerit, si altera postea agat, exceptione rei iudicatæ submoueri. Si te negocijs meis obtuleris, & fundum nomine meo petieris, deinde ego hanc petitionem tuam ratam non habuero, sed mandauero tibi, ut ex integro eundem fundum pete, res: exceptio rei iudicatæ non obstabit. alia enim res est facta interueni

ente

ente mandato. Idem est, & si non in rem, sed in personam actum fuerit.

XXVI. AFRICANVS.

EGi tecum, ius mihi esse ædes meas usq; ad decem pedes altius tollere. post ago, ius esse mihi usq; ad uiginti pedes altius tollere, exceptio rei iudicatæ obstabit procul dubio. sed & si rursus ita agam, ius mihi esse altius ad alios decem pedes tollere, obstabit exceptio: cum aliter superior pars iure haberi non possit, quàm si inferior quoq; iure habeatur. Item si fundo petito, postea insula, quæ è regione eius in flumine nata erit, petatur: exceptio obstatura est,

XXVII. NERATIVS.

CVm de hoc, an eadem res sit, quæritur: hæc spectanda sunt, persona: idipsum, de quo agitur: caussa proxima actionis. nec iam interest, qua ratione quis eã caussam actionis cõpetere sibi existimâsset: perinde ac si postea, quàm contra eum iudicatum esset, noua instrumenta caussæ suæ reperisset.

XXVIII. PAPINIANVS.

EXceptio rei iudicatæ nocebit ei, qui in dominium successit eius, qui in iudicio expertus est.

XXIX. IDEM.

IVdicatæ quidem rei præscriptio cohæredi, qui non litigauit, obstare non potest: nec in seruitutem uidetur peti post rem pro libertate iudicatam nondum ex caussa fideicommissi manumissus: sed prætoris oportet in ea re sententiam seruari, quam pro parte uicti præstare non potest. nam & cum alterum ex cohæredibus inofficiosi quæstio tenuit, aut etiam duobus separatim agentibus alter obtinuit, libertates competere placuit: ita tamen, ut officio iudicis indemnitati uictoris, futuriq; manumissoris cõsulatur. Si debitor de dominio rei, quã pignori dedit, non admonito creditore caussam egerit, & contrariã sententiam acceperit: creditor in locũ uicti successisse non uidebitur, cum pignoris conuentio sententiam præcesserit.

XXX. PAVLVS.

EX sextante hæres institutus, qui intestato legitimus hæres esse potest, cum de iure testamẽti faceret quæstionem, ab uno ex institutis dimidiam partem hæreditatis petijt, nec obtinuit. uidetur in illa petitione etiam partem sextantis uindicasse. & ideo si cœperit ab eodem ex testamento eandem portionem petere: obstabit ei rei iudicatæ exceptio. Latinus Largus. Cum de hæreditate inter Mæuium, ad quem pertinebat, & Titium, qui controuersiam mouebat, transigeretur: traditio rerũ hæreditariarũ Mæuio hæredi à Titio facta est: in qua traditione etiam fundum ei suũ proprium, quẽ ante multos annos auo eiusdem

dem Mæuij hæredis obligauerat,quemq; alij postea in obligationem deduxerat,ex caussa pacti tradidit.his gestis posterior Titij creditor ius suum persecutus est,& obtinuit. post hoc iudiciũ Mæuius hæres repe-rit in bonis auitis chirographum eiusdẽ Titij ante multos annos con-scriptum:per quod apparuit eum fundum, qui in caussa transactionis uenerat,etiam auo suo ab eodem Titio fuisse obligatum.cũ ergo con-stet prius auo Mæuij hæredis in obligationem eundem fundum datũ, de quo Mæuius superatus est:quæro,an ius aui sui,quod tunc,cũ de eo fundo ageretur,ignorabat: nulla exceptione opposita, exsequi possit? Respondi.si de proprietate fundi litigatum,& secundum actorem pro nunciatum fuisset:diceremus petẽti ei,qui in priore iudicio uictus est, obstaturam rei iudicatæ exceptionem: quoniam de eius quoq; iure quæsitum uidetur,cum actor petitionem implet.quod si possessor ab-solutus amissa possessione eundem ab eodem,qui prius non obtinuit, peteret:non obesset ei exceptio. nihil enim in suo iudicio de iure eius statutũ uidetur.cum autem pignoraticia actum est aduersus priorem creditorem: potest fieri, ut de iure possessoris non sit quæsitum: quia non ut in proprietatis quæstione,quod meum est,alterius non est: ita in obligatione utiq; consequens est, ut non sit alijs obligatum, quod hic comprobauit teneri.& ꝓbabilius dicitur,non obstare exceptionẽ: quoniam de iure possessoris quæsitum nõ est,sed de sola obligatione. in proposita autem quæstione magis me illud mouet,nunquid pigno ris ius exstinctum sit dominio adquisito.neq; enim potest pignus per-seuerare domino constituto creditore.actio tamen pignoraticia com petit.uerum est enim & pignori datam,& satisfactum non esse. quare puto,non obstare rei iudicatæ exceptionem.

XXXI. IDEM.

PAulus respondit.ei,qui in rem egisset,nec tenuisset: postea condi-centi non obstare exceptionem rei iudicatæ.

DE DIVERSIS TEMPORALIBVS PRAE scriptionibus,& accessionibꝰ possessionũ. Tit. III.

I. IVLIANVS.

QVia tractatus de utilibus diebus frequens est:uideamus, quid sit experiundi potestatem habere.& quidem in pri mis exigendũ est, ut sit facultas agendi.neq; sufficit reo experiundi secum potestatem facere,uel habere eum, qui se idonee defendat:nisi actor ꝙq; nulla idonea caussa impediatur experiri. ꝓinde siue apud hostes sit, siue reipublicæ caussa

absit, siue in uinculis sit, aut tempestate aliquo in loco uel regione detineatur, ut neq; experiri, neq; mandare possit: in ea caussa est, ut experiundi potestatem non habeat. planè is, qui ea ualetudine impeditur, ut mandare possit: in ea caussa est, ut experiundi potestatem habeat. Illud utiq; neminem fugit: experiundi potestatem non habere eum, qui prætoris copiam nõ habuit. proinde hi dies cedunt, quibus ius prætor reddit.

II. MARCELLVS.

IN tempore constituto iudicatis, an intercalaris dies proficere iudicato nec ne, debeat: quæritur. item de tempore, quo lis perit, si sine dubio existimandum est, ut auctum tempus litis intercalari die existimetur. ueluti si de usucapione sit quæstio, quæ tempore constituto expleri solet: aut de actionibus, quæ certo tempore finiuntur (ut ædiliciæ pleræq; actiones: & si quis fundum ea lege uendiderit, ut nisi intra dies uiginti precium esset solutum, inemptus esset fundus) dies intercalaris proficiet emptori? mihi contra uidetur.

III. MODESTINVS.

LOngæ possessionis præscriptionem tam in prædijs, quàm in mancipijs, locum habere manifestum est.

IIII. LABEO.

SI seruus hæreditarius, aut eius, qui in hostium potestate sit, satis acceperit: continuo dies satisdationis cedere incipiet. intueri enim debemus, an experiundi potestas fuerit aduersus eum, qui obligatus est: non an is agere possit, qui rem in obligationem deduxerit. alioquin erit iniquissimum, ex conditione actorum obligationes reorum extendi, per quos nihil factum erit, quo minus cum his agi possit.

V. VLPIANVS.

AN uicium auctoris, uel donatoris, eiusue, qui mihi rem legauit, mihi noceat: si forte auctor meus iustum initiũ possidendi non habuit: uidendum est. & puto, neq; nocere, neq; prodesse. nam deniq; & usucapere possum, quod auctor meus usucapere non potuit. Ex facto propositum est, quendam cum rem pignori dedisset, eandem distraxisse, hæredemq; eius redemisse. quæritur, an hæres aduersus pignoris persecutionem exceptione longæ possessionis uti possit? dicebam hunc hæredem, qui pignus ab extraneo redemit, posse exceptione uti: quia in extranei locum successit, nõ in eius, qui pignori dederat: quemadmodum si ante redemisset, & sic deinde hæres extitisset.

VI. AFRICANVS.

SI duobus eandẽ rem separatim nẽdiderim: ea possessio, quæ utranq; uenditionem præcessit, soli priori emptori, cui & tradita sit, proficit. deniq; & si quam rem tibi uendiderim, rursusq; à te emam, & Titio

tio uendam:& meã omnem & tuam possessionem Titio accessuram: uidelicet quod & tu mihi,& ego ei possessionem præstare debeamus.

Vendidi tibi seruum: & conuenit, ut nisi certa die pecunia soluta esset,inemptus esset.quod cum euenisset:quæsitũ est,quid de accessione tui temporis putarem? Respondit.id seruari,quod seruetur,cũ redhibitio sit facta.hunc enim perinde haberi,ac si retrorsum homo mihi uenisset:ut scilicet si uẽditor possessionẽ postea nactus sit,& hoc ipsum tempus, & quod uenditionem præcessit, & amplius accessio hæc ei detur cum eo,quod apud eum sit,à quo homo redhibitus sit.

VII. MARTIANVS.

Si quisquam in fluminis publici diuerticulo solus pluribus annis piscatus sit:alterum eodem iure uti prohibet.

VIII. VLPIANVS.

In accessione temporis & id tempus,quo in fuga sit seruus,domino eius procedere,uerum est.

IX. MARTIANVS.

Rescriptis quibusdam diui Magni Antonini cauetur, ut in rebus *mobilibus locus sit præscriptioni diutinæ possessionis. *als. soli.

X. PAPINIANVS.

Intra quatuor annos uacantium bonorum delator facta denunciatione destitit. post quatuor annos secundo delatori uenienti prior nunciatio,quo minus præscriptione temporis submoueatur,non proderit:nisi prioris præuaricatio detegetur. quo declarato: non solũ præscriptio,sed & negocij quæstio perimetur. Quadriennij temp9,quod bonis uacantibus nunciandis præscriptum est,non ex opinione hominum,sed ex substantia uacantium bonorum dinumerabitur. Quatuor autem anni post irritum testamentum factum, & intestati possessionem ab omnibus repudiatam, qui gradatim petere potuerunt: uel temporis finem,quod singulis præstitutum est, computabuntur.

XI. IVLIANVS.

Cum hæres in ius omne defuncti succedit:ignoratione sua defuncti uicia non excludit. ueluti cum sciens alienũ illum ille, uel precariò possedit.quamuis enim precarium hæredem ignorantem non teneat, nec interdicto recte conueniatur: tamen usucapere non poterit, quod defunctus non potuit. Idem iuris est, cum de longa possessione quæritur.nec enim recte defendetur:cum exordium rei bonæ fidei ratio non tueatur.

XII. PAVLVS.

Creditor,qui præscriptione longæ possessionis à possessore pignoris submoueri possit,pignus distraxit. quæro, an possessori salua

sit exceptio aduersus emptorem? Paulus respondit. etiam aduersus emptorem eandem exceptionem competere.

XIII. HERMOGENIANVS.

IN omnibus fisci quæstionibus: exceptis caussis, in quibus minora tempora seruari specialiter constitutum est: uiginti annorũ præscriptio custoditur. Reipublicæ rationes subscriptæ & expunctæ aduersus eum quidem, qui administrauerit, ultra uiginti: aduersus uero hæredem, ultra decem annos retractari non possunt.

XIIII SCAEVOLA.

DE accessionibus possessionum nihil in perpetuum, neq; generaliter definire possumus. consistunt enim in sola æquitate. planè tribuuntur his, qui in locum aliorum succedunt, siue ex contractu, siue uoluntate. hæredibus enim & his, qui loco successorum habentur, datur accessio testatoris. itemq; si mihi uendideris seruũ: utar accessione tua. & si mihi pignori dederis, & ego eandem rem alij pignoraui: meus creditor utetur accessione tui temporis, tam aduersus extraneum, q̃ aduersus teipsum, quàmdiu pecuniam mihi non exsolueris. nam qui me potior est, cum ego te superaturus sim: multo magis aduersus te obtinere debet. sed si pecuniam mihi solueris: hoc casu accessione tua non utetur. Item si absente te is, qui negocia tua uidebatur administrare, seruum mihi uendiderit, tuq; reuersus ratũ habueris: omnimodo accessione utar. Item si mihi pignori dederis, & cõuenerit, nisi pecuniam soluisses, licere ex pacto pignus uendere, idq; uendiderim: emptori accessio tui temporis dari debebit, licet inuito te pignora distracta sint. iam enim illo in tempore, quo contrahebas, uideri te cõcessisse uenditionem, si pecuniam non intulisses.

XV. VENVLEIVS.

IN usucapione ita seruatur, ut etiam si minimo momento nouissimæ diei possessa sit res: nihilominus repleatur usucupio: nec totus dies exigitur ad explendum constitutum tempus. Accessio possessionis fit non solum temporis, quo apud eum fuit, unde is emit: sed & eius, qui ei uendidit, unde tu emisti. sed si medius aliquis ex auctoribus non possederit: præcedentium auctorum possessio non proderit, quia coniuncta non est: sicut nec ei, qui non possidet, auctoris possessio accedere potest. Item adijciendũ est: unde emisti, aut unde is emit, cui tu emendũ mandaueras: & quod apud eum, qui uendendum mandauit. quod si is quoq;, cui mandatum erat, alij uendendum mandauerat: nõ aliter huius, qui postea mandauerat, dandam accessionem Labeo ait, quàm si idipsum eidem dominus permiserit. Sed & si à filio uel seruo rem emero: accessio temporis, quo apud patrem aut dominũ fuit, ita

ita danda est mihi, si aut uoluntate patris dominiúe, aut cum administrationem peculij haberet, uendidit. Item danda est accessio cum eo, quo apud pupillum fuit, à cuius tutore, cum is tutelam eius administraret, emisti. idemq; in eo, qui à curatore pupilli furiosiúe emerit, seruandum est. & si uentris nomine, aut eius, quæ rei seruandæ caussa in possessione esset, dotisúe nomine deminutio facta sit. nã id quoq; temporis accedit. Hæ autem accessiones non tam late accipiendæ sunt, q̃ uerba earum patent: ut etiam si post uenditionem traditionemq; rei traditæ apud uenditorem res fuerint, proficiat id tempus emptori. sed illud solũ, quod ante fuit, licet uenditionis tempore eam rem uenditor non habuerat. Ei, cui rem hæres hæreditariam uendidit, & hæredis tempus, & defuncti debet accedere.

XVI. PAVLVS.

ACcessio sine nostro tempore nobis prodesse non potest.

DE DOLI MALI ET METVS EXceptione. Tit. IIII.

I. PAVLVS.

QVo lucidiꝰ intelligi possit hæc exceptio: prius de caussa uideamus, quare proposita sit: deinde quẽadmodum dolo fiat. per quæ intelligemus, quando obstet exceptio: deinde aduersus quas personas locum habeat. nouissime inspiciemus, intra quæ tempora competat exceptio. Ideo aũt hanc exceptionem prætor proposuit, ne cui dolus suus per occasionẽ iuris ciuilis contra naturalẽ æquitatem prosit. Sed an dolo quid factũ sit: ex facto intellgitur. & quidem dolo fit tam in contractibus, quàm in testamentis, quàm in legibus.

II. VLPIANVS.

PAlam aũt est hanc exceptionẽ ex eadẽ caussa propositam, ex qua caussa ꝓposita est de dolo malo actio. Sequitur, ut uideamus, in quibus causis locũ habeat exceptio, & quibus personis obijciatur. Et quidẽ illud adnotandũ est, q̃d specialiter exprimendũ est, de cuius dolo quis quæraꝫ, non in rẽ, SI IN EA RE NIHIL DOLO MALO FACTVM EST: sed sic, SI IN EA RE NIHIL DOLO MALO ACTORIS FACTVM EST. igit̃ docere debet is, qui obijcit exceptionẽ, dolo malo actoris factũ: nec sufficiet ei ostẽdere in rem dolũ esse. aut si alterius dicat dolo factum: eorũ personas specialiter debebit enumerare: dũmodo hæ sint, quarũ dolus noceat. Planè ex persona eius, qui exceptionẽ obijcit, in rem opponitur exceptio. neq; enim quæritur aduersus quem do-

lus commissus sit: sed an in ea re dolo malo factum sit à parte actoris.

Circa primam speciem, quibus ex caussis exceptio hæc locum habeat, hæc sunt, quæ tractari possunt. Si quis sine caussa ab aliquo fuerit stipulatus, deinde ex ea stipulatione experiatur: exceptio utiq; doli mali ei nocebit. licet enim eo tempore, quo stipulabatur, nihil dolo malo amiserit: tamen dicendum est eum, cum litem contestatur, dolo facere, qui perseueret ex ea stipulatione petere: & si cum interponeretur, iustam caussam habuit, tamen nunc nullam idoneam caussam habere uidetur. proinde & si crediturus pecuniam, stipulatus est, neq; crediderit: & si certa fuit caussa stipulationis, quæ tamen aut non est secuta, aut finita est: dicendum erit nocere exceptionem. Item quæritur, si quis pure stipulatus sit certam quantitatem, quia hoc actum sit: sed post stipulationem interpositam pactum sit, ne interim pecunia usq; ad certũ diem petatur: an noceat exceptio doli? & quidem de pacto conuento excipi posse, nequaquam ambigendum est. sed & si hac quis exceptione uti uelit: nihilominus poterit. dolo enim facere eum, qui contra pactum petat, negari non potest. Et generaliter sciendũ est, ex omnibus in factũ exceptionibus doli oriri exceptionem: quia dolo facit, quicunq; id, quod quaqua exceptione elidi potest, petit. nam & si interinitia nihil dolo malo fecit: attamen nunc petendo facit dolose: nisi si talis sit ignorantia in eo, ut dolo careat. Non male quæsitũ est, si creditor usuras in futurum acceperit, deinde pecuniam nihilominus petat, antequàm id tempus prætereat, cuius temporis usuras accepit: an doli exceptione repellatur? & potest dici, dolo eum facere. accipiendo enim usuras, distuliſſe uidetur petitionem in id tempus, quod est post diem usurarum præstitarum: & tacite conueniſſe, interim se non petiturum.

Idem quæritur, si statuliberum mercatus quis fuerit iussum decem dare, cum hoc ignoraret, & duplam stipulatus fuerit, deinde decem acceperit. euicto enim eo in libertatem, agere ex duplæ stipulatione potest. sed nisi decem, quæ implendæ conditionis caussa accepit, deduxerit: exceptione submouendus erit. & hæc ita Iulianus quoq; scribit. si tamen ex re emptoris, uel ex peculio, quod ad emptorẽ pertinebat, pecuniam dederit statuliberi: potest dici exceptionem non nocere, quia dolo non fecerit.

III. PAVLVS.

ITem si ob id, quod antequàm dominium ad me transferatur, uendi tori dederit decem, & agam ex empto, ut decem recipiã: ita puto cõ petere mihi actionem, si paratus sim ex duplæ stipulatione eũ liberare.

IIII. VLPIANVS.

APud Celsum quæritur: si cum Titio mandassent creditores hæreditarij

reditarij, ut adiret hæreditatem, unus non mandasset decipiendi eius caussa, mandaturus alioquin, si non foret hic aditurus, deinde agat: an exceptione repellatur? & ait Celsus, doli eum exceptione repellendum. Iulianus scribit. si quis cum æger esset, centum aureos uxoris suæ consobrino spopondisset, uolens scilicet eam pecuniam ad mulierem peruenire, deinde conualuerit: an exceptione uti possit, si conueniatur? & refert Labeoni placuisse, doli exceptione uti eum posse. Si in arbitrum compromiserimus, deinde cum non stitissem ob aduersam ualetudinem, pœna commissa sit: an uti possim doli exceptione? & ait Pomponius, prodesse mihi doli exceptionem. Idem quærit, si cum eo, à quo tibi sexaginta deberentur, compromiseris: deinde per imprudentiam pœnam centum stipulatus fueris. Labeo putat, conuenire officio arbitri, iubere tantum tibi dari, quantum reuera debebat, & si non fiat: non tutare, ne quid amplius petatur. sed etiam si id omissum fuerit: peti posse, quod debetur, Labeo dicit. & si forte pœna petatur: doli mali exceptionem profuturam. Si quis pupillo soluerit sine tutoris authoritate id, quod debuit, exq; ea solutione locupletior factus sit pupillus: rectissime dicetur, exceptionem petentibus nocere, nam & si mutuam acceperit pecuniam, uel ex quo alio contractu locupletior factus sit: danda erit exceptio. Idemq; & in cæteris erit dicendum, quibus non recte soluitur. nam si facti sint locupletiores, exceptio locum habebit. Item Labeo scribit. si quis fugitiuum esse sciens emerit seruum, & si stipulatus fuerit FVGITIVVM NON ESSE? de inde agat ex stipulatu: non esse eum exceptione repellendum, quoniã hoc cõuenit: quamuis ex empto actionẽ non haberet. sed si non cõuenisset: exceptione esse repellendũ. Quod si is, cui pecunia debebat, cum debitore decidit, & nomen eius uendidit Seio, cui debitor mandauerat, ut nomen emeret: deq; ea re emptor stipulatus est: deinde creditor eam pecuniam retinet, quam per iudicem abstulit: an emptor ex stipulatu possit experiri? & Ofilius putat, si uenditor nominis paratus non sit reddere, quantum ab emptore acceperit: non nocituram exceptionem doli mali. & puto sententiã Ofilij ueram. Labeo ait. si de homine petito secundum actorem fuerit iudicatum, & iussu iudicis satisdatum sit, hominem intra certũ diem tradi: & si traditus nõ fuisset, pœnam quoq; stipulatus sit: petitorem, qui & hominem uindicat, & pœnã petit, exceptione esse repellendum. iniquum enim esse hominem possidere, & pœnam exigere. Idem quæritur, si uniones tibi pignori dedero, & conuenerit, ut soluta pecunia uniones redderentur, & hi uniones culpa tua perierint, & pecuniã petas. & extat Neruæ & Atilicini sententia, dicentiũ ita esse excipiendum, SI INTER ME ET TE NON

cõuenit

CONVENIT, VT SOLVTA PECVNIA VNIONES MIHI REDDANTVR.

ſed eſt uerius, exceptionem doli mali nocere debere. Si minor mihi infantem donauerit, deinde eum uindicet: exceptione doli mali repellendus eſt, niſi alimenta reddat, & ſi quis alius ſumptus probabilis in eum factus ſit. Præterea ſciendum eſt, ſi quis quid ex teſtamento contra uoluntatem petat: exceptione eum doli repelli ſolere. Et ideo hæres, qui non habet uoluntatem, per exceptionem doli repellitur.

Si quis ex uncia hæres ſit ſcriptus, ex qua ducenta conſequi potuit: deinde propter hoc legatum, in quo centum erant, prætulit, ne moleſtijs hæreditarijs implicaretur: an ſi legatum petat, exceptione doli mali ſubmoueatur? & ait Iulianus, non eſſe eum ſubmouendum. quod ſi à ſubſtituto precium accepit, uel quod precij loco haberi poſſit, ne adeat hæreditatem: petens legatum, dolo (inquit) facere intelligetur, ac per hoc doli exceptione repelletur. Quæſitũ eſt: ſi cum fundi uſum fructum haberem, eum fundum uolente me uendideris: an uindicanti mihi uſumfructum, exceptio ſit obijcienda? & hoc iure utimur, ut exceptio doli mali noceat. Marcellus ait, aduerſus doli exceptionem non dari replicationem doli. Labeo quoq; in eadem opinione eſt. ait enim, iniquum eſſe, communem malitiam petitori quidem præmio eſſe: ei uero, cum quo agatur, pœnæ eſſe: cum longe æquius ſit, ex eo, quod perfide geſtum eſt, actorem nihil conſequi. Contra ſenatuſconſulti quoq; Macedoniani exceptionem, de dolo dandam replicationẽ, ambigendum non eſſe, eamq; nocere debere, etiam conſtitutionibus & ſententijs authorum cauetur. Labeo, & ſi ex ſtipulatu actio competat, propter doli clauſulam tamen nocere doli exceptionẽ ait, ſi aduerſus ea quid factum erit. poſſe eñ petitorem ante, cũ ſtipulatio committat, nihil dolo malo feciſſe: & tunc facere, cũ petat. ꝓpter quod exceptionẽ eſſe neceſſariam. Aduerſus parentes patronoſq; neq; doli exceptio, neq; alia quidem, quæ patroni parentiſue opinionem *apud bonos mores ſuggillet, competere poteſt. in factum tamen erit excipiendum: ut ſi forte pecunia non numerata dicatur, obijciat exceptio pecuniæ non numeratæ. nihil autem intereſt, utrum patronus ex ſuo contractu, an uero alieno conueniatur. ſemper enim reuerẽtia ei exhibenda eſt, tam uiuo, quàm defuncto. ſi autem cum hærede liberti patronus agat: puto excipere debere de dolo patroni hæredem liberti. libertum autem de dolo patroni, & ſi ab hærede eius conueniatur, minime exceptionem obiecturum. nanq; conuenit, tam uiuo, quàm mortuo patrono à liberto honorem exhiberi. In ſtipulatione planè doli clauſula non erit detrahenda: quia ex doli clauſula non de dolo actio intenditur, ſed ex ſtipulatu. In hac exceptione & de dolo ſerui, uel alterius perſonæ iuri noſtro

*al's. aut

noſtro ſubiectæ excipere poſſumus: & de eorum dolo, quibus adquiritur. ſed & de ſeruorum & filiorum dolo, ſiquidem ex peculiari eorum negocio actio intendatur, in infinitũ exceptio obiicienda eſt. ſi aũt non ex peculiari cauſſa, tunc de eo duntaxat excipi oportet, qui admiſſus ſit in ipſo negocio, quod geritur: non etiã, ſi poſtea aliquis dolus interueniſſet. neq; eñ eſt æquum, ſerui dolũ amplius domino nocere, cũ in quo opera eius eſſet uſus. Quæſitum eſt, an de procuratoris dolo, qui ad agendum tantum datus eſt, excipi poſſit? & puto recte defendi: ſiquidem in rem ſuã procurator datus ſit: etiam de præterito eius dolo, hoc eſt, ſi ante acceptum iudicium dolo quid fecerit, eſſe excipiendum. ſi uero non in rem ſuam: dolum præſentem in exceptione cõferendum. ſi aũtem is procurator ſit, cui omnium rerum adminiſtratio cõceſſa eſt: tunc de omni dolo eius excipi poſſe, Neratius ſcribit.

Mandaui Titio, ut à te ſtipularetur: deinde Titius Seio, & ſtipulatus à te Seius eſt, & iudicium edidit. ait Labeo, excipiendum eſſe, tam de meo, cũ & Seij dolo. Item quæritur, ſi debitor meus te circunuenerit, teq; mihi reum dederit, ego q; abs te ſtipulatus fuero, deinde petã: an doli mali exceptio mihi obſtet? & magis eſt, ut non tibi permittatur de dolo debitoris mei aduerſus me excipere, cum non ego te circũuenerim: aduerſus ipſum autem debitorem meum poteris experiri. Sed & ſi mulier poſt admiſſum dolum debitorem ſuum marito in dotem delegauerit: item probandum erit, de dolo mulieris non eſſe permittendum excipere, ne indotata fiat. Apud Iulianum quæſitum eſt: ſi hæres ſoceri, à quo dos peteretur, exciperet de dolo mariti & mulieris, cui pecunia quæreretur: an obſtatura eſſet exceptio ex perſona mulieris? & ait Iulianus, ſi maritus ex promiſſione dotis ab hærede ſoceri petat, & hæres excipiat de filiæ dolo, cui ea pecunia adquireretur: exceptionem obſtare. dos enim, quam maritus ab hærede ſoceri petit, intelligitur (inquit) filiæ adquiri, cum per hoc dotem ſit habitura. Illud non explicat Iulianus, an de dolo mariti excipi poſſit. puto autem eum hoc ſentire, ut etiam de dolo mariti exceptio noceat: licet uideatur nulla dos filiæ (ut ait) adquiri. Illa etiam quæſtio uentilata eſt apud pleroſq;, an de dolo tutoris exceptio pupillo experienti nocere debeat? & ego puto utilius, & ſi per eas perſonas pupillo fauetur: tamen dicendum eſſe, ſiue quis emerit à tutore rem pupilli, ſiue contractum ſit cum eo in rem pupilli, ſi dolo quid tutor fecerit, & ex eo pupillus locupletior eſt factus: pupillo nocere debere. nec illud diſtinguendum eſſe, cautum ſit ei, an & ſoluendo ſit tutor, an non: dũmodo rem adminiſtret. unde enim diuinet is, qui cum tutore contrahit? planè ſi mihi proponas colluſiſſe aliquem cum tutore: factum ſuum ei noce-

bit. Si quis non tutor, sed pro tutore negocia gerat: an dolus ipsius noceat pupillo, uideamus. & putem non nocere. nam & si is, qui pro tutore negocia gerat, rem uendiderit, & usucapta sit: exceptio non nocet pupillo rem suam persequenti, etiam si ei cautum sit: quia huic rerum pupilli administratio concessa non fuerit. secundum hoc magis opinor de dolo tutoris exceptionem pupillo esse obijciendam.

Quæ in tutore diximus, eadē in curatore quoq; furioſi dicenda erūt, sed & in prodigi, uel minoris uigintiquinq; annis. de dolo autem ipsius minoris uigintiquinq; annis exceptio utiq; locum habebit. nam & de pupilli dolo interdum excipiendum esse, nequaquam ambigendū est: ex ea scilicet ætate, quæ dolo non careat. Deniq; Iulianus quoq; sæpissime scribit, doli pupillos, qui propè pubertatē sunt, capaces esse. Quid enim, si debitor ex delegatione pupilli pecuniam creditori eius soluat, fingentis se (inquit) pubescere? ne propter malicia ignorantiā bis eandem pecuniam consequatur? Idem seruandum in furioso ait. si cū existimaretur compos mentis esse, iusserit debitorem creditori soluere: uel si, quod exigit, domi habeat. De auctoris dolo exceptio emptori non obijcietur. si autem auctoris accessione utitur: æquissimū uisum est, eum, qui ex persona auctoris utit accessione, pati dolum auctoris. & per hoc æque traditur, rei quidem cohærentem exceptionem etiam emptori nocere: eam autem, quæ ex delicto personæ oriatur, nocere non oportere. Si cum legitima hæreditas Caij Seij ad te pertineret, & ego essem hæres institutus, persuaseris mihi per dolum malum, ne adeam hæreditatem: & postea, quàm ego repudiauerim hæreditatem, tu ea Sempronio cesseris precio accepto, isq; à me petat hæreditatem: exceptionem doli mali eius, qui ei cessit, non potest pati. Si quis autem ex caussa legati uindicet: aut is, cui ex caussa donationis res præstita est, uindicet: an de dolo exceptionē patiatur ex caussa eius, in cuius locum successerit? & magis putat Pomponius, submouendum. & ego puto exceptione eos esse repellendos, cum lucratiuam caussam sint nacti. aliud enim est emere, aliud ex his caussis succedere. Idem ratiocinatur Pomponius & in eum, qui pignori acceperit, si Seruiana uel hypothecaria actione experiatur. nam & hūc putat Pomponius submouendum: quia res ad eum, qui dolo fecerit, reuersura est. Auctoris autem dolus (sicut diximus) emptori non obijcitur. sed hoc in emptore solo seruabimus: item in eo, qui permutauerit, uel in solutum acceperit: item in similibus, qui uicem emptorum obtinent. cæterum si noxæ deditus quis sit: Pomponius putat passurum exceptionē, quam ille pateretur, qui noxæ dedit. proinde ex quacūq; alia caussa, quæ propè lucratiuam habet adquisitionem, quæ fisse quis uideatur: patietur exce-

exceptionem doli ex persona eius,in cuius locum successit.sufficit enim si is,qui precium dederit,uel uicē precij (cum sit bonæ fidei emptor) ut non patiatur doli exceptionem: ex persona auctoris utiq;,si ipse dolo caret. cæterum si ipse dolo non caret: peruenietur ad exceptionem doli,& patietur de dolo suo exceptionem. Si à Titio fundum emeris,qui Sempronij erat,isq; tibi traditus fuerit precio soluto:deinde Titius Sempronio hæres exstiterit,& eundem fundum Mæuio uendiderit,& tradiderit:Iulianus ait,æquum esse prætorē te tueri: quia & si ipse Titius fundum â te peteret,exceptione in factum comparata, uel doli mali submoueretur.& si ipse eum possideret, & Publiciana peteres:aduersus excipientē SI NON SVVS ESSET, replicatione utereris: ac per hoc intelligeretur,eum fundum rursus uendidisse, quem in bonis nō haberet. Metus caussa exceptionem Cassius non proposuerat, contentus doli exceptione, quæ est generalis. sed utilius uisum est, etiā de metu opponere exceptionem. etenim distat aliquid à doli exceptione:quod exceptio doli personā complectitur eius,qui dolo fecit.enim uero metus caussa exceptio in rem scripta est, ET SI IN EA RE NIHIL METVS CAVSSA FACTVM EST: ut non inspiciamus,an is,qui agit,metus caussa fecerit aliquid:sed an omnino metus caussa factū sit in hac re à quocunq;,non tantum ab eo,qui agit. Et quamuis de dolo auctoris exceptio doli non obijciatur: uerūtamen hoc iure utimur, ut de metu non tantum ab auctore,uerum à quocunq; adhibito, exceptio obijci possit. Illud sciendum est, hanc exceptionem de metu eum obijcere debere,qui metum non à parente passus est, in cuius potestate fuerit.cæterum parenti licere deteriorem conditionem liberorum in rebus peculiaribus facere. sed si se abstinuerit hæreditate paterna:succurrendum ei erit,ut alioquin succurritur.

V. PAVLVS.

PVre mihi decem debes. ea tibi sub conditione legaui.interim hæres,si petat,doli exceptione non est submouendus,cum possit etiam deficere conditio. itaq; legatorum stipulationem interponere debebit.sed si non caueat hæres:doli exceptione submouebitur.expedit enim legatario potius retinere summam,quàm mitti in possessionem rerum hæreditariarum. Si cui legata sit uia,& is lege Falcidia locū habente,totam eam uindicet non oblata æstimatione quartæ partis: submoueri eum doli exceptione Marcellus ait,quoniam suo commodo hæres consuluit. Si donaui alicui rem,nec tradidero:& ille,cui donaui,nō tradita possessione,in eo loco ædificauerit me sciente: & cum ædificauerit,nactus sim ego eā possessionē,& petit à me rem donatam, & ego excipiam,quod supra legitimum modum facta est: de dolo re-

plicandum est. dolo enim feci: quia passus sum eum ædificare, & non reddo impensas. Actoris, qui exigendis pecuniis præpositus est, etiam posterior dolus domino nocet. Si seruus uenierit ab eo, cui hoc dominus permisit, & redhibitus sit domino: agenti uenditori de precio exceptio opponitur redhibitionis: licet iam is, qui uendidit, domino precium soluerit. etiam mercis non traditæ exceptione submouebitur, qui pecuniam iam domino soluit: & ideo is, qui uendidit, aget aduersus dominum. eandem caussam esse Pedius ait eius, qui negocium nostrum gerens uendidit. Si eum, qui uolebat mihi donare supra legitimum modum, delegauero creditori meo: non poterit aduersus petentem uti exceptione: quoniam creditor suum repetit. in eadē caussa est maritus. nec hic enim debet exceptione submoueri, qui suo nomine agit. nunquid ergo nec de dolo mulieris excipiendum sit aduersus maritum, qui dotem petit: non ducturus uxorem, nisi dotē accepisset: ubi iam diuerterit? itaq; condictione tenetur debitor, qui delegauit, uel mulier: ut uel liberet debitorē, uel si soluit, ut pecunia ei reddatur. Non sicut de dolo actio certo tempore finitur, ita etiam exceptio eodem tempore danda est. nam hæc perpetuò competit: cū actor quidem in sua potestate habeat, quādo utatur suo iure. is autem, cum quo agitur, non habeat potestatem, quando conueniatur.

VI. CAIVS.

SI opera creditoris acciderit, ut debitor pecuniam, quam soluturus erat, perderet: exceptione doli mali creditor remouebit. idem est, & si creditori eius numeratam pecuniam ratam creditor non habeat.

VII. VLPIANVS.

IVlianus ait. si pecuniam, quam me tibi debere existimabam, iussu tuo spoponderim ei, cui donare uolebas: exceptione doli mali potero me tueri: & præterea condictio mihi aduersus stipulatorem competit, ut me liberet. Idem Iulianus ait. si ei, quem creditorem putabas, iussu tuo pecuniam, quam me tibi debere existimabam, promisero: petentem doli mali exceptione submoueri debere: & amplius agendo cum stipulatore cōsequar, ut mihi acceptam faciat stipulationem. & habet hæc sententia Iuliani humanitatem: ut etiam aduersus hunc utar exceptione & condictione, cui sum obligatus.

VIII. PAVLVS.

DOlo facit, qui petit, quod redditurus est. sic si hæres damnatus sit non petere à debitore: potest uti exceptione doli mali debitor, & agere ex testamento.

IX. IVLIANVS.

SI procurator rei pecunia accepta damnari se passus sit, & cum do-

mino

mino iudicati agatur: tuebitur se doli mali exceptione: nec hoc, quod accepit procurator, auferri ab eo potest. nam turpiter accepta pecunia iustius penes eum est, qui deceptus est, quàm qui decepit.

X. MARTIANVS.

CVm uir *in area ab uxore sibi donata aliquid ædificasset: plerisq; placet, doli mali exceptione posita rem seruari posse. *al's. aut uxor in area.

XI. NERATIVS.

SI procurator agit, de dolo eius excipi non debet: quia aliena lis est, isq; rei extraneus. neq; alienus dolus nocere alteri debet. Si post litẽ contestatã dolo quid fecerit: an exceptio eo nomine in iudicium obijcienda sit, dubitari potest: quia litis cõtestatione res ,pcuratoris fit, eamq; suo iam quodãmodo nomine exsequit̃. & placet, de ,pcuratoris dolo excipiendum esse. idem de tutore, qui pupilli nomine agit, dicendũ est. In uniuersum aũt hæc in ea re regula sequẽda est, ut dolus oĩno puniat̃, & sĩnõ alicui, sed ipsi, qui eũ admisit, dãnosus futurus erit.

XII. PAPINIANVS.

QVi æquitate defensionis infringere actionẽ potest, doli exceptione tutus est.

XIII. PAVLVS.

LIberis exhæredatis, qui nihil ex patris iudicio meruerunt, rupto testamento ius suum conseruandum est: nec opponetur doli mali exceptio. quod non solum in persona eorum, sed in hæredibus, & in persona quoq; liberorum eorum obtinendum est.

XIIII. IDEM.

PAulus respondit. eum, qui in alieno solo ædificium exstruxerit, non aliàs sumptus consequi posse, quàm si possideat, & ab eo dominus soli rem uindicet, scilicet opposita doli mali exceptione.

XV. SCAEVOLA.

FIdeiussor euictionis nomine condemnatus, id prædium, quod euictum est, & omnia præstare paratus est, quæ iure empti continentur. quæro, an agentem emptorem ex caussa iudicati exceptione doli mali submouere possit? Respondit. exceptionẽ quidem opponi posse: iudicem autem æstimaturum, ut pro damnis emptori satisfiat.

XVI. HERMOGENIANVS.

SI debitor à furioso delegatus creditori eius soluat, quem compotem mentis esse existimabat, & ita cum eo agatur: exceptione doli in id, quod in rem furiosi processit, defenditur.

XVII. SCAEVOLA.

PAter pro filia dotem ,pmiserat, & pactus erat, ut ipse aleret filiã suam, eiusq; hoĩes. idẽ homo rusticanus genero scripsit usuras præstãdas quasi ex dotis ,pmissione. quæsitũ est, cum ipse filiã suã exhibue

rit,& maritus nullã impensam fecerit: an ex chirographo ex stipulatu agenti genero exceptio obstare debeat? Respondit. si (ut proponitur) pater cum exhiberet, per errorem promisisset: locum fore doli mali exceptioni. Auus nepotibus ex filia legauit singulis centena,& adiecit hæc uerba. IGNOSCITE. NAM POTVERAM VOBIS AMPLIVS RELINQVERE, NISI ME FRONTO PATER VESTER MALE ACCEPISSET, CVI DEDERAM MVTVA QVINDECIM, QVAE AB EO RECIPERE NON POTVI. POSTREMO HOSTES, QVI MIHI FERE OMNEM SVBSTANTIAM ABSTVLERVNT. quæsitum est, an si aui hæres ab his nepotibus patris sui hæredibus petat quindecim: contra uoluntatem defuncti facere uideatur,& doli mali exceptione submoueatur? Respõdit,exceptionem obstaturam. Ex quadrante hæres scriptus,à cohærede ex dodrante instituto emit portionẽ certa quantitate, ex qua aliquam summam in nominibus ex calendario uti daret, stipulanti spopondit. defuncto uenditore hæreditatis,testamentũ falsum Septicius accusare cœpit,& hæreditatem ab emptore petijt,& ne quid ex ea minueret,impetrauit.quæsitum est,cognitione falsi pendente, an hæredes ex stipulatu petentes doli exceptione submoueantur? Respondit. hæredes uenditoris,si ante euentum cognitionis pergant petere, exceptione doli mali posse submoueri. Marito & filio communi ex parte dimidia scriptis hæredibus,filiam suam ex priore matrimonio ita hæredem instituit. MAEVIA FILIA EX SEX VNCIIS MIHI HAERES ESTO, SI CVM COHAEREDIBVS TVIS PAREM RATIONEM FECERIS PRO MEA PORTIONE IN DIEM MORTIS MEAE EIVS ACTVS, QVI PENDET EX TVTELA TVA, QVAM TITIVS PATER MEVS, AVVS TVVS ADMINISTRAVIT. quæsitum est,an quia sub conditione instituta filia esset: si omiteret hæreditatem,uti saluam tutelæ actionẽ haberet:legata sibi à matre data consequi possit? Respondit. secundũ ea,quæ proponerentur,eam,de qua quæreretur,contra uoluntatem petere:& ideo exceptionem doli obstaturam.

QVARVM RERVM ACTIO NON datur. Tit. V.

I. VLPIANVS.

IVsiurandum uicem rei iudicatæ obtinet, nõ immerito: cum ipse quis iudicem aduersarium suum de caussa sua fecerit,deferendo ei iusiurandum. Si pupillus sine tutoris authoritate detulerit iusiurandum: dicemus non obstare exceptionem istam, nisi tutore authore in iudicio

cio delatio facta sit. Si petitor fundi iusiurandum detulerit aduersario, si auctor eius iurasset suum fundum se tradidisse, ab ea controuersia discessurum se: exceptio possessori fundi dabitur. Si fideiussor iurauit, siquidem de persona sua tantum iurauit, quasi non esset ipse obligatus: nihil reo proderit. si uero in rem iurauit: dabitur exceptio reo quoq; Si manumisero eum seruum, qui negocia mea gesserat in seruitute: deinde stipulatus ab eo fuero, qui negocia mea gesserit, QVIDQVID OB EAM REM, SI TVNC LIBER FVISSET, EVM MIHI DARE OPORTERET, ID DARI? deinde ex stipulatu agam: non submoueri me exceptione. neq; enim oneratũ se hoc nomine potest queri libertus, si lucrum abreptum ex re patroni non faciat. Quæ onerandæ libertatis caussa stipulatus sum, à liberto exigere non possum. onerandæ autem libertatis caussa facta belliſſime ita definiuntur: quæ ita imponuntur, ut si libertus patronũ offenderit, petantur ab eo, sem perq; sit libertus metu exactionis ei subiectus, propter quem metum quoduis sustineat patrono præcipiente. In summa si in continenti impositum quid sit liberto, quod ἀπωθούμενον oneret eius libertatem: dicendum est, exceptioni locum fore. sed si post interuallum: habet quidem dubitationem (quia nemo cogebat eũ hoc promittere) sed idem etit probandum & hic, tamen caussa cognita: si liquidò appareat libertum metu solo, uel nimia patroni reuerentia ita se subieciſſe. Si libertatis caussa societatẽ libertus cum patrono coierit, & patronus cum liberto pro socio agat: an hæc exceptio sit neceſſaria? & puto ipso iure tutum esse libertum aduersus exactionem patroni. Exceptionem onerandæ libertatis caussa, sicut & cæteras, fideiussori nõ esse denegandam, sciendum est: ne ei quidem, qui rogatu liberti reus factus est. sed nec ipsi liberto: siue procurator ad defendendũ à reo datus fuerit, siue ei hæres exstiterit. cum enim propositũ sit prætoris, in huiusmodi obligationibus reo succurrere: non seruaturus est propositum suum, nisi fideiussorem quoq;, & eũ, qui rogatu liberti reus factus fuerit, aduersus patronum defenderit. etenim parui refert, protinus libertus patrono cogatur dare, an per interpositam fideiussoris uel rei personam. Sine autem ipsi patrono sit promiſſum, siue alij uoluntate patroni: onerandæ libertatis caussa uidetur factum. & ideo hæc exceptio locum habebit. quod si patronus libertum suum delegauerit creditori: an aduersus creditorem, cui delegatus promisit libertatis onerandæ caussa, exceptione ista uti possit, uideamus. & Cassius existimasse Vrseiũ refert: creditorem quidem minime esse submouendum exceptione, quia suum recepit: ueruntamen libertũ à patrono posse condicere, si non transigendæ controuersiæ gratia id fecerit. Item si libertus debitorem

suum

ſuum patrono delegauerit:nulla exceptione ſubmouendus patronus eſt,ſed libertus à patrono per condictionem hoc repetet. Hæc exceptio non tantum ipſi liberto, uerum ſucceſſoribus quoq; liberti danda eſt:& uerſa uice hæredem patroni ſubmouendum, ſi hæc perſequatur,ſciendum eſt.

II. PAVLVS.

SI filiofamilias delatum ſit iuſiurandū, & iurauerit patrem ſuū dare nō oportere:danda eſt patri exceptio. Si in alea rem uendam, ut ludam,& euicta re conueniar:exceptione ſubmouebitur emptor.

Si ſeruus promittat domino pecuniam, ut manumittatur, cū aliàs non eſſet manumiſſurus dominus, eamq; liber factus ſpondeat: dicitur non obſtare exceptionem patrono,ſi eam petat.non enim oneran dæ libertatis cauſſa hæc pecunia promiſſa eſt.alioquin iniquum eſſet, dominum & ſeruo carere & precio eius. toties ergo onerandæ libertatis cauſſa pecunia uidetur promiſſa,quoties ſua ſponte dominus manumiſit:& propterea uelit libertum pecuniam promittere, ut non exigat eam,ſed ut libertus eum timeat,& obtemperet ei.

DE LITIGIOSIS. Tit. VI.

I. VLPIANVS.

LItigioſam rem non facit denunciatio, quæ impediendæ uenditionis cauſſa fit. Si inter Primum & Secundum lis conteſtata ſit, & ego à Tertio emero,qui nullam controuerſiam patiebatur: uideamus, an exceptioni locus ſit.& putem ſubueniendum mihi:quia is,qui mihi uendidit,nullam litem habuit:& quod poteſt fieri, ut duo inuicē eius litem inter ſe iungant,qui cum ipſo litigare non poterant. ſi tamen cū procuratore,tutore,curatoreue alicuius acceptum iudiciū ſit:conſequens erit dicere,quaſi cum ipſo litigetur, ita ad eum exceptionē pertinere.

II. IDEM.

SI ſeruus,cum emerit,ſcit,ignorauit autem dominus,uel contra:uidendum eſt,cuius potius ſpectanda ſit ſcientia.& magis eſt,ut ſcientia inſpicienda ſit eius, qui cōparauit:non eius, cui adquiratur. & ideo pœna litigioſi competit:ſic tamen,ſi non mandatu domini emit.nam ſi mandatu:etiam ſi ſcit ſeruus,dominus autem ignorauit:ſcientia nō nocet.& ita Iulianus in re litigioſa ſcribit.

III. PAVLVS.

REm,de qua controuerſia eſt,prohibemur in ſacrum dedicare.aliquin dupli pœnam patimur,nec immerito: ne liceat eo modo durio-

dutiorem aduersarij conditionem facere. sed duplum utrum fisco, an aduersario præstandum sit, nihil exprimitur. fortassis autem magis aduersario: ut id ueluti solacium habeat pro eo, quod potentiori aduersario traditus sit.

DE ACTIONIBVS ET OBLIGATIonibus. Tit. VII.

I. CAIVS.

OBligationes aut ex contractu nascuntur, aut maleficio, aut proprio quodam iure ex uarijs caussarum figuris. Obligationes ex contractu, aut re contrahuntur, aut uerbis, aut consensu. Re contrahitur obligatio mutui datione. Mutui autē datio consistit in his rebus, quæ pondere, numerō, mensura constant: ueluti uino, oleo, frumento, pecunia numerata: quas res in hoc damus, ut accipientis fiant, postea alias recepturi eiusdem generis & qualitatis. Is quoq; cui rem aliquam commodamus, re nobis obligatur: sed is de ea ipsa re, quam acceperit, restituenda tenetur. & ille quidem, qui mutuum accepit, si quolibet casu, quod accepit, amiserit: nihilominus obligatus permanet. is uero, qui utendum accepit, si maiore casu, cui infirmitas humana resistere non potest (ueluti incendio, ruina, naufragio) rem, quā accepit, amiserit: securus est. aliâs tamen exactissimā diligentiā custodiæ rei præstare cōpellitur: nec sufficit ei eandē diligentiam adhibere, quā in suis rebus adhibeat, si alius diligētius custodire potuerit. sed & in maioribus casibus, si culpa eius interueniat, tenetur: ueluti si quasi amicos ad cœnā inuitaturus argentū, quod in eam rem utendū acceperit, peregre proficiscēs secū portare uoluerit, & id aut naufragio, aut prædonū hostiumúe incursu amiserit. Is quoq; apud quē rem aliquam deponimus, re nobis tenetur: qui & ipse de ea re, quam accepit, restituenda tenetur. sed is etiā si neglegenter rem custoditā amiserit, securus est. quia enim non sua gratia accepit, sed eius, à quo accepit: in eo solo tenetur, si quid dolo perierit. neglegentiæ uero nomine ideo non tenetur, quia qui neglegenti amico rem custodiendam committit, de se queri debet. magnā tamen neglegentiā placuit in doli crimine cadere. Creditor quoq;, qui pignus accepit, re tenetur: qui & ipse de ea ipsa re, quam accepit, restituenda tenetur. Verbis obligatio contrahitur ex interrogatione & responsione, cum quid dari, fieriúe nobis stipulamur. Sed aut proprio nomine quisq; obligatur, aut alieno. qui autē alieno nomine obligatur, fideiussor uocatur: & plerūq; ab eo, quem proprio nomine obli-

gamus,alios accipimus,qui eadem obligatione teneantur: dum curamus,ut quod in obligationē deduximus,tutius nobis debeatur. Si id,quod dari ſtipuletur,tale ſit,ut dari non poſſit:palam eſt,naturali ratione inutilem eſſe ſtipulationem:ueluti ſi de homine liberō,aut iam mortuo,uel ædibus deuſtis facta ſit ſtipulatio inter eos, qui ignorauerint eum hominem liberum eſſe,uel mortuum eſſe, uel ædes deuſtas eſſe. Idem iuris eſt,ſi quis locū ſacrum,aut religioſum dari ſibi ſtipulatus fuerit.nec minus inutilis eſt ſtipulatio,ſi quis rem ſuam, ighorās ſuam eſſe,ſtipulatus fuerit.item impoſſibili conditione factam ſtipulationem conſtat inutilem eſſe. Furioſum (ſiue ſtipuletur,ſiue promittat)nihil agere,natura manifeſtum eſt. huic proximus eſt,qui eius ætatis eſt,ut nondum intelligat,quid agatur. ſed quo ad hunc,benigni us acceptum eſt. nam qui loqui poteſt,creditur & ſtipulari, & promittere recte poſſe. Mutum nihil pertinere ad uerborum obligationem, natura manifeſtum eſt. ſed & de ſurdo idem dicitur,qui etiam ſi loqui poſſit:ſiue promittat,uerba ſtipulantis exaudire debet:ſiue ſtipuletur,debet exaudire uerba promittentis. unde apparet,non de eo nos loqui,qui tardius exaudit,ſed qui omnino non exaudit.

II. VLPIANVS.

COnſenſu fiunt obligationes in emptionibus, uenditionibus, locationibus,conductionibus,ſocietatibus,mandatis. ideo autem iſtis modis conſenſu dicimus obligationem contrahi:quia neq; uerborum,neq; ſcripturæ ulla proprietas deſideratur:ſed ſufficit eos,qui negocia gerunt,conſentire. unde inter abſentes quoq; talia negocia contrahuntur:ueluti per epiſtolam,uel per nuncium. Item in his contractibus alter alteri obligatur de eo,quod alterū alteri ex bono & æquo præſtare oportet.

III. PAVLVS.

OBligationum ſubſtantia non in eo cōſiſtit,ut aliquod corpus noſtrum,aut ſeruitutem noſtram faciat:ſed ut alium nobis obſtringat ad dandum aliquid,uel faciendum,uel præſtandum. Non ſatis autem eſt dantis eſſe numos,& fieri accipientis,ut obligatio naſcatur: ſed etiam hoc animo dari & accipi, ut obligatio conſtituatur. itaq; ſi quis pecuniam ſuam donandi cauſſa dederit mihi: quanquam & dantis fuerit,& mea fiat: tamen non obligor ei, quia non hoc inter nos eſt actum. Verborum quoq; obligatio conſtat,ſi inter contrahentes id agatur. nec enim ſi per iocum puta, uel demonſtrandi & intellectus cauſſa ego dixero tibi, SPONDES? & tu reſpondeas SPONDEO: naſcetur obligatio.

IIII. CAIVS. Ex

EX maleficio naſcuntur obligationes, ueluti ex furto, ex damno, ex rapina, ex iniuria: quæ omnia unius generis ſunt. nam hæ tantum re conſiſtunt, id eſt ipſo maleficio: cũ alioquin ex cõtractu obligationes non tantum re conſiſtant, ſed etiam uerbis, ſed conſenſu. Si quis abſentis negocia geſſerit, ſi quidẽ ex mandato: palam eſt, ex contractu naſci inter eos actiones mandati, quibus inuicẽ experiri poſſint de eo, quod ex bona fide alterum alteri præſtare oportet. Si uero ſine mandato: placuit quidem ſanè eos inuicem obligari, eoq; nomine prodita ſunt actiones, quas appellamus NEGOCIORVM GESTORVM. quibus æque inuicem experiri poſſunt de eo, quod ex bona fide alterum alteri præſtare oportet. ſed neq; ex contractu, neq; ex maleficio hæ actiones naſcuntur. neq; enim is, qui geſſit, cum abſente creditur ante contraxiſſe: neq; ullum maleficium eſt, ſine mandato ſuſcipere negociorũ adminiſtrationẽ. longe magis is, cui9 negocia geſta ſunt, ignorans aut contraxiſſe, aut deliquiſſe intelligi non poteſt. ſed utilitatis cauſſa receptum eſt, inuicem eos obligari. Ideo autem id ita receptũ eſt, quia plerunq; homines eo animo peregre proficiſcuntur, quaſi ſtatim reditu-ri, nec ob id ulli curam negociorum ſuorum mandant: deinde nouis cauſſis interuenientibus ex neceſſitate diutius abſunt, quorum negocia deperire iniquum eſt: quæ ſanè deperirent, ſi uel is, qui obtuliſſet ſe negocijs gerendis, nullam habiturus eſſet actionem de eo, quod de ſuo utiliter impendiſſet: uel is, cuius geſta eſſent, aduerſus eũ, qui inuaſiſſet negocia eius, nullo iure agere poſſet. Tutelæ q̃q; iudicio qui tenẽtur, non proprie ex contractu obligati intelliguntur. nullum enim negocium inter tutorem & pupillum contrahitur. ſed quia ſanè non ex maleficio tenentur: quaſi ex contractu uidentur teneri. & hoc aũt caſu mutuæ ſunt actiones. non tantum enim pupillus cum tutore, ſed contra & tutor cum pupillo habet actionem: uel ſi impenderit aliquid in rem pupilli, uel pro eo fuerit obligatus, aut rem ſuam creditori eius obligauerit. Hæres quoq;, qui legatum debet, neq; ex contractu, neq; ex maleficio obligatus eſſe intelligitur. nam neq; cũ defuncto, neq; cum hærede contraxiſſe quidquam legatarius intelligitur. & maleficium autem nullum in ea re eſſe, plus quàm manifeſtum eſt. Is quoq;, qui nõ debitum acceperit per errorem ſoluentis: obligatur quidem quaſi ex mutui datione, & eadem actione tenetur, qua debitores creditoribus: ſed non poteſt intelligi is, qui ex ea cauſſa tenetur, ex cõtractu eſſe obligatus. qui enim ſoluit per errorem: magis diſtrahendæ obligationis animo, quàm contrahendæ dare uidetur. Si iudex ſuam litem fecerit: non proprie ex maleficio obligatus utiq; uidetur: ſed quia neq; ex contractu obligatus eſt, & peccaſſe aliquid intelligitur (licet per impru-

dentiam)ideó uidetur quasi ex maleficio teneri. Is quoq; ex cuius cœnaculo,uel proprio ipsius,uel cõducto, uel in quo gratis habitabat, deiectum effusumúe aliquid est,ita ut alicui noceret: quasi ex maleficio teneri uidetur.ideo autem non proprie ex maleficio obligatus intelligitur:quia plerunq; ob alterius culpam tenetur,aut serui, aut liberi. Cui similis est is,qui ea parte, qua uulgo iter fieri solet,id positũ aut suspensum habet,q̃d potest (si ceciderit) alicui nocere.ideo si filiusfamilias seorsum à patre habitauerit:& quid ex cœnaculo eius deiectum effusumúe sit,siue quid positum suspensumúe habuerit,cuius casus periculosus sit: Iuliano placuit, in patrẽ neq; de peculio, neq; noxalem dandam esse actionem,sed cum ipso filio agendum. Item exercitor nauis,aut cauponæ,aut stabuli de damno,aut furto,quod in naue, aut caupona,aut stabulo factum sit,quasi ex maleficio teneri uidetur: si modo ipsius nullum est maleficium,sed alicuius eorum,quorũ opera nauem,aut cauponam,aut stabulũ exercet. cum enim neq; ex contractu sit aduersus eum constituta hæc actio, & aliquatenus culpæreus sit,quod opera malorum hominum utatur: ideo quasi ex maleficio teneri uidetur.

V. PAVLVS.

IN omnibus temporalibus actionibus,nisi nouissimus totus dies cõpleatur,non finit obligationem.

VI. POMPONIVS.

ACtiones aduersus patrem filio præstari non possunt, dum in potestate eius est filius.

VII. IVLIANVS.

SVb hac conditione SI VOLAM nulla fit obligatio. pro non dicto enim est,quod dare,nisi si uelis,cogi nõ possis.nam nec hæres promissoris eius, qui nunquam dare uoluit, tenetur:quia hæc conditio in ipsum promissorem nunquam exstitit.

VIII. PAVLVS.

FIliusfamilias suo nomine nullã actionem habet, nisi iniuriarum, & QVOD VI AVT CLAM,depositi, & cõmodati, ut Iulianus putat.

IX. IVLIANVS.

NAturales obligationes non eo solo æstimantẽ,si actio aliqua earũ nomine cõpetat: uerum etiam eo, si soluta pecunia repeti non possit.

X. PAVLVS.

QVæcunq; gerimus,cum ex nostro contractu originem trahunt, nisi ex nostra persona initium obligationis sumant, inanem nostrum actum efficiunt.& ideo neq; stipulari, neq; emere, uendere, contrahere,ut alter suo nomine recte agat,possumus.

Pom

XI. POMPONIVS

EX depositi,& commodati,& mandati,& tutelæ,& negociorum gestorum causſa ob dolũ malum defuncti hæres in solidũ tenetur.

XII. VLPIANVS.

INfactum actiones & filijfamiliarum possunt exercere.

XIII. IDEM.

SErui ex delictis quidem obligantur:& si manumittuntur, obligati remanent. ex contractibus autem ciuiliter quidem non obligantur,sed naturaliter obligãtur & obligant.deniq; si seruo,qui mutuam mihi pecuniam dederat,manumisso soluam, liberor.

XIIII. IVLIANVS.

QVicum hærede egit,exceptione submotus est, AT SI NON IN EA CAVSSA TABVLAE TESTAMENTI SINT,VT CONTRA EAS EMANCIPATO BONORVM POSSESSIO DARI POSSIT. emancipato bonorum possessionem omittente,non inique postulabit creditor, restitui sibi actionem aduersus scriptum hæredem.nam quàmdiu bonorum possessio contra tabulas filio dari potest, hæres quodammodo debitor non est.

XV. IDEM.

QVi à seruo hæreditario mutuam pecuniã acceperat, & fundum uel hominẽ pignoris causſa ei tradiderat,& precariò rogauit:precario possidet.nam seruus hæreditarius sicuti per traditionem accipiendo proprietatem hæreditati adquirit: ita precariò dando efficit, ne res usucapi possit.nam & si commodauerit,uel deposuerit rem peculiarem:commodati & depositi actionem hæreditati adquiret. hæc ita,si peculiare negocium cõtractum est.nam ex hac causſa etiam possessio adquisita intelligi debet.

XVI. IDEM.

OMnes debitores,qui speciem ex causſa lucratiua debent,liberantur, cum ea species ex causſa lucratiua ad creditorẽ peruenisset.

XVII. IDEM.

SIis,qui Stichum dari sibi stipulatus fuerat, hæres exstiterit ei, cui ex testamento idem Stichus debebatur: si ex testamento Stichum petierit:non consumet stipulationem.& contra, si ex stipulatu Stichũ petierit,actionem ex testamento saluam habebit: quia initio ita consti tunt hæ duæ obligationes,ut altera in iudicium deducta, altera nihilo minus integra remaneat.

XVIII. IDEM.

EX promissione dotis non uidetur lucratiua causſa esse: sed quodammodo creditor aut emptor intelligitur,qui dotem petit.por

rò cum creditor uel emptor ex lucratiua cauſſa rem habere cœperit:ni hilominus integras actiones retinet:ſicut ex contrario,qui non ex lucratiua cauſſa rem habet,eandem non prohibetur ex lucratiua cauſſa petere.

XIX. VLPIANVS.

SEruus non in omnibus rebus ſine pœna domino dicto audiens eſſe ſolet.ſicuti ſi dominus hominem occidere, aut furtum alicui facere ſeruum iuſſiſſet.quare quamuis ſeruus domini iuſſu piraticam feciſſet,iudicium in eum poſt libertatem reddi oportet:& quodcunq; ui feciſſet,quæ uis à maleficio non abeſſet,ita oportet eum pœnas dependere.ſed ſi aliqua rixa ex litibus & contentione nata eſſet,aut aliqua uis iuris retinendi cauſſa facta eſſet,& ab his rebus facinus abeſſet:tum non conuenit prætorem,quod ſeruus iuſſu domini feciſſet,de ea re in liberum iudicium dare.

XX. IDEM.

COntraxiſſe unuſquiſq; in eo loco intelligitur,in quo ut ſolueret, ſe obligauit.

XXI. AFRICANVS.

CVm quis in diem mercem ſtipulatus,fideiuſſorem acceperit: eius temporis æſtimatio ſpectanda eſt,quo ſatis accepit.

XXII. IDEM.

TRaiectitiæ pecuniæ nomine,ſi ad diem ſoluta non eſſet,pœna(uti adſolet)ob operas eius,qui eam pecuniã peteret,in ſtipulationem erat deducta.is,qui eam pecuniam petebat, parte exacta petere deſierat.deinde interpoſito tempore interpellare inſtituerat. conſultus reſpondit,eius quoq; temporis,quo interpellatus nõ eſſet,peti poſſe pœnam. amplius etiã ſi omnino interpellatus nõ eſſet. nec aliter non cõmitti ſtipulationem,quàm ſi per debitorem nõ ſteteriſſet,quo minus solueret.alioquin dicendum,& ſi qui interpellare cœpiſſet,ualetudine impeditus interpellare deſiſſet,pœnã non cõmitti. De illo ſanè poteſt dubitari:ſi interpellatus moram ipſe fecerit,an quamuis pecuniã poſt ea offerat, pœna nihilominus cõmittatur. & hoc rectius dicitur. nam &ſi arbiter ex cõpromiſſo pecuniã certo die dari iuſſerit,neq; per eum, qui dare iuſſus eſt,ſteterit:non cõmitti pœnam reſpondit. adeo,ut & illud Seruius rectiſſime exiſtimauerit:ſi quando dies,quo pecunia daretur,ſententia arbitri compræhenſa non eſſet: modicum ſpacium datũ uideri hoc idem dicendum,& cum quid ea lege uenierit, ut niſi ad diẽ precium ſolutum fuerit,inempta res fiat.

XXIII. POMPONIVS.

SI à furioſo,cum eum compotem mentis eſſe putarem,pecuniã quã ſi mutuã acceperim,eaq; in rem meam uerſa fuerit:condictio furioſo

oso adquiritur. nam ex quibus cauſſis ignorãtibus nobis actiones adquiruntur, ex ijſdem etiam furioſi nomine incipit agi poſſe: ueluti cũ ſeruus eius ſtipulatur, aut cum furtũ ei fit, aut damnũ ei dando in legẽ Aquiliam cõmittitur: aut ſi forte, cum creditor fuerat, fraudandi eius cauſſa debitor alicui rẽ tradiderit. idemq; erit, ſi legetur ei, uel ſi fideicõmiſſum ei relinquatur. Item ſi is, qui alieno ſeruo crediderat, furere cœperit: deinde ſeruus in rem domini id, quod mutuũ acceperat, uerterit: furioſo condictio adquiritur: Item ſi alienam pecuniam credendi cauſſa quis dederit, deinde cõpos mentis eſſe deſierit: poſtea conſumpta ea cõdictio furioſo adquirit. & qui negocia furioſi geſſerit, negociorum geſtorũ ei obligatur. *(& eum obligat, ſi ei aliquid abeſt.) *hæc aſs deſunt.

XXIIII. VLPIANVS.

ACtionũ genera ſunt duo. in rem, quæ dicit uindicatio: & in perſonam, quæ cõdictio appellat. In rem actio eſt, per quã rem noſtrã, quæ ab alio poſſidetur, petimus: & ſemper aduerſus eũ eſt, qui rem poſſidet. In perſonã actio eſt, qua cũ eo agimus, qui obligatus eſt nobis ad faciendũ aliquid, uel dandum: & ſemper aduerſus eundem locũ habet.

Actiones aũt quædam ex cõtractu, quædã ex peccato, quædã in factũ ſunt. Ex contractu actio eſt, quoties quis ſui lucri cauſſa cũ aliquo cõtrahit: ueluti emẽdo, uendendo, locando, cõducendo, & cæteris ſimilibus.

Ex peccato aũt actio eſt, q̃ties ex eo teneri quis incipit, quod ipſe admiſit: ueluti ſi furtũ, uel iniuriã cõmiſerit, uel damnũ dederit. In factum actio dicitur, qualis eſt (exempli gratia) actio, quæ datur patrono aduerſus libertum, à quo contra edictum prætoris in ius uocatus eſt.

Omnes autem actiones aut ciuiles dicuntur, aut honorariæ.

XXV. IDEM.

OMnes pœnales actiones poſt litem incohatam & ad hæredes tranſeunt.

XXVI. PAPINIANVS.

OBligationes, quæ non proprijs uiribus conſiſtunt, neq; officio iudicis, neq; prætoris imperio, neq; legis poteſtate confirmantur.

XXVII. IDEM.

ACtio in perſonam infertur, petitio in rem, perſecutio in rem uel in perſonam rei perſequendæ gratia.

XXVIII. PAVLVS.

LVcio Titio cum ex cauſſa iudicati pecunia deberetur, & eidem debitori aliam pecuniam crederet: in cautione pecuniæ creditæ non adiecit, præter eam pecuniam debitam ſibi ex cauſſa iudicati. quæro, an integræ ſint utræq; Lucio Titio petitiones? Paulus reſpondit. nihil proponi, cur non ſint integræ.

Scæuola

XXIX. SCAEVOLA.

SErvus effectus non idcirco, quod postea indulgentia principali libertatem cõsecutus est, rediisse dicitur in obligationẽ creditorum.

XXX. PAVLVS.

NOn solum stipulationes impossibili conditioni adplicatæ nullius momenti sunt: sed etiam cæteri quoq; contractus (ueluti emptiones, locationes) impossibili conditione interposita, æque nullius momenti sunt: quia in ea re, quæ ex duorum pluriumue consensu agitur, omnium uoluntas spectatur: quorum procul dubio in huiusmodi actu talis cogitatio est, ut nihil agi existiment, posita ea conditione, quam sciunt esse impossibilem.

XXXI. HERMOGENIANVS.

CVm ex uno delicto plures nascuntur actiones: sicut euenit, cum arbores furtim cæsæ dicuntur: omnibus experiri permitti, post magnas uarietates obtinuit.

XXXII. PAVLVS.

COnstitutionibus, quibus ostenditur hæredes pœna non teneri, placuit, si uiuus conuentus fuerat, etiam pœnæ persecutionem transmissam non uideri, quasi lite contestata eo mortuo.

XXXIII. IDEM.

QVi seruum alienum iniuriose uerberat: ex uno facto incidit & in Aquiliam, & in actionem iniuriarum. iniuria enim ex affectu fit, damnum ex culpa. & ideo possunt utræq; competere. sed quidã aiunt, altera electa alteram consumi: alij per legis Aquiliæ actionem iniuriarum consumi: quoniã desierit bonum & æquum esse, condemnari eũ, qui æstimationem præstitit. sed si ante iniuriarum actum sit: teneri eum ex lege Aquilia. sed & hæc sententia per prætorem inhibenda est: nisi in id, quod amplius ex lege Aquilia competit, agatur. rationabilius itaq; est eam admitti sententiam, ut liceat ei, quam uoluerit, actionem prius exercere. quod autem amplius in altera est, etiam hoc consequi. Si is, cui rem commodauero, eam subripuerit: tenebitur quidem & commodati actione & cõdictione: sed altera actio alteram perimit, aut ipso iure, aut per exceptionem, quod est tutius. hinc de colono responsum est, si aliquid ex fundo subtraxerit, teneri eum & condictione & furti, quin etiam ex locato: & pœna quidem furti non confundi tur, illæ autem intra se miscentur. & hoc in legis Aquiliæ actione dicitur, si tibi commodauero uestimenta, & tu ea ruperis. utræq; enim actiones rei persecutionem continent. & quidem post legis Aquiliæ actionem utiq; commodati finietur. post commodati an Aquilia remaneat in eo, quod in repetitione triginta dierum amplius est, dubitatur. sed uerius

uerius est remanere: quia simplo accedit, & simplo subducto locũ non habet.

XXXIIII. IDEM.

IN honorarijs actionibus sic esse definiendum, Cassius ait: ut quæ rei persecutionem habeant, hæ etiam post annum darentur: cæteræ intra annum. Honorariæ autem, quæ post annum non dantur, nec in hæredem dandæ sunt: ut tamen lucrum ei extorqueatur, sicut fit in actione doli mali, & in interdicto VNDE VI, & similibus. Illæ autem rei persecutionẽ continent, quibus persequimur, quod ex patrimonio nobis abest: ut cum agimus cum bonorum possessore debitoris nostri: item Publiciana, quæ ad exemplum uindicationis datur. sed cum resciſſa usucapione redditur: anno finitur, quia contra ius ciuile datur. In duumuiros & in rempublicam etiam post annum actio datur, ex contractu magistratuum municipalium.

XXXV. VLPIANVS.

CEssat ignominia in condictionibus, quamuis ex famosis caussis pendeant.

XXXVI. IDEM.

ACtionis uerbo cõtinetur in rem, in personam, directa, utilis, præiudicium, sicut ait Pomponius. stipulationes etiam, quæ prætoriæ sunt: quia actionum instar obtinent: ut damni infecti, legatorum, & si quæ sunt similes. Interdicta quoq; actionis uerbo continentur. Mistæ sunt actiones, in quibus uterq; actor est: utputa finium regundorũ, familiæ erciscundæ, communi diuidundo, interdictum VTI POSSIDETIS, & VTRVBI.

XXXVII. IDEM.

NOn figura literarum, sed oratione, quam exprimunt literæ, obligamur: quatenus placuit non minus ualere, quod scriptura, cꝫ quod uocibus lingua figuratis significaretur.

XXXVIII. SCAEVOLA.

FIliusfamilias ex omnibus caussis tanquam paterfamilias obligatur: & ob id agi cum eo, tanquam cum patrefamilias, potest.

XXXIX. PAVLVS.

HAereditariarum actionum loco habentur & legata, quamuis ab hærede cœperint.

XL. IDEM.

QVoties lex obligationem introducit: nisi si nominatim cauerit, ut sola ea actione utamur: etiã ueteres eo nomine actiones competere. Si ex eodem facto duæ competant actiones: postea iudicis potius partes esse, ut quo plus sit, in reliqua actione, id actor ferat. si tantundem, aut minus: id consequatur.

XLI. VLPIANVS.

IS,cui sub conditione legatum est,pendente conditione non est creditor: sed tunc, cum exstiterit conditio : quamuis eum, qui stipulatus est sub conditione, placuit etiam pendente conditione creditorem esse. Creditores eos accipere debemus, qui aliquam actionem uel ciuilem habent (sic tamen,ne exceptione submoueantur) uel honorariam,uel in factum.

XLII. PAVLVS.

OBligari potest paterfamilias,suæ potestatis pubes, compos mentis. pupillus sine tutoris authoritate non obligatur iure ciuili.seruus autem ex contractibus non obligatur.

XLIII. IDEM.

OBligationum ferè quatuor cauſſæ ſunt. aut enim dies in his est, aut conditio, aut modus,aut accessio. Circa diem duplex inspectio est.nam uel ex die incipit obligatio,aut confertur in diem.ex die, ueluti CALENDIS MARTIIS DARE SPONDES? cuius natura hæc est, ut ante diem non exigatur.ad diem autem, VSQVE AD CALENDAS DARE SPONDES? Placet autem ad tempus obligationem constitui non posse:non magis,quàm legatum. nam quod alicui deberi cœpit, certis modis deberi desinit.planè post tempus stipulator uel pacti conuenti, uel doli mali exceptione submoueri poterit. Sic & in tradendo si quis dixerit,se solum sine superficie tradere: nihil proficit, quo minus & superficies transeat,quæ natura solo cohæret. Conditio uero efficax est,quæ in constituenda obligatione inseritur,non quæ post perfectam eam ponitur:ueluti CENTVM DARE SPONDES, NISI NAVIS EX ASIA VENERIT? sed & hoc casu, existente conditione, locus erit exceptioni pacti conuenti, uel doli mali. Modus autem obligationis est,cum stipulamur decem aut hominem.nam alterius solutio totam obligationẽ interimit: nec aliter peti potest utiq;, quamdiu utrunq; est. Accessio uero in obligatione aut personæ aut rei fit.persona,cum mihi aut Titio stipulor.rei,cum mihi decem aut Titio hominem stipulor.ubi quæritur,an ipso iure fiat liberatio, homine soluto Titio. Si ita â te stipulatus sim, SI FVNDVM NOM DEDERIS, CENTVM DARE SPONDES? sola centum in stipulatione sunt, in exsolutione fundus. Sed si nauẽ fieri stipulatus sim,& si non feceris, centũ: uidendum,utrum duæ stipulationes sint pura & conditionalis, & existens sequentis conditio non tollat priorem: an uero transferat in se,& quasi nouatio prioris fiat.quod magis uerum est.

XLIIII. IDEM.

IS,qui ex stipulatu Stichum debeat,si eum ante moram manumiserit: & is prius, quàm super eo promissor cõueniretur, decesserit:non tene-

tenetur. non enim per eum ſtetiſſe uidetur, quo minus eum præſtaret.

XLV. IDEM.

FVriosus & pupillus, ubi ex re actio uenit, obligantur etiam ſine curatore uel tutoris authoritate: ueluti ſi communem fundum habeo cum his, & aliquid in eum impendero, uel damnum in eo pupillus dederit. nam iudicio communi diuidundo obligabuntur.

XLVI. IDEM.

ARrianus ait, multum intereſſe, quæras, utrum aliquis obligetur, an aliquis liberetur. ubi de obligando quæritur: ppenſiores eſſe debere nos, ſi habeamus occaſionem, ad negandum. ubi de liberãdo: ex diuerſo, ut faciliores ſimus ad liberationem.

XLVII. IDEM.

IN quibuſcunq; negocijs ſermone opus non eſt, ſufficiente conſenſu: in his etiam ſurdus interuenire poteſt: quia poteſt intelligere & conſentire: ueluti in locationibus, conductionibus, & emptionibus, & cæteris.

XLVIII. IDEM.

EX contractibus uenientes actiones in hæredes dantur, licet delictũ quoq; uerſetur: ueluti cum tutor in tutela gerenda dolo fecerit, aut is, apud quem depoſitum eſt. quo caſu etiam, cum filiusfamilias aut ſeruus tale quid cõmiſerit, de peculio actio datur, non noxalis.

XLIX. POMPONIVS *lib.* VII. *ex Plautio.*

QVod quis aliquo anno dare promittit, aut dare damnatur: ei poteſtas eſt, quolibet eius anni die dandi.

L. CELSVS

NIhil aliud eſt actio, q̃ ius, quod ſibi debetur, iudicio perſequẽdi.

LI. MODESTINVS.

OBligamur aut re, aut uerbis, aut ſimul utroq;, aut conſenſu, aut lege, aut iure honorario, aut ex neceſſitate, aut ex peccato. Re obligamur, cum res ipſa intercedit. Verbis, cũ præcedit interrogatio, & ſequitur congrua reſponſio. Re & uerbis pariter obligamur, cum & res & interrogatio intercedit. Conſentientes in aliquã rem, conſenſu obligari neceſſariò ex uoluntate noſtra uidemur. Lege obligamur, cum obtemperantes legibus aliquid ſecundum præceptum legis, aut contra facimus. Iure honorario obligamur ex his, quæ edicto perpetuo, uel à magiſtratu fieri præcipiuntur, uel fieri prohibẽtur.

Neceſſitate obligantur, quibus non licet aliud facere, quàm quod præceptum eſt: quod euenit in neceſſario hærede. Ex peccato obligamur, cum in facto ſumma quæſtionis conſtitit. Etiam nudus conſenſus ſufficit obligationi, quamuis uerbis hoc exprimi poſſit. Sed & nutu ſolo pleraq; conſiſtunt.

LII. IDEM.

PLura delicta in una re plures admittunt actiones: sed non posse omnibus uti, probatum est. nam si ex una obligatione plures actiones nascantur: una tantummodo, nō omnibus utendum est. Cum generaliter adiicimus, EI VE, AD QVEM EA RES PERTINEBIT, & adrogati, & eorum, qui iure nobis succedūt, personas comprehendimus.

LIII IDEM.

COntractus imaginarij etiam in emptionibus iuris uinculum non obtinent, cum fides facti simulatur, non intercedente ueritate.

LIIII. LABEO.

IN omnibus rebus, quæ dominium transferunt, concurrat oportet affectus ex utraq; parte contrahentium. nam siue ea uenditio, siue donatio, siue alia quælibet caussa contrahendi sit: nisi animus utriusq; consentit, perduci ad effectum, quod incohatur, non potest.

LV. POMPONIVS.

QVæcunq; actiones serui mei nomine mihi cœperunt competere, uel ex duodecim tabulis, uel ex lege Aquilia, uel iniuriarum, uel furti: eædem durant, etiam si seruus postea, uel manumissus, uel alienatus, uel mortuus fuerit. sed & condictio ex caussa furtiua competit: nisi si nactus possessionē serui aut alienauero, aut manumisero eū.

LVI. IDEM.

IN omnibus negocijs contrahendis: siue bona fide sint, siue nō sint: si error aliquis interuenerit, ut aliud sentiat (puta) qui emit, aut qui conduxit, aliud qui cum his contrahit: nihil ualet, quod acti est. & idem in societate quoq; coëunda respondendum est: ut si dissentiant, aliud alio existimante, nihil ualeat ea societas, quæ in consensu consistit

LVII. CALLISTRATVS.

SCiendum est ex omnibus caussis lites contestatas, & in hæredem si miles, q; successores transire.

LVIII. VENVLEIVS.

PVpillus mutuam pecuniam accipiendo ne quidem iure naturali obligatur.

LIX. VLPIANVS.

NVnq; actiones pœnales de eadē pecunia concurrentes alia aliam consumit. LX. SCAEVOLA.

PRocurator Seij admisit subscriptionē apud argentariū uasculariū in uerba infrascripta. Λόκιος Καλάνδιος ἐπέγνωμι. καθὼς πρόγεγραπται, ὅτι λοιπὰ παρ' ἡμῶν ὀφείλομενα. quæro, an Caium Seium obligare potuerit? Respondi. Seium, si alioquin obligatus non esset, non propterea quod ea scriptura, quæ proponeretur, interposita sit: obligatum

gatum esse. Seia cum salarium constituere uellet, ita epistolam emisit. Lucio Titio salutem. si eodem animo & eadem affectione circa me es, quo semper fuisti: ex continēti acceptis literis meis, distracta re tua, ueni. hic tibi, quàmdiu uiuam, præstabo annuos decē. scio enim, quod ualde me bene ames. Quæro, cum & rem suā distraxerit Lucius Titius, & ad eandē profectus sit, & ex eo cum ea sit: an ei ex his epistolis salarium annuum debeatur? Respondi. ex personis caussisq; eum, cuius notio sit, æstimaturum, an actio danda sit.

Finit Sexta pars digestorum.

SEQVITVR SEPTIMA ET VLTIMA PARS DIGESTORVM SEV PANDECTARVM.

DIGESTORVM SEV PANDECTARVM LIBER QVA-DRAGESIMVS QVINTVS.

DE VERBORVM OBLIGATIONIBUS. Tit. I.

I. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*



Stipulatio non potest confici, nisi utroq; loquente, & ideo neq; mutus, neq; surdus, neq; infans stipulationem contrahere possunt. nec absens quidē: quoniam exaudire inuicem debent. Si quis igitur ex his uult stipulari: per seruum præsentem stipuletur, & adquiret ei ex stipulatu actionem. Item si quis obligari uelit: iubeat, & erit QVOD IVSSV obligatus. Qui præsens interrogauit, si ante quàm responderetur, discessit: inutilem efficit stipulationem. si uero præsens interrogauit, & ante quàm responderetur, discessit, & reuerso responsum est: obligat. interuallum enim medium non uiciauit obligationem. Si quis ita interroget, DABIS? & responderit, QVID NI? is utiq; in ea caussa est, ut obligetur. contra si sine uerbis adnuisset. non tantū enim nō ciuiliter, sed nec naturaliter obligat̄, qui ita adnuit. & ideo recte dictum est, non obligari pro eo ne fideiussorem quidem. Si quis simpliciter interrogatus, sub conditione responderit, SI ILLVD FACTVM ERIT, DABO: non obligari eum constat. et si ita interrogatus, INTRA CALENDAS QVINTAS? responderit, DABO IDIBVS: æque non obligatur. non enim sic respondit, uti interrogatus est. & uersa uice si interrogatus sub conditione, responderit pure: dicendum erit, eum non obligari. Cum adiicitur aliquid, uel detrahitur obligationi: semper probandum est, uiciatam esse obligationē: nisi stipulatori diuersitas responsionis ilico placuerit. tunc enim alia stipulatio contracta esse uidetur.

Si stipulanti mihi decem, tu uiginti respondeas: non esse contractā obligationē, nisi in decē, constat. ex cōtrario quoq; si me uiginti interrog`nte, tu decē respondeas: obligatio, nisi in decem, nō erit cōtracta. licet eñ oporteat congruere summā: attamē manifestissimū est, uiginti & decē inesse. Sed & si mihi Pamphilū stipulanti, tu Pamphilū & Stichum responderis: Stichi adiectionem pro superuacuo habendam puto. nam si tot sunt stipulationes, quot sunt corpora: duæ sunt quodam modo stipulationes, una utilis, alia inutilis: neq; uiciatur utilis per hanc inuti

inutilem. Eadem, an alia lingua respondeatur: nihil interest. proin de si quis latine interrogauerit, & respõdeatur ei græce: dummodo cõgruenter respondeatur: obligatio constituta est. idem per contrarium. Sed utrum hoc usq; ad græcum sermonem tantũ protrahimus: an uero & ad alium, Pœnũ forte, uel Assyrium, uel cuius alterius linguæ, dubitari potest. & extat scriptura Sabini, sed & uerum patitur, ut omnis sermo contineat uerborum obligationem: ita tamen, ut uterq; alterius linguam intelligat, siue per se, siue per uerum interpretem.

II. PAVLVS *lib.* XXVII. *ad edictum.*

STipulationum quædam in dando, quædam in faciẽdo consistunt. Et harum omnium quædam partium præstationem recipiunt: ueluti cum decem dari stipulamur. quædam non recipiunt: ut in his, quæ natura diuisionem non admittunt: ueluti cum uiam, iter, actum stipulamur. quædã partis quidem dationẽ natura sui recipiunt, sed nisi tota dant̃, stipulationi satis nõ fit: ueluti cũ hominẽ generaliter stipulor, aut lancem, aut quodlibet uas. nam & si Stichi pars soluta sit, nondum in nulla parte stipulationis liberatio nata est: sed aut statim repeti potest, aut in pendenti est, donec alius detur. Eiusdem conditionis est hæc stipulatio, STICHVM AVT PAMPHILVM DARI? Ex his igitur stipulationibus ne hæredes quidem pro parte soluendo liberari possunt, quãdiu non eandem rem omnes dederint. non enim ex persona hæredum conditio obligationis immutatur. & ideo si diuisionem res promissa non recipit, ueluti uia: hæredes promissoris singuli in solidum tenentur. Sed quo casu unus ex hæredibus solidum præstiterit: repetitionem habebit à cohæredibus familiæ erciscundæ iudicio. Ex quo quidem accidere posse Pomponius ait, ut & stipulatoris uiæ uel itineris hæredes singuli in solidum habeant actionem. sed quidam hoc casu exstingui stipulationem putant, quia per singulos adquiri seruitus non potest. sed non facit inutilem stipulationem difficultas præstationis. Si tamen hominem stipulatus, cum uno ex hæredibus promissoris egero: pars duntaxat cæterorum obligationi supererit, ut exsolui possit. idemq; est, si uni ex hæredibus acceptò latum sit. idemq; est in ipso promissore, & in fideiussoribus eius, quod diximus in hæredibus.

Item & si in facto sit stipulatio, ueluti si ita stipulatus fuero, PER TE NON FIERI, NEQVE PER HAEREDEM TVVM, QVO MINVS MIHI IRE AGERE LICEAT? & unus ex pluribus hæredibus prohibuerit: tenentur quidem cohæredes eius, sed familiæ erciscundæ iudicio ab eo repetent, quod præstiterunt. hoc & Iulianus & Pomponius probant.

Contra autem, si stipulator decesserit, qui stipulatus erat, sibi hærediq; suo ire agere licere, & unus ex hæredibus eius prohibeatur: interesse

se dicemus, utrum in solidum stipulatio cõmittatur: an pro parte eius, qui prohibitus est. nam si pœna stipulationi adiecta sit: in solidum committetur. sed qui non sunt prohibiti, doli exceptione submouebuntur. si uero pœna nulla adposita sit: tunc pro parte eius tantũ, qui prohibitus est, committetur stipulatio.

III. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

IDem iuris est & in illa stipulatione, MIHI HAEREDI'QVE MEO HABERE LICERE? Sed hæc differentia illam habet rationem: quod ubi unus ex hæredibus prohibetur, non potest cohæres ex stipulatu agere, cuius nihil interest, nisi pœna subiecta sit. nam pœna subiecta efficit, ut omnibus committatur: quia hic non quærimus, cuius interfit. enimuero ubi unus ex hæredibus prohibet: omnes hæredes tenentur. interest enim prohibiti à nemine prohiberi.

IIII. PAVLVS *lib.* XII. *ad Sabinum.*

EAdem dicemus, & si dolũ abesse à te hæredeq; tuo stipulatus sim, & aut promissor aut stipulator pluribus hæredibus relictis decesserit. Cato libro decimoquinto scribit. pœna certæ pecuniæ promissa, si quid aliter factum sit: mortuo promissore: si ex pluribus hæredibus unus contra, quàm cautum sit, fecerit: aut ab omnibus hæredibus pœnam committi pro portione hæreditaria, aut ab uno pro portione sua. ab omnibus: si id factum, de quo cautum est, indiuiduum sit, ueluti ITER FIERI? quia quod in partes diuidi non potest, ab omnibus quodammodo factũ uideatur. at si de eo cautum sit, quod diuisionem recipiat, ueluti AMPLIVS NON AGI? tum eum hæredem, qui aduersus ea fecerit, pro portione sua solum pœnam cõmittere. & differentiæ hanc esse rationem, quod in priore casu omẽs commisisse uideantur: quod nisi in solidum peccari non potuerit illam stipulationem PER TE NON FIERI, QVO MINVS MIHI IRE AGERE LICEAT? Sed uideamus, ne non idem hic sit: sed magis idem, quod in illa stipulatione, TITIVM HAEREDEM'QVE EIVS RATVM HABITVRVM? nam hac stipulatione & solus tenebitur, qui nõ habuerit ratum: & solus aget, à quo fuerit petitum. idq; & Marcello uidetur: quãuis ipse dominus pro parte ratum habere non possit. Si is, qui duplam stipulatus est, decesserit pluribus hæredibus relictis: unusquisq; ob euictionem suæ partis pro portione sua habebit actionem. idemq; est in stipulatione quoq; fructuaria, & damni infecti, & ex operis noui nunciationem. restitui tamẽ opus ex operis noui nũciatione pro parte nõ potest. hæc utilitatis causa ex parte recepta sunt stipulatorum. ipsi autẽ promissori pro parte, neq; restitutio, neq; defensio contingere potest.

*als. præstari non potuerit, ut in illa stipulatione.

V. POMPONIVS. Stipu

STipulationum aliæ iudiciales sunt, aliæ prætoriæ, aliæ conuentionales, aliæ cõmunes prætoriæ & iudiciales. Iudiciales sunt, quæ duntaxat â mero iudicis officio proficiscuntur, ueluti de dolo cautio. Prætoriæ, quæ â mero prætoris officio proficiscuntur, ueluti damni infecti. prætorias autẽ stipulationes sic audiri oportet, ut in his contineantur etiam ædiliciæ. nam & hæ à iurisdictione ueniunt. Conuentionales sunt, quæ ex conuentione reorum fiunt: quarum totidem genera sunt, quot penè dixerim rerũ cõtrahendarum. nam & * ob ipsam uerborum obligationẽ fiunt, & pendent ex negocio contracto. Communes sunt stipulationes, ueluti rem saluam fore pupillo. nam & prætor iubet rem saluam fore pupillo caueri, & interdum iudex, si aliter ex pediri hæc res non potest. item duplæ stipulatio uenit â iudice aut ædilis edicto. Stipulatio autem est uerborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, daturum factumue se, quod interrogatus est, respondet. Satis acceptio est stipulatio, quæ ita obligat promissorem, ut adpromissores quoq; ab eo accipiantur: id est, qui idem promittant. satis aũt accipere dictum est eodẽ modo, quo satisfacere. nam quia id, quo quis cõtentus erat, ei præstabatur, satisfieri dictum est: & similiter quia tales, quibus contentus quis futurus esset, ita dabantur, ut uerbis obligarentur, satis accipi dictum est. Si sortem promiseris, & si ea soluta non esset, pœnam: etiam si unus ex hæredibus tuis portionem suã ex sorte soluerit: nihilominus pœna committetur, donec portio cohæredis soluatur. idemq; est de pœna ex compromisso, si unus paruerit, alter nõ paruerit sententiæ iudicis. sed â cohærede ei satisfieri debet. nec enim aliud in his stipulationibus sine iniuria stipulatoris constitui potest.

* al's. ipsæ ex uer. obligatione.

VI. IVLIANVS.

IS, cui bonis interdictum est, stipulando sibi adquirit: tradere uero, uel promittendo obligari nõ potest. & ideo nec fideiussor pro eo interuenire poterit, sicut nec pro furioso.

VII. IDEM.

IMpossibilis conditio, cum in faciendum concipitur, stipulationibus obstat: aliter, atq; si talis cõditio inferatur stipulationi, SI IN CAELVM NON ASCENDERIS. nam hæc utilis & præsens est, & pecuniam creditam continet.

VIII. PAVLVS.

IN illa stipulatione, SI CALENDIS STICHVM NON DEDERIS, DECEM DARE SPONDES? mortuo homine quæritur, an statim ante calendas agi possit? Sabinus & Proculus exspectandum diem actionis putant: quod est uerius. tota enim obligatio sub conditione & in diem collata est: & licet ad conditionem committi uideatur: dies tamen su-

pereſt. ſed cum eo, qui ita promiſit, SI INTRA CALENDAS DIGITO CAELVM NON TETIGERIM: agi ptinus poteſt. hæc & Marcellus probat.

IX. POMPONIVS.

SI Titius & Seius ſeparatim ita ſtipulati eſſent, FVNDVM ILLVM SI ILLI NON DEDERIS, MIHI DARE SPONDES? finem dandi alteri fore, quoad iudicium acciperetur: & ideo occupantis fore actionem.

X. IDEM.

HOc iure utimur, ut ex hac ſtipulatione, SI LVCIVS TITIVS ANTE CALENDAS MAIAS IN ITALIAM NON VENERIT, DECEM DARE SPONDES? non ante quidquam peti poſſit, quàm exploratum ſit ante eam diem in Italiam Titium uenire non potuiſſe, neq; uenisſe: ſiue eo uiuo, ſiue eo mortuo id acciderit.

XI. PAVLVS.

FIlius dum in ciuitate eſt, ſi ſtipuletur, patri reuerſo ab hoſtibus uidetur adquiſiſſe.

XII. POMPONIVS

SI ita ſtipulatus fuero, DECEM AVT QVINQVE DARE SPONDES? quinq; debentur. & ſi ita, CALENDIS IANVARIIS VEL FEBRVARIIS DARI SPONDES? perinde eſt, quaſi calendis Februarijs dari ſtipulatus ſim.

XIII. VLPIANVS.

QVi ante calendas proximas ſtipulatur, ſimilis eſt ei, qui calendis ſtipuletur.

XIIII. POMPONIVS.

SI ita ſtipulatus ſim abs te DOMVM AEDIFICARI? uel ſi hæredé meum damnauero inſulam ædificare: Celſo placet, non ante agi poſſe ex ea cauſſa, quàm tempus præteriſſet, quo inſula ædificari poſſet: nec fideiuſſores dati ante diem tenebuntur.

XV. IDEM.

ET ideo hæſitatur, ſi aliqua pars inſulæ facta ſit, deinde incendio conſumpta ſit: an integrum tempus compurandum ſit rurſus ad ædificandam inſulam: an uero reliquum duntaxat exſpectandũ, quod deerit. & uerius eſt, ut integrum ei detur.

XVI. IDEM.

SI Stichum aut Pamphilum mihi debeas, & alter ex his meus factus ſit ex aliqua cauſſa: reliquũ debetur mihi à te. Stipulatio huiuſmodi IN ANNOS SINGVLOS una eſt, & incerta, & perpetua: nó autem quemadmodum ſimile legatum morte legatarij finitur.

XVII. IDEM.

STipulatio non ualet, in rei promittendi arbitriũ collata cõditione.

XVIII. POMPONIVS.

Qui

QVibis idem promittit, ipso iure amplius, & semel non tenetur.

XIX. IDEM.

SI stipulatio facta fuerit, SI CVLPA TVA DIVORTIVM FACTVM FVERIT, DARI? nulla stipulatio est: quia contenti esse debemus pœnis legum: nisi & si stipulatio tantundem habeat pœnæ, quanta lege sit compræhensa.

XX. VLPIANVS.

HIusmodi stipulationes non sunt inutiles, QVOD TIBI TITIVS DEBET, CVM DEBITOR ESSE DESIERIT, DARE SPONDES? nam ualet stipulatio, quasi sub quauis alia conditione concepta.

XXI POMPONIVS.

SI diuortio facto ea, quæ nihil in dotem habeat, dotis nomine centum dari stipuletur: uel quæ centum duntaxat habeat, ducenta dotis nomine dari stipuletur: Proculus ait, si ducenta stipuletur, quæ centum habeat: sine dubio centum quidem in obligatione uenire, alia autem centum actione de dote deberi. dicendum itaq; est, etiam si nihil sit in dote, centum uenire tamen in stipulationem: sicuti cum filiæ, uel matri, uel sorori, uel alij cuilibet dotis nomine legaretur, utile legatū esset.

XXII. PAVLVS.

SI id, quod aurum putabam, cum æs esset, stipulatus de te fuero: teneberis mihi huius æris nomine: quoniam in corpore consenseri-mus. sed ex doli mali clausula tecum agam, si sciens me fefelleris.

XXIII. POMPONIVS.

SI ex legati caussa, aut ex stipulatu hominem certum mihi debeas: nō aliter post mortem eius teneberis mihi, quàm si per te steterit, quo minus uiuo eo eum mihi dares. quod ita fit, si aut interpellatus non dediſti, aut occidisti eum.

XXIIII. PAVLVS.

SEd si ex stipulatu Stichum debeat pupillus: non uidebitur per eum mora fieri, ut eo mortuo teneatur: nisi si tutore authore, aut solus tutor interpelletur.

XXV. POMPONIVS.

SI dari stipuler id, quod mihi iam ex stipulatu debeatur, cuius stipulationis nomine exceptione tutus sit promissor: obligabitur ex posteriore stipulatione: quia superior quasi nulla sit exceptione obstante.

XXVI. VLPIANVS.

GEneraliter nouimus, turpes stipulationes nullius esse momenti.

XXVII. POMPONIVS.

VEluti si quis homicidium uel sacrilegiū promittat se facturum. sed & officio quoq; prætoris continetur, ex huiusmodi obliga-

tionibus actiones denegari. Si ſtipulatus hoc modo fuero, SI INTRA BIENNIVM CAPITOLIVM NON ASCENDERIS, DARI? non niſi præterito biennio recte petam.

XXVIII. POMPONIVS.

SI rem tradi ſtipulamur: non intelligimus & proprietatem eius dari ſtipulatori, ſed tantum tradi rem.

XXIX. VLPIANVS.

SCire debemus in ſtipulationibus tot eſſe ſtipulationes, quot ſummæ ſunt: totq; eſſe ſtipulationes, quot ſpecies. ſecundum quod euenit, ut miſta una ſumma uel ſpecie, quæ non fuit in præcedenti ſtipulatione, nõ fiat nouatio, ſed efficiat* duas eſſe ſtipulationes. quamuis autem placuerit tot eſſe ſtipulationes, quot ſummæ: totq; eſſe ſtipulationes, quot res: tamen ſi pecuniam quis, quæ in conſpectu eius eſt, ſtipulatus ſit, uel aceruum pecuniæ: non tot ſunt ſtipulationes, quot numorum corpora, ſed una ſtipulatio. nam per ſingulos denarios ſingulas eſſe ſtipulationes, abſurdum eſt. Stipulationem quoq; legatorum conſtat unam eſſe: quamuis plura corpora ſint, uel plura legata. ſed & familiæ, uel omnium ſeruorum ſtipulatio una eſt. itemq; quadrigæ aut lecticariorum ſtipulatio una eſt. at ſi quis ILLVD ET ILLVD ſtipulatus ſit: tot ſtipulationes ſunt, quot corpora. Si à ſure hominẽ ſim ſtipulatus: quæſitũ eſt, an ſtipulatio ualeat? mouet quæſtionem, quod ſtipulatus hominem meum uideor. non ualet autem huiuſmodi ſtipulatio, ubi quis rem ſuam ſtipulatus eſt. & conſtat, ſiquidem ita ſtipulatus ſim, QVOD EX CAVSSA CONDICTIONIS DARE FACERE OPORTET? ſtipulationem ualere. ſi uero hominem dari ſtipulatus fuero: nullius momenti eſſe ſtipulationem. quod ſi poſtea ſine mora deceſſiſſe proponatur ſeruus: non teneri furem cõdictione, Marcellus ait. quàm diu enim uiuit, condici poterit. at ſi deceſſiſſe proponatur: in ea condictione eſt, ut euaneſcat condictio propter ſtipulationem.

*al's. diuerſas ſtipul.

XXX. IDEM.

SCiendum eſt generaliter, quod ſi quis ſcripſerit ſe fideiuſſiſſe: uideri omnia ſolenniter acta.

XXXI. POMPONIVS.

SI rem meam ſub conditione ſtipuler: utilis ſtipulatio eſt, ſi conditionis exiſtentis tempore mea non ſit.

XXXII. VLPIANVS.

SI in nomine ſerui, quem ſtipularemur dari, erratum fuiſſet, cum de corpore conſtitiſſet: placet ſtipulationem ualere.

XXXIII. POMPONIVS.

SI Stichus certo die dari promiſſus, ante diẽ moriatur: non tenetur promiſſor

Vlpia-

XXXIIII. VLPIANVS.

MVltum interest,utrum ego stipuler rem, cuius cõmercium habere non possum:an quis promittat. si stipuler rem, cuius commercium non habeo: inutilem esse stipulationem placet. si quis promittat rem, cuius commercium non habet:ipsi nocere,non mihi.

XXXV. PAVLVS.

SI stipuler,ut id fiat,quod natura fieri non concedit:non magis obligatio consistit,cꝫ cum stipulor,ut id detur, quod dari nõ potest:nisi per quẽ steterit,quo minus facere id possit. Item quod leges fieri prohibent,si perpetuam causſam seruaturum est,cessat obligatio:ueluti si sororẽ nupturam sibi aliquis stipuletur.quanꝯ etiam si non sit perpetua causſa (ut accidit in sorore adoptiua) idem dicendũ sit:quia statim cõtra mores fit. Si in locando,conducendo, uendendo, emendo ad interrogationẽ quis nõ responderit:si tamen consentiat in id,quod responsum est:ualet,quod actum est: quia hi contractus non tam uerbis, quàm consensu confirmantur.

XXXVI. VLPIANVS.

SI quis,cum aliter eum conueniſſet obligari, aliter per machinationem obligatus est: erit quidem subtilitate iuris obstrictus, sed doli exceptione uti potest.qui enim per dolũ obligatus est, competit ei exceptio. Idem est,& si nullus dolus interceſſerit stipulantis,sed ipsa res in se dolum habet.cum enim quis petat ex ea stipulatione:hoc ipso dolo facit,quod petit.

XXXVII. PAVLVS.

SI certos numos,puta qui in arca sunt,stipulatus sim,& hi sine culpa promissoris perierint:nihil nobis debetur.

XXXVIII. VLPIANVS.

STipulatio ista HABERE LICERE SPONDES? hõc continet, ut liceat habere: nec per quenquam omnino fiat, quo minus liceat nobis habere.quæ res facit,ut uideatur reus promisiſſe,per omnes futurum, ut tibi habere liceat. uidetur igitur alienum factum promisiſſe. nemo autem alienum factum promittendo obligatur: & ita utimur. sed se obligat,ne ipse faciat,quo minus habere liceat.obligatur etiam, ne hæres suus,uel quis cæterorum successorum efficiat,ne habere liceat. Sed si quis promittat per alium nõ fieri, præter hæredem suum: dicendum est, inutiliter eum promittere factũ alienum. at si quis uelit factum alienum promittere: pœnam, uel quanti ea res sit, potest promittere. sed quatẽnus habere licere uidebitur? si nemo controuersiam faciat:hoc est, neqꝫ ipse reus, neqꝫ hæredes eius, hæredumue successores. Si quis forte non de proprietate, sed de possessione nuda

controuersiam fecerit, uel de usufructu, uel de usu, uel de quo alio iure eius, quod distractum est: palam est committi stipulationem. habere enim non licet ei, cui aliquid minuitur ex iure, quod habuit.

Quæsitum est, utrum propriam demum rem, an & alienam promittere possit habere licere? & magis est, ut & aliena promitti possit. quæ res ita effectum habebit, si propria promissoris esse cœperit. quare si perseuerauerit alicna: dicendum erit stipulationem non committi, nisi pœna adiecta sit: cum neq; per eum, neq; per successorem eius quid quam factum sit. Sicut autem ex parte rei successores eius cum ipso tenentur: ita etiam ex parte actoris committitur stipulatio ipsi stipulatori, cæteriscq;, quicunq; ei succedunt, scilicet si rem ipsi habere non licuit. cæterum si alij habere non licuerit: certo certius est, non committi stipulationem. & nihil intererit, utrum ita stipuler, HABERE LICERE? an MIHI HABERE LICERE? Hi, qui sunt in aliena potestate, his, in quorum sunt potestate, habere licere stipulari possunt ea ratione, qua cætera quoq; his possunt stipulari. Sed si seruus fuerit stipulatus sibi habere licere: quæsitum est, an recte stipulatus uideatur? & ait Iulianus libro quinquagesimo secundo digestorum, si seruus stipuletur sibi habere licere: aut per se non fieri, quominus habere stipulatori liceat, promittat: stipulatio (inquit) non committitur: quamuis auferri res ei, & ipse auferre eandem possit. non enim factum, sed ius in hac stipulatione uertitur. cum uero stipulatur, per promissorem non fieri, quo minus sibi ire agere liceat? non ius stipulationis (inquit) sed factum uersatur. sed mihi uidetur: licet iuris uerba contineat hæc stipulatio HABERE LICERE? tamen sic esse accipiendam, ut in seruo & filiofamilias uideatur actum esse de possessione retinenda, aut non auferenda: & uires habet hæc stipulatio. Hæc quoq; stipulatio POSSIDERE MIHI LICERE SPONDES? utilis est. quam stipulationem an seruus possit utiliter in suam personam concipere, uideamus. sed quamuis iure ciuili seruus non possideat: tamen ad possessionem naturalem hoc referendum est. & ideo dubitari non oportet, quin & seruus recte ita stipuletur. planè si tenere sibi licere stipulatus sit seruus: utilem esse stipulationem conuenit. licet enim possidere ciuiliter non possit: tenere tamen eos nemo dubitat. HABERE dupliciter accipitur. nam & eum habere dicimus, qui rei dominus est: & eum, qui dominus quidem non est, sed tenet. deniq; habere rem apud nos depositã solemus dicere. Si quis ita stipulatus fuerit VTI FRVI SIBI LICERE? ad hæredẽ stipulatio ista nõ pertinet. sed & si non addiderit SIBI: non puto stipulationem de usufructu ad hæredem transire, eoq; iure utimur. sed si quis utifrui licere sibi hærediq; suo stipulatus sit: uideamus, an hæres ex stipulatu agere possit

possit.& putem posse,licet diuersi sint fructus.nam & si ire agere stipuletur sibi hæredíq; suo licere,idem probauerimus. Si quis dolum malum promissoris hæredisq; eius abesse uelit:sufficere ABESSE ABFVTVRVMQVE ESSE stipulari.si uero de plurium dolo cauere uelit: necessarium esse adiici, CVI REI DOLVS MALVS NON ABSIT, VEL NON ABFVERIT: QVANTI EA RES ERIT, TANTAM PECVNIAM DARI SPONDES? Suæ personæ adiungere quis hæredis personam potest.sed & adoptiui patris persona coniungi poterit. Inter incertam,certamq; diem discrimen esse,ex eo quoq; apparet,quod certa die promissum uel statim dari potest.totum enim mediũ tempus ad soluendũ liberum promissori relinquitur. at qui promisit, SI ALIQVID FACTVM SIT, uel CVM ALIQVID FACTVM SIT: nisi cum id factum fuerit,dederit:non uidebitur feciſſe,quod promisit. Alteri stipulari nemo potest,præterquàm si seruus domino,aut filius patri stipuletur. inuentæ enim sunt huiusmodi obligationes ad hoc, ut unusquisq; sibi adquirat,quod sua interest. cæterũ ut alij detur, nihil interest mea.plane si uelim hoc facere,pœnam stipulari conueniet:ut si ita factum non sit,ut comprehensum est:committatur stipulatio etiã ei,cuius nihil interest.pœnam enim cum stipulatur quis,non illud inspicitur, quid interfit,sed quæ sit quantitas,quæq; conditio stipulationis. In stipulationibus cum quæritur quid actum sit:uerba contra stipulatorem interpretanda sunt. Eum,qui ita dicat, MIHI DECEM ET TITIO DECEM: eadem decem,non alia decem dicere credendum est. Si stipuler alij,cum mea interfit: uideamus,an stipulatio committatur. & ait Marcellus,stipulationem ualere in specie huiusmodi. Is, qui pupilli tutelam adminiſtrare cœperat, cessit administratione contutori suo,& stipulatus est rem pupilli saluam fore.ait Marcellus,posse defendi, stipulationem ualere. interesse enim stipulatoris fieri, quod stipulatus est:cum obligatus futurus sit pupillo,si aliter res cesserit. Si quis insulam faciendam promiserit,aut cõduxerit,deinde ab alio quo insulã stipulatori fieri stipulatus sit: aut si quis, cum promisisset Titio fundum Mæuium daturum,& si is non dedisset, pœnam se daturum, stipulatus à Mæuio fuerit, FVNDVM TITIO DATVM IRI? item si quis locauerit id faciendum, quod ipse conduxerat: constat habere eum utilem ex locato actionem. Si quis ergo stipulatus fuerit, cum sua interesset ei dari: in ea erit causſa, ut ualeat stipulatio. unde & si procuratori meo dari stipulatus sim: stipulatio uires habebit. & si creditori meo: quia interest mea, ne uel pœna committatur, uel prædia distrahantur, quæ pignori data erant. Si quis ita stipulatus fuerit, ILLVM SISTES? nulla causſa est,cur non obligatio constet

ſtet. Aedem ſacram,uel locum religioſum ædificari, ſtipulari poſſumus.alioquin nec ex locato agere poſſumus.

XXXIX. PAVLVS.

DOminus ſeruo ſtipulando ſibi adquirit. ſed & pater filio, ſecundum quod leges permittunt.

XL. POMPONIVS.

SI filius meus ſeruo meo ſtipuletur,adquiritur mihi.

XLI. VLPIANVS.

EVm,qui calendis ianuarijs ſtipulatur,ſi adijciat PRIMIS, uel PROXIMIS: nullam habere dubitationem,palam eſt.ſed & ſi dicat SECVNDIS, uel TERTIIS,uel quibuslibet alijs : æque dirimit quæſtionem. ſi autem non addat,quibus:facti quæſtionē inducere, quid forte ſenſerit,hoc eſt,quid inter eos acti ſit. utiq; enim hoc ſequimur,quod actum eſt,eaſq; aſſumimus. ſi autem non appareat:dicendum eſt, quod Sabinus,primas calendas Ianuarias ſpectandas. planè ſi ipſa die calendarú quis ſtipulationem interponat, quid ſequemur? & puto actum uideri de ſequentibus calendis. Quoties autē in obligationibus dies non ponitur,præſenti die pecunia debetur:niſi ſi locus adiectus ſpaciū temporis inducat,quo illō poſſit peruenirí. uerum dies adiectus efficit,ne præſenti die pecunia debeatur. ex quo apparet diei adiectionem pro reo eſſe,non pro ſtipulatore.idem in idibus,& nonis probandum eſt,& generaliter in omnibus diebus.

XLII. PAPINIANVS.

QVi hoc anno,aut hoc menſe dari ſtipulatus ſit:niſi omnibus partibus anni,uel menſis præteritis,non recte peret.

XLIII. IVLIANVS.

SI quis arbitratu (puta) Lucij Titij ſibi reſtitui ſtipulatus eſt,deinde ipſe ſtipulator moram fecerit, quo minus arbitretur Titius: promiſſor,quaſi moram fecerit,non tenetur.quid ergo,ſi ipſe,qui arbitrari debuit,moram fecerit? magis probandum eſt,à perſona non eſſe recedendum eius,cuius arbitrium inſertum eſt.

XLIIII. PAVLVS.

ET ideo,ſi omnino non arbitretur,nihil ualet ſtipulatio:adeo,ut & ſi pœna adiecta ſit, ne ipſa quidem committatur.

XLV. VLPIANVS.

QVodcunq; ſtipulatur is,qui in alterius poteſtate eſt,pro eo habetur,ac ſi ipſe eſſet ſtipulatus. Sicuti cum morietur quis,ſtipulari poteſt:ita etiam hi,qui ſubiecti ſunt alienæ poteſtati,cum morientur,ſtipulari poſſunt. Si ita quis ſtipulatus ſit,POST MORTEM MEAM FILIAE MEAE DARI? uel ita POST MORTEM FILIAE MEAE MIhi dari

HI DARI? utiliter erit stipulatus. sed primo casu filiæ meæ utilis actio competit, licet hæres ei non existat. Non solum ita stipulari possumus, CVM MORIERIS: sed etiam, SI MORIERIS. nam sicuti inter hæc nihil interest, SI VENERIS, aut CVM VENERIS: ita & ibi nihil interest, SI MORIERIS, aut CVM MORIERIS. Filius dari patri stipulari uidetur, & si hoc non adijciat.

XLVI. PAVLVS.

CEntesimis calendis dari utiliter stipulamur: quia præsens obligatio est, in diem autem dilata solutio. Id autem, quod in facto est, in mortis tempus conferri non potest: ueluti, CVM MORIERIS, ALEXANDRIAM VENIRE SPONDES? Si ita stipulatus fuero, CVM VOLVERIS: quidam esse inutilem stipulationem aiunt. alij ita inutilem esse, si ante, quàm constituas, moriaris. quod uerum est. illam autem stipulationem SI VOLVERIS, DARI? inutilem esse constat.

XLVII. VLPIANVS.

QVi sic stipulat, QVOD TE MIHI ILLIS CALENDIS DARE OPORTET, ID DARE SPONDES? uidetur non hodie stipulari, sed sua die, hoc est calendis.

XLVIII. IDEM.

SI decem, cum petiero, dari fuero stipulatus: admonitionem magis quandam, quo celerius reddantur, & quasi sine mora, quàm conditionem habet stipulatio. & ideo licet decessero, prius quàm petiero: nõ uidetur defeciſſe conditio.

XLIX. PAVLVS.

CVm filiusfamilias Stichum dare sponponderit, & cum per eum staret, quo minus daret, Stichus decesserit: datur in patrem de peculio actio, quatenus manet filius ex stipulatu obligatus. at si pater in mora fuit: nõ tenebitur filius, sed utilis actio in patrem danda est. quæ omnia & in fideiussoris persona dicuntur. Si stipulatus sim PER TE NON FIERI, QVO MINVS MIHI IRE AGERE LICEAT, & fideiussorẽ accepero: si per fideiussorẽ steterit: neuter tenetur. si per promissorem: uterq;. In hac stipulatione NEQVE PER TE, NEQVE PER HAEREDEM TVVM FIERI? per hæredem uidetur fieri, quãuis absit, & ignoret, & ideo non facit, quod fieri ex stipulatu oportet. nõ uidetur autem per pupillũ stetisse ex huiusmodi stipulatione, SI PVPILLVS HAERES ERIT. Si promissor hominis ante diem, in quem promiserat, interpellatus sit, & seruus decesserit: non uidetur per eum stetisse.

L. VLPIANVS.

INilla stipulatione PER TE NON FIERI? hoc non significatur, nihil te facturum, quo minus facere possim: sed curaturum, ut facere

possim. Item in stipulatione emptæ hæreditatis, QVANTA PECVNIA AD TE PERVENERIT, DOLO'VE MALO TVO FACTVM EST, ERIT'VE, QVO MINVS PERVENIAT: nemo dubitabit, quin teneatur, qui id egit, ne quid ad se perueniret.

LI. IDEM.

IS, qui alienum seruum promisit, perducto eo ad libertatem, ex stipulatu actione non tenetur. sufficit enim, si dolo culpaue careat.

LII. IDEM.

IN conuentionalibus stipulationibus contractui formam cõtrahentes dant. enimuero prætoriæ stipulationes legẽ accipiunt de mente prætoris, qui eas proposuit. deniq; in prætorijs stipulationibus nihil immutare licet, neq; addere, neq; detrahere. Si quis uacuam possessionem tradi promiserit: non nudum factum hæc stipulatio continebit, sed caussam bonorum.

LIII. IVLIANVS.

STipulationes commodissimum est ita cõponere, ut quæcunq; specialiter comprehendi possunt, contineantur: doli autem clausula ad ea pertineat, quæ in præsentia occupari non possunt, & ad incertos casus.

LIIII. IDEM.

IN stipulationibus aliàs species, aliàs genera deducuntur. cum species stipulamur: necesse est inter dominos, & inter hæredes ita diuidi stipulationem, ut partes corporum cuiq; debeantur. Quoties autem genera stipulamur: numero fit inter eos diuisio. ueluti cum Stichum & Pamphilum quis stipulatus, duos hæredes æquis partibus reliquit: necesse est, utriq; partem dimidiam Stichi & Pamphili deberi. si idem duos homines stipulatus fuisset: singuli homines singulis hæredibus eius debentur. Operarum stipulatio similis est his stipulationibus, in quibus genera comprehenduntur. & ideo diuisio eius stipulationis non in partes operarum, sed in numerũ cedit. quod si unam operam seruus communis stipulatus fuerit: necesse est utriq; dominorum partem operæ tantam, quantam in seruo habuerit, petere. solutio autem eius obligationis expeditissima est, si æstimationem operæ malit libertus offerre: aut si cõsentiant patroni, ut his cõmuniter operæ edantur.

LV. IDEM.

CVm quis sibi aut Titio dari stipulatus est: soli Titio, non etiam successoribus eius recte soluitur.

LVI. IDEM.

EVm, qui ita stipulatur, MIHI ET TITIO DECEM DARE SPONDES? uerosimilius est, semper una decem communiter sibi & Titio

tio ſtipulari: ſicuti qui legat Titio & Sempronio, nō aliud intelligitur, quàm una decem communiter duobus legare. TE ET TITIVM HAEREDEM TVVM DECEM DATVRVM SPONDES? Titij perſona ſuperuacue comprehenſa eſt. ſiue enim ſolus hæres exſtiterit, in ſolidum tenebitur: ſiue pro parte, eodem modo, quo cæteri cohæredes eius, obligabitur. & quamuis conueniſſe uideatur, ne ab alio hærede, quàm à Titio peteretur: tamen inutile pactum conuentum cohæredibus eius erit. Qui ſibi aut filio ſuo dari ſtipulatur: manifeſte perſonam filij in hoc complectitur, ut ei recte ſoluatur. neq; enim intereſt, ſibi, aut extraneo cuilibet, an ſibi aut filio ſuo quis ſtipuletur. quare uel manente eo in poteſtate, uel emancipato filio recte ſoluitur. neq; ad rē pertinet, q̄d qui filio ſuo dari ſtipulat̄, ſibi adquirit: quia cōiuncta ſua perſona ſtipulator efficit, ut nō adquirēdæ obligatiōis gratia, ſed ſolutiōis cauſſa perſonā filij adprehendiſſe intelligat̄. q̄d ſi ſoli filio ſuo, qui in poteſtate ſua ſit, dari quis ſtipulatus ſit: nō recte filio ſuo ſoluet̄: quia filij perſona obligationi magis, q̄ ſolutioni adplicat̄. Qui ita ſtipulatur, DECEM, QVOAD VIVAM, DARE SPONDES? cōfeſtim decē recte dari petit: ſed hæres eius exceptione pacti cōuenti ſubmouendus eſt. nā ſtipulatorem id egiſſe, ne hæres eius peteret, palam eſt: quemadmodum is, qui calendas uſq; dari ſtipulatur, poteſt quidem etiam poſt calendas petere, ſed exceptione pacti ſubmouebitur. nam & hæres eius, cui ſeruitus prædij ita cōceſſa eſt, ut quoad uiueret, ius eundi haberet, pacti conuenti exceptione ſubmouebitur. Qui ita ſtipulatur, ANTE CALENDAS PROXIMAS DARE SPONDES? nihil differt ab eo, qui calendis dari ſibi ſtipulatur. Qui proprietatem ſine uſufructu habet, recte uſumfructum dari ſibi ſtipulatur. id enim in obligationem deducit, quod non habet, ſed habere poteſt. Si à te ſtipulatus fuero fundum Sempronianum, deinde eundem fundum detracto uſufructu ab alio ſtipuler: prior ſtipulatio non nouabitur: quia nec ſoluendo fundum detracto uſufructu liberaberis, ſed adhuc à te recte fundi uſumfructum petam. quid ergo eſt? cum mihi fundū dederis: is quoq; liberabitur, à quo detracto uſufructu fundum ſtipulatus fueram. Si hominem, quem à Titio pure ſtipulatus fueram, Seius mihi ſub conditione promiſerit, & is pendente cōditione poſt moram Titij deceſſerit: confeſtim cū Titio agere potero: nec Seius pendente conditione mihi obligatur. at ſi Titio acceptum feciſſem: Seius exiſtente conditione obligari poteſt. idcirco hæc tam uarie: quod homine mortuo, deſinit eſſe res, in quam Seius obligetur: acceptilatione interpoſita, ſupereſt homo, quem Seius promiſerat.

LVII. IDEM.

SI quis, si Titius consul factus erit, decem dari spoponderit: quamuis pendente conditione promissor moriatur, relinquet hæredem obligatũ. LVIII. PAVLVS.

QVi usumfructum fundi stipulatur, deinde fundum: similis est ei, qui partem fundi stipulatur, deinde totum: quia fundus dari nõ intelligitur, si ususfructus detrahitur. ex contrario qui fundum stipulatus est, deinde usumfructum: similis est ei, qui totum stipulatur, deinde partem. Sed qui actum stipulatur, deinde iter: posteriore stipulatione nihil agit: sicut & qui decẽ, deinde quinq; stipulatur, nihil agit. Item si quis fructum, deinde usum stipulatus fuerit: nihil agit, nisi in omnibus nouandi animo hoc facere specialiter expresserit. tunc enim priore obligatione exspirante, ex secunda introducitur petitio: & tam iter, q̃ usus, nec non quinq; exigi possunt.

LIX. IDEM.

QVoties in diem uel sub conditione oleum quis stipulatur: eius æstimationem eo tempore spectare oportet, quo dies obligationis uenit. tunc enim ab eo peti potest. alioquin rei captio erit.

LX. IDEM.

IDem erit, & si Capuæ certum olei pondus dari quis stipulatus sit. nam eius temporis fit æstimatio, cum peti potest. peti autem potest, quo primum in eũ locum peruenire poterit.

LXI. IVLIANVS.

STipulatio hoc modo concepta, SI HAEREDEM ME NON FECERIS, TANTVM DARE SPONDES? inutilis est: quia contra bonos mores est. LXII. IDEM.

SEruus, uetante domino, si pecuniam ab alio quo stipulatus sit: nihilominus obligat domino promissorem.

LXIII. AFRICANVS.

SI ita quis stipuletur, SIVE NAVIS EX ASIA VENERIT, SIVE TITIVS CONSVL FACTVS FVERIT: utra prius conditio exstiterit, stipulatio committitur, & amplius committi non potest. sed enim cũ ex duabus disiunctiuis conditionibus altera defecerit: necesse est, ut ea, quæ exstiterit, huiusmodi stipulationem committat.

LXIIII. IDEM.

HIusmodi stipulatio interposita est, SI TITIVS CONSVL FACTVS FVERIT, TVNC EX HAC DIE IN ANNOS SINGVLOS DENA DARE SPONDES? post triennium conditio exstitit. an huius temporis nomine agi possit, non immerito dubitabitur. Respondit, eam stipulationem utilem esse: ita, ut in ea eorum quoq; annorũ, qui ante impletam cõditionem interceserint, præstatio in id tempus collata

lata intelligatur: ut sententia eius talis sit, tunc cum Titius consul factus fuerit, in annos singulos, etiam præteriti temporis habita ratione, dena præstentur.

LXV. IVLIANVS.

QVæ extrinsecus & nihil ad præsentem actum pertinentia adiecteris stipulationi: pro superuacuis habebuntur, nec uitiabunt obligationem. ueluti si dicas ARMA VIRVM'QVE CANO. SPONDEO: nihilominus ualet. Sed & si in rei, quæ promittitur, aut personæ appellatione uarietur: nõ obesse placet. nam stipulanti denarios, eiusdem quantitatis aureos spondendo, obligaberis: & seruõ stipulanti Lucio domino suo, si Titio, qui idem sit, daturum te spondeas, obligaberis.

LXVI. PAVLVS.

SI minor uiginti annis à debitore suo stipuletur seruũ manumissurum: non est executio stipulationis danda. sed si ipsorũ uiginti annorũ erit: non impedietur manumissio: quia de minore lex loquitur.

LXVII. IVLIANVS.

ILla stipulatio, DECEM SALVA FORE PROMITTIS? ualet. Eum, qui decem dari sibi curari stipulatus sit, nõ posse decem petere, quòniã possit promissor reum locupletẽ dando liberari, Labeo ait. idq; & Celsus libro sexto digestorum scribit.

LXVIII. PAVLVS.

SI pœnã stipulatus fuero, si pecuniã non mihi credidisses: certa est & utilis stipulatio. quod si ita stipulatus fuero, PECVNIAM TE MIHI CREDITVRVM SPONDES? incerta est stipulatio: quia id uenit in stipulationem, quod mea interest.

LXIX. PAPINIANVS.

SI homo mortuus sisti non potest, nec pœna rei impossibilis committetur: quemadmodum si quis Stichum mortuum dare stipulatus, & si datus non esset, pœnam stipularetur.

LXX. IDEM.

MVlier, quæ dotem dederat populari meo Glabrioni Isidoro, fecerat eum promittere dotem, si in matrimonio decessisset, infanti, & decesserat constante matrimonio. placebat ex stipulatu actionem non esse: quoniam qui fari non poterat, nec stipulari poterat.

LXXI. IDEM.

CVm quid ut fiat, stipulamur pœnam, sic recte concipiemus, SI ITA FACTVM NON ERIT. cum quid ne fiat: sic, SI ADVERSVS ID FACTVM SIT.

LXXII. IDEM.

STipulationes non diuiduntur earum rerum, quæ diuisionem non

recipiunt:ueluti uiæ, itineris, actus, aquæductus, cæterarumq; seruitutum. Idem puto,& si quis faciendum aliquid stipulatus sit:utputa fundum tradi,uel fossam fodiri,uel insulam fabricari,uel operas,uel quid his simile.horum enim diuisio corrumpit stipulationem. Celsus tamē libro tricesimooctauo digestorum refert,Tuberonem existimasse:ubi quid fieri stipulemur,si non fuerit factum,pecuniam dari oportere.ideoq; etiam in hoc genere diuidi stipulationem. secundum quæ Celsus ait posse dici,iusta æstimatione facti dandam esse petitionem. Si quis ita stipulatus sit, SI ANTE CALENDAS MARTIAS PRIMAS OPVS PERFECTVM NON ERIT,TVM QVANTI ID OPVS ERIT, TANTAM PECVNIAM DARI? diem promissionis cedere, non ex quo locatū est opus,sed post calendas martias:quia nec conueniri ante calendas martias reus promittendi poterat. Planè si INSVLAM FVLCIRI quis stipulatus sit:non est exspectandum,ut insula ruat,ut sic deinde agi possit. nec si INSVLAM FIERI? ut tantum temporis prætereat,quanto insula fabricari possit.sed ubi iam cœperit mora faciendæ insulæ fieri:tūc agetur,diesq; obligationi cedet.

LXXIII. PAVLVS.

INterdum pura stipulatio ex re ipsa dilationem capit:ueluti si id, quod in utero est, aut fructus futuros,aut domum ædificari stipulatus sit. tunc enim incipit actio,cum ea per rerum naturam præstari potest.sic qui Carthagini dari stipulatur,cum Romæ sit:tacite tempus complecti uidetur,quo peruenire Carthaginem potest. Item si operas à liberto quis stipulatus sit:non ante dies earum cedit,quàm indictæ fuerint,nec sint præstitæ. Si seruus hæreditarius stipulatus sit:nullam uim habitura est stipulatio,nisi adita hæreditas sit,quasi conditionem habeat. idem est & in seruo eius,qui apud hostes est. Si Stichi promissor post moram offerēdo purgat moram: certe doli mali exceptio nocebit ei, qui pecuniam oblatam accipere noluit.

LXXIIII. PAVLVS.

STipulationum quædam certæ sunt,quædam incertæ. Certum est, quod ex ipsa pronunciatione apparet,quid,quale, quantum sit. ut ecce aurei decem,fundus Tusculanus,homo Stichus,tritici Africi optimi modij centum,uini Campani optimi amphoræ centum.

LXXV. VLPIANVS.

VBi autem nō apparet,quid, quale, quātumq; in stipulatione est: incertam esse stipulationem dicendum est. ergo si quis fundum sine propria appellatione,uel hominē generaliter sine proprio nomine,aut uinum frumentumue sine qualitate dari sibi stipulatur:incertū deducit in obligationem. usq; adeo,ut si quis ita stipulatus sit, TRITICI Africi

AFRICI BONI MODIOS CENTVM: VINI CAMPANI BONI AMPHORAS CENTVM? incertum uideatur ſtipulari: quia bono melius inueniri poteſt. quo fit, ut boni appellatio non ſit certæ rei ſignificatiua: cum id, quod bono melius ſit, ipſum quoq; bonum ſit. at cum optimũ quis ſtipulatur: id ſtipulari intelligitur, cuius bonitas principalem gradum bonitatis habet. quæ res efficit, ut ea appellatio certi ſignificatiua ſit.

Fundi certi ſi quis uſumfructum ſtipulatus fuerit: incertum intelligitur in obligationem deduxiſſe. hoc enim magis iure utimur. Illud dubitationem recipit: ſi quis id, quod ex ea ancilla natum erit: aut fructus, qui in fundo Tuſculano nati erunt, dari ſibi ſtipulatus ſit: an incertum ſtipulatus uideatur. ſed ipſa natura manifeſtiſſimum eſt, incerti eſſe hanc ſtipulationem. ſed qui uinum, aut oleum, uel triticum, quod in horreo eſt, ſtipulatur: certum ſtipulari intelligitur. Qui uero â Titio ita ſtipulatur, QVOD SEIVS DEBET, DARE SPONDES? & qui ita ſtipulatur, QVOD EX TESTAMENTO MIHI DEBES, DARE SPONDES? incertum in obligationem deducit, licet Seius debeat certum, uel ex teſtamẽto certum debeatur: quamuis iſtæ ſpecies uix ſeparari poſſint ab ea, quam propoſuimus de uino, uel oleo, uel tritico, quod in horreo repoſitum eſt. & adhuc occurrit, quod fideiuſſores certum uideantur promittere: ſi modo & is, pro quo obligentur, certũ debeat: cum alioquin & ita interrogentur, ID FIDE TVA ESSE IVBES? Qui id, quod in faciendo aut non faciendo conſiſtit, ſtipulatur: incertum ſtipulari uidet. in faciendo: ueluti foſſam fodiri, domum ædificari, uacuam poſſeſſionem tradi. in non faciendo: ueluti per te non fieri, quo minus mihi per fundum tuum ire agere liceat: per te non fieri, quo minus hominem mihi Erotem habere liceat. Qui illud aut illud ſtipulatur, ueluti decem uel hominem Stichum? utrum certum, an incertum deducat in obligationem, non immerito quæritur. nam & res certæ deſignantur: & utra earum potius præſtanda ſit, in incerto eſt. ſed utcunq; is ſibi electionem conſtituit adiectis his uerbis, VTRVM EGO VELIM: poteſt uideri certum ſtipulatus: cum ei liceat, uel hominem tantum, uel decem tantum intendere ſibi dari oportere. qui uero ſibi electionem non conſtituit: incertum ſtipulatur. Qui ſortem ſtipulatur, & uſuras quaſcunq; certum & incertum ſtipulatus uidetur: & tot ſtipulationes ſunt, quot res. Hæc ſtipulatio FVNDVM TVSCVLANVM DARI? oſtendit ſe certi eſſe: continetq;, ut dominium omnimodo efficiatur ſtipulatoris quoquo modo.

LXXVI. PAVLVS.

SI ſtipulatus fuerim, ILLVD AVT ILLVD, QVOD EGO VOLVERO? hæc electio perſonalis eſt; & ideo ſeruo, uel filio talis electio non co-

hæret

hæret. in hæredes tamen transit obligatio,etiam ante electionẽ mortuo stipulatore. Cum stipulamur, QVIDQVID TE DARE FACERE OPORTET: id duntaxat,quod præsenti die debet, in stipulationẽ deducitur:nõ ut in iudicijs etiã futurũ.& ideo in stipulatione adijcitur uerbum OPORTEBIT, uel ita PRAESENS IN DIEM VE. hoc ideo fit:quia qui sic stipulatur, QVIDQVID TE DARE FACERE OPORTET: demonstrat eã pecuniã,quæ iam debetur.quod si totã demonstrare nult: dicit OPORTET OPORTEBIT VE, uel ita PRAESENS IN DIEM VE.

LXXVII. IDEM.

AD diem sub pœna pecunia promissa, & ante diem mortuo promissore,committetur pœna,licet non sit hæreditas eius adita.

LXXVIII. IDEM.

SI filiusfamilias sub conditione stipulatus,emancipatus fuerit,deinde exstiterit conditio:patri actio competit: quia in stipulationibus id tempus spectatur,quo contrahimus. Cum fundum stipulatus sum: non ueniunt fructus,qui stipulationis tempore fuerunt.

LXXIX. VLPIANVS.

SI procuratori præsentis fuerit cautum: ex stipulatu actionem utilẽ domino competere nemo ambigit.

LXXX. IDEM.

QVoties in stipulationibus ambigua oratio est:commodissimum est id accipi,quo res,de qua agitur,in tuto sit.

LXXXI. IDEM.

QVoties quis alium sibi promittit,nec adijcit pœnã (puta,uel seruum suum,uel hominem liberum) quæritur:an committatur stipulatio? & Celsus ait:& si non est huic stipulationi additũ, NISI STETERIT, POENAM DARI? id,quanti interest sisti, contineri. & uerum est,quod Celsus ait.nam qui alium sisti promittit,hoc promittit, id se acturum,ut stet. Si procurator sisti aliquem sine pœna stipulatus sit:potest defendi,non suam,sed eius,cuius negocium gessit,utilitatem in eam rem deduxisse,idq; fortius dicendũ est, & si QVANTI EA RES EST stipulatio proponatur procuratoris.

LXXXII. IDEM.

NEmo rem suam utiliter stipulatur,sed precium rei suæ non inutiliter. sanè rem meam mihi restitui recte stipulari uideor. Si post moram promissoris homo decesserit:tenetur nihilominus perinde,ac si homo uiueret:& hic moram uidetur fecisse,qui litigare maluerit, quàm restituere.

LXXXIII. PAVLVS.

INter stipulantem & promittentem negocium cõtrahitur.itaq; alius pro

pro alio prõmittens daturum facturumue eum, nõ obligatur. nam de se quenq; promittere oportet. & qui spondet dolum malum abesse absuturumue esse: non simplex abnutiuum spondet, sed curaturum se, ut dolus malus abſit. Idemq; in illis stipulationibus HABERE LICERE. item NEQVE PER TE, NEQVE PER HAEREDEM TVVM FIERI, QVO MINVS FIAT. Si Stichum stipulatꝰ de alio sentiã, tu de alio: nihil actũ erit. quod & in iudicijs Aristo existimauit. sed hic magis est, ut is petitus uideatur, de quo actor senserit. nam stipulatio ex utriusq; consensu ualet: iudicium autem etiam in inuitum redditur. & ideo potius actori credendum est. alioquin semper negabit reus se consensisse.

Si stipulante me Stichum aut Pamphilum, tu unum daturum te spo ponderis: constat non teneri te, nec ad interrogatum esse responsum. diuersa causa est summarum: ueluti DECEM AVT VIGINTI DARE SPONDES? hic enim & si decem spoponderis, recte responsum est: quia semper in summis id, quod minus est, sponderi uidet̃. Item si ego plures res stipuler, Stichum (puta) & Pamphilum: licet unum spopõderis, teneris. uideris enim ad unam ex duabus stipulationibus respondisse.

Sacram rem, uel religiosam, uel usibus publicis in perpetuum relictã (ut forum, aut basilicã) aut hominem liberum inutiliter stipulor: quãuis res sacra profana fieri, aut usibus publicis relicta in priuatos usus reuerti, & ex libero seruus fieri possit. nam & cum quis rem profanam, aut Stichum dare promisit: liberatur, si sine facto eius res sacra esse cœperit, aut Stichus ad libertatem peruenerit. nec reuocatur in obligationem, si rursus lege aliqua & res sacra profana esse cœperit, & Stichus ex libero seruus effectus sit: quoniam una atq; eadem causa & liberandi & obligandi sit, & quod aut dari nõ possit, aut dari possit. nam & si nauẽ, quã spopõdit, dominus dissoluisset, & ijsdẽ tabulis cõpegisset: quia eadem nauis esset: inciperet obligari. Pro quo & illud dici posse Pedius scribit. si stipulatus fuero ex fundo centum amphoras uini, exspectare debeã, donec nascatur. & si natum sine culpa promissoris consumptũ sit: rursum exspectare debeã, donec iterũ nascatur, & dari possit. & per has uices aut cessaturã, aut ualiturã stipulationem. Sed hæc dissimilia sunt. adeo eñ cũ liber homo pmissus est, seruitutis tempus spectandũ nõ est, ut ne hæc quidẽ stipulatio de homine libero pbanda sit, ILLVM, CVM SERVVS ESSE COEPERIT, DARE SPONDES? item EVM LOCVM, CVM EX SACRO RELIGIOSO'VE PROFANVS ESSE COEPERIT, DARE SPONDES? quia nec præsentis obligationẽ tẽporis recipere potest: & ea duntaxat, quæ natura sui possibilia sunt, deducunt̃ in obligationẽ. uini aũt non speciẽ, sed genus stipulari uidemur, & tacite in ea tempus cõtinetur. hõ liber certa specie continet̃: & casum aduersam q;

fortunam ſpectari hominis liberi,neq; ciuile, neq; naturale eſt. nam de his rebus negocium recte gerimus,quæ ſubijci uſibus dominioq; noſtro ſtatim poſſunt.& nauis ſi hac mente reſoluta eſt,ut in alium uſum tabulæ deſtinarentur:licet mutato conſilio perficiatur: tamen & peremptа prior nauis,& hæc alia dicēda eſt.ſed &ſi reficiendæ nauis cauſſa omnes tabulæ refixæ ſint:nondum intercidiſſe nauis uidetur:& compoſitis rurſus tabulis,eadem nauis eſſe incipit. ſicuti de ædibus depoſita tigna ea mente,ut reponantur, ædium ſunt.ſed ſi uſq; ad aream depoſita ſint:licet eadem materia reſtituatur,alia erit. Hic tractatus etiã ad prætorias ſtipulationes pertinet, quibus de reſtituenda re cauetur, & an eadem res ſit,quæritur. Si rem, quam ex cauſſa lucratiua ſtipulatus ſum,nactus fuero ex cauſſa lucratiua: euaneſcit ſtipulatio. ſed & ſi hæres exſtitero domino,exſtinguitur ſtipulatio. Si uero à me hærede defunctus eam legauerit:poteſt agi ex ſtipulatu. Idemq; eſt, & ſi ſub conditione legata ſit:quia &ſi ipſe debitor rem ſub conditione legatam dediſſet,non liberaretur.ſed ſi conditione deficiente remanſerit:petitio infirmabitur. Stichum,qui deceſſerit,ſi ſtipuler:ſiquidē condici etiam poteſt mortuus ut furi:utiliter me ſtipulatum Sabinus ait.ſi uero ex alijs cauſſis:inutiliter:quia & ſi deberetur,morte promiſſor liberaretur. Idem ergo dicetur, & ſi mora facta defunctum ſtipularer. Si quis ancillam ſiſtere ſe aliquo in loco promiſerit, quæ prægnans erat:& ſi ſine partu eam ſiſtat: in eadem cauſſa eam ſiſtere intelligitur.

LXXXIIII. IDEM.

SI inſulam fieri ſtipulatus ſim,& tranſierit tempus,quo potueris facere:quàmdiu litem conteſtatus non ſim:poſſe te facientem liberari placet.quod ſi litem iam conteſtatus ſim:nihil prodeſſe tibi,ſi ædifices.

LXXXV. IDEM.

IN exſecutione obligationis ſciendum eſt quatuor cauſſas eſſe. nam interdum eſt aliquid,quod à ſingulis hæredibus diuiſim cõſequi poſſumus:aliud,quod totum peti neceſſe eſt, nec diuiſim præſtari poteſt. aliud,quod pro parte petitur,ſed ſolui niſi totum non poteſt:aliud,qđ ſolidum petendum eſt,licet in ſolutionē admittat partis exſecutionē.

Prima ſpecies pertinet ad promiſſorem certæ pecuniæ.nam & petitio & ſolutio ad portiones hæreditarias ſpectant. Secunda ad opus, quod teſtator fieri iuſſerit.nam ſinguli hæredes in ſolidum tenentur: quia operis effectus in partes ſcindi non poteſt. Quod ſi ſtipulatus fuero, PER TE HAEREDEM'VE TVVM NON FIERI, QVO MINVS EAM AGAM? SI ADVERSVS EA FACTVM SIT, TANTVM DARI? & unus ex pluribus hæredibus promiſſoris me ,phibeat:uerior eſt ſententia,exiſtimantium unius facto omnes teneri:quoniam licet ab uno

prohi

prohibeor,non tamẽ in partẽ prohibeor. ſed cæteris familiæ erciſcundæ iudicio ſarciet damnũ. Pro parte peti,ſolui autẽ niſi totum nõ poteſt: ueluti cum ſtipulatus ſum hominem incertũ.nam petitio eius ſcinditur,ſolui uero,niſi inſolidum,non poteſt. alioquin in diuerſis hominibus recte partes ſoluerentur. quod non potuit defunctus facere: ne quod ſtipulatus ſum, *conſequar. Idem iuris eſt, & ſi quis decẽ aut homipem promiſerit. In ſolidum uero agi oportet,& partis ſolutio adfert liberationem,cum ex cauſſa euictionis intendimus.nam auctoris hæredes in ſolidum denunciandi ſunt,omnesq; debent ſubſiſtere,& quolibet defugiente omnes tenebuntur:ſed unicuiq; pro parte hæreditaria præſtatio iniungit̃. Item ſi ita ſtipulatio facta ſit, SI FVNDVS TITIANVS DATVS NON ERIT, DARI CENTVM? niſi totus detur, pœna cõmittitur centum:nec prodeſt partes fundi dari ceſſante una:quẽadmodum non prodeſt ad pignus liberandum partem creditori ſolute. Quicunq; ſub conditione obligatus curauit,ne conditio exiſteret:nihilominus obligatur.

*al's. non conſ.

LXXXVI. VLPIANVS.

QVod dicitur,tot ſtipulationes eſſe,quot res:ibi locum habet,ubi res exprimuntur ſtipulatione.cæterum ſi non fuerint expreſſæ: una eſt ſtipulatio.

LXXXVII. PAVLVS.

NEmo rem ſuam futuram in eum caſum,quo ſua ſit, utiliter ſtipulatur.

LXXXVIII. IDEM.

MOra rei fideiuſſori quoq; nocet. ſed ſi fideiuſſor ſeruũ obtulerit, & reus morã fecerit: mortuo Sticho fideiuſſori ſuccurrẽdũ eſt. ſed ſi fideiuſſor hominem occiderit:reus liberatur,fideiuſſor aũt ex ſtipulatione conueniri poteſt.

LXXXIX. IDEM.

SIa colono,cui fundum in quinquennium locaueram,poſt tres annos ita ſtipulatus fuero,QVIDQVID TE DARE FACERE OPORTET? nõ amplius in ſtipulationẽ deducitur,quàm quod dari iam oportet.ſi aũt adiiciatur,OPORTEBIT'VE: etiã futura obligatio deducitur.

XC. POMPONIVS.

CVm ſtipulati ſumus pro uſuris legitimis pœnã in ſingulos menſes,ſi ſors ſoluta non ſit:etiam ſi ſortis obligatio in iudicium ſit deducta: adhuc tamen pœna creſcit: quia uerum eſt pecuniam ſolutam non eſſe.

XCI. PAVLVS.

SI ſeruum ſtipulatus fuero,& nulla mora intercedente ſeruus deceſſerit

ſerit:ſiquidem occidat eum promiſſor:expeditum eſt. Si aũt negligat infirmũ,an teneri debeat promiſſor quærẽtibus, cõſiderandũ eſt,utrũ quemadmodum in uindicatione hominis, ſi neglectus à poſſeſſore fuerit,culpæ huius nomine tenetur poſſeſſor,ita & cum dari promiſit:an culpa(quod ad ſtipulationem attinet)in faciendo accipienda ſit, an nõ faciendo.quod magis probandum eſt: quia qui dare promiſit,ad dandum,non faciendum tenetur. ſed ſi ſit quidem res in rebus humanis, ſed dari non poſſit:ut fundus religioſus(puta)uel ſacer factus,uel ſeruus manumiſſus,uel etiam ab hoſtibus ſi capiatur: culpa in hunc modum dijudicatur,ut ſiquidem ipſius promiſſoris res,uel tempore ſtipulationis,uel poſtea fuerit, & quid eorum acciderit: nihilominus teneatur. Idemq; fiet,& ſi per alium poſtea,quàm ab hoc alienatus ſit, id contigerit.Si autem alienus fuerit,& ab alio tale quid acciderit: nõ tenetur: quia nihil fecit:niſi poſtea,quàm moratus eſt ſolutionem, aliquid huiuſmodi acciderit.quam diſtinctionem & Iulianus ſequitur. Item ſi homo,qui fuit promiſſoris,ex præcedenti cauſſa ablatus ei fuerit,qđ ſtatuliber fuerit:perinde habendus eſt,ac ſi alienũ promiſiſſet: quia ſine facto ipſius deſijt eius eſſe. De illo quæritur,an & is,qui neſciens ſe debere occidit,teneatur.quòd Iulianus putat in eo,qui cum neſciret à ſe petitum codicillis,ut reſtitueret,manumiſit. Sequitur uidere de eo,quod ueteres conſtituerunt,quoties culpa interuenit debitoris, perpetuari obligationem, quemadmodum intelligendum ſit. & quidem ſi fecerit promiſſor,quo minus ſoluere poſſit:expeditum intellectum habet conſtitutio.ſi uero moratus ſit tantum:hæſitatur,an ſi poſtea in mora non fuerit,exſtinguat ſuperior mora.& Celſus adoleſcẽs ſcribit eum,qui moram fecerit in ſoluendo Sticho, quẽ promiſerat, poſſe emendare eam moram poſtea offerendo. hanc eñ quæſtionem eſſe de bono & æquo:in quo genere plerumq; ſub authoritate iuris ſcientiæ pernicioſe(inquit) erratur. & ſané probabilis eſt hæc ſententia, quam quidem & Iulianus ſequitur.nam cum quæritur de damno, & par utriuſq; cauſſa eſt:quare non potentior ſit,qui tenet, quàm qui petit ſequitur? Nunc uideamus,in quibus perſonis hæc conſtitutio locum habeat.quæ inſpectio duplex eſt:ut primo quæramus,quæ perſonæ efficiant perpetuam obligationem:deinde quibus eam producãt. utiq; autem principalis debitor perpetuat obligationẽ. acceſſiones autem,an perpetuent,dubiũ eſt. Pomponio perpetuari placet. quare eñ facto ſuo fideiuſſor ſuam obligationem tollat? cuius ſententia uera eſt. itaq; perpetuatur obligatio tam ipſorum,quàm ſucceſſorum ſuorum perſona.acceſſionibus quoq; ſuis,id eſt fideiuſſoribus,perpetuant obligationem:quia in totam cauſſam ſpoponderunt. An filiusfamilias,qui

as,qui iussu patris promiserit,occidendo seruum producat patris obligationem, uidendum est. Pomponius producere putat,scilicet qua si accessionem intelligens eum,qui iubeat. Effectus huius constitutionis ille est,ut adhuc homo peti possit.sed & acceptum ei posse ferri creditur,& fideiussorem accipi eius obligationis nomine. nouari aũt an possit hæc obligatio,dubitationis est:quia neq; hominem, qui non est, neq; pecuniam,quæ nõ debeẽ,stipulari possumus. & ego puto nouationem fieri posse,si hoc actum inter partes sit,quod Iuliano placet.

XCII. IDEM.

SI ita stipuler, PER TE NON FIERI, QVO MINVS MIHI, HAEREDI QVE MEO VINDEMIAM TOLLERE LICEAT? etiam hæredi datur actio.

XCIII. IDEM.

SI sic stipulatus fuero, PER TE NON FIERI, QVO MINVS HOMINEM EX HIS, QVOS HABES, SVMAM? electio mea erit.

XCIIII. IDEM.

TRiticum dare oportere stipulatus est aliquis. facti quæstio est,non iuris.igit̃ si de aliquo tritico cogitauerit, id est certi generis,& certæ quantitatis:id habebitur pro expresso.alioquin si cum destinare genus & modum uellet,non fecerit:nihil stipulatus uidetur,ne igitur unũ quidem modium.

XCV. IDEM.

QVi insulam fieri stipulatur, ita demum adquirit obligationem, si appareat, quo in loco fieri insulam uoluerit, & ibi insulam fieri eius interfit.

XCVI. IDEM.

QVi seruum mihi ex stipulatu debebat,si in facinore eũ depræhenderit:impune eum occidet,nec utilis actio erit in eũ cõstituenda.

XCVII. CELSVS.

SI ita stipulatus fuero TE SISTI? ET NISI STITERIS, HIPPOCENTAVRVM DARI? perinde erit,atq; si TE SISTI? solũmodo stipulatus essem. Possum utiliter à te ita stipulari, NOMINE TITII TE SOLVTVRVM? neq; enim hoc simile est illi TITIVM DATVRVM? sed ex ea stipulatione, dũ interest mea,agere possum.& ideo si locuples sit Titius:nihil ex hac stipulatione consequi possum.quid enim mea interest id à te fieri, quod si nõ feceris,æque saluam pecuniam habiturus sum? SI TIBI NVPSERO, DECEM DARE SPONDES? caussa cognita denegandam actionẽ puto, nec raro probabilis caussa huius stipulationis est.Idem si uir à muliere eodem modo non in dotem stipulatus est.

XCVIII. MARCELLVS.

EXistimo posse id,quod meum est, sub conditione stipulari:item uiam ad fundum posse,quanquam interim fundus non sit meus. aut si hoc uerum non est,& alienum fundum sub conditione stipulato fuero,isq; ex lucratiua caussa meus esse cœperit:confestim perimetur stipulatio.& si fundi dominus sub conditione uiam stipulatus fuerit: statim fundo alienato euanescet stipulatio:& maxime secundum illorum opinionem,qui etiam ea,quæ recte constiterint, resolui putant, cum in eum casum reciderunt,à quo non potuissent consistere. Ex hac stipulatione INSVLAM FVLCIRI SPONDES? quando nascat actio, quæritur.& utiq; non est exspectandum,ut ruat.nec enim nihil stipulatoris interest, fultam potius esse, quàm non esse.nec tamen recte ageet, si nondũ præterierit tantum temporis,quo fulcire potuerit redẽptor.

XCIX. CELSVS.

QVidquid adstringendæ obligationis caussa est,id nisi palam uerbis exprimat̃,omissum esse intelligendũ est. ac ferè secundũ promissorem interpretamur:quia stipulatori liberum fuit uerba late concipere.nec rursum promissor ferendus est, si eius interierit,de certis potius uasis forte,aut hominibus actum esse. Si stipulatus hoc modo fuero, SI INTRA BIENNIVM CAPITOLIVM NON ASCENDERIS DARI? non nisi præterito biennio recte petam. nam &si ambigua uerba sunt:sic tamen exaudiuntur,si immutabiliter uerum fuit, te capitolium non ascendisse.

C. MODESTINVS.

CONditio in præteritũ,non tantũ in præsens tempus relata, statim aut perimit obligationem,aut omnino non differt.

CI. IDEM.

PVberes sine curatoribus suis possunt ex stipulatu obligari.

CII. IDEM.

VEnditores emptori pro euictione cauerant, quanti eius interesset:specialiter se agnituros,si in lite mota sumptus fecissent:& emptori stipulanti promiserant.post mortem emptoris unus ex uenditoribus ad iudicium uocauit,precium sibi deberi dicẽs,hæredes eius. qui sumptus in defensione caussæ factos (cum probarent precium solutũ fuisse)ex stipulatione petebant. Modestinus respõdit. si eas impensas uenditores promisissent, quæ ob litem de proprietate institutam factæ essent: minime ex stipulatu peti posse,quod erogatũ esset,dum alter ex uenditoribus precium,quod iam fuerat exsolutum,petit.

CIII. IDEM.

LIber homo in stipulatum deduci non potest:quia nec dari oportere intendi,nec æstimatio eius præstari potest: non magis,quàm si quis

quis dari stipulatus fuerat mortuum hominem, aut fundum hostium.

CIIII. VENVLEIVS.

CVm seruus pecuniam pro libertate pactus sit, & ob eam rem reũ dederit: quamuis seruus ab alio manumissus est: reus tamen recte obligabitur: quia non quæritur, à quo manumittatur, sed ut manumittatur.

CV. IDEM.

STipulatus sum DAMAM AVT EROTEM SERVVM DARI? cũ Damãm dares, ego quo minus acciperẽ, in mora fui. mortuus est Dama. an putes me actionem ex stipulatu habere? Respondit. secundum Masurij Sabini opinionem puto te ex stipulatu agere non posse. nam is recte existimabat, si per debitorem mora non esset, quo minus id, qd debebãt, solueret: continuo eum debito liberari.

CVI. IDEM.

QVi ex pluribus fundis, quibus idem nomen impositum fuerat, unum fundum sine ulla nota demonstrationis stipulatur, incertum stipulatur, id est eum fundum stipulatur, quem promissor dare uoluerit. tamdiu autem uoluntas promissoris in pendenti est, quàmdiu id, quod promissum est, soluatur.

CVII. IDEM.

VTrum turpem talem stipulationẽ putes, an non, quæro. pater naturalis filium, quem Titius habebat in adoptionem, hæredẽ instituit, si patria potestate esset liberatus. pater eum adoptiuus nõ aliàs emancipare uoluit, quàm si ei dedisset, à quo stipularetur certam summam, si eum manumisisset: & post emancipationem adijt hæreditatẽ filius. petit nunc pecuniam pater ex stipulatione supra relata. respondi non turpem esse caussam stipulationis, utpote cum aliter filiũ emancipaturus non fuerit: nec potest uideri iniusta caussa stipulationis, si aliquid adoptiuus pater habere uoluerit, propter quod à filio post emancipationem magis curaretur.

CVIII. IDEM.

A Titio ita stipulatus sum, SI QVA MIHI NVPSERIT, DECEM DOTIS EIVS NOMINE DARE SPONDES? quærebatur, an constat talis stipulatio? Respondit. si stipulanti mihi dos ita promissa est, QVAMCVNQVE VXOREM DVXERO, DOTIS EIVS NOMINE DECEM DARE SPONDES? nihil in ea caussa est, quare ea pecunia cõditione expleta non debeatur. nam cum conditio etiam ex incertæ personæ facto párere obligationẽ possit: ueluti SI QVIS IN CAPITOLIVM ASCENDERIT, DECEM DARE SPONDES? SI QVIS A ME DECEM PETIERIT, TOT DARE SPONDES? cur non idem & in dote promissa respondeatur, ratio reddi non potest. Nulla promissio potest consistere

ſtere,quæ ex uoluntate promittentis ſtatum capit.

CIX. POMPONIVS.

SI ita ſtipulatus fuero, DECEM AVT QVINDECIM DABIS? decem deb ẽtur. Item ſi ita, POST ANNVM AVT BIENNIVM DABIS? poſt bienniũ debentur: quia in ſtipulationibus id ſeruatur, ut quod minus, quodq; longius eſt, uideatur in obligationem deductum.

CX. IDEM.

SI mihi & Titio, in cuius poteſtate non ſim, ſtipuler decem: non tota decem, ſed ſola quinq; mihi debẽtur. pars enim aliena in obligatione deducitur: ut quod extraneo inutiliter ſtipulatus ſum, non augeat meam partem. Si ſtipulatus fuero de te VESTEM TVAM, QVAE CVNQVE MVLIEBRIS EST, DARE SPONDES? magis ad mẽtem ſtipulantis, quàm ad mentem promittentis id referri debet: ut quid in ea re ſit, æſtimari debeat, non quid ſenſerit promiſſor. Itaq; ſi ſolitus fuerat promiſſor muliebri quadam ueſte uti: nihilominus debebitur.

CXI. IDEM.

SI ſtipulatus fuero PER TE NON FIERI, QVO MINVS MIHI ILLA DOMO VTI LICEAT? an etiam ſi me non prohibeas, uxorẽ autem meam prohibeas, uel contra uxore mea ſtipulata me prohibeas: an committatur ſtipulatio? & ſatius eſt hæc uerba ſic accipi. nam & ſi ſtipulatus fuero, PER TE NON FIERI, QVO MINVS MIHI VIA, ITINERE, ACTV. VTI LICEAT? & non me, ſed alium nomine meo ingredientem prohibeas: ſciendum erit committi ſtipulationem.

CXII. IDEM.

SI quis ſtipulatus ſit Stichum aut Pamphilũ, utrum ipſe uellet: quẽ elegerit, petet, & hic erit ſolus in obligatione. an autem mutare uoluntatem poſſit, & ad alterius petitionem tranſire, quærentibus: reſpiciendũ erit ſermo ſtipulationis, utrum ne talis ſit, QVEM VOLVERO, an QVEM VOLAM. nam ſi talis fuerit QVEM VOLVERO: cũ ſemel elegerit, mutare uoluntatem non poterit. ſi uero tractum habeat ſermo illius, & ſit talis QVEM VOLAM: donec iudicium dictet, mutandi poteſtatem habebit. Si quis ita ſtipulatus fuerit, PRO CENTVM AVREIS SATISDABIS? & reum dederit in iſtam ſummam: Proculus ait, ſemper in ſatiſdationis ſtipulationẽ uenire, quod intereſſet ſtipulantis: ut aliàs tota ſors ineſſet, ueluti ſi idoneus promiſſor nõ eſſet: aliàs minus, ſi in aliquid idoneus eſſet debitor: aliàs nihil, ſi tam locuples eſſet, ut noſtra non interſit, ſatis ab eo accipere: niſi quod plerũq; idonei non tam patrimonio, quàm fide quoq; æſtimarentur.

CXIII. PROCVLVS

CVm ſtipulatus ſim mihi Procule, ſi opus arbitratu meo ante calendas

lendas Iunias effectum nō sit,pœnam,& protulerim diem:putas'ne ue re posse me dicere,arbitratu meo opus effectū non esse ante calendas Iunias,cum ipse arbitrio meo aliā diem operi laxiorem dederim? Proculus respondit. non sine caussa distinguendum est:interesse,utrū per promissorem mora non fuisset,quo minus opus ante calēdas Iunias (ita ut stipulatione compræhensum erat) perficeretur:an tunc, cū iam opus effici nō posset ante calendas Iunias, stipulator diem in calendas Augusti protulisset. nam si tūc diem stipulator protulit,cum iam opus ante calendas Iunias effici nō poterat: puto pœnam esse commissam. nec ad rem pertinere,quod aliquod tempus ante calendas Iunias fuit, quo stipulator non desiderauit id ante calendas Iunias effici: id est qđ non est arbitratus,ut fieret,quod fieri non poterat. at si hoc falsum est: etiam si stipulator pridie calendas Iunias mortuus esset,pœna cōmissa non esset:quoniam mortuus arbitrari non potuisset,& aliquod tēpus post mortem eius operi perficiendo superfuisset.& propèmodum,etiam si ante calēdas Iunias futurum esse cœpit, opus ante eam diem effici non posse, pœna commissa est. Cum uenderet aliquis, promisit emptori fideiussores præstare,& rem uenditam liberare.quæ ut libere tur,nunc desiderat emptor:& in mora est is,qui ea stipulatione id futurum promisit. quæro, quid iuris sit? Proculus respōdit.tanti litem æstimari oportet,quanti actoris interest.

CXIIII. VLPIANVS.

SI fundum certo die præstari stipuler, & per promissorem steterit, quo minus ea die præstetur:consecuturū me,quanti mea interfuit moram factam non esse.

CXV. PAPINIANVS.

ITa stipulatus sum, TE SISTI IN CERTO LOCO? SI NON STITERIS, QVINQVAGINTA AVREOS DARI SPONDES? si dies in stipulatione per errorem omissus fuerit,cum id ageretur, ut certo die sisteres:imperfecta erit stipulatio non secus,ac si quod pondere, numero,mensura continetur,sine adiectione ponderis,numeri,mensuræ stipulatus essem:uel insulam ædificari,non demonstrato loco:uel fundū dari,non adiecto nomine.qđ si ab initio id agebatur,ut quocunq; die sisteres, & si non stitisses, pecuniam dares: quasi quælibet stipulatio sub conditione concepta uires habebit:nec ante committetur, quàm fuerit declaratū reum promittendi sisti nō posse.Sed & si ita stipulatus fuero, SI IN CAPITOLIVM NON ASCENDERIS, VEL ALEXANDRIAM NON IERIS, CENTVM DARI SPOMDES? non statim committitur stipulatio,quamuis capitoliū ascendere,uel Alexandriam peruenire potueris:sed cum certū esse cœperit,te capitolium ascendere,uel Alexan

driam ire nón posse. Item si quis ita stipuletur, SI PAMPHILVM NON DEDERIS, CENTVM DARE SPONDES? Respondit Pegasus, non ante committi stipulationem, quàm desiisset posse Pamphilus dari. Sabinꝰ autem existimabat, ex sententia contrahentium, postquàm homo potuisset dari, confestim agendũ: & tamdiu ex stipulatione non posse agi, quàmdiu per promissorem non stetisset, quo minus eum daret: idq; defendebat exemplo penus legatæ. hæredem etenim, si dare potuisset penum, nec dedisset: confestim in pecuniam legatam teneri scripsit. idq; utilitatis caussa receptum est ob defuncti uoluntatem, & ipsius rei natura. Itaq; potest Sabini sententia recipi, si stipulatio non à conditione cœperit: ueluti SI PAMPHILVM NON DEDERIS, DARI TANTVM SPONDES? sed ita cõcepta sit, PAMPHILVM DARE SPONDES? SI NON DEDERIS, TANTVM DARI SPONDES? quod sine dubio uerum erit, cum id actũ probatur: ut si homo datus non fuerit, & homo & pecunia debeatur. sed & si ita cautum sit, ut sola pecunia nõ soluto homine debeatur, idem defendendum erit: quoniam uoluntas fuisse probatur, ut homo soluatur, aut pecunia petatur.

CXVI. IDEM.

DEcem stipulatus à Titio, postea quãto minus ab eo cõsequi posses, si à Mæuio stipuleris: sine dubio Mæuius uniuersũ periculũ potest subire. sed & si decem petieris à Titio: Mæuius non erit solutus, nisi iudicatũ Titius fecerit. PAVLVS notat. non enim sunt duo rei Titius & Mæuius eiusdem obligationis: sed Mæuius sub conditione debet, si à Titio exigi non poterit. igitur nec Titio cõuento Meuius liberatur, quia an debiturus sit, incertũ est: & soluente Titio nõ liberatur Mæuius, qui nec tenetur, cum conditio stipulationis deficit: nec Mæuius pendente stipulationis conditione recte potest conueniri. à Mæuio enim ante Titium excussum non recte petetur.

CXVII. IDEM.

SI centũ homines, quos ego hæresúe meus elegisset, stipulatus, anteq; elegerim, duos heredes reliquero: numero diuiditur stipulatio. diuersum erit, si iam electis hominibus successerint.

CXVIII. IDEM.

LIber homo, qui mihi bona fide seruit, quod stipulanti mihi promittit: propé est, ut oñimodo sit utile, quamuis ex re mea promittat. nam quid aliud dici potest, quo minus liber homo teneatur? nec tamẽ ideo, si stipulanti eidem ex eadem causa spondeã, tenebor. quẽadmodũ enim habebit eius actionẽ aduersus me, quod ab alio stipulatus quæreret mihi? hoc itaq; látere fructuario seruo uel alieno, qui bona fide seruit, comparabitur. seruus autem fructuario si promittit ex re ipsius: uel alienus

alienus, qui bona fide seruit, emptori: nulla de peculio dabitur in domi num actio. nam in his casibus domini esse intelliguntur. DECEM HODIE DARE SPONDES? dixi posse uel eodem die pecuniã peti: nec uideri præmaturius agi, nõ finito stipulatiõis die, quod in alijs tem poribus iuris est. nam peti non debet, quod intra tempus compræhen sum solui potest. in proposito enim diem non differendæ actionis gra tia insertum uideri, sed quo præsens ostendatur responsum est. DE CEM MIHI AVT TITIO, VTRVM EGO VELIM, DARE SPON DES? ex eo, quod mihi dandũ est, certi stipulatio est: ex eo, quod illi sol uendũ, incerti. finge mea interesse Titio potius, quàm mihi solui: quo niam pœnam promiseram, si Titio solutum non fuisset.

CXIX. IDEM.

DOli clausula, que in stipulationibus subijcitur, non pertinet ad eas partes stipulationis, de quibus nominatim cauetur.

CXX. IDEM.

SI ita stipulatus fuero, HANC SVMMAM, CENTVM AVREO RVM DARI SPONDES? & si maxime ita exaudiatur ille sermo, SI MODO CENTVM AVREORVM EST: nõ facit cõditionẽ hæc adiectio: quoniã si centũ non sint, stipulatio nulla est. nec placuit instar habere conditionis sermonẽ, qui non ad futurum, sed ad præsens tem pus refertur, & si contrahentes rei ueritatem ignorent.

CXXI. IDEM.

EX ea parte cautionis, DOLVM'QVE MALVM HVIC REI PRO MISSIONI'QVE ABESSE ABFVTVRVM'QVE ESSE, IS STIPVLA TVS EST, SPOPONDIT ILLE. incerti agetur stipulationis utiliter inter ponendæ gratia. Mulier ab eo, in cuius matrimonio conueniebat, stipulata fuerat ducenta, si concubinæ tempore matrimonij cõsuetu dinẽ repetisset. nihil caussæ esse, cur ex stipulatione, quæ ex bonis mori bus concepta fuerat, mulier impleta conditione pecuniam adsequi nõ possit. In insulam deportato reo promittendi, stipulatio ita cõcepta CVM MORIERIS, DARI? non nisi moriente eo, cõmittitur. Ex facto rei promittendi doli stipulatio hæredẽ eius tenet, sicut ex cæteris alijs contractibus: ueluti mandati, depositi.

CXXII. SCAEVOLA *lib.* XX. *digestorum.*

QVi Romæ pecuniã mutuam acceperat soluendam in longinqua prouincia post menses tres, eamq; ibi dari stipulanti spoponde rat: post paucos dies Romæ testatò creditori dixit, paratũ se esse Ro mæ eam numerare, detracta ea summa, quam creditori suo usurarũ no mine dederat. quæsitũ est, cũ in integrũ summã, in quã stipulatiõe obli gatus est, obtulerit: an eo loco, in quo soluenda promissa est, sua die in

tegra peti possit? Respondit. posse stipulatorē sua die ibi, ubi soluendā stipulatus esset, petere. Callimachus mutuam pecuniam nauticam accepit à Sticho seruo Seij in prouincia Syria in ciuitate Beryto usque Brentesium: idq; creditum esse in omnes nauigij dies ducentos sub pignoribus & ex hypothecis mercibus à Beryto comparatis, & Brentesium perferendis, & quas Brentesio empturus esset, & per nauem Beryto inuecturus: conuenitq; inter eos, uti cum Callimachus Brentesium perueniisset, inde intra idus septembres, quæ tunc proximæ futuræ essent, alijs mercibus emptis & in nauem missis, ipse in Syriam per nauigium proficiscatur. aut si intra diem suprascriptam nō reparasset merces, nec enauigasset de ea ciuitate: redderet uniuersam cōtinuo pecuniam, quasi perfecto nauigio, & præstaret sumptus omnes persequentibus eam pecuniam, uti in urbem Romam eam deportarent: eamq; sic recte dari fieri fide roganti Sticho seruo Lucij Titij promisit Callimachus. sed cum ante idus suprascriptas secundum conuentionem mercibus in nauem impositis, cum Erote conseruo Stichi, quasi in prouinciam Syriam peruenturus enauigauerit: quæsitum est, naue submersa, cum secūdum cautionem Callimachus merces *Beryto perferendas, in nauem misisset eo tempore, quo iam pecuniam Brentesio reddere Romæ perferendam deberet: an nihil prosit Erotis consensus, qui cum eo missus erat, cuiq; nihil amplius de pecunia suprascripta post diem conuentionis permissum uel mandatum erat, quàm ut eam receptam Romā perferret: & nihilominus actione ex stipulatu Callimachus de pecunia domino Stichi teneatur? Respondit. secundum ea, quæ proponerentur, teneri. Item quæro, si Callimacho post diem suprascriptam nauiganti Eros suprascriptus seruus consenserit: an actionem domino suo semel adquisitam adimere potuerit? Respondit. non potuisse: sed fore exceptioni locum, si seruo arbitrium datum esset, eam pecuniam quocunq; tempore in quemuis locum reddi. Flauius Hermes hominem Stichū manumissionis caussa donauit, & ita de eo stipulatus est. si homo Stichus, de quo agitur, quem hac die tibi donationis caussa manumissionisq; dedi, à te hæredeq; tuo manumissus uindictaq; liberatus non erit: quod dolo malo meo nō fiat: pœnæ nomine quinquaginta dari stipulatus est Flauius Hermes, spopondit Claudius. quæro, an Flauius Hermes Claudium de libertate Stichi conuenire possit? Respondit. nihil proponi, cur non possit. Item quæro, an si Flauij Hermetis hæres à Claudij hærede pœnam suprascriptam petere uoluerit: an Claudij hæres libertatem Sticho præstare possit, ut pœna liberetur? Respōdi posse. Item quæro, an si Flauij Hermetis hæres cū Claudij hærede ex caussa suprascripta nolit agere: an nihilominus Sticho libertas ex conuentione

*als. Beritum perferens in naue mansisset eo.

tione,quæ fuit inter Hermetem & Claudium(ut ſtipulatione ſupraſcripta oſtenditur)ab hærede Claudij præſtari debeat? reſpondit.debere.

Cohæredes cum prædia hæreditaria diuiſiſſent,unum prædiũ commune reliquerunt ſub hoc pacto:ut ſi quis eorum partem ſuam alienare uoluiſſet,eam uel cohæredi ſuo uel eius ſucceſſori uenderet centum nigintiquinq; quod ſi quis aliter feciſſet:pœnam centum inuicem ſtipulati ſunt.quæro,cum cohæres mulier cohæredis liberorum tutores ſæpius teſtatò conuenerit,& deſiderauerit,ut ſecundum conuentionẽ aut emerent,aut uenderent,hiſq; nihil tale fecerint:an ſi mulier extero uendiderit,pœna ab ea centum exigi poſſit? reſpondit. ſecundum ea, quæ proponerentur,obſtaturam doli mali exceptionem. Agerius filiusfamilias ſeruo Publij Mæuij ſtipulanti ſpopondit,ſe daturũ,quid quid patrem ſuum Publio Mæuio debere cõſtitiſſet.quæſitum eſt,patre defuncto ante,quàm conſtitiſſet,quid quantumq; deberet: an ſi aduerſus hæredem eius actum fuiſſet,aliumúe ſucceſſorem, & de debito conſtitiſſet, Agerius teneatur? Reſpondit. ſi conditio non exſtitiſſet: ſtipulationem non eſſe cõmiſſam. Seia hæres unius tutoris cũ hærede pupillæ tranſactione ſolo pacto facto, maiorem partem ſoluit, in reſiduã cauit:ſed illico negauit hæres ſe tranſactionem ſeruare, & apud iudicem tutelæ egit, & uictus prouocauit ad cõpetentem iudicẽ: ſed & ab eo ad principem idem prouocauit,& iniuſta quoq; hæc prouocatio eius pronunciata eſt.quæſitum eſt,cum per hæredem pupillæ mora interceſſerit,quominus pecunia in ſtipulationem deducta,ab hærede tutoris ſolueretur,nec unquam petierit:an ei hodie debeantur uſuræ ab hærede tutoris? Reſpondit.ſi Seia non ceſſaſſet ex ſtipulatione pecuniam offerre,iure uſuras non deberi. Duo fratres hæreditatem inter ſe diuiſerunt,& ſibi cauerũt,nihil ſe contra eam diuiſionẽ facturos:& ſi contra quis feciſſet,pœnã alter alteri promiſit. poſt mortem alterius, qui ſuperuixit,petijt ab hæredibus eius hæreditatem,quaſi ex cauſſa fideicommiſſi ſibi à patre relicti debitam:& aduerſus eum pronunciatũ eſt, quaſi de hoc quoq; tranſactũ fuiſſet.quæſitũ eſt, an pœna cõmiſſa eſſet? Reſpondit.pœnam ſecundũ ea,quæ proponerentur,cõmiſſam.

CXXIII. PAPINIANVS.

SI flagicij faciendi uel facti cauſſa concepta ſit ſtipulatio: ab initio non ualet.

CXXIIII. IDEM.

INSVLAM INTRA BIENNIVM ILLO LOCO AEDIFICARE SPONDES? ante finem bienniſ ſtipulatio non committitur: quamuis reus promittendi non ædificauerit, & tantum reſidui temporis ſit, quo ædificium exſtrui non poſſit.neq; enim ſtipulationis ſtatus,cuius dies

certus in exordio fuit, ex post facto mutatur. Idq; & in stipulatione iudicio sistendi caussa facta placuit: scilicet ut ante diem stipulatio non committatur, si certum esse cœperit, paréri stipulationi residuo tempore non posse.

CXXV. PAVLVS.

CVm stipulatur QVIDQVID TE DARE FACERE OPORTET: nihil aliud in stipulationem deducitur, quàm quod præsenti die debetur. hoc enim solum hæc stipulatio demonstrat.

CXXVI. IDEM.

SI ita stipulatus fuero, SI TITIVS CONSVL FACTVS FVERIT: TVNC EX HAC DIE IN ANNOS SINGVLOS DENA DARE SPONDES? post triennium conditione existente, triginta poterunt peti. Titius à Mæuio fundum detracto usufructu stipulatus est, & ab eodem eiusdé fundi usumfructũ. duæ sunt stipulationes: & minus est in eo usufructu, quem per se quis promisit, quàm in eo, qui proprietatem comitatur. deniq; si ille usumfructum dederit, eumq; stipulator nõ utendo amiserit: tradendo postea fundum detracto usufructu liberabitur. Non idem contingit ei, qui fundum pleno iure promisit, & usumfructũ dedit, deinde amisso eo proprietatem sine usufructu tradidit. ille eiñ liberatus est dando usumfructum, hic in nulla parte obligationis exoneratur, ni si pleno iure fundũ effecerit stipulatoris. Chrysogonus Flauij Candidi seruus actor scripsi coram subscribente & adsignante domino: accepisse eum à Iulio Zosa agente rem Iulij Quintiliani absentis mutua denaria mille. quæ dari Quintiliano hærediue eius, ad quem ea res pertinebit, calendis nouembris, quæ proximæ sunt futuræ, stipulatus est Zosas libertus, & rem agens Quintiliani: spopondit Flauius Candidus dominus meus. & die suprascripta si satis eo nomine factũ nõ erit: tunc quo post soluetur, usurarum nomine denarios octo præstari, stipulatus est Iulius Zosas: spopondit Flauius Candidus dominus meus, subscripsitq;. Respondi. per liberam personam, quæ neq; iuri nostro subiecta est, neq; bona fide nobis seruit, obligationem nullam adquire re nobis possumus. Planè si liber homo nostro nomine pecuniam daret uel suam uel nostram, ut nobis solueretur: obligatio nobis pecuniæ creditæ adquireretur. sed quod patrono libertus dari stipulatus est, inutile est: ut nec ad solutionem proficiat adiectio absentis, cui principaliter obligatio quærebatur. Superest, ut quæramus, an ex numeratione ipse, qui contraxit, pecuniam creditam petere possit. nam quoties mutuam pecuniam dantes eandem stipulamur: non duæ obligationes nascuntur, sed una uerborum. planè si præcedat numeratio, sequatur stipulatio: non est dicendum, recessum à naturali obligatione. Sequens stipula

ſtipulatio,in qua ſine adiectione nominis uſuras ſtipulatus eſt, non eodem uicio laborat.neq; enim maligne accipiendum eſt,eidem ſtipulatum uſuras,cui & ſortem,uideri.ideoq; in liberti perſona ualet ſtipulatio uſurarum,& cogitur ea patróno cedere.plerunq; enim in ſtipulationibus uerba,ex quibus obligatio oritur,inſpicienda ſunt.raro ineſſe tẽpus uel conditionem ex eo,quod agi apparebit,intelligendum eſt:perſonam nunquã, niſi expreſſa ſit. Si ita ſtipulatus fuero,TE SISTI? ET NISI STITERIS, ALIQVID DARI? quod promittenti impoſſibile eſt:detracta ſecunda ſtipulatione,prior manet utilis: & perinde erit, ac ſi te ſiſti ſtipulatus eſſem.

CXXVII. SCAEVOLA.

SI pupillus ſine tutoris authoritate Stichum promittat,& fideiuſſorem dederit,ſeruus autem poſt moram à pupillo factam decedat: nec fideiuſſor erit propter moram pupilli obligatus.nulla enim intelligitur mora ibi fieri,ubi nulla petitio eſt. eſſe autem fideiuſſorem obligatũ ad hoc,ut uiuo homine conueniatur,uel ex ſua mora poſtea.

CXXVIII. PAVLVS.

SI duo rei ſtipulandi ita exſtitiſſent,ut alter utiliter,alter inutiliter ſtipularetur:ei,qui non habet promiſſorem obligatum, non recte ſoluitur:quia non alterius nomine ei ſoluitur, ſed ſuæ obligationis,quæ nulla eſt. Eadem ratione qui Stichum aut Pamphilum ſtipulatur,ſi in unum conſtiterit obligatio,quia alter ſtipulatoris erat:etiam ſi deſierit eius eſſe,non recte ſoluitur:quia utraq; res ad obligationẽ ponitur, non ad ſolutionẽ.

CXXIX. SCAEVOLA.

SI quis ita ſtipulatus fuerit DECEM AVREOS DABIS, SI NAVIS VENERIT, ET TITIVS CONSVL FACTVS SIT? non aliàs dabitur, q̃ ſi utrunq; factum ſit. idem in contrarium, DARE SPONDES SI NEC NAVIS VENERIT, NEC TITIVS FACTVS CONSVL SIT? exigendum erit,ut neutrum factum ſit.huic ſimilis ſcriptura eſt, SI NEQVE NAVIS VENIT, NEQVE TITIVS CONSVL FACTVS EST? at ſi ſic, DABIS, SI NAVIS VENERIT, AVT TITIVS CONSVL FACTVS SIT? ſuffi cit unum factum. & contra DABIS, SI NAVIS NON VENERIT, AVT TITIVS CONSVL FACTVS NON SIT? ſufficit unum non factum eſſe.

CXXX. PAVLVS.

QVod dicitur,patrem filio utiliter ſtipulari,quaſi ſibi ille ſtipuleť: hoc in his uerũ eſt, quæ iuris ſunt,quæq; adquiri patri poſſunt. alioquin ſi factum conferatur in perſonam filij: inutilis erit ſtipulatio. ueluti VT TENERE EI,uel IRE AGERE LICEAT? cõtra autem filius etiam ut ire agere patri liceat, ſtipulando adquiret ei. imò & quod in ſuam perſonam conferre non poteſt,hoc patri adquiret.

Scæuola

CXXXI. SCAEVOLA.

IVlianus scripsit. si ne per te neq; per hæredem tuum Titiũ fiat, quo minus mihi ire liceat? stipuler: non solum Titium teneri, & prohibeat, sed etiam cohæredes eius. Qui fundum sibi aut Titio dari stipulatur: quamuis fundus Titio traditus sit, nihilominus petere fundũ potest, ut sibi de euictione promittatur. nam interest eius, quia mandati actione fundum recepturus sit à Titio. sed si donationis causſa Titium interposuit: dicetur traditione protinus reum liberari.

CXXXII PAVLVS.

QVidam cum filium alienum susciperet, tradenti promiserat certam pecuniæ quantitatem, si eum aliter, quàm ut filium, obseruasset. quæro, si postmodum eum de domo pepulerit, uel moriens nihil ei testamento reliquerit: an stipulatio cõmittatur? & an quid interſit, utrum filius, an alumnus, uel cognatus agẽtis fuerit? Præterea quæro, si filiũ suũ quis legitime in adoptionem dederit, & ita (ut suprascriptum est) stipulatio interceſſerit, eum'q; pater adoptiuus exhæredauerit uel emancipauerit: an stipulatio committatur? Respondi. stipulatio utilis est in utroq; casu. igitur si contra conuentionem factum sit: committetur stipulatio. Sed uideam9 primũ in eo, qui legitime adoptauit, an possit committi, si eum exhæredauerit, uel emancipauerit. hæc enim pater circa filium solet facere. igitur non aliter eum, quàm ut filiũ, obseruauit. ergo exhæredatus de inofficioso aget. quid ergo dicemus, si & meruit exhæredari & emancipari? planè & hoc remedio carebit. Quare sic debet interponi stipulatio, ut si eum emancipasſet uel exhæredasſet, certum quid promitteret. quo tamen casu commissa stipulatione, potest quæri, an exhæredato permittendum sit de inofficioso dicere, maxime si patri naturali hæres extitisſet: & an uicto deneganda sit ex stipulatu actio? sed & si ei, qui stipulatus est, non debuit denegari uicto filio: nec ipsi deneganda erit debitæ pecuniæ exsecutio. In eo autem, qui non adoptauit, quem intellectũ habeat hæc conceptio, SI EVM ALITER, QVA'M VT FILIVM, OBSERVASSET, nõ perspicio. an & hic exigimus exhæredationẽ uel emancipationem, res in extraneo ineptas? sed & si is, qui legitime adoptauit, nihil facit cõtra uerba stipulationis, cũ utiq; patrio iure in eo, qui hæc non fecit, licet superuacuò: dici tamen poterit commissam esſe stipulationem. Filiusfamilias ita stipulatus est, QVANTAM PECVNIAM TITIO CREDIDERO, FIDE TVA ESSE IVBES? & emãcipatus credidit. patri nõ debebit fideiussor: quia nec reus ei tenetur.

CXXXIII. SCAEVOLA.

SI sic stipulatus sum, NEQVE PER TE NEQVE PER HAEREDEM tuum

TVVM VIM FIERI SPONDES? & egi, qđ mihi uim feceris: recte remanet factum hæredis in ſtipulatione. nam & ex ipſius poſteriore ui poterit committi ſtipulatio. non enim ad unam uim tantum pertinet. nam ſicut & ipſius uim & hæredis capit: ita & ipſius uim uel ſæpius factã cõplectitur, ut condemnet quanti intereſt. atſi ſic uolumus factam eſſe ſtipulationẽ, NEQVE PER TE, NEQVE PER HAEREDEM TVVM FIERI? ut ad unam uim primã pertineat, ſi uim fecerit, & amplius ex hæredis committi non poſſit, quaſi ex ipſius ui tota ſit conſumpta. quod non eſt uerum.

CXXXIIII. PAVLVS.

TItia, quæ ex alio filium habebat, in matrimonium coit Caio Seió habenti filiam: & tempore matrimonij conſenſerunt, ut filia Caij Seij filio Titij deſponderetur. & interpoſitum eſt inſtrumentum, & ad iecta pœna, ſi quis eorũ nuptijs impedimento fuiſſet. poſtea Caius Seius conſtante matrimonio diem ſuũ obijt, & filia eius noluit nubere. quæro, an Caij Seij hæredes teneantur ex ſtipulatione? Reſpõdeo. ex ſtipulatione, quæ apponeretur, cũ nõ ſecundũ bonos mores interpoſita ſit, agenti exceptionẽ doli mali obſtaturã: quia inhoneſtũ uiſum eſt uiculo pœnæ matrimonia obſtringi, ſiue futura, ſiue iam cõtracta. Idem reſpõdit. plerũq; ea, quæ præfationibus conueniſſe concipiuntur, etiam in ſtipulationibus repetita creduntur: ſic tamen, ut non ex ea repetitione inutilis efficiatur ſtipulatio. Idem reſpondit. cum Septitius literis ſuis præſtaturum ſe cauerit pecuniam & uſuras eius ſemiſſes, quæ apud Sempronium depoſitæ ſunt: ſi inter præſentes actum eſt, intelligendũ etiam à parte Lucij Titij præceſſiſſe uerba ſtipulationis. Idem reſpondit. quoties pluribus ſpecialiter pactis ſtipulatio una oĩbus ſubijcitur: quamuis una interrogatio & reſponſum unum ſubijciatur: tamen perinde haberi, ac ſi ſingulæ ſpecies in ſtipulationẽ deductæ fuiſſent.

CXXXV. SCAEVOLA.

ITa quis promiſerat, DECEM TIBI DABO, QVA DIE PETIERIS, ET EORVM VSVRAS IN DIES TRIGINTA. quæro, utrum uſuræ ex die ſtipulationis, an ex die, qua petita ſors fuerit, debeantur? Reſpõdit. ſecundum ea, quæ proponerentur, ex die ſtipulationis deberi: niſi aliud actum manifeſte probaretur. Item quæſitum eſt, quando pecuniam reddere debebo, cum primum petierit? Reſpondit. ſecundum ea, quæ proponerentur, ex die, quo ſtipulatio facta eſſet, initiũ capere. Seia cauit Lucio Titio, quod mandãte eo hortos emiſſet, cum preciũ omne cum uſuris ab eo recepiſſet, ſe in eum proprietatem hortorum translaturam. deinde in continenti inter utrunq; conuenit, ut intra calendas apriles primas uniuerſam ſummam mandator numeraret, & hortos

acciperet. quæritur, cũ ante calendas aprilis nõ omne preciũ cũ usuris à Lucio Titio Seiæ solutũ sit: interposito tamẽ modico tempore reliquũ preciũ cum usuris Seiæ Titius soluere paratus fuerit, neq; Seia accipere noluerit, & usq; in hodiernũ p Titiũ non stet, quo minus reliquũ soluat: an si nihilominus Lucius Titius Seiæ pecuniã uniuersam solnere paratus sit, ex stipulatu agere possit? respõdit, posse: si nõ multo post obtulisset, nec mulieris quidquam propter eam morã interesset. quod omne ad iudicis cognitionẽ remittendũ est. Ea lege donatũ sibi esse à Seia seruũ & traditũ, ut ne ad fratrẽ eius, aut filiũ, aut uxorẽ, aut socrũ perueniret, scripsit. & hæc ita stipulãte Seia spopõdit Titius, qui post biennũ hæredes reliquit Seiã & fratrẽ, cui ne seruiret, expressum erat. quæritur, an Seia cũ fratre & cohærede ex stipulatu possit agere? respondit, posse in id, quod eius interesset. Filia, quæ de inofficioso agere instituit, & transegit: postea cũ hæredibus stipulatione interpõsita, & subiecta doli clausula, apud præfectum de falso testamẽto egit, nec probauit. quæro, an ex doli clausula possit conueniri? Respondit. nihil ad eam stipulationem id, quod postea actum proponeretur, pertinere.

CXXXVI. PAVLVS.

SI sub una significatione diuersis nominibus ea res, quæ in stipulatione deducitur, appellatur: non infirmat obligationẽ, si alter altero uerbo utatur. Si quiuiam ad fundum suum dari stipulatus fuerat, postea fundum partemũe eius ante constitutam seruitutem alienauerit: euanescit stipulatio.

CXXXVII. VENVLEIVS.

COntinuus actus stipulantis & promittentis esse debet: ut tamẽ aliquod momentũ naturæ interuenire possit, & quo minus responderi stipulanti oportet. cæterum si post interrogationẽ aliud agere cœperit: nihil proderit, quàmuis eadem die spopondisset. Si hominem stipulatus sim, & ego de alio sensero, tu de alio: nil acti erit. nam stipulatio ex utriusq; consensu perficitur. Cum ita stipulatus sim, EPHESI DARI? ineſt tempus. quod autem accipi debeat, quæritur. & magis est, ut totam eam rem ad iudicem, aut uirum bonũ remittamus, qui æstimet quãto tempore diligens paterfamilias cõficere possit, quod factarum se promisit: ut qui Ephesi daturum se spoponderit, neq; diplomate diebus ac noctibus, & omni tempestate cõtempta, iter continuare cogatur: neq; tam delicate progredi debeat, ut reprehensione dignus appareat: sed habita ratione temporis, ætatis, sexus, ualetudinis: cum id agatur, ut mature perueniat, id est, eodẽ tempore, quo pleriq; eiusdem cõditionis homines solent peruenire: eo transacto (quàmuis Romæ remanserit, nec possit Ephesi pecuniam dare) nihilominus ei recte con-

dicetur

dicetur, uel quia per ipsum steterit, quo minus Ephesi daret, uel quoniã per alium Ephesi dare possit, uel quia ubiq; potest soluere. nam & quod in diem debetur, ante solui potest, licet peti nõ potest. quod si diplomate usus aut felici nauigatione maturius, quàm quisquàm peruenerit Ephesum: confestim obligatus est: quia in eo, quod tempore atq; facto finitum est, nullus est coniecturæ locus. Item qui insulam fieri spopondit, non utiq; conquisitis undiq; fabris, & plurimis operarijs adhibitis, festinare debet: nec rursus uno atq; altero contentus esse: sed modus adhibendus est secundum rationem diligentis ædificatoris, & temporum locorumq;. item si non incohetur opus: id tantum æstimetur, quod in illo interuallo effici potuit: transacto q; tempore, quo insulam consummare oportuerit, si postea ædificetur: liberetur reus, sicut liberatur, qui se daturum spopondit, si quando q; tradidit. Illud inspiciendum est, an qui centum dari promisit, cõfestim teneatur: an uero cesset obligatio, donec conferre pecuniã possit. quid ergo si neq; domi habeat, neq; inueniat creditorem? sed hæc recedunt ab impedimento naturali, & respiciunt ad facultatem dandi. est autem facultas, persõnæ cõmodum incõmodumq;, nõ rerum, quæ promittuntur. alioquin & si quis Stichũ dare spoponderit, quæremus, ubi sit Stichus: ut sic non multũ referre uideat, Ephesi daturũ se, an qd Ephesi sit, cũ ipse Romæ sit, dare spondeat. nam hoc quoq; ad facultatẽ dandi pertinet: quia & in pecunia & Sticho illud cõmune est, quod promissor in præsentia dare nõ potest. & generaliter caussa difficultatis ad incõmodũ promissoris, non ad impedimentũ stipulatoris pertinet: ne incipiat dici, eum quoq; dare non posse, qui alienũ seruũ, quẽ dominus non uendat, dare promiserat.

Si ab eo stipulatus sim, qui efficere non possit, cũ alij possibile sit: iure factam obligationem Sabinus scribit. Cum quis sub hac conditione stipulatus sit, si rem sacram, aut religiosam Titius uendiderit, uel forum, aut basilicam, & huiusmodi res, quæ publicis usibus in perpetuũ relictæ sint, ubi omnino conditio iure impleri non potest, & si uelit facere, ei nõ liceat: nullius momenti fore stipulationem perinde, ac si ea conditio, quæ natura impossibilis est, inserta esset. nec ad rem pertinet, quod ius mutari possit: & id, quod nunc impossibile est, postea sit possibile fieri. non enim secundum futuri temporis ius, sed secundum præsentis æstimari debet stipulatio. Si ut aliquid fiat, stipulemur: & usitatius, & elegantius esse Labeo ait, sic subijci pœnam, SI ITA FACTVM NON ERIT. at cum quid ne fiat, stipulemur: tunc hoc modo, SI ADVERSVS EA FACTVM ERIT. & cum alia fieri, & alia non fieri coniuncte stipulemur: sic cõprehendendũ, SI ITA NON FECERIS, SIVE QVID ADVERSVS EA FECERIS. Præterea sciendum est, quod dari

ſtipulamur, non poſſe per nos uni ex hæredibus adquiri: ſed neceſſe eſt omnibus adquiri. at cum quid fieri ſtipulemur: etiam unius perſonam recte compræhendi.

CXXXVIII. IDEM.

EVm, qui certarum nundinarum diebus dari ſtipuletur, primo die poſſe petere, ait Sabinus. Proculus autem & cæteri diuerſæ ſcholæ authores, quâmdiu uel exiguum tempus ex nundinarum ſpacio ſu pereſſet, peti non poſſe exiſtimant. ſed ego cum Proculo ſentio. Cũ pure ſtipulatus ſum ILLVD AVT ILLVD DARI? licebit tibi, quoties uoles, mutare uolũtatem in eo, quod præſtaturus ſis: quia diuerſa cauſſa eſt uoluntatis expreſſæ, & eius, quæ ineſt.

CXXXIX. IDEM.

CVm ex cauſſa duplæ ſtipulationis aliquid intendimus: uenditoris hæredes in ſolidũ omnes conueniendi ſunt, omnesq; debent ſubſiſtere: & quolibet eorũ defugiente, cæteris ſubſiſtere nihil prodeſt: quia in ſolidum defendenda eſt uenditio, cuius indiuiſa natura eſt. ſed cum uno defugiẽte omnes defuiſſe uideantur: ideoq; & omnes tenentur, & unicuiq; pro parte hæreditaria præſtatio incumbit.

CXL. PAVLVS.

PLuribꝰ rebus præpoſitis, ita ſtipulatio facta eſt: EA OMNIA, QVAE SVPRASCRIPTA SVNT, DARI? propius eſt, ut tot ſtipulationes, quod res ſint. De hac ſtipulatione ANNVA, BIMA, TRIMA DIE ID ARGENTVM QVOQVO DIE DARI? apud ueteres uariatũ fuit. Paulus uerius, & hic tres eſſe triũ ſummarũ ſtipulationes. Et ſi placet exſtingui obligationem, ſi in eũ caſum inciderit, â quo incipere nõ poteſt: nõ tamen hoc in omnibus uerum eſt. ecce ſtipulari uiam, iter, actũ ad fundum communem ſocius nõ poteſt: & tamen ſi is, qui ſtipulatus fuerat, duos hæredes reliquerit, non exſtinguitur ſtipulatio. & per partẽ dominorũ ſeruitus adquiri non poteſt: adquiſita tamen cõſeruatur. & per partem dominĩj hoc euenit: ſi pars prædĩj ſeruientis, uel cui ſeruitus debetur, alterius domini eſſe cœperit.

CXLI. CAIVS.

SI ſeruus aut filiusfamilias ita ſtipulatus ſit, REM ILLAM AVT ILLAM, VTRVM EGO VELIM: non pater dominusúe, ſed filius ſeruusúe deſtinare de alterutra debet. extranei quoq; perſona ſi compræhenſa fuerit, ueluti hoc modo, VTRVM EARVM TITIVS ELEGERIT: non aliter ſtipulator alterutrius petendæ facultatem habet, quàm ſi Titius elegerit. Pupillus licet ex quo fari cœpit, recte ſtipulari poteſt: tamen ſi in parentis poteſtate eſt, ne authore quidem patre obligatur. pubes uero, qui in poteſtate eſt, perinde ac paterfamilias obligari ſoleat.

let. quod autem in pupillo dicimus, idem & in filiafamilias impubere dicendum est. Si ita stipulatus fuero, MIHI AVT TITIO? & tu mihi daturum te respondeas: secundum omnium opinionem ad interrogatum te respondere: quia constat mihi soli adquiri obligationem, Titio autem duntaxat recte soluitur. Si inter eos, qui Romæ sunt, talis fiat stipulatio, HODIE CARTHAGINI DARE SPONDES? quidã putant non semper uideri impossibilem causſam stipulationis contineri: quia possit cõtingere, ut tam stipulator, quàm promissor ante aliquod tempus suo quisq; dispensatori notum fecerit, in eum diem futuram stipulationem: ac demandasset promissor quidem suo dispensatori, ut daret: stipulator autem suo, ut acciperet. quod si ita factum fuerit: potuerit ualere stipulatio. Cum mihi aut Titio stipulor: dicitur aliam quidem rem in personam meam, aliam in Titij designari nõ posse: ueluti mihi decẽ, aut Titio hominem. si uero Titio ea res soluta sit, quæ in eius persona designata fuit: licet ipso iure non liberetur promissor, per exceptionem tamẽ defendi poterit. tempora uero diuersa designari posse, ueluti MIHI CALENDIS IANVARIIS, AVT TITIO CALENDIS FEBRVARIIS? imô etiam citeriorem diem in Titij personam conferri posse: ueluti mihi calendis Februarijs, Titio calendis Ianuarijs? quo casu intelligimus talem esse stipulationem, SI TITIO CALENDIS IANVARIIS NON DEDERIS, MIHI CALENDIS FEBRVARIIS DARE SPONDES? sed rursus mihi quidem pure, aut Titio sub conditione stipulari possum. contra uero si mihi sub conditione, aut Titio pure: inutilis erit tota stipulatio, nisi in meam personam cõditio exstiterit: scilicet quod nisi à me uim accipiat obligatio, adiectio nihil potest ualere. hoc tamẽ ita demum tractari potest, si euidenter appareat pure Titij personam adiectam. alioquin cum ita stipulor SI NAVIS EX AFRICA VENERIT, MIHI AVT TITIO SPONDES? Titij quoq; persona sub eadem conditione adijci uidetur. ex hoc apparet, si diuersa conditio in meam personam, diuersa in Titij posita sit, nec in meam personam extiterit conditio: totam stipulationem nullius momẽti futurã. exstante uero mea conditione, si quidẽ Titij quoq; cõditio exstiterit: poterit uel Titio solui. si uero in illius persona defecerit: quasi nõ adiectus habebitur. ex his omnibus apparet: licet alterius persona nõ recte adijciatur: nõ ideo minus in nostra persona utiliter procedere stipulationem.

DE DVOBVS REIS CONSTITUENDIS. Tit. II.

I. MODESTINVS.

QVi stipulatur, reus stipulandi dicitur: qui promittit, reus promittendi habetur.

II. IABOLENVS.

CVm duo eandem pecuniam aut promiserunt, aut stipulati sunt: ipso iure & singulis in solidum debetur, & singuli debent. ideoq; petitione, acceptilatione q; unius, tota soluitur obligatio.

III. VLPIANVS.

IN duobus reis promittendi frustra timetur nouatio. nam licet ante prior responderit, & posterior ex interuallo accipiatur: consequens est dicere, pristinam obligationē durare, & sequentem accedere. & parui refert, simul spondeant, an separatim promittant: cum hoc actum inter eos sit, ut duo rei cōstituantur, neq; ulla nouatio fiat. Vbi duo rei facti sunt, potest uel ab uno eorum solidum peti. hoc enim est duorum reorum, ut unusquisq; eorum in solidum sit obligatus, possitq; ab alterutro solidum peti. partes autem & à singulis peti posse, nequaquā dubium est: quemadmodum & à reo, & fideiussore petere possumus. utiq; enim cum una sit obligatio, una etiā summa est: ut siue unus soluat, omnes liberentur: siue soluatur ab altero, liberatio contingat.

IIII. POMPONIVS

DVo rei promittendi, siue ita interrogati, SPONDETIS? respondeāt SPONDEO, aut SPONDEMVS: siue ita interrogati, SPONDES? respondeant, SPONDEMVS: recte obligantur.

V. IVLIANVS.

NEmo est, qui nesciat, alienas operas promitti posse, & fideiussorē adhiberi in ea obligatione. & ideo nihil prohibet, duos reos stipulandi constitui uel promittendi, sicuti si ab eodē fabro duo rei stipulandi easdem operas stipulentur. & ex contrario duo fabri eiusdē peritiæ easdem operas promittere intelliguntur, & duo rei promittendi fieri.

VI. IDEM.

DVos reos promittendi facturus, si utrunq; interrogauero, & alterduntaxat responderit: uerius puto eū, qui responderit, obligari. neq; enim sub conditione interrogatio in utriusq; persona fit: ut ita demum obligetur, si alter quoq; responderit. Duobus autem reis cōstitutis, quin liberum sit stipulatori, uel ab utroq;, uel ab altero duntaxat fideiussorem accipere, non dubito. Sed si à duobus reis stipulandi interrogatus, respondisset uni se spondere: ei soli tenetur. Duo rei sine dubio ita constitui possunt, ut & temporis ratio habeatur, intra quē uterq; respondeat. modicum tamen interuallum temporis, item modicus

dicus actus, qui modo cõtrarius obligationi non sit: nihil impedit, quo minus duo rei sint. fideiussor quoq; interrogatus inter duorum reorũ responsa, si responderit, potest uideri non impedire obligationem reorum: quia nec longum spacium interponitur, nec is actus est, qui cõtrarius sit obligationi.

VII. FLORENTINVS.

EX duobus reis promittendi alius in diem uel sub conditione obligari potest. nec eñ impedimento erit dies, aut conditio, quo minus ab eo, qui pure obligatus est, petatur.

VIII. VLPIANVS.

HIs uerbis, EA, QVAE PRAESTARI STIPVLANTI TIBI SPOPONDIMVS: interesse, quid inter contrahentes actũ sit. nam si duo rei facti sint: eum, qui absens fuerit, non teneri: præsentem autem in solidũ esse obligatum: aut si minus, in partem fore obstrictum.

IX. IVLIANVS.

EAndem rem apud duos pariter deposui, utriusq; fidem in solidum secutus: uel eandem rem duobus similiter commodaui. fiunt duo rei promittendi: quia nõ tantum uerbis stipulationis, sed & cæteris cõtractibus: ueluti emptione, uenditione, locatione, conductione, depositio, commodato, testamento: utputa si pluribus hæredibus institutis testator dixit, TITIVS ET MAEVIVS SEMPRONIO DECEM DATO.

Sed si quis in deponendo penes duos paciscatur, ut ab altero culpa quoq; præstaretur: uerius est, non esse duos reos, à quibus impar suscepta est obligatio. Non idem probandum est, cum duo quoq; culpam promisissent, si alteri postea pacto culpa remissa sit: quia posterior conuentio, quæ in alterius persona intercessit, statum & naturã obligationis, quæ duos initio reos fecit, mutare non potest. quare si socij sint, & communis culpa interceserit: etiam alteri pactum cum altero factum proderit.

Cum duos reos promittendi facerem, si ex diuersis locis Capuæ pecuniam dari stipulatus sim: ex persona cuiusq; ratio proprij temporis habebitur. nam & si maxime parem causſam suscipiunt: nihilominus in cuiusq; persona propria singulorũ constitit obligatio.

X. IDEM.

SI duo rei promittendi socij non sint: non proderit alteri, quod stipulator alteri reorum pecuniam debeat.

XI. IDEM.

REos promittendi uice mutua fideiussores nõ inutiliter accipi cõuenit. itaq; reus stipulãdi actionem suã diuidere si uelit, (neq; eñ diuidere cogendus est) poterit eundem ut principalem reum: item eũ, qui fideiussor pro altero exstitit, in partes conuenire: non secus, ac si duos pro

os promittendi reos diuersis actionibus conueniret. Cum tabulis esset comprehensum, illum & illum centum aureos stipulatos, neq; adiectum ita, ut duo rei stipulandi essent: uirilem partem singuli stipulati uidebantur. & è contrario, cum ita cautum inueniretur: TOT AVREOS RECTE DARI STIPVLATVS EST IVLIVS CARPVS. SPOPONDIMVS EGO ANTONIVS ACHILLEIVS ET CORNELIVS DIVVS: partes uiriles deberi: quia non fuerat adiectum, singulos in solidum spopondisse: ita ut duo rei promittendi fierent.

XII. VENVLEIVS.

SI ex duobus, qui promissuri sunt, hodie alter, alter postera die respõderit: probatur, non esse duos reos: ac ne obligatum quidem intelligi eum, qui postera die respondit, cum actor ad alia negotia discesserit uel promissor, licet peractis illis rebus responderit. Si à Titio & pupillo sine tutoris authoritate stipulatus fuero eadem decem, uel seruo, & quasi duos reos promittendi constitui: obligatum Titium solum Iulianus scribit: quanquã si seruus spopondisset, in actione de peculio eadem obseruari deberent, ac si liber fuisset.

XIII. IDEM.

SI reus promittendi alteri reo hæres exstiterit: duas obligationes sustinere eum dicendum est. nam ubi quidem altera differentia obligationum esse possit (ut in fideiussore & reo principali) constat alterã ab altera perimi. cum uero duæ eiusdem potestatis sint: non potest reperiri, quare altera potius, quàm altera consumatur. ideoq; & si reus stipulandi hæres exstiterit: duas species obligationis eum sustinere.

XIIII. PAVLVS.

ET stipulationum prætoriarum duo rei fieri possunt.

XV. CAIVS.

SI id, quod ego & Titius stipulamur, in singulis personis propriũ intelligatur: non poterimus duo rei stipulandi constitui: ueluti cum usumfructum, aut dotis nomine dari stipulamur. idq; & Iulianus scribit. Idem ait, si Titius & Seius decem aut Stichum, qui Titij sit, stipulati fuerint: non uideri eos duos reos stipulandi: cum Titio decem tantum, Seio Stichus aut decem debeantur. quæ sententia eò pertinet, ut quamuis uel huic uel illi decem soluerit, uel Seio Stichum: nihilominus alteri obligatus maneat. sed dicendum est, ut si decem alteri soluerit: ab altero liberetur.

XVI. IDEM.

EX duobus reis stipulandi si semel unus egerit: alteri promissor offerendo pecuniam, nihil agit.

XVII. PAVLVS. Siue

Siue à certis personis hæredũ nominatim legatum est, siue ab omnibus excepto aliquo: Atilicinus, Sabinus, & Cassius, pro hæreditarijs partibus in totũ eos legatũ debituros aiũt: quia hæreditas eos obliget. idem est, cum omnes hæredes nominantur.

XVIII. POMPONIVS.

Ex duobus reis eiusdem Stichi promittendi factis, alterius factum alteri quoq; nocet.

XIX. IDEM.

CVm duo eandem pecuniam deberent, si unus capitis deminutione exemptus est: obligatione alter non liberatur. multum enim interest, utrum res ipsa soluatur, an persona liberetur. cum persona liberatur, manente obligatione: alter durat obligatus. & ideo si aqua & igni interdictum est alicui: fideiussor postea ab eo datus tenetur.

DE STIPVLATIONE SERVORVM. Tit III.

I. IVLIANVS.

CVm seruus stipulatur: nihil interest, sibi, an domino, an uero sine alterutra eorum adiectione dari stipuletur.

Si seruus tuus, qui mihi bona fide seruiebat, peculium habuit, quod ad te pertinebat, & ego ex eo pecuniã Titio credidero: numi tui manebunt. stipulando autem mihi seruus eandem pecuniam, nihil aget. uindicando ergo eam pecuniam tu consequi poteris. Si seruus communis meus & tuus ex peculio, quod ad te solum pertinebat, mutuam pecuniam dederit: obligationem tibi adquiret. & si eandem mihi nominatim stipulatus fuerit: debitorem à te non liberabit, sed uterq; nostrũ habebit actionem, ego ex stipulatu, tu quod pecunia tua numerata sit. debitor tamen me doli mali exceptione submouere poterit. Quod meus seruus meo seruo dari stipulatur: id perinde haberi debet, ac si mihi stipuletur. Item qd tuo seruo stipulatur: perinde est, ac si tibi stipulatus esset: ut altera stipulatio obligationem pariat, altera nullius momenti sit. Communis seruus duorũ seruorum personam sustinet. Idcirco si proprius meus seruus communi meo & tuo seruo stipulatus fuerit: idem iuris erit in hac una conceptione uerborum, quod futurũ esset, si separatim duæ stipulationes conceptæ fuissent: altera in personam mei serui, altera in personam tui serui. nec existimare debemus, dimidiam partem tantũ mihi adquiri, alteram partem nullius esse momenti: quia persona serui communis eius conditionis est, ut in eo, quod alter ex dominis potest adquirere, alter non potest: perinde habeatur, ac si eius solius esset,

cui adquirendi facultatē habet. Si fructuarius seruus stipulatus esset fructuario aut proprietario: siquidem ex re fructuarij stipulatus esset: inutilem esse stipulationem: quia utriq; ex re fructuarij actionem adquirere non potuisset. sed si aliunde stipulatus fuisset: proprietarium petere posse, & si promissor fructuario soluisset, liberari. Cum seruus cōmunis Titij & Mæuij stipulatur in hunc modum, DECEM CALENDIS TITIO DARE SPONDES? ET SI DECEM CALENDIS TITIO NON DEDERIS: TVNC MAEVIO VIGINTI DARE SPONDES? duæ stipulationes esse uidentur. sed si calendis decem data non fuerint: uterq; dominus ex stipulatu agere poterit: & secunda obligatione Mæuio cōmissa, Titius exceptione doli mali submouebitur.

II. VLPIANVS.

SEruus cōmunis ipse sibi stipulari non potest: quamuis constet ēū se stipulari domino posse. non enim se domino adquirit, sed de se domino obligationem.

III. IDEM.

SI seruus reipublicæ, uel municipij, uel coloniæ stipuletur: puto ualere stipulationem.

IIII. IDEM.

SI seruus cōmunis sibi & uni ex dominis stipuletur: perinde est, ac si omnibus dominis, & uni ex his stipuletur, ueluti Titio & Mæuio, & Titio: & probabile est, ut Titio dodrans, Mæuio quadrans debeatur.

V. IDEM.

SEruus cōmunis sic omniū est, non quasi singulorū est totus, sed pro partibus utiq; indiuisis, ut intellectu magis partes habeāt, quām corpore. & ideo si quid stipulatur, uel quaq; alia ratione adquirit: oībus p parte, qua dominiū in eo habent, adquirit. licet autē ei nominatim alicui ex dominis stipulari, uel traditam accipere rem, ut ei soli adquirat. sed si non uni nominatim domino stipuletur, sed iussu unius dominorum: hoc iure utimur, ut soli ei adquirat, cuius iussu stipulatus est.

VI. POMPONIVS.

OFilius recte dicebat, & per traditionē accipiendo, uel deponendo, cōmodando q; posse soli ei adquiri, qui iussisset. quæ sententia etiā Cassij & Sabini dicitur.

VII. VLPIANVS.

PRoinde & si quatuor forte dominos habuit, & duorū iussu stipulatus sit: his solis adquiret, qui iusserūt: magisq; est, ut nō æqualiter, sed p portione dominica totū eis adquirat. idem puto, & si nominatim eis stipulatus esse proponat. nam & si oīm iussu stipulatus sit, uel oībus nominatim: nō dubitarem q; oībus pro dominicis eū portionib9, non pro

nō p uirilibus adquirere. Si seruus cōmunis ab uno ex socijs stipulatus sit: siquidem nominatim alteri socio: ei soli debet. sin autē sine ulla adiectione pure stipulatus sit: reliquas partes seruus cæteris oīibus socijs, præter eam partem, ex qua promissor dominus est, adquiret. sed si iussu unius socij stipulatus est: idem iuris est, quod esset, si eidem illi socio nominatim dari stipulatus esset. Interdum etiā si neq; iussu, neq; nominatim alteri ex dominis stipularet: ei tamen soli adquirere eū, Iuliano placuit: utputa si quid forte stipulet, quod utriq; adquiri non potest. ueluti si seruitutē ad fundum Cornelianū stipulatus est, qui fundus Sempronij erat, id est, alterius ex dominis: ei soli adquirit.

VIII. CAIVS.

ITem si alter ex dominis uxorem ducturus sit, & huic seruo dos promittat.

IX. VLPIANVS.

ITem si seruus duorū Titij & Mæuij hominē, qui Titij erat, stipulatus fuerit: ei soli adquiret, cuius nō fuit. sed si stipulatus sit Stichum sic, ET MAEVIO ET TITIO DARE SPONDES? totū eum Mæuio adquiret. quod enim alteri ex dominis adquirere non potest: id ad eū, qui ad obligationē admittitur, pertinet. Si cum duos dominos seruus haberet, stipulatus fuerit illi aut illi dominis suis: quæsitum est, an sic consistat stipulatio? Cassius inutilem esse stipulationē scripsit, & Iulianus Cassij sententiam probat, eoq; iure utimur.

X. IVLIANVS.

SEd si ita stipuletur, TITIO DECEM AVT MAEVIO FVNDVM DARE SPONDES? quia incertū est, utri eorū adquisierit actionē: idcirco inutilis stipulatio existimanda est.

XI. VLPIANVS.

SEd si sibi, aut Primo, aut Secundo dominis suis stipulatus sit: & hic tantundē erit probandū, q̄d Iulianus, inutilem esse stipulationē. sed utrū adiectio inutilis est: an tota stipulatio utilis nō est? & puto adiectionem solā esse inutilē. eo enim, quod ait MIHI: oīibus adquisiuit ex stipulatu actionē. an ergo in cæterorū personā solutio locū habeat exemplo extraneæ personæ? & puto, uel solui eis posse, quēadmodū cum ego mihi aut Titio stipuler. cur ergo cū Primo & Secundo dominis stipulatio nō cōsistat, nec solutio sit, illa est ratio: quia nō inuenimus, in cuius persona stipulatio constitit, & in cuius solutio.

XII. PAVLVS.

NAm cum uterq; obligationis capax sit, non inuenimus quis adiectus sit, quia non est, qui petere possit.

XIII. VLPIANVS.

CVm enim stipulatur domino aut extraneo seruus: utrunq; con-

stitit, & in domini persona stipulatio, & in extranei solutio. at hic corrumpit τὸ ἰσάζον stipulationem & solutionem.

XIIII. IVLIANVS

SEruus meus cum apud furem esset, furi dari stipulatus est: negat furi deberi Sabinus: quia eo tempore, quo stipulatus est, ei non seruierit. sed si detracta furis persona stipulatus est: mihi quidem adquiritur actio: sed furi, nec mandati, nec alia actio aduersus me dari debet.

XV FLORENTINVS.

SIue mihi, siue sibi, siue cõseruo suo, siue impersonaliter dari seruus meus stipuletur: mihi adquiret.

XVI. PAVLVS.

SEruus hæreditarius futuro hæredi nominatim dari stipulatus, nihil agit: quia stipulationis tempore hæres dominus eius nõ fuit.

XVII. POMPONIVS.

SI communis seruus meus & tuus uiam, uel iter, uel actũ stipuletur sine adiectione nominis nostri, cum ego solus uicinum fundum habeam: soli mihi eam adquirit. quod si & tu fundum habeas: mihi quoq; in solidum seruitus adquiritur.

XVIII. POMPONIVS.

SI seruus communis Mæuij & castrensis peculij, defuncto filiofamilias milite, antequàm adeat instituto hæreditatem, stipuletur: socio, qui solus interim dominus inuenitur, tota stipulatio quæret: quoniam partem non facit hæreditas eius, quæ nondum est. non enim si quis hæredem existere filiofamilias dixerit, statim & hæreditatem eius iam esse consequens erit: cum beneficium principalium cõstitutionum in eo locũ habeat, ut filiusfamilias de peculio testari possit. quod priuilegium cessat, prius quàm testamentum aditione fuerit confirmatum.

Si seruus Titij & Mæuij partem, quæ Mæuij est, sibi dari stipuletur; nulla stipulatio est: cum si Titio dari stipulatus fuisset, Titio adquireretur. quod si simpliciter concepta est stipulatio, ueluti PARTEM EAM, QVAE MAEVII EST, DARE SPONDES? non adiecto MIHI: propè est, ut quia sine uicio concepta est stipulatio, sequatur eius personam, cuius potest. Seruus, capto domino ab hostibus, domino dari stipulatus est. quamuis quæ simpliciter stipuletur, uel ab alio acceperit, etiam ad hæredem captiui pertineãt: aliudq; sit iuris in persona filij, quia nec tunc fuit in potestate, cum stipularetur, nec postea deprehenditur, ut seruus in hæreditate: tamen in proposito potest quæri, num ex hac stipulatione nihil adquisitum hæredi uideatur, quomodo si seruus hæreditarius defuncto, aut etiam hæredi futuro stipulatus fuisset? sed in hac specie seruus filio exæquabitur. nam & si filius captiui patri suo stipulatus

tus fuerit dari: res in pendenti erit. & si pater apud hostes decesserit: nullius momenti uidebitur fuisse stipulatio: quoniam alij, non sibi stipulatus est. Cum seruus fructuarius operas suas locasset, & eo nomine pecuniam in annos singulos dari stipulatus esset: finito fructu, domino residui temporis adquiri stipulationē, Iulianus scriptum reliquit. quæ sententia mihi uidetur firmissima ratione subnixa. nam & si in annos (forte) quinq; locatio facta esset: quoniā incertum est, fructus in quē diem duraturus sit: singulorū annorum initio cuiusq; anni pecunia fructuario quæreretur. secundum quæ non transit ad alterum stipulatio, sed unicuiq; tantum adquiritur, quantum ratio iuris permittit. nam & cum idem seruus ita stipulatur: QVANTAM PECVNIAM TIBI INTRA ILLVM DIEM DEDERO, TANTAM DARE SPONDES? in pendenti est, quis ex stipulatu sit habiturus actionē. si enim ex re fructuarij, uel operis suis pecuniam dederit: fructuario. si uero aliunde: domino quæretur stipulatio.

XIX. SCAEVOLA.

SI alienus seruus duobus bona fide seruiens, ex unius eorum re adquirat: ratio facit, ut ei ex cuius re adquisijt, id totum adquirat: siue ei soli, siue quasi duobus seruiat. nam & in ueris dominis, quoties utriq; adquiritur, toties partes adquiri. cæterum si alij nō adquiratur: alium solidum habiturum. igitur eadem ratio erit & in proposito: ut hic seruus alieno, qui mihi & tibi bona fide seruit, mihi in solidū ex re mea adquirat: quia tibi non potest adquiri, quia non sit ex re tua.

XX. PAVLVS.

LIbet homo, qui bona fide mihi seruit, si stipulatur ex re mea, uel operis suis Stichū, qui ipsius est: magis est, ut mihi adquirat: quia & si seruus esset meus, adquireret mihi. nec enim illud dici debet, quasi ille quoq; in peculio eius esset. sed si ex re mea Stichum, qui meus est, stipulatur: sibi adquiret. Apud Labeonem ita scriptum est. filium & filiam in sua potestate pater intestato reliquit. filia eo animo fuit semper, ut existimaret nihil ad se ex hæreditate patris ptinere. deinde frater eius filiā procreauit, & eam infantem reliquit. tutores seruo auito eius imperauerūt, ut ab eo, cui res aui hæreditatis uēdiderant, stipularet, quanta pecunia ad eum peruenisset ex ea stipulatione. quid ne pupillæ adquisitum sit, peto rescribas. PAVLVS. est quidem uerum, bona fide possessum seruum ex re eius, cui seruit, stipulantem possessori adquire re. sed si res, quæ ex hæreditate aui communes fuerunt, in uenditione hæreditatis uenierunt: non uidetur ex re pupillæ totum precium stipulari, ideoq; utriq; adquirit.

XXI. VENVLEIVS.

SI seruus cõmunis ita stipuletur, CALENDIS IANVARIIS DECEM STITIO AVT MAEVIO DOMINIS, VTER EORVM TVNC VIVET, DARE SPONDES? inutilem esse stipulationem Iulianus scribit: quia non possit esse stipulatio in pendenti, nec appareat, utri eorũ sit adquisitum.

XXII. NERATIVS.

SEruum fructuarium ex re domini inutiliter fructuario stipulari, domino ex re fructuarij utiliter stipulari.

XXIII. PAVLVS.

EAdem de eo dicenda sunt, cui usus legatus est.

XXIIII. NERATIVS.

ET si duorum ususfructus sit: id, quod ex operis suis alteri eorum stipulatus sit: pro ea duntaxat parte, ex qua ususfructus eius sit, adquiri.

XXV. VENVLEIVS.

SI seruus hæreditarius stipulatus sit, & fideiussores acceperit, posteaq; adita fuerit hæreditas: dubitatur, utrum ex die interpositæ stipulationis tempo cedat, an ex adita hæreditate: item si seruus eius, qui apud hostes sit, fideiussores acceperit. & Cassius existimabat, tempus ex eo computandum, ex quo agi cum eis potuerit: id est ex quo adeat hæreditas, aut postliminio dominus reuertatur.

XXVI. PAVLVS.

VSusfructus sine persona esse non potest. & ideo seruus hæreditarius inutiliter usumfructũ stipulatur. legari autem ei posse usumfructum dicitur, quia dies eius statim non cedit: stipulatio autem pura suspendi non potest. quid ergo, si sub conditione stipuletur? nec hoc casu ualet stipulatio: quia ex præsenti uires accipit stipulatio, quãuis ex ea petitio suspensa sit.

XXVII. IDEM.

SEruus communis, siue emat, siue stipuletur: quãuis pecunia ex peculio detur, quod alterum ex dominis sequitur: utriq; tamen adquirit. diuersa caussa est fructuarij serui.

XXVIII. CAIVS.

SI ex re domini domino aut fructuario seruus stipulatus fuerit: domino quidem adquiri obligationem, Iulianus scribit: solui autem fructuario posse, quasi quolibet adiecto. Si seruus cõmunis ex re unius stipulatus erit: magis placuit utriq; adquiri. sed eum, cuio ex re facta est stipulatio, cum socio cõmuni diuidundo aut societatis iudicio de parte recuperanda recte acturum. idemq; esse dicendum, & si ex operis suis alteri ex dominis seruus adquirat. Si ipsi domini singuli eadem decem seruo communi dari fuerint stipulati, & semel responsum secutum

tũ fuerit:duo rei ſtipulandi erunt:cũ placeat dominũ ſeruo dari ſtipulari poſſe. Sicuti uni ex dominis nominatim ſtipulando ei ſoli adquirit:ita placet,& ſi rem emat nomine unius ex dominis,ei ſoli ſeruũ adquirere.ita ſi credat pecuniam,ut uni ex dominis ſolueretur,uel qđ libet aliud gerat negocium:poſſe eum nominatim exprimere, ut uni ex dominis reſtituatur,aut ſoluatur. Illud quæſitum eſt, an hæredi futuro ſeruus hæreditarius ſtipulari poſſit? Proculus negauit: quia is eo tempore extraneus eſt. Caſſius reſpondit poſſe:quia qui poſtea hæres exſtiterit,uidetur ex mortis tempore defuncto ſucceſſiſſe. quæ ratio illo argumento commendatur:quod hæredis familia ex tempore mortis funeſta facta intelligitur,licet poſt aliquod tempus hæres exſtiterit.manifeſtũm igitur eſt ſerui ſtipulationem ei adquiri.

XXIX. PAVLVS.

SI ſeruus communis ſic ſtipulatus ſit, DECEM ILLI DOMINO, EADEM DECEM ALTERI DARE SPONDES? dicemus duos reos eſſe ſtipulandi.

XXX. IDEM.

SEruus alienus alij nominatim ſtipulando non adquirit domino.

XXXI. IDEM.

SI uſufructuarij aut bonæ fidei poſſeſſoris ſeruus ſtipulatur,ex quibus cauſſis non ſolet his adquiri:domino adquirit.non idem dicetur,ſi nomen ipſorum in ſtipulatione poſitum ſit.

XXXII. IDEM.

SI cum duorum uſusfructus eſſet in ſeruo,is ſeruus uni nominatim ſtipulatus ſit ex ea re, quæ ad utroſq; pertinet: Sabinus ait, quoniam ſoli obligatus eſſet,uidendum eſſe, quemadmodum alter uſufructuarius partem ſuam recipere poſſit, cum inter eos nulla communio iuris ſit.ſed uerius eſt,utili communi diuidundo iudicio inter eos agi poſſe.

XXXIII. IDEM.

SI liber homo uel ſeruus,qui bona fide ſeruit,ex re alterius iuſſu poſſeſſoris ſtipuletur. Iulianus ait:liberũ quidem ſibi adquirere: ſeruũ uero domino,quia iuſſum domino cohæreat. Si duo rei ſtipulandi uſumfructũ in ſeruo habeant,uel quibus bona fide ſeruiebat,& iuſſu unius à debitore ſtipuletur:ei ſoli adquirit.

XXXIIII. IABOLENVS.

SI ſeruus teſtamento manumiſſus,cum ſe liberum eſſe ignoraret,& in cauſſa hæreditaria maneret, pecuniam hæredi ſtipulatus eſt: nihil debetur hæredi, ſi modo ſciuerunt eum teſtamento manumiſſum; quia non poteſt uideri iuſta ſeruitute ſeruiſſe his, qui illum liberum

liberum esse non ignorabant. distat igitur huius caussa ab eo, qui liber emptus bona fide seruit: quia in eo & ipsius & emptoris existimatio cõsentit. cæterum is, qui scit hominem liberum esse, quamuis ille conditionem suam ignoret, ne possidere quidem eum potest uideri.

XXXV. MODESTINVS.

SEruus hæreditarius & hæredi futuro & hæreditati recte stipulatur.

XXXVI. IABOLENVS.

QVod seruus stipulatus est, quem dominus pro derelicto habebat, nullius est momenti: quia qui pro derelicto rem habet, omnimodo à se reijcit: ut nec operis eius uti possit, quem ullo iure ad se pertinere noluerit. quod si ab alio adprehensus est: & stipulationem ei adquirere poterit. nam & hæc genere quodam donatio est. Inter hæreditarium enim seruum, & eum, qui pro derelicto habetur, plurimum interest: quoniam alter iure hæreditatis retinetur, nec potest relictus uideri, qui uniuerso hæreditatis iure continetur: alter uoluntate domini derelictus, non potest uideri ad usum eius pertinere, à quo derelictus est.

XXXVII. POMPONIVS.

SI communis seruus ita stipularetur, LVCIO TITIO ET CAIO SEIO DARI SPONDES? qui sunt domini illius, pro uirilibus partibus eis ex stipulatione deberi. si uero ita DOMINIS MEIS DARE SPONDES? pro parte, qua domini essent. si uero ita, LVCIO TITIO ET CAIO SEIO DOMINIS MEIS DARE SPONDES? dubitari, utrum per uiriles partes, an pro dominica portione eis deberetur. & interesse, quid cuius demonstrandi gratia esset adiectum, & quæ pars eius stipulationis principalem caussam haberet. sed cum ad nomina prius decursum est: rationabilius esse uidetur, pro uirili parte stipulationẽ eis adquiri, quod dominorum uocabula pro demonstratione habeantur.

XXXVIII. IDEM.

SI seruus meus à liberto meo operas sibi dari stipuletur, inutilem stipulationem esse, Celsus scribit: aliter, atq; si non adiecto hoc uerbo SIBI stipulatus fuerit.

XXXIX. IDEM.

CVm seruus, in quo usumfructum habemus, proprietatis domino ex re fructuarij uel operis eius nominatim stipulatur: domino adquirit proprietatis. sed qua actione fructuarius recuperare possit à domino proprietatis, requirendum est. item si seruus bona fide nobis seruiat, & id, quod nobis adquirere poterit, nominatim domino suo stipulatus fuerit: ei adquiret. sed qua actione id recuperare possumus, quæremus. & non sine ratione est, quod Caius noster dixit: condici id utroq; casu posse domino.

Idem

XL. IDEM.

QVidquid contraxit seruus, dum nobis seruit: etiam si stipulationem contulerit in alienationem uel manumissionem suam: tamen nobis id adquisitum erit: quia potestas eius tunc, cum id contraheret, nostra fuit. Idq; est, & si filiusfamilias contrahat. nanq; etiam, quod in emancipationis suæ tempus contulerit, nobis debebitur: si tamen dolo malo id fecerit.

DIGESTORVM SEV PANDECTARVM LIBER QVADRAGESIMVS SEXTVS.

DE FIDEIVSSORIBVS ET MANdatoribus. Tit. I.

I. VLPIANVS.

OMni obligationi fideiussor accedere potest.

II. POMPONIVS

ET commodati, & depositi fideiussor accipi potest: & tenetur, etiam si apud seruum, uel pupillum depositum commẽdatumúe fuerit: sed ita demum, si aut dolo malo aut culpa hi fecerunt, pro quibus fideiussum est.

III. VLPIANVS.

QVi satisdare promisit, ita demum impleſſe stipulationem satisdationis uidetur: si eum dederit accessionis loco, qui obligari potest & conueniri. cæterum si dederit seruum aut filium, ex quibus causis de peculio actio non datur: uel mulierem, quæ auxilio senatusconsulti utitur: dicendum est, non esse impletam satisdationis stipulationem. Planè si non idoneum fideiussorem dederit: magis est, ut satisfactum sit: quia qui admisit eum fideiubentem, idoneũ esse cõprobauit.

IIII. IDEM.

POtest accipi fideiussor eius actionis, quã habiturus sum aduersus eum, pro quo fideiussi, uel mandati, uel negociorum gestorum. Fideiussor & ipse obligatur, & suum hæredem obligatum relinquit, cum rei locum obtineat.

V. IDEM.

GEneraliter Iulianus ait: eum, qui hæres exstitit ei, pro quo interyy uenerat

uenerat, liberari ex cauſſa acceſſionis, & ſolũmodo quaſi hæredem rei teneri. deniq; ſcripſit, ſi fideiuſſor hæres exſtiterit ei, pro quo fideiuſſit: quaſi reum eſſe obligatum, & cauſſa fideiuſſionis liberari eum. uerum reo reum ſuccedentem ex duabus cauſſis eſſe obligatum. nec enim poteſt reperiri, quæ obligatio quam perimat. at in fideiuſſore & reo reperitur: quia rei obligatio plenior eſt. nam ubi aliqua differentia eſt obligationũ, poteſt conſtitui alterã per alterã perimi. cũ uero duæ eiuſdem ſunt poteſtatis: non poteſt reperiri, cur altera potius, quàm altera conſumatur. refert autem hæc ad ſpeciem, in qua uult oſtendere, non eſſe nouum, ut duæ obligationes in unius perſona concurrant. eſt autẽ ſpecies talis. ſi reus promittendi hæres exſtiterit reo promittendi: duas obligationes ſuſtinet. Item ſi reus ſtipulandi exſtiterit hæres reo ſtipulandi: duas ſpecies obligationis ſuſtinebit. planè ſi ex altera earum egerit: utranq; conſumit: uidelicet, quia natura obligationum duarum, quas habet, ea eſſet: ut cum altera earum in iudiciũ deduceretur, altera conſumeretur.

VI. IDEM.

STipulatus ſum â reo, nec accepi fideiuſſorẽ ab eo. poſtea uolo adijcere fideiuſſorem. ſi adiecero: fideiuſſor obligatur: & parui refert, utrum pure fideiuſſorẽ obligem, an ex die, an ſub conditione. Adhiberi autẽ fideiuſſor, tam futuræ, quàm præcedenti obligationi poteſt: dummodo ſit aliqua uel naturalis futura obligatio.

VII. IVLIANVS.

QVod enim ſolutum repeti non poteſt: conueniens eſt, huiuſmodi naturalis obligationis fideiuſſorem accipi poſſe.

VIII. VLPIANVS.

GRæce etiam fideiuſſor ita accipitur, τῇ ἐμῇ πίστει κελεύω ἐγώ. ſed & ſi dixerit θέλω, ſiue βούλομαι, ſed & φημὶ: pro eo erit, ac ſi dixerit λέγω. Præterea ſciendum eſt, fideiuſſorem omni obligationi adhiberi poſſe, ſiue re, ſiue uerbis, ſiue conſenſu. Pro eo etiam, qui iure honorario obligatus eſt, poſſe fideiuſſorem accipi, ſciendum eſt. Et poſt litem conteſtatã fideiuſſor accipi poteſt: quia & ciuilis & naturalis ſubeſt obligatio. & hoc etiã Iulianꝰ admittit, eoq; iure utimur. An ergo condemnato reo exceptione uti poſſit, quæritꝰ. nam ipſo iure nõn liberatur. & ſiquidem iudicati actionis acceptus non eſt, ſed tantum litis exercitationis: rectiſſime dicetur, uti eum exceptione poſſe. ſi uero acceptus fuerit: etiam totius cauſſæ ceſſabit exceptio. A tutore, qui teſtamento datus eſt, ſi fuerit fideiuſſor datus, tenetur. Sed & ſi ex delicto oriatur actio, magis putamus teneri fideiuſſorem. Et generaliter omniũ obligationũ fideiuſſorem accipi poſſe, nemini dubium eſt.

Illud cõmune eſt in uniuerſis, qui pro alijs obligantur: quod ſi fuerint in

tint in duriorem cauſſam adhibiti, placuerit eos nō omnino obligari. in leuiorem planè cauſſam accipi poſſunt: propter quod in minorem ſummam recte fideiuſſor accipietur. Item accepto reo pure, ipſe fideiuſſor ex die, uel ſub conditione accipi poteſt. enimuero ſi reus ſub conditione ſit acceptus: fideiuſſor pure non obligabitur. Si quis Stichum ſtipulatus, fideiuſſorem ita acceperit, STICHVM AVT DECEM FIDE TVA IVBES? non obligari fideiuſſorem Iulianus ait, quia durior eius fuerit conditio: ut puta cum futurum ſit, ut mortuo Sticho teneatur. Marcellus autem notat, non ideo tantum non obligari, quia in duriorem conditionem acceptus eſt: ſed & quia in alia potius obligatione acceptus eſt. deniq; pro eo, qui decem promiſerat, nō poterat fideiuſſor ita accipi, ut decem aut Stichum promittat: quāuis eo caſu non ſit eius conditio durior. Idem Iulianus ait. ſi is, qui hominem aut decem dare ſtipulatus fuerat, fideiuſſorem ita acceperit, HOMINEM AVT DECEM, VTRVM EGO VELIM? non obligauit eum: quia durior eius conditio facta eſt. contra autem ſi is, qui hominem aut decem, utrum ipſe ſtipulator uellet, ſtipulatus eſt: recte fideiuſſorē ita accipiet, decem aut hominē, utrum tu uoles. fit etenim (inquit) hoc modo fideiuſſoris cōditio melior. ſed & ſi reum ſic interrogauero, STICHVM ET PAMPHILVM DARE SPONDES? fideiuſſorem STICHVM AVT PAMPHILVM? recte interrogem: quia leuior fideiuſſoris conditio eſt. Pro fideiuſſore accipi fideiuſſorem, nequaquam dubium eſt.

IX. POMPONIVS.

FIdeiuſſores & in partē pecuniæ, & in partē rei recte accipi poſſunt.

X. VLPIANVS.

SI dubitet creditor, an fideiuſſores ſoluendo ſint, & unus ab eo electus paratus ſit offerre cautionem, ut ſuo periculo cæteri fideiuſſores conueniantur in partem: dico audiendum eſſe eum: ita tamen, ut & ſatisdationes offerat, & omnes confideiuſſores, qui idonei eſſe dicuntur, præſto ſint. nec enim ſemper facilis eſt nominis emptio, cū numeratio totius debiti non ſit in expedito. Ita demum inter fideiuſſores diuiditur actio, ſi non inficientur. nam inficiantibus auxilium diuiſionis non eſt indulgendū. Filiusfamilias pro patre poterit fideiubere, nec erit ſine effectu hæc fideiuſſio: primo quidē, quod ſui iuris effectus poterit teneri in id, quod facere poteſt: dein quod & dū in poteſtate manet, cōdemnari poteſt. Sed an pater ex hac cauſſa QVOD IVSSV teneat, uideamus. & puto ad omnes contractus QVOD IVSSV etiam referri. ſed ſi ignorante patre pro eo fideiuſſerit: ceſſat iſta actio: tamen quaſi in rem patris uerſum ſit, poteſt agi cū patre. Planè ſi emancipatus ſoluerit: utilis ei actio debebit competere, in poteſtate etiam manenti eadem

dem actio competit, si de peculio castrensi pro parte soluerit.

XI. VLPIANVS.

QVi contra senatusconsultum filiofamilias credidit, mortuo eo, fideiussores à patre accipere non potest: quia neq; ciuilem, neq; honorariam aduersus patrem actionem habet: nec ulla hæreditas est, cuius nomine fideiussores obligari possint.

XII. IDEM.

PLanè eius actionis nomine, quæ de peculio aduersus eum competit, fideiussor recte accipitur.

XIII. IDEM.

SI mandatu meo Titio decem credideris, & mecum mandati egeris: non liberatur Titius. sed ego tibi non aliter condemnari debebo, quàm si actiones, quas aduersus Titium habes, mihi præstiteris. Item si cum Titio egeris, ego non liberabor: sed in id duntaxat tibi obligatus ero, quod à Titio seruare non potueris.

XIIII. IDEM.

CVm reus promittendi fideiussori suo hæres exstitit: obligatio fideiussoria perimitur. quid ergo est? si tanquam à reo debitum petatur, & si exceptione fideiussori competente usus fuerit: in factũ replicatio dari debebit, aut doli mali proderit.

XV. IDEM.

SI stipulatus esses à me sine caussa, & fideiussorem dedissem, & nollẽ eum exceptione uti, sed potius soluere, ut mecum mãdati iudicio ageretur: fideiussori etiã me inuito exceptio dari debet. interest enim eius, pecuniam retinere potius, quàm solutam stipulatori à reo repetere. Si ex duobus, qui apud te fideiusserant in uiginti, alter ne ab eo peteres, quinq; tibi dederit, uel promiserit: nec alter liberabitur. & si ab altero quindecim petere institueris, nulla exceptione submoueris. reliqua autem quinq; si à priore fideiussore petere institueris: doli mali exceptione submoueris.

XVI. IDEM.

FIdeiussor obligari non potest ei, apud quem reus promittendi obligatus non est. quare si seruus communis Titij & Sempronij nominatim Titio dari stipulatus fuerit, & fideiussorem ita interrogauerit, TITIO AVT SEMPRONIO ID DARE SPONDES? Titius quidem petere à fideiussore poterit: Sempronij uero persona in hoc solum interposita uidebitur, ut solui ei ante litem contestatam & ignorante uel inuito Titio possit. Qui certo loco dari promisit: aliquatenus duriori conditioni obligatur, quàm si pure interrogatus fuisset. nullo enim alio loco, quàm in quẽ promisit, soluere inuito stipulatore potest. quare si pure

pure reum interrogauero, & fideiussorem cum adiectione loci accepero: non obligabitur fideiussor. sed & si reus Romæ constitutus Capuæ dare promiserit, fideiussor Ephesi: perinde non obligabitur fideiussor, ac si reus sub conditione promisisset, fideiussor autem in diem certam, uel pure. Fideiussor accipi potest, quoties est aliqua obligatio ciuilis uel naturalis, cui adplicetur: naturales autē obligationes nō eo solo æstimantur, si actio aliqua eorum nomine competit: uerū etiā cum soluta pecunia repeti non potest. nam licet minus proprie debere dicantur naturalis actionis debitores: per abusionem tamen intelligi possunt debitores: & qui ab his pecuniam recipiunt, debitum sibi recepisse. Stipulatione in diem concepta, fideiussor si sub conditione acceptus fuerit, ius eius in pendenti erit: ut si ante diem cōditio impleta fuerit, non obligetur: si concurrerit dies & conditio, uel etiam diem conditio secuta fuerit, obligetur. Cum fideiussor hoc modo acceptus esset, SI REVS QVADRAGINTA, QVAE EI CREDIDI, NON SOLVERIT, FIDE TVA ESSE IVBES? ueri simile est id esse actum, ut cum appellatus reus non soluisset, fideiussor teneretur. sed & si reus ante, cꝫ appellaretur, decessisset: fideiussor obligatus erit, quasi hoc quoq; casu uerum esset, reum non soluisse.

XVII. IDEM.

FIdeiussoribus succurri solet, ut stipulator compellatur ei, qui solidum soluere paratus est, cedere cæterorum nomina.

XVIII. IDEM.

QVi debitorem suum delegat, pecuniam dare intelligitur, quanta ei debet. & ideo si fideiussor debitorem suū delegauerit (quāuis eum, qui soluendo non erat) confestim mandati agere potest.

XIX. IDEM.

SEruus inscio domino pro quodam fideiusserat, & eo nomine pecuniam soluerat. quærebatur, posset'ne dominus ab eo, cui solutum esset, repetere? Respondi. interest, quo nomine fideiusserit. nam si ex caussa peculij fideiusserit: tunc id, quod ex peculio soluerit, repetere dominus non poterit. quod si ex dominica caussa soluerit: uindicabit. si uero extra caussam peculij fideiusserit: quod ex pecunia dominica soluerit, æque uindicabitur: quod ex peculio, condici poterit.

XX. IABOLENVS.

SEd & si serui dominus pecuniam soluerit: repetere eam non ab eo, pro quo fideiussit, sed ab eo, cui numerauit, poterit: cum seruus fideiussionis nomine obligari non possit. Sequitur ergo, ut ab eo, pro quo fideiusserat, repeti nō possit, cum ipse ære alieno obligatus sit: nec solutione liberari eiꝰ pecuniæ nomine potuerit, cuius obligatio ad

seruum non pertinuerit.

XXI. AFRICANVS.

HAeres à debitore hæreditario fideiussorem accepit, deinde hæreditatem ex Trebelliano restituit. fideiussoris obligationē in suo statu manere ait. Idemq; in hac caussa seruandum, quod seruaretur, cū hæres, contra qnem emancipatus filius bonorum possessionem acceperit, fideiussorem accepit. ideoq; in utraq; specie transeunt actiones.

Non est nouum, ut fideiussor duabus obligationibus eiusdem pecuniæ nomine teneatur. nam si in diem acceptus, mox pure accipiatur: ex utraq; obligabitur. & si fideiussor confideiussori hæres exstiterit: idem erit. Seruo tuo pecuniam credidi, tu eum manumisisti, deinde eundem fideiussorem accepi. si quidem in ea obligatione fideiubeat, quæ aduersus te intra annum sit: obligari eum ait. si uero in naturalem suā: potius esse, ut nihil agatur. non enim intelligi posse, ut quis fideiubendo pro se obligetur. Quod si hic seruus manumissus fideiussorem dederit, deinde fideiussori suo hæres existat: durare caussam fideiussionis putauit. & tamen nihilominus naturalem obligationem mansurā: ut si obligatio ciuilis pereat, solutum repetere non possit. nec his cōtrarium esse, quod cū reus fideiussori hæres existat, fideiussoris obligatio tollatur: quia tunc duplex obligatio ciuilis cum eodem esse nō potest. Retro quoq; si fideiussor seruo manumisso hæres exstiterit: eadem aduersus eum obligatio manet, quamuis & naturaliter teneatur, nec pro se quis fideiubere possit. Quod si stipulator reū hæredem instituit: omni modo fideiussoris obligationē perimit, siue ciuilis, siue tantum naturalis in reum fuisset: quandoquidem nemo potest apud eundē pro se ipso obligatus esse. Quod si idem stipulator fideiussorē hæredē scripserit: proculdubio solam fideiussoris obligationem perimit. argumentum rei est, quod si possessio rei debitoris data sit creditori: æque dicendum sit, fideiussorem manere obligatum. Cum tu & Titius eiusdē pecuniæ rei essetis: eum, qui pro te fideiussit, posse & pro Titio fideiubere respondit: quamuis eandem pecuniam eidem debiturus sit: non tamen inanem eam creditori futuram, nonnullis etiam casibus emolumentū habituram: ueluti si ei, pro quo ante fideiussisset, hæres existat. tunc enim confusa prima obligatione, posteriorem duraturā. Cum fideiussor reo stipulandi hæres exstiterit: quæritur, an quasi ipse à se exegerit, habeat aduersus reum mandati actionem? respondit. cū reus obligatus maneat: non posse intelligi, & ipsum à se fideiussorē pecuniā exegisse. itaq; ex stipulatu potius, quām mandati agere debebit.

XXII. FLORENTINVS.

MOrtuo reo promittendi, et iam ante aditam hæreditatem fideiussor

iussor accipi potest: quia hæreditas personæ uice fungitur, sicuti municipium, & curia, & societas.

XXIII. MARTIANVS.

SI mihi aut Titio decem stipulatus fuerim, Titius fideiussorem accipere non potest: quia solutionis tantum caussa adiectus est.

XXIIII. MARCELLVS.

LVcius Titius, cum pro Seio fratre suo apud Septiciũ interuenire uellet, epistolam ita emisit. Si petierit à te frater meus, peto des ei nummos fide & periculo meo. post quam epistolam Septicius Seio pecuniam numerauit. deinde Titius inter reliquos & Seium fratrem pro tertia parte reliquit hæredem. quæro, an quia aduersus Seiũ debitorem Septicij confusa sit actio pro tertia parte, qua Titio fratri suo hæres extitit: cum cohæredibus eius agere in solidum possit? Marcellus respondit. cum cohærede Seij, non pro maiore, quàm hæreditaria parte, mandati agi posse.

XXV. VLPIANVS

MArcellus scribit: si quis pro pupillo sine tutoris authoritate obligato, prodigoúe, uel furioso fideiusserit: magis esse, ut nõ ei subueniatur: quoniam his mandati actio non competat.

XXVI. PAVLVS.

INter fideiussores non ipso iure diuiditur obligatio *ex epistola diui Hadriani. & ideo si quis eorũ ante exactã à se partem sine hærede decesserit, uel ad inopiã peruenerit: pars eius ad cæterorum onus respicit. aliàs *sed ex.

XXVII. VLPIANVS.

SI plures sint fideiussores, & unus pure, alius in diem, uel sub conditione acceptus: succurri oportet ei, qui pure acceptus est, dũ existere cõditio potest, scilicet ut interim in uirilẽ conueniatur. sed si cum conditio exstitit, non est soluendo, qui sub conditione acceptus est: restituendã actionẽ in pure acceptũ, Pomponius scribit. Præterea si fideiussor exstitit fideiussori, siue unus, siue plures: æque hic quoq; pertinebit ad eandem caussam: in quorum persona æque locum habebunt ea, quæ sunt à diuo Hadriano constituta. Præterea si quæratur, an soluendo sit principalis fideiussor: etiam uires sequẽtis fideiussoris ei aggregandæ sunt. Sicut ipsi fideiussori, ita hæredibus quoq; eius succurrẽdum, Pomponius scribit. Si fideiussor fuerit principalis & fideiussor fideiussoris: non poterit desiderare fideiussor, ut inter se & eum fideiussorem, pro quo fideiussit, diuidatur obligatio. ille enim loco rei est: nec potest reus desiderare, ut inter se & fideiussorem diuidatur obligatio. Proinde si ex duobus fideiussoribus alter fideiussorem dederit: aduersus eum quidem non diuiditur obligatio, pro quo interuenit

uenit: sed aduersus confideiussorem magis est, ut diuidatur.

XXVIII. CAIVS.

SI contendat fideiussor cæteros soluendo esse: etiam exceptionem ei dandam, SI NON ET ILLI SOLVENDO SINT.

XXIX. IDEM.

SI sub impossibili conditione stipulatus sim: fideiussor adhiberi non potest.

XXX. CAIVS.

FIdeiubere pro alio potest quisq; etiam si promissor ignoret.

XXXI. VLPIANVS.

SI fideiussor, uel quis alius pro reo ante diem creditori soluerit: ex spectare diem debebit, quo eum soluere oportuit.

XXXII. VLPIANVS

EX persona rei (& quidem inuito reo) exceptio, & cætera rei cõmoda fideiussori, cæteris q; accessionibus competere possunt.

XXXIII. IDEM.

SI eum hominem, quem à Titio petieram, pro quo satis de lite acceperam, Titius liberum hæredem q; reliquerit: siquidem re uera ipsius fuit: dicendum est iudicium in eum transferri: & si nõ patiatur id fieri, cõmitti stipulationẽ. Si autem meus petitoris fuerit, neq; iussu meo hæreditatem adierit: fideiussores tenebuntur ob rem non defensam. si autem adierit me iubente: stipulatio euanescit. Planè si meus fuerit, & idcirco differam aditionem, ut cum uicero, tunc eum iubeam adire, & interim ob rem non defensam agere uelim: non committetur stipulatio, quia uir bonus non arbitraretur.

XXXIIII. PAVLVS.

HI, qui accessionis loco promittunt, in leuiorem caussam accipi possunt, in deteriorem non possunt. ideo si à reo mihi stipulatus sum, à fideiussore mihi aut Titio: meliorẽ caussam esse fideiussoris Iulianus putat, quia possit uel Titio soluere. quod si à reo mihi aut Titio stipulatus à fideiussore mihi tantũ interrogem: in deteriorem caussam acceptũ fideiussorem, Iulianus ait. quid ergo, si à reo Stichũ aut Pamphilum, à fideiussore Stichum interrogem? utrum in deteriorem caussam acceptus est sublata electione, an in meliorem? quod & uerum est: quia & mortuo eo liberari potest.

XXXV. IDEM.

CVm fideiubet aliquis pro seruo: in solidum tenetur, etiam si nihil in peculio sit. planè si pro domino fideiubeat, cũ quo de peculio actio est, dũtaxat de peculio tenebitur, quod tunc erit, cum res iudicat.

XXXVI. IDEM. Cum

CVm quis & reum & fideiussores habens, ab uno ex fideiussoribus accepta pecunia præstat actiones: poterit quidem dici nullas iam esse, cum suum perceperit, & perceptione omnes liberatos. sed non est ita. non enim in solutum accepit, sed quodammodo nomen debitoris uendidit. & ideo habet actiones: quia tenetur ad id ipsum, ut præstet actiones.

XXXVII. IDEM.

SI quis postquàm transacto tempore liberatus est, fideiussorem dederit: fideiussor non tenetur: quoniam fideiussio erroris nulla est.

XXXVIII. MARCELLVS.

SI Stichum aut Pamphilum stipulatus essem, utrum promissor uoluisset: non possum fideiussorem ita accipere, Stichum aut Pamphilum, utrum fideiussor uellet: quia futurum esset in eius potestate, aliũ uellẽ, quàm reus uoluisset. A Titio, qui mihi ex testamento sub cõditione decem debuit, fideiussorem accepi, & ei hæres exstiti. deinde conditio legati exstitit. quæro, an fideiussor mihi teneatur? Respõdit. si ei, à quo tibi erat sub cõditione legatum, cum ab eo fideiussorem accepisses, hæres exstiteris: non poteris habere fideiussorem obligatum: quia nec reus est, pro quo debeat, sed nec res ulla, quæ possit deberi.

XXXIX. MODESTINVS.

VT fideiussor aduersus confideiussorem suum agat, actio danda non est. ideoq; si ex duobus fideiussoribus eiusdem quantitatis, cum alter electus à creditore totum exsoluerit, nec ei cessæ sint actiões: alter nec à creditore, nec à fideiussore recte conuenietur.

XL. IDEM.

CVm duo rei constituti sunt: siue ab utroq;, siue ab altero fideiussor datus fuerit: in solidum recte accipietur.

XLI. IDEM *lib.* XIII. *responsorum respondit.*

SI fideiussores in id accepti sunt, quod à curatore seruari non possit: & post impletam legitimã ætatem tam ab ipso curatore, quàm ab hæredibus eius solidum seruari potuerit: & cessante eo, qui pupillus fuit, soluendo esse desierit: non temere utilem in fideiussores actionem competere. Idem respondit. si in solidum condemnatus est unus ex mandatoribus: cum iudicati conueniri cœperit, posse eum desiderare, ut aduersus eos, qui idem mandauerũt, actiones sibi mandentur.

XLII. IABOLENVS.

SI ita fideiussorem accepero, QVOD EGO DECEM CREDIDI, DE EA PECVNIA MILLE MODIOS TRITICI FIDE TVA ESSE IVBES? nõ obligatur fideiussor: quia in aliam rem, quàm quæ credita est, fideiussor obligari non potest: quia non ut æstimatio rerum, quæ mercis numero habent, in pecunia numerata fieri potest, ita pecunia quoq; merce æstimanda est.

XLIII. POMPONIVS.

SI à Titio ſtipulatus fideiuſſorem te acceperim, deinde eandem pecuniam ab alio ſtipulatus alium fideiuſſorem accipiam: confideiuſſores non erunt, quia diuerſarum ſtipulationum fideiuſſores ſunt.

XLIIII. IABOLENVS.

STipulatus es opus arbitratu tuo ante certã diem fieri: quod ſi effectum nõ eſſet, quanti ut efficeretur, opus locaſſes, tanti fideiuſſores accepiſti. & quia opus effectum nõ erat, alij locaſti: & cum poſterior cõductor ſatis non daret, ipſe opus feciſti. quæro, an fideiuſſor teneatur? Reſpondi. ſecundum ea uerba ſtipulationis, quæ à te propoſita ſunt, fideiuſſores non tenentur. non enim id feciſti, quod in ſtipulatione conuenerat: id eſt opus alij non locaſti, tametſi poſtea locaſti. ea enim lo-
al. *nõ es. catio, quam ſecutus * es, perinde eſt, ac ſi interpoſita non eſſet, & ſi ſtatim tu opus facere cœpiſſes.

XLV. SCAEVOLA.

FIdeiuſſor pro uenditore fundorum tuorum, altero euicto, conuentus ab emptore, condemnatus eſt in certam quantitatem. quæſitũ eſt, an cũ hærede uenditoris ante diem, quo iudicatum facere compelleretur, agere poſſit? Reſpondit. agere quidem poſſe: ſed ex iuſta cauſſa ad officiũ iudicis pertinere, quo fideiuſſor aut defendat, aut liberet.

XLVI. IABOLENVS.

CVm lex uenditionibus occurrere uoluit, fideiuſſor quoq; liberat: eo magis, quod per huiuſmodi actionem ad reum peruenitur.

XLVII. PAPINIANVS.

SI debitori deportatio irrogata eſt: nõ poſſe pro eo fideiuſſorem accipi ſcribit Iulianus, quaſi tota obligatio contra eum exſtincta ſit. Si filiusfamilias in cauſſa peculiari ita fideiuſſorẽ acceperit, QVANTAM PECVNIAM CREDIDERO, FIDE TVA ESSE IVBES? & emancipatus credat: patri quidem, ſi non eſt reus obligatus, non tenebitur: filio uero humanitatis intuitu obnoxius eſſe debet.

XLVIII. IDEM.

SI Titius & Seia pro Mæuio fideiuſſerint: ſubducta muliere, dabimꝰ in ſolidũ aduerſus Titium actionem: cum ſcire potuerit, aut ignorare nõ debuerit, mulierem fruſtra intercedere. Huic ſimilis & illa quæſtio uideri poteſt: ob ætatem ſi reſtituatur in integrũ unus fideiuſſor, an alter onus obligationis in integrum excipere debeat? ſed ita demũ onus alteri totum irrogandum eſt, ſi poſtea minor interceſſit, propter incertum ætatis ac reſtitutionis. Quod ſi dolo creditoris inductus ſit minor, ut fideiubeat: non magis creditori ſuccurrendum erit aduerſus confideiuſſorem, quàm ſi facta nouatione circumuento minore deſideret

deret in ueterem debitorem utilem actionem sibi dari.

XLIX. IDEM.

SI testamento liberatum debitorem hæres omittat, fideiussorem autem eius conueniat: proderit exceptio doli fideiussori propter improbitatem hæredis, quæ prodesse reo debuerat, si conueniretur. Ex duobus fideiussoris hæredibus si per errorem alter solidum exsoluat: quidam putant eum habere condictionem, & ideo manere obligatum cohæredem. condictione quoq; cessante, durare obligationem cohæredis probant: propterea quod creditor, qui dum se putat obligatum, partem ei, qui totum dedit, exsoluit: nulla habeat condictione. Quod si duo fideiussores accepti fuerint (uerbi gratia) in uiginti, & alter ex duobus hæredibus alterius fideiussoris totum creditori exsoluerit: habebit quidem decem, quæ ipso iure non debuit, condictione. an autem & alia quinq; repetere possit, si fideiussor alter soluendo est, uidendum est. ab initio enim hæres fideiussoris, siue hæredes, ut ipse fideiussor, audiendi sunt: ut scilicet pro parte singuli, qui fideiussores sunt, conueniantur. sed uerior & utilior est in utroq; casu illa sententia, solutionem non indebitæ quantitatis non debere reuocari: quod etiam epistola diui Pij significatur in persona fideiussoris, qui totum exsoluerat.

Quæsitũ est, an fideiussor, qui Capuæ pecuniam se daturum Romæ promisit, si reus promittendi Capuæ esset, statim conueniri possit? dixi, non magis fideiussorem confestim teneri, quàm si ipse Capuæ spopondisset, cum reus adhuc Capuam peruenire non potuisset. nec ad rẽ pertinere, quod hoc lãtere nemo dubitet, nondum fideiussorem teneri: quia nec ipse reus promittendi teneret. nam è cõtrario quoq; si quis responderit, quoniam debitor Capuæ sit, fideiussorem confestim teneri, non habita ratione taciti proprij temporis: euenturum, ut eo casu fideiussor cõueniatur, quo debitor ipse, si Romæ fuisset, non conueniretur. itaq; nobis placet, fideiussoriam obligationem conditionem tacitã temporis ex utriusq; persona recipere, tam rei promittendi, quàm ipsius fideiussoris: quoniam aliud respõdentibus, contra iuris formam in duriorem conditionem acceptus intelligetur.

L. IDEM.

DEbitori creditor pro parte hæres exstitit. accepto cohærede fideiussore (quod ad ipsius quidem portionem attinet) obligatio ratione confusionis intercidit, aut (quod est uerius) solutionis potestate. sed pro parte cohæredis obligatio salua est, non fideiussoria, sed hæreditaria: quoniam maior tollit minorem.

LI. IDEM.

INter eos fideiussores actio diuidẽda est, qui solidum & partes uiriles

fide sua esse iusserũt. diuersum erit uerbis ita cõceptis, SOLIDVM AVT PARTEM VIRILEM FIDE TVA ESSE IVBES: tunc enim ab initio, nõ nisi uiriles partes, singulos debere conueniet. Fideiussor, qui partem pecuniæ suo nomine uel rei promittẽdi soluit: quo minus residui diuisione facta portionis iudiciũ accipiat, recusare non debet. eam enim quantitatem inter eos, qui sõluendo sunt, diuidi conuenit, quam litis tempore singuli debent. sed humanius est, si & alter soluẽdo sit, litis cõtestationis tempore per exceptionem ei, qui soluit, succurri. Duo rei promittendi separatim fideiussores dederunt. inuitus creditor inter omnes fideiussores actiones diuidere nõ cogitur: sed inter eos dumtaxat, qui pro singulis interuenerunt. planè si uelit inter omnes actionẽ suam diuidere: non erit prohibendus, nõ magis, quàm si duos reos pro partibus cõueniret. Creditor pignus distrahere nõ cogitur, si fideiussorem simpliciter acceptum omisso pignore uelit conuenire. Cum inter fideiussores actione diuisa quidam post litem cõtestatam soluendo esse desierunt: ea res ad onus eius, qui soluendo est, non pertinet. nec auxilio defendetur ætatis actor. nõ enim deceptus uidetur, qui iure cõmuni usus est. Bonis damnati fideiussoris fisco uindicatis, inter fideiussores actio postea si diuidi cœperit: ut hæredis, ita fisci rationem haberi oportet.

LII. IDEM.

AMissi ruina pignoris damnum tam fideiussoris, quàm rei promittendi periculum spectat. nec ad rem pertinebit, si fideiussor ita sit acceptus, QVANTO MINVS EX PRECIO PIGNORIS DISTRACTI SERVARI POTEST. istis enim uerbis etiam totum conuenit contineri. Inter fideiussores actione diuisa condemnatus si desierit esse soluendo: fraus uel segnitia tutoribus, qui iudicatum persequi potuerint, damnum dabit. quod si diuisam actionem inter eos, qui non erãt soluendo, constabit: pupilli nomine restitutionis auxilium implorabitur. Fideiussores à colonis datos etiam ob pecuniam dotis prædiorum teneri conuenit, cum ea quoq; species locationis uinculũ ad se trahat: nec mutat, confestim, an interiecto tempore fidem suam adstrinxerint. Plures eiusdẽ pecuniæ credendæ mandatores, si unus in iudicio eligat, absolutione quoq; secuta, nõ liberantur: sed pecunia soluta, omnes liberantur.

LIII. IDEM.

CApitis postulati fideiussores ex contractu citra ullam præscriptionem à creditore, qui reum postulauerat, recte conueniuntur.

LIIII. PAVLVS.

SI in pignore contrahendo deceptus sit creditor, qui fideiussorem pro

pro mutuo accepit: aget contraria pignoraticia actione. in quam actionem uenit quod interest creditoris. sed ea actio fideiussorem onerare non poterit. non enim pro pignore, sed pro pecunia mutua fidem suã obligat.

LV. IDEM.

SI ita stipulatus à Seio fuero, QVANTAM PECVNIAM TITIO QVANDOQVE CREDIDERO, DARE SPONDES? & fideiussores accepero, deinde Titio sæpius credidero: nempe is Seius in omnes summas obligatus est, & per hoc fideiussores quoq; : & in id, quod ex bonis eius seruari potest, omnibus æquo iure proficere debet.

LVI. IDEM.

SI quis pro eo, qui libertus non esset, & operas præstaturum se iurasset, fideiusserit: non tenebitur. Item si filius à patre, uel seruus à domino stipuletur: nec fideiussor acceptus tenetur: quia nõ potest pro eodem & eidem esse obligatus. ex diuerso ergo patre à filio, uel domino à seruo stipulato, fideiussor acceptus tenetur. Si numos alienos quasi tuos mutuos dederis sine stipulatione: nec fideiussorem teneri Pomponius ait. quid ergo si consumptis numis nascatur condictio? fideiussorem puto obligatum fore. in omnem enim causam acceptus uidetur, quæ ex ea numeratione nasci potuit. Pro furti actione fideiussor accipi potest: item pro eo, qui in legem Aquiliam commisit. diuersa causa est popularium actionum.

LVII. SCAEVOLA.

FIdeiussor ante, quàm reus debeat, conueniri non potest.

LVIII. PAVLVS.

SI à colono stipulatus fideiussorem accepi: una stipulatio est pluriũ pensionum. & ideo in uniuersis pensionibus fideiussor tenetur. Cum facto suo reus principalis obligationem perpetuat, etiam fideiussoris durat obligatio: ueluti si moram fecerit in Sticho soluendo, & is decesserit.

LIX. IDEM.

PAulus respondit. fideiussorem, in quem pignora à confideiussoribus data translata sunt, non emptoris loco substitutum uideri, sed eius, qui pignora accepit. & ideo rationem fructuum & usurarum haberi oportere.

LX. SCAEVOLA.

VBicunq; reus ita liberatur à creditore, ut natura debitum maneat: teneri fideiussorem respondit. cum uero genere nouationis obligatio transeat: fideiussorẽ aut iure, aut exceptione liberandum.

LXI. PAVLVS.

SI (ut proponitur) cum pecunia mutua daretur, ita conuenit, ut

in Italia soluereturr: intelligendum, mandatorem quoq; simili modo contraxisse.

LXII. SCAEVOLA.

SI fideiussor creditori denunciauerit, ut debitorem ad soluendã pecuniam compelleret, uel ut pignus distraheret, isq; cessauerit: an possit eum fideiussor doli mali exceptione submouere? respondit non posse.

LXIII. IDEM.

INter creditorem & debitorẽ pactum interceserat, ut si centum, quæ mutua dederat, ubi primum petita fuissent, non soluerentur, ornamenta pignori data intra certũ tempus liceret ei uendere: & si quo minoris uenissent, quàm quod sortis uel usurarum nomine deberetur, id creditori redderetur: & fideiussor acceptus est. quæsitũ est, an fideiussor in uniuersam obligari summã potuerit? Respõdit, secundum ea, quæ proponerentur, teneri fideiussorẽ in id, quod minus ex pignoribus uenditis redactum esset.

LXIIII. HERMOGENIANVS.

FIdeiussor, qui minori uigintiquinq; annis pecuniam obtulit, & in publico loco metu in integrum restitutionis consignatam deposuit, confestim experiri mandati poterit.

LXV. IDEM.

SIcut reus principalis nõ aliàs, quàm si de sua persona promittat, obligatur: ita fideiussores non aliàs tenentur, quàm si se quid daturos uel facturos promittant. nã reum principalem daturũ uel facturum aliquid frustra promittũt: quia factum alienũ inutiliter promittitur.

LXVI. PAVLVS.

SI seruus alienus pro Titio fideiussit & soluit: liberatur Titius, si dominus mandati contra eum agere instituit. nam qui mandati agit, ratam habere solutionem uidetur.

LXVII. IDEM.

EXceptione, quæ tibi prodesse debebat, usus, iniuria iudicis damnatus es. nihil tibi præstabitur iure mandati: quia iniuriã illam, quæ tibi facta est, penes te manere, quàm ad alium transferri, æquius est: scilicet si culpa tua iniustæ damnationis caussam præbuisti.

LXVIII. IDEM.

FIdeiussores magistratuũ in pœnam uel multã, quam non spopondissent, non debere cõueniri decreuit. Pro Aurelio Romulo conductore uectigalis centũ annua Petronius Thallus & alij fideiusserant. bona Romuli fiscus occupauerat, ut obligata sibi: & conueniebat fideiussores tam in sortem, quàm in usuras. qui deprecabantur, lecta subscriptione fideiussionis: quoniã in sola centum annua se obligauerant, non

non in omnẽ conductionẽ: decreuit fideiussores in usuras non teneri: sed quidquid ex bonis fuisset redactum, prius in usuras cedere, reliquũ in sortem: & ita in id, quod defuisset, fideiussores conueniendos exemplo pignorum à creditore distractorum. Non possunt conueniri fideiussores, liberato reo transactione.

LXIX. TRIPHONINVS.

TVtor datus eius filio, cui ex fideiussoria caussa obligatus erat, à semetipso exigere debet: & quãuis tempore liberatus erit, tamẽ tutelæ iudicio eo nomine tenebitur. item hæres eius: quia cũ eo ob tutelam nõ ex fideiussione agitur. & quãuis nõ quasi fideiussor, sed quasi tutor soluerit: etiam si tempore liberatus est, mandati actionem eum habere aduersus reum promittendi, dixi. inhæret enim in utraq; caussa adhuc illius debiti persecutio. nam eius solutione liberauit reum promittendi ab obligatione, in qua pro eo fideiusserat: & non titulus actionis, sed debiti caussa respicienda est. licet enim is tutor, qui fideiussor apud pupillum pro eo obligatus est, soluit se authore pupillo: quia reo promittendi liberato, & ipse tutor idemq; fideiussor liberabitur: quod sua authoritate efficere nõ potest: tamen si non pro se soluendi animo, sed pro Titio fecit, ut maxime eum liberet, cũ eo mandati actionẽ habebit.

LXX. CAIVS.

SI à reo sub conditione fuero stipulatus: potero fideiussorẽ & in hãc, & in aliam conditionem obligare: si modo eas coniungã. nisi enim utraq; exstiterit, non tenebitur, cum reus ex una conditione teneatur. quod si eas disiungam: durior fit conditio fideiussoris, atq; ob id obligatur: quippe siue cõmunis utriusq; conditio exstiterit, siue alterutra, uidetur adpræhendi: cum reus non aliter teneatur, quàm si communis exstiterit. aut igitur nullo modo tenebitur fideiussor: aut (quod magis est) ita tenebitur, si prius exstiterit cõmunis. Sub diuersis quoq; conditionib9 si fuerint interrogati: interest, utra earũ prior exstiterit. si reo iniuncta: tenebitur etiam fideiussor, cum conditio eius exstiterit, tanquam si statim ab initio reus pure, fideiussor sub conditione acceptus esset. Ex diuerso autem, si fideiussoris conditio prior exstiterit, non tenetur: perinde ac si statim ab initio pure acceptus esset, reo sub conditione obligato. Si reo in fundum obligato fideiussor in usumfructũ accipiatur: quæsitum est, utrũ obligetur fideiussor, quasi in minus: an non obligetur, quasi in aliud? nobis in eo uidetur dubitatio esse, usus fructus pars rei sit, an propriũ quiddam. sed cum ususfructus fundi ius est: inciuile est, fideiussorem ex sua promissione non teneri. Adeo à seruo potest fideiussor accipi, ut ipse quoq; dominus in id, quod sibi debetur, fideiussorem ab eo recte accipiat: quem fideiussorẽ etiam ab eo-

ipso

ipso seruo interrogari,nihil impedit. Si à furioso stipulatus fueris: non posse te fideiussorem accipere,certum est:quia non solum ipsa stipulatio nulla interceſſit,sed ne negocium quidem ullum gestum intelligitur.quod si pro reo furioso iure obligato fideiussorem accepero:tenetur fideiussor. Id,quod uulgo dictum est,maleficiorum fideiussorem accipi non posse:non sic intelligi debet,ut in pœna furti is,cui furtum factum est,fideiussorem accipere non possit(nam pœnas ob maleficia solui,magna ratio suadet)sed ita potius,ut quis cum alio,cũ quo furtũ admisit,in partẽ,quam ex furto sibi restitui desiderat, fideiussorem obligare non possit:& qui alieno hortatu ad furtum faciendũ pro uectus est,ne in furti pœnam ab eo,qui hortatus est,fideiussorem accipere possit.in quibus casibus illa ratio impediet fideiussorem obligari: quia scilicet in nulla ratione adhibeatur fideiussor,cũ flagitiosæ rei societas coita nullam uim habeat.

LXXI. PAVLVS.

VRanius Antoninus pro Iulio Pollione & Iulio Rufo pecuniam mutuam accipiẽtibus,ita ut duo rei eiusdem debiti essent, apud Aurelium Palmam mandator exstitit. Iulij bona ad fiscũ deuenerunt. similiter & creditori fiscus succesſerat,& mandator allegabat se liberatum iure confusionis:quia fiscus tam creditori,quàm debitori succesſerat.Et quidem si unus debitor fuisset: non dubitabã, sicut fideiussorẽ, ita & mandatorem liberatũ esse.quamuis enim iudicio conuento principali debitore mandator nõ liberetur:tamen ubi succesſit creditor debitori,ueluti solutionis iure sublata obligatione,etiam mandator liberatur,uel quia non potest pro eodem apud eundem quis mandator esse.sed cum duo rei promittendi sint, & alteri exstiterit hæres creditor: iusta dubitatio est,utrum alter quoq; liberatus sit,ac si fuisset soluta pecunia:an persona tantum exempta,confusa obligatione.& puto additione hæreditatis confusione obligationis eximi personam.sed & accessiones ex eius persona liberari propter illam rationẽ : quia nõ possunt pro eodem apud eundem obligati esse,ut quemadmodũ incipere aliàs non possunt,ita nec remaneãt. igitur alterum reum eiusdem pecuniæ non liberari:& per hoc nec fideiussorem, uel mandatorem eius.planè quia is mandati iudicio eligere potest uel creditorẽ: competiturã ei exceptionẽ doli mali,si cœperit conueniri. cũ altero aũt reo uel in solidũ, si non fuerit societas:uel in partem,si socij fuerunt,posse creditorẽ agere.quod si creditor fideiussori hæres fuerit,uel fideiussor creditori:puto conuenire,confusione obligationis reum non liberari. Si ponamus unum ex reis promittẽdi pactũ esse,ne à se peteretur,deinde mandatorem soluisse: mandati iudicio conuenire potuerit etiã eum, cum quo

quo pactum est. non enim pactum creditoris tollit actionem alienam.

Placet mandatorem teneri, etiam si fœnerator creditori mandet pecuniam credere.

LXXII. CAIVS.

SI fideiussori sub conditione obligato, SI NAVIS EX ASIA VENERIT, quem sub hoc modo accepi, ut usq; ad tempus uitæ suæ duntaxat obligaretur, & pendēte conditione acceptū latum fuerit, & is fideiussor adhuc pendente conditione mortuus fuerit: confestim à reo petere possum: quia existens conditio neq; obligationem in personā iam mortui efficere, neq; acceptilationē confirmare possit.

LXXIII. PAVLVS.

CVm procurator in rem ageret, cautionē dederat, ratam rem dominum habiturum. postea uicto eo, reuersus dominus iterum de eadem re agitabat: & cum reus haberet possessionem, & nollet eam restituere, ideo magno condemnatus est. in amplius fideiussores non tenentur. hoc enim non debet imputari fideiussoribus, quod ille propter suam pœnam præstitit.

DE NOVATIONIBVS ET DELEgationibus. Tit. II.

I. VLPIANVS.

NOuatio est prioris debiti in aliam obligationem, uel ciuilem, uel naturalem transfusio atq; translatio: hoc est cū ex præcedenti causa ita noua constituitur, ut prior perimatur. nouatio eñ à nouo nomen accepit, & à noua obligatione. Illud non interest, qualis præcessit obligatio, utrum naturalis, an ciuilis, an honoraria: & utrum uerbis, an re, an consensu. qualiscunq; igitur obligatio sit, quæ præcessit, nouari uerbis potest: dummodo sequens obligatio, aut ciuiliter teneat, aut naturaliter: utputa si pupillus sine tutoris authoritate promiserit.

II. IDEM.

OMnes res transire in nouationem possunt. quodcunq; enim, siue uerbis cōtractum est, siue non uerbis, nouari potest, & transire in uerborum obligationem ex quacunq; obligatione: dūmodo sciamus nouationem ita demum fieri, si hoc agatur, ut nouetur obligatio. cæterum si hoc non agatur: duæ erunt obligationes.

III. POMPONIVS.

CVi bonis interdictum est, nouare obligationem suam nō potest, nisi meliorem conditionem suam fecerit.

IIII. VLPIANVS.

SI ususfructus debitorem meum tibi delegauero: non nouatur obligatio mea, quamuis exceptione doli uel in factum tutus debeat esse aduersus me is, qui delegatus fuerit. & non solum donec manet eius ususfructus, cui delegaui, sed etiam post interitū eius uidebimus: quia etiam hoc incommodum sentit, si post mortem meam maneat eius ususfructus. & hæc eadem dicēda sunt in qualibet obligatione personæ cohærenti.

V. IDEM.

IN diem obligatio potest nouari, & prius quàm dies aduenerit. & generaliter constat, ex stipulatione in diem facta nouationem contingere: sed nō statim ex ea stipulatione agi posse ante, q̄ dies aduenerit.

VI. IDEM.

SI ita fuero stipulatus: QVANTO MINVS A' TITIO DEBITORE EX SEGERO, TANTVM FIDEIVBES? non fit nouatio: quia nō hoc agitur ut nouetur. Cum pecuniam mutuam dedit quis sine stipulatione, & ex continenti fecit stipulationem, unus cōtractus est. idem erit dicendum, & si ante stipulatio facta, mox pecunia numerata sit.

VII. POMPONIVS

CVm em̄ pecuniam mutuam datam stipulamur, non puto obligationem ex numeratione nasci, & deinde eam stipulatiōe nouari: & quia id agitur, ut sola stipulatio teneat, magis implendæ stipulationis gratia numeratio fieri intelligenda est.

VIII. VLPIANVS

SI Stichum dari stipulatus fuerim, & cum in mora promissor esset, quo minus daret, rursus eundem stipulatus fuero: desinit periculū ad promissorem pertinere, quasi mora purgata. Legata uel fideicōmissa si in stipulationem fuerint deducta, & hoc actum sit, ut nouetur: fiet nouatio. si pure quidem uel in diem fuerint relicta: statim. si uero sub conditione: non statim, sed ubi conditio exstiterit. nam & aliàs qui in diem stipulatur, statim nouat, si hoc actum est, cum certum sit diem quandoq; uenturum. at qui sub conditione stipulatur: non statim nouat, nisi condirio exstiterit. Si quis ita stipulatus à Seio sit, QVOD A' TITIO STIPVLATVS FVERO, DARE SPONDES? an si postea à Titio stipulatus sim, fiat nouatio, solusq; teneatur Seius? & ait Celsus nouationem fieri: si modo id actum sit, ut nouetur: id est ut Seius debeat, qd̄ Titius promisit. nam eodem tempore & impleri prioris stipulationis conditionem, & nouari ait: eoq; iure utimur. Idem Celsus ait, IVDICATVM SOLVI stipulatione actionem iudicati non nouari, meritò: quia hoc solum agatur ea stipulatione, ut & fideiussoribus cautum sit, non ut ab obligatione iudicati discedatur. Si decem, quæ mihi

Titius,

Titius,aut decẽ,quæ Seius debet,à Tertio ſtipulatus fuerõ:putat Marcellus neutrum liberari:ſed Tertium eligere poſſe,pro quo decem ſoluere uelit. Si ab alio promiſſam ſibi dotem maritus ab uxore dotis nomine ſtipulatus ſit: non duplari dotem,ſed nouationẽ fieri placet, ſi hoc actum eſt.quid enim intereſt,ipſa,an alius quilibet promittat? quod enim ego debeo,ſi alius promittat:liberare me poteſt,ſi nouationis cauſſa hoc fiat.ſi autem non nouandi animo interuenit hoc:uterq; quidem tenetur,ſed ſoluente altero alter liberatur.nõ tamen ſi quis ſtipuletur,quod mihi debetur, aufert mihi actionem, niſi ex uoluntate mea ſtipuletur.liberat autem me is,qui quod debeo,promittit, etiã ſi nolim.

IX. IDEM.

SI pupillus ſine tutoris authoritate rem ſaluam fore ſtipulatus,puberes factus ratam ſtipulationem habuerit:nouãdi cauſſa tollitur tutelæ actio. ſi non habuerit ratum:licet tutelæ egiſſet,habet tamen adhuc ex ſtipulatu actionem:ſed iudex tutelæ non aliter condemnare debet, quàm ſi ex ſtipulatione liberatio fiet. Qui ſub conditione ſtipulatur,quæ omnino exſtitura eſt,pure uidetur ſtipulari. Qui actũ ſtipulatur,deinde iter,nihil agit.item uſumfructum ſtipulatus,ſi uſum ſtipuletur:nihil agit.ſed qui iter ſtipulatus,actum poſtea ſtipulatur: aliud magis ſtipulatur.aliud enim eſt iter,aliud actus.

X. PAVLVS.

CVi recte ſoluitur,is etiam nouare poteſt:excepto eo,ſi mihi aut Titio ſtipulatus ſim.nam Titius nouare non poteſt, licet ei recte ſoluatur.

XI. VLPIANVS.

DElegare eſt uice ſua aliũ dare reũ creditori,uel cui iuſſerit. fit aũt delegatio uel per ſtipulationem, uel per litis conteſtationem.

XII. PAVLVS.

SI quis delegauerit debitorem,qui doli mali exceptione tueri ſe poſſe ſciebat:ſimilis uidebitur ei, qui donat: quoniam remittere exceptionem uidetur. ſed ſi per ignorantiam promiſerit creditori:nulla quidem exceptione aduerſus creditorem uti poterit, quia ille ſuum recepit:ſed is,qui delegauit,tenetur condictione,uel incerti, ſi pecunia ſoluta non eſſet:uel certi,ſi ſoluta eſſet.& ideo cum ipſe præſtiterit pecuniam,aget mandati iudicio.

XIII. VLPIANVS.

SI non debitorem delegauero quaſi debitorem creditori meo:exceptio locum non habebit:ſed condictio aduerſus eum, qui delegauit, competit.

XIIII. IDEM.

QVoties quod pure debetur, nouandi cauſſa ſub conditione pro-

mittitur:non ſtatim fit nouatio,ſed tunc demum, cum conditio exſti terit.& ideo ſi forte Stichus fuerit in obligatione,& pendente conditio ne deceſſerit:nec nouatio contingit:quia non ſubeſt res eo tempore,q̃ conditio impletur.unde Marcellus,& ſi poſt moram Stichus in condi tionalem obligationem deductus ſit,purgari moram, nec in ſequentẽ obligationem deduci putat. Sed ſi quod ſub conditione debẽt,pu re quis nouandi cauſſa ſtipuletur:ne nũc quidem ſtatim nouat,licet pu ra ſtipulatio aliquid egiſſe uideatur:ſed tunc nouabit, cum cõditio exſtiterit.etenim exiſtens conditio primam ſtipulationem committit, commiſſamq̃ in ſecundam transfert.& ideo ſi forte perſona promiſſoris pẽdente conditione fuerit deportata:Marcellus ſcribit, ne quidẽ exiſtente conditione ullam contingere nouationem: quoniam nunc, cum exſtitit conditio,non eſt perſona,quæ obligetur.

XV. IVLIANVS.

SI creditor pœnam ſtipulatus fuerit,ſi ad diem pecunia ſoluta non eſſet:nouatione facta non committetur ſtipulatio.

XVI. FLORENTINVS.

SEruus ne peculiarem quidem obligationem citra uoluntatem domini nouare poteſt:ſed adijcit potiꝰ obligationẽ,q̃ priſtinã nouet.

XVII. VLPIANVS.

DElegare ſcriptura,uel nutu,ubi fari non poteſt,debitorem ſuum quis poteſt.

XVIII. IVLIANVS.

NOuatione legitime facta,& hypothecæ liberantur, & pignus, & uſuræ non currunt.

XIX. IDEM.

DOli exceptio,quæ poterat deleganti opponi, ceſſat in perſona creditoris,cui quis delegatus eſt. Idemq̃ eſt & in cæteris ſimilibus exceptionibus.imõ & in ea,quæ ex ſenatuſconſulto filiofamilias datur.nam & aduerſus creditorem,qui delegatus eſt ab eo,qui mutuam pecuniam contra ſenatuſconſultum dederat,nõ utetur exceptione:quia nihil in ea promiſſione contra ſenatuſconſultum factum eſt. ideoq̃ quod ſolnitur,repetere nõ poteſt:tanto magis,quod nec hic ſolutum repetere poteſt. diuerſum eſt in muliere,quæ contra ſenatuſconſultum ꝓmiſit.nam & in ſecũda pomiſſione interceſſio eſt. Idemq̃ eſt in minore,qui circumſcriptus delegatur:quia ſi nunc etiam eſt minor,rurſus circũuenitur. diuerſum eſt, ſi iam exceſſit ætatem uiginti quinq̃ annorum,quamuis adhuc poſſit reſtitui aduerſus priorem creditorem.ideoq̃ autem denegantur exceptiones aduerſus ſecundum creditorem:quia in priuatis contractibus & pactionibus non facile ſcire pe

re petitor potest, quid inter eum, qui delegatus est, & debitorē actū est: aut etiam si sciat, dissimulare debet, ne curiosus uideatur. & ideo meri to denegāda est aduersus eum exceptio ex persona debitoris.

XX. IDEM.

NOuare possumus, aut ipsi, si sui iuris sumus: aut per alios, qui uo luntate nostra stipulantur. Pupillus sine tutoris authoritate non potest nouare: tutor potest, si hoc pupillo expediat: item procura tor omnium bonorum.

XXI. CAIVS.

SI debitorem meum iussero tibi soluere: non statim tu etiā stipulan do id nouare possis, quamuis debitor soluendo tibi liberetur.

XXII. PAVLVS.

SI quis absente me à debitore meo stipulatus sit nouandi animo, & ego postea ratum habuero: nouo obligationem.

XXIII. POMPONIVS.

FIlius patris actionem ignorante eo nouare non potest.

XXIIII. IDEM.

NOuatio non potest contingere ex ea stipulatione, quæ non com mittitur. nec huic contrarium est, quod si stipulatus à Titio fue ro nouandi animo sub conditione, quod mihi Sempronius debet, & pendente conditione Titius decesserit, quamuis ante aditam hæredita tem conditio exstiterit: nouatio fieret. hic enī morte promissoris non exstinguitur stipulatio, sed transit ad hæredem, cuius personam inte rim hæreditas sustinet.

XXV. CELSVS.

NOn ideo nouare ueterem obligationem quisquā recte potest, qđ interdū recte ei soluitur. nam & his, qui in nostra potestate sunt, quod ab his creditum est, recte interdum soluitur: cum nemo eorum per se nouare priorem obligationem iure possit.

XXVI. IDEM.

SI is, cui decem Titius, quindecim Seius debebat, ab Attio stipula tus est, quod ille aut ille debeat, dari sibi: nouatum utrunq; nō est, sed in potestate Attij est, pro quo uelit soluere, & eum liberare. finga mus autem ita actum, ut alterutrum daret. nam alioquin utrunq; stipu latus uidetur, & utrunq; nouatum, si nouandi animo hoc fiat.

XXVII. PAVLVS.

EMptor cum delegante uenditore pecuniam ita promittit, QVID QVID EX VENDITO DARE FACERE OPORTET: nouatione se cuta, usuras neutri post insecuti temporis debet.

XXVIII. IDEM.

FVndum Cornelianũ ſtipulatus, quanti fundus eſt, poſtea ſtipulor: ſi non nouandi animo ſecunda ſtipulatio facta eſt, ceſſat nouatio. ſecunda uero ſtipulatio tenet, ex qua non fundus, ſed pecunia debetur. itaq; ſi reus promittendi fundũ ſoluat: ſecunda ſtipulatio iure non tollitur, nec ſi litem actor ex prima cõteſtetur. deniq; meliore uel deteriore facto ſine culpa debitoris poſtea fundo petito: præſens æſtimatio fundo petito recte conſideretur. in altera uero ea æſtimatio uenit, quæ ſecundæ ſtipulationis tempore fuit.

XXIX. PAVLVS.

ALiam cauſſam eſſe nouationis uoluntariæ, aliam iudicij accepti, multa exempla oſtendunt. perit enim priuilegium dotis & tutelæ, ſi poſt diuortium dos in ſtipulationẽ inducatur, uel poſt pubertatẽ. tutelæ actio nouetur: ſi id ſpecialiter actum eſt, quod nemo dixerit lite conteſtata. neq; enim deteriorem cauſſam noſtram facimus actionem exercentes, ſed meliorem: ut ſolet dici in his actionibus, quæ tempore uel morte finiri poſſunt.

XXX. IDEM.

PAulus reſpondit. ſi creditor à Sempronio nouandi animo ſtipulatus eſſet, ita ut à prima obligatiõe in uniuerſum diſcederet: rurſus eaſdẽ res à poſteriore debitore ſine cõſenſu prioris obligari non poſſe.

XXXI. VENVLEIVS.

SI rem aliquam dari ſtipulatus ſim, deinde eandem nouandi animo ſub cõditione ab eodem ſtipuler: manere oportet rem in rebus humanis, ut nouationi locus ſit: niſi ſi per promiſſorẽ ſteterit, quo minus daret. ideoq; ſi hominem mihi dare te oporteat, & in mora fueris, quo minus dares: etiam defuncto eo teneris. & ſi prius, quàm decederet, cũ iam mora facta ſit, eundem à te ſub conditione ſtipulatus fuero, & ſeruus poſtea deceſſerit, deinde conditio exſtiterit, cum iam ex ſtipulatu obligatus es mihi: nouatio quoq; fiet. Si duo rei ſtipulandi ſint, an alter ius nouãdi habeat, quæritur: & quid iuris unuſquiſq; ſibi adquiſierit? ferè autem conuenit (& recte) uni ſolui, unum in iudicio petentem totã rem in litem deducere, item unius acceptilatione perimi utriuſq; obligationem. ex quibus colligitur, unumquenq; perinde ſibi adquiſiſſe, ac ſi ſolus ſtipulatus eſſet: excepto eo, quod etiam facto eius, cum quo commune ſtipulandi ius eſt, admittere debitorem poteſt. ſecundũ quæ ſi unus ab aliquo ſtipuletur, nouatione quoq; liberare eum ab altero poterit, cum id ſpecialiter agit: eo magis, cum eam ſtipulationem ſimilem eſſe ſolutioni exiſtimemus. alioquin quid dicemus, ſi unus delegauerit creditori ſuo cõmunem debitorem, iſq; ab eo ſtipulatus fuerit; aut mulier fundum iuſſerit doti promittere uiro, uel nuptura ipſi

doti

doti eum promisit? nam debitor ab utroq; liberabitur.

XXXII. PAPINIANVS.

THominem, & Seium mihi decem dare oportet. stipulor ab altero nouandi causſa ita, quod te aut Seium dare oportet. utrũq; nonat. PAVLVS. merito: quia utrũq; in posteriorẽ deducit̃ stipulationẽ.

XXXIII. TRIPHONINVS.

SI Titius donare mihi uolens, delegatus à me, creditori meo stipulanti ſpopondit: non habebit aduerſus eum illam exceptionem, ut quatenus facere poteſt, cõdemnetur. nam aduerſus me tali defenſione merito utebatur, quia donatũ ab eo petebã: creditor autem debitũ perſequit̃.

XXXIIII. PAVLVS.

DVbitari non debet, quin filius ſeruuſue, cui adminiſtratio peculij̃ conceſſa eſt, nouandi quoq; pecularia debita ius habeat: utiq; ſi ipſi ſtipulentur, maxime etiam ſi meliorem ſuam conditionẽ eo modo faciant. nam ſi alium iubeant ſtipulari: intereſt, utrum donandi animo alium iubeant ſtipulari, an ut ipſi filio ſeruoue negociũ gerat. quo nomine etiam mandati actio peculio adquirit̃. Adgnatum furioſi, aut prodigi curatorem nouandi ius habere, minime dubitandum eſt: ſi hoc furioſo uel prodigo expediat. In ſumma admonendi ſumus nihil uetare, una ſtipulatione plures obligationes nouari: ueluti ſi ita ſtipulemur, QVOD TITIVM ET SEIVM MIHI DARE OPORTET, ID DARE SPONDES? licet enim ex diuerſis cauſſis ſinguli fuerant obligati: utriq; tamen nouationis iure liberantur: cũ utriuſq; obligatio in huius perſonam, à quo nunc ſtipulemur, confluat.

DE SOLVTIONIBVS ET LIBERATIONIBVS. Tit. III.

I. VLPIANVS.

QVoties quis debitor ex pluribus cauſſis unum debitum ſoluit, in arbitrio ſoluentis eſt dicere, quod potius debitum uoluerit ſolutum: & quod dixit, id erit ſolutũ. poſſumus enim certam legem dicere ei, quod ſoluimus. quoties uero nõ dicimus id, quod ſolutum ſit: in arbitrio eſt accipiẽtis, cui potius debito acceptũ ferat: dũmodo in id cõſtituat ſolutũ, in quo ſi ipſe deberet, eſſet ſolutur9: id eſt in id debitũ, quod nõ eſt in controuerſia: aut in illud, quod quis pro alio fideiuſſerat: aut cuius dies nondum uenerat. æquiſſimũ enim uiſum eſt, creditorem ita agere rem debitoris, ut ſuam gereret. permittit̃ ergo creditori cõſtituere, in quod ſolutum uelit: dũmodo ſic conſtituat, ut in re ſua conſtitueret. ſed conſtituere

ſtituere in re præſenti, hoc eſt ſtatim, atq; ſolutum eſt, debet.

II. FLORENTINVS.

CVm in re agenda hoc fiat, ut uel creditori liberum ſit, non accipere, uel debitori non dare, ſi alio nomine exſolutũ quis eorũ uelit.

III. VLPIANVS.

CAeterum poſtea non permittitur. hæc res efficiet, ut in duriorem cauſſam ſemper uideatur ſibi debere acceptò ferre. ita enim & in ſuo conſtitueret nomine. quod ſi forte à neutro dictum ſit: in his quidẽ nominibus, quæ diem uel conditionem habuerint, id uidetur ſolutũ, cuius dies iam uenit.

IIII. POMPONIVS.

ET magis quod meo nomine, quàm quod pro alio fideiuſſorio nomine debeo: & potius quod cum pœna, cẽq; quod ſine pœna debetur: & potius quod ſatiſdatò, quàm quod ſine ſatiſdatione debeo.

V. VLPIANVS.

IN his uero, quæ præſenti die debentur: conſtat, quoties indiſtincte quid ſoluitur, in grauiorem cauſſam uideri ſolutum. ſi autem nulla prægrauet, id eſt ſi omnia nomina ſimilia fuerint: in antiquiorem. grauior etiam uidetur, quæ ſub ſatiſdatione debetur, quàm ea, quæ pura eſt. Si duos quis dederit fideiuſſores: poteſt ita ſoluere, ut unum liberẽt. Imperator Antoninus cum diuo patre ſuo reſcripſit: cum diſtractis pignoribus creditor pecuniam redegit, ſi ſint uſuræ debitæ, & aliæ indebitæ: quod ſoluitur in uſuras, ad utrãq; cauſſam uſurarum, tam debitarum, quàm indebitarum pertinere: puta quædã earum ex ſtipulatione, quædam ex pacto naturaliter debebantur. ſi uero ſumma uſurarum debitarum & non debitarum non eadem ſit: æqualiter ad utramq; cauſſam proficit, quod ſolutum eſt, non pro rata, ut uerba reſcripti oſtendunt. ſed ſi forte uſuræ non ſunt debitæ, & quis ſimpliciter ſoluerit, quas omnino non erat ſtipulatus. imperator Antoninus cũ diuo patre ſuo reſcripſit, ut in ſortem cedant: eidem autem reſcripto, ita ſubiicitur. quod generaliter conſtitutum eſt, prius in uſuras numum ſolutum acceptò ferendũ: ad eas uſuras uidetur pertinere, quas debitor exſoluere cogitur: & ſicut ex pacti conuentione datæ repeti nõ poſſunt, ita proprio titulo non numeratæ pro ſolutis ex arbitrio percipientis non habebuntur. Apud Marcellũ libro uiceſimo digeſtorũ quæritur. ſi quis ita cauerit debitori, in ſortẽ & uſuras ſe accipere: utrũ pro rata & ſorti & uſuris decedat: an uero prius in uſuras, & ſi quid ſupereſt in ſortem? ſed ego non dubito, quin hæc cautio in ſortẽ & in uſuras admittatur. ſed prius in uſuras: tunc demum, ſi quid ſuperfuerit, in ſortem cedat.

Paulus

VI. PAVLVS.

NEc enim ordo scripturæ spectatur, sed potius ex iure sumitur id, quod agi uidetur.

VII. VLPIANVS.

SI quid ex famosa caussa & non famosa debeat: id solutũ uidebitur, quod ex famosa caussa debetur. proinde si quid ex caussa iudicati & non iudicati debeatur: id putem solutum, quod ex caussa debeatur iudicati: & ita Pomponius probat. ergo & si ex caussa, quæ inficiatione crescit, uel pœnali debetur: dicendum est, id solutum uideri, quod pœnæ habet liberationem.

VIII. PAVLVS.

ILlud non inelegantes scriptum esse Pomponius ait: si par & dierum & contractuum caussa sit, ex omnibus summis pro portione uideri solutum.

IX. VLPIANVS.

SI stipulatus sum mihi aut Sticho seruo Sempronij solui: Sempronio solui non potest, quamuis dominus serui sit. Qui decem debet, partẽ soluendo in partem obligationis liberatur, & reliqua quinq; sola in obligatione remanent. item qui Stichum debet, parte Stichi data in reliquam partem Stichi tenetur. qui autem hominem debet: parte Stichi dando, nihilominus hominem debere nõ desinit. deniq; homo adhuc ab eo peti potest. sed si debitor reliquam partem Stichi soluerit, uel per actorem steterit, quo minus accipiat: liberatur.

X. PAVLVS.

QVod stipulatus ita sum, MIHI AVT TITIO: Titius nec petere, nec nouare, nec acceptũ facere potest, tantumq; ei solui potest.

XI. POMPONIVS.

SI stipulatus fuero MIHI AVT PVPILLO DARE? promissor sine tutoris authoritate soluendo pupillo, liberabitur à me.

XII. VLPIANVS.

VEro procuratori recte soluitur. uerum autem accipere debemus eum, cui mandatum est uel specialiter, uel cui omnium negotiorum administratio mandata est. Interdum tamen & non procuratori recte soluitur: utputa cuius nomen stipulationi insertum est, si quis stipuletur SIBI AVT TITIO. Sed & si quis mandauerit, ut Titio soluam, deinde uetuerit eum accipere: si ignorans prohibitum eum accipere, soluam: liberabor. sed si sciero: non liberabor. alia caussa est, si mihi proponas aliquem stipulatum SIBI AVT TITIO. hic enim, & si prohibeat me Titio soluere, soluendo tamen liberabor: quia certam conditionem habuit stipulatio, quam stipulator immutare nõ potuit. Sed

& si nō uero procuratori soluam, ratum autē dominus habeat, quod solutum est:liberatio contingit. rati enim habitio mandato cōparatur.

XIII. IVLIANVS.

RAtum autem habere dominus debet,cum primum certior factus est.sed hoc ἐν πλάτει cum quodā spacio temporis accipi debet: sicut in legato,cum de repellendo quæreretur,spacium quoddam temporis adsumitur.nec minimum,nec maximum:& quod magis intellectu percipi,quàm elocutione possit exprimi.

XIIII. VLPIANVS.

QVod si forte quis ita soluat, ut nisi ratum habeatur, condicat: si dominus solutionem ratam non habuerit: condictio ei,qui soluit, competit. Sunt quidā tutores,qui honorarij appellantur:sunt, qui rei noticiæ gratia dantur:sunt,qui ad hoc dantur ,ut gerant. & hoc uel pater adijcit,ut unus(puta) gerat:uel uoluntate tutorum uni committitur gestus:uel prætor ita decernit.dico igitur,cuicunq; ex tutoribus fuerit solutum,& si honorarijs(nam & ad eos periculum pertinet) recte solui:nisi interdicta eis fuerit à prætore administratio. nam si interdicta est:non recte soluitur.idem dico,& si sciens quis suspectis postulatis soluat.nam his interim uidetur interdicta administratio. Quod si remoto soluerit,aut qui tutor esse desierat: non liberabitur. Quid ergo si soluit ei,in cuius locum curator erat cōstituendus,utputa relegato in perpetuum,uel ad tempus:dico,si ante soluit,quàm substitueretur curator:oportere liberari. sed & qui abfuturo caussa reipublicæ soluit,recte soluit.quinimò & si absenti:si modo nō est alius in loco eius substitutus. Siue autē legitimi sint,siue testamentarij,siue ex inquisitione dati:recte uel uni soluitur. Ei,qui noticiæ gratia datus est, an recte soluatur,uidendum est:quia ad instruendos cōtutores datur. sed cum tutor sit:nisi prohibitum fuerit ei solui,puto liberationem cōtingere. Curatori quoq; furiosi recte soluitur.item curatori non sufficientis sibi uel per ætatem,uel per aliam iustam caussam.sed & pupilli curatori recte solui constat. Pupillum sine tutoris authoritate nec soluere posse,palam est.sed si dederit numos:non fient accipientis,uindicarique poterunt.planè si fuerint consumpti:liberabitur.

XV. PAVLVS.

PVpillo solui sine tutoris authoritate non potest.sed nec delegare potest:quia nec alienare ullam rem potest.si tamen soluerit ei debitor,& numi salui sint: petentem pupillum.doli mali exceptione debitor submouebit.

XVI. POMPONIVS.

SVb conditione debitor,si acceptum feratur,postea conditione exi

stente

stente intelligitur iam olim liberatus: & hoc etiã si solutio re fiat, accidere Aristo dicebat. scripsit enim: si quis sub conditione pecuniam promisit, dedit'q; ea conditione, ut si conditio exstitisset, in solutum cederet: existente conditione liberari eum, nec obstare, quod ante eius pecunia facta est.

XVII. IDEM.

CAssius ait. si cui pecuniam dedi, ut eam creditori meo solueret: si suo nomine dederit, neutrum liberari: me, quia non meo nomine data sit: illum, quia alienam dederit. cæterum mandati eum teneri. sed si creditor eos numos sine dolo malo consumpsisset: is, qui suo nomine eos soluisset, liberabitur: ne si aliter obseruaretur, creditor in lucro uersaretur.

XVIII. VLPIANVS.

SI quis seruo pecunijs exigendis præposito soluisset post manumissionem: siquidem ex contractu domini: sufficiet, quod ignorauerit manumissum. qd' si ex caussa peculiari: quãuis scierit manumissum: si tamen ignorauerit ademptum ei peculium, liberatus erit. Vtroq; casu autem manumissus, si interuertendi caussa id fecerit, furtum domino facit. nam & si debitori meo mandauero, ut Titio pecuniam solueret, deinde Titium uetuero accipere, id'q; ignorans debitor Titio simulanti se procuratorem soluerit: & debitor liberabitur, & Titius furti actione tenebitur.

XIX. IDEM.

FVgitiuus meus cum pro libero se gereret, numos mihi subreptos tibi credidit. obligari te mihi Labeo ait. sed si eum liberum existimans solueris ei: liberari te à me. sed si alij soluisses inssu eius, uel is ratũ habuisset: non liberari: quia priore casu mei numi facti essent, & qua si mihi solutum intelligeretur. & ideo seruus meus, qui peculiari nomine crediderit, exigendo liberabit debitorem: delegando autem, uel no uando, non idem consequetur.

XX. IDEM.

SI rem meam, quæ pignoris nomine alij obligata esset, tibi debitam soluero: non liberabor: quia auocari tibi res possit ab eo, qui pignori accepisset.

XXI. PAVLVS.

SI decem stipulatus à Titio, deinde stipuleris à Seio, quantominus ab illo consecutus sis: & si decem petieris à Titio, non tamen absoluit Seius. quid enim si condemnatus Titius nihil facere potest? sed & si cũ Seio prius egeris, Titius in nullam partem liberatur. incertum quippe est, an omnino Seius debiturus sit. deniq; si totum Titius soluerit: nec

debitor fuisse uidebitur Seius, quia conditio eius defecit.

XXII. VLPIANVS.

FIliusfamilias patre inuito debitorem eius liberare non potest. adquirere enim obligationem potest, deminuere non potest.

XXIII. VLPIANVS.

SOlutionem, uel iudiciũ pro nobis accipiendo, & inuiti, & ignorantes liberari possumus.

XXIIII. VLPIANVS.

VBi fideiussor pro duobus in dena fideiussit, obligatus est in uiginti: & siue uiginti, siue dena soluerit, utrunq; reum liberabit. sed si quinq; soluerit: uideamus, quem ex reis releuat in quinq;. & erit ille releuatus, de quo actum est. at si nõ appareat: antiquius debitum erit inspiciendum. idem & si quindecim sint soluta. siquidem appareat quid actum sit: in decem, & aliunde quinq; erunt releuata. si uero non appareat: ex antiquiore contractu decem, ex alio quinq; erunt releuata.

XXV. POMPONIVS.

EX parte hæres institutus, si decem, quæ defunctus promiserat, tota soluerit: pro parte quidem, qua hæres est, liberabit: pro parte aũt reliqua ea condicet. sed si ante, quàm cõdicat, ei adcreuerit reliqua pars hæreditatis: etiam pro ea parte erit obligatus. & ideo condicenti indebitum doli mali exceptionem obstare existimo.

XXVI. IDEM.

SI creditor fundum pignoratum uendiderit, & quantum ei debebatur, receperit: debitor liberabitur. sed & si acceptum emptori pretium tulisset creditor, uel ab eo stipulatus esset: debitor nihilominus liberabitur. sed & si seruus pignoratus à creditore uenierit: quàmdiu redhiberi possit, non liberabitur debitor, sicuti in quolibet pignore uendito, quàmdiu res inempta fieri possit.

XXVII. VLPIANVS.

ETiam circa stipulationem & ex testamento actionem, si res tradita fuerit, quæ debebatur, quàmdiu aliquid iuri rei deest, adhuc tamen ipsa res petenda est: utputa fundum possum petere, licet mihi traditus sit, si ius quoddam cautionis supererit.

XXVIII. PAVLVS.

DEbitores soluendo ei, qui pro tutore negocia gerit, liberantur: si pecunia in rem pupilli peruenerit.

XXIX. VLPIANVS.

CVm Stichus & Pamphilus cõmuni seruo promissi sunt: non alteri Stichus, alteri Pamphilus solui potest: sed dimidiæ singulorũ partes debentur. idemq; est si quis aut duos Stichos, aut duos Pamphilos

lós dari promisit, aut cõmuni duorum seruo homines decem dare promisit. nam ambigua uox est decem homines, quemadmodum decem denarij: atq; utriusq; rei dimidium duobus modis intelligi potest. sed in numis, & oleo, ac frumẽto, & similibus, quæ communi specie cõtinentur, appareret hoc actum, ut numero diuidatur obligatio: quatenus & cõmodius promissoribus stipulatoribusq; est.

XXX. IDEM.

SI debitor offerret pecuniã, quæ peteretur, creditor nollet accipere: prætor ei denegat actionem.

XXXI. IDEM.

INter artifices longa differentia est, & ingenij, & naturæ, & doctrinæ, & institutionis. & ideo si nauem à se fabricandã quis promisit, uel insulam ædificandam, fossamue faciendam: & hoc specialiter actũ est, ut suis operis id perficiat: fideiussor ipse ædificans, uel fossam fodiens, non cosentiente stipulatore, non liberabit reum. Quare etiam si illis stipulationibus fideiussor accesserit, PER TE NON FIERI, QVO MINVS MIHI IRE AGERE LICEAT? prohibẽs ire fideiussor, stipulationem non committit. & si patientiam præstet, non efficiet, quo minus committatur stipulatiõ.

XXXII. IVLIANVS.

SI seruus peculiari nomine crediderit, eiq; debitor, cum ignoraret dominum mortuum esse, ante aditam hæreditatem soluerit: liberabitur. idemq; iuris erit, & si manumisso seruo debitor pecuniam soluerit, cum ignoraret ei peculium concessum non esse: neq; interesset, uiuo, an mortuo domino pecunia numerata sit. nam hoc quoq; casu debitor liberatur, sicut is, qui iussus est à creditore pecuniam Titio soluere: cuius creditor mortuus fuerit, nihilominus recte Titio soluit: si modo ignorauerit creditorem mortuum esse.

XXXIII. IDEM.

QVi sibi aut Titio fundum dari stipulatus est, quamuis fundus Titio datus fuerit: tamen si postea euictus est, habet actionem: quẽadmodum si hominem stipulatus esset, & statuliberum promissor Titio dedisset, isq; ad libertatem peruenisset. Qui Stichum aut Pamphilum dare promisit, si Stichum uulnerauerit: non magis eum dando liberatur, quàm si Stichum solum promisisset, & à se uulneratum daret. Item qui hominem dare promisit, & uulneratum à se offert, non liberabitur. Iudicio quoq; accepto si hominẽ is, cum quo ageretur, uulneratum à se offerat, condemnari debebit. sed & ab alio uulneratum si det; condemnandus erit, cum possit alium dare.

XXXIIII. IDEM.

QVi hominẽ aut decem tibi aut Titio dari promisit, si Titio partem hominis tradiderit, mox tibi decem numerauerit: non Titio, ieu tibi partem hominis condicet, quasi indebitum tua uoluntate Titio soluerit. idemq; iuris erit, etiam si mortuo Titio decem soluerit: ut tibi potius, quàm hæredi Titij partem hominis condicat. Si duo rei stipulandi hominẽ dari stipulati fuerint, & promissor utriq; partes diuersorũ hominũ dederit: dubium non est, quin non liberetur. sed si eiusdem hominis partes utriq; dederit: liberatio contingit, quia obligatio communis efficit, ut quod duobus solutum est, uni solutum esse uideatur. nam ex cõtrario cum duo fideiussores hominẽ dari spopondерint: diuersorũ quidem hominũ partes dantes non liberabuntur. at si eiusdem hominis partes dederint, liberabunt. Stipulatus sum mihi decẽ, aut hominẽ Titio dari: si homo Titio datus fuisset, promissor à me liberabitur: & ante, quàm homo daretur, ego decẽ petere possum.

Si Titium omnibus negocijs meis præposuero, deinde uetuero eum ignorantibus debitoribus administrare negocia mea: debitores ei soluendo liberabuntur. nam is, qui omnibus negocijs suis aliquem præponit, intelligitur etiã debitoribus mandare, ut procuratori soluant. Si nullo mandato intercedente, debitor falsò existimauerit uolũtate mea pecuniam se numerare: nõ liberabitur. & ideo procuratori, qui se ultro alienis negocijs offerat, soluendo nemo liberabitur. Et cum fugitiuus, qui pro libero se gerebat, rem uendidisset: responsum est, emptores fugitiuo soluentes à domino liberatos non esse. Si gener socero ignorante filia dotem soluisset: non est liberatus, sed condicere socero potest, nisi ratum filia habuisset: & propè modum similis est gener ei, qui absentis procuratori soluerit: & quia in caussam dotis particeps, & quasi socia obligationis patri filia esset. Si debitorem meum iusſero pecuniam Titio dare donaturus ei: quamuis Titius ea mente acceperit, ut numos meos faceret: nihilominus debitor liberabitur. sed si postea Titius eandem pecuniã mihi dedisset: numi mei fient. Quidam filium familias, à quo fideiussorem acceperat, hæredem instituerat. quæsitum est, si iussu patris adisset hæreditatem, an pater cum fideiussore agere posset? dixi. quoties reus satisdandi reo satis accipiendi hæres exstitit: fideiussores ideo liberari, quia pro eodem apud eundem debere non possent. Si prædo id, quod à debitoribus hæreditarijs exegerat, petenti hæreditatẽ restituerit: debitores liberabuntur. Si decem aut hominẽ dari stipulatus fuero, & duos fideiussores accepero Titiũ & Mæuiũ, & Titius quinq; soluerit: non liberatur prius, quàm Mæuius quoq; quinq; soluat. quod si Mæuius partẽ hominis soluerit: uterq; remanebit obligatus. Qui perpetua exceptione se tueri potest, so-

lutum

lutũ repetit,& ideo non liberatur.quare si ex duobus reis promittendi alter pepigerit,ne ab eo peteretur:quamuis soluerit,nihilominus alter obligatus remanebit.

XXXV. VLPIANVS.

QVod seruus ex peculio suo credidisset, aut depositum suisset:id ei, siue ueniisset, siue manumissus esset, recte solui potest: nisi aliqua caussa intercederet,ex qua intelligi posset,inuito eo, cuius tunc seruus fuisset, ei solui. Sed & si quis pecuniã dominicã ab eo fœneratus esset, si permissu domini seruus negociũ dominicũ gessisset, idem iuris est. uideri enim uoluntate domini eos, qui cum seruo negociũ contrahe rent,& ab eo accipere, & ei soluere.

XXXVI. IDEM.

SI pater meus prægnante uxore relicta decesserit, & ex caussa hæreditaria totum hoc,quod patri meo debitum fuisset, petissem: nihil me cõsumpsisse quidam existimant. si nemo natus sit, recte me egisse, quia in rerum natura uerũ fuisset, me solum hæredem fuisse. Iulianus notat, & uerius est, eam partẽ perdidisse, pro qua hæres fuissem, antequàm fuisset certũ, neminẽ nasci: aut quartã partẽ, quia tres nasci potuerint: aut sextã,quia quinq;.nam & Aristotelẽ scripsisse quinq; nasci posse: quia uuluæ mulierũ totidem receptacula habere possint: & esse mulierẽ Romæ Alexandrinã ab Aegypto,quæ quinq; simul pepererit, & tum habuerit incolumes. & hoc in Aegypto affirmatũ est mihi.

XXXVII. IVLIANVS.

QVoties unus ex fideiussoribus suã partẽ soluisset,tanquam negocium reo gessisset:perinde habendum est, ac si reus ipse unius fideiussoris partem soluat: sed tamen, ut non ex sorte decedat: sed is fideiussor solus liberetur,cuius nomine solutio facta fuerit.

XXXVIII. AFRICANVS.

CVm quis sibi aut Titio dari stipulatus sit: magis esse ait, ut ita demum recte Titio solui dicendũ sit, si in eodem statu maneat, quo fuit,cum stipulatio interponeretur. cæterum siue in adoptionẽ,siue in exsilium ierit,uel aqua & igni ei interdictum, uel seruus factus sit: non recte ei solui dicendum. tacite enim hæc conuentio ineſſe stipulationi uidetur,si in eadem caussa maneat. Si debitorem meũ iusserim Titio soluere, deinde Titium uetuerim accipere, & debitor ignorans soluerit: ita eum liberari existimaui, si non ea mente Titius numos acceperit,ut eos lucretur. alioquin,quoniã furtum eorum sit facturus,manifuros eos debitoris. & ideo liberationẽ quidem ipso iure non posse contingere debitori. exceptione tamen ei succurri æquum esse, si paratus sit condictionẽ furtiuam,quam aduersus Titium habet,mihi præstare: sicuti

ſicuti ſeruatur,cũ maritus uxori donaturus debitorẽ ſuũ iubeat ſoluere.nã ibi q̃q̃,quia numi mulieris non fiunt,debitorẽ nõ liberari.ſed exceptione eũ aduerſus maritũ tuendũ eſſe,SI CONDICTIONEM,QVAM ADVERSVS MVLIEREM HABET, PRAESTET. furti tamen actionem in propoſito poſt diuortium mihi cõpetituram, quando mea interſit interceptos numos non eſſe. De peculio cum domino actum eſt. is damnatus ſoluit,& fideiuſſores pro ſeruo acceptos liberari reſpondit. eandem enim pecuniam in plures cauſſas ſolui poſſe:argumento eſſe, quod cum iudicatum ſolui ſatisdatum eſt,& damnatus reus ſoluit, nõ ſolum actione iudicati, ſed etiam ex ſtipulatu & ipſe & fideiuſſores liberentur.& magis ſimile eſſe,quod cum poſſeſſor hæreditatis exiſtimãs ſe hæredem eſſe ſoluerit,hæres non liberetur. tunc enim propterea id euenire,quod ille ſuo nomine indebitam pecuniam dando, repetitionem eius haberet. Qui hominem promiſerat,ſi ſtatuliberũ ſoluat: magis puto,non eſſe exſpectandam conditionem. ſed & creditorẽ agere poſſe,& illi condictionem competere.quod ſi interim conditio defecerit:liberatur perinde,atq̃ ſi quis pendente conditione ſoluerit per errorem,& antequàm condiceret,conditio exſtiterit. illud nullo modo dici conueniet,ſi mortuo Sticho conditio deficiat,liberari debitorem: quamuis ſi uiuente eo defecerit,liberetur:quando iſto caſu nullo tempore perfecte hominem meum feceris.alioquin propẽ erit, ut etiam ſi eum ſeruum,in quo uſusfructus alienus eſt,mihi ſolueris,iſq̃ deceſſerit,ea ſolutione liberari uidearis.quod nullo modo probandum eſt:ſi-cuti ſi communem ſoluiſſes,iſq̃ deceſſiſſet. Si quis pro reo reuerſo fideiuſſerit,qui cũ reipublicæ cauſſa abeſſem, actione qua liberatus ſit,deinde annus præterierit:an fideiuſſor liberetur?quod Iuliano non placebat,& quidem ſi cum fideiuſſore experiundi poteſtas nõ fuit. ſed hoc caſu in ipſum fideiuſſorem ex edicto actionem reſtitui debere,quẽ admodum in eum fideiuſſorem,qui hominem promiſſum occiderit.

Qui pro te apud Titium fideiuſſerat,pignus in ſuam obligationem dedit.poſt idem hæredẽ te inſtituit.quamuis ex fideiuſſoria cauſſa nõ tenearis:nihilominus pignus tamen obligatum manebit.at ſi idem alium fideiuſſorem dederit,atq̃ ita inſtituerit te hæredem: rectius exiſtimari ait,ſublata obligatione eius, pro quo fideiuſſum ſit:eum quoq̃, qui fideiuſſerit, liberari.

XXXIX. IDEM.

SI ſoluturus pecuniam tibi iuſſu tuo ſignatam eam apud numulariſum,quoad probaretur,depoſuerim:tui periculi cauſſa eã fore, Mela libro decimo ſcribit:(quod uerum eſt)cum eo tamen, ut illud maxime ſpectetur,an per te ſteterit,quo minus incontinenti probaretur.nã tunc

tũc perinde habendum erit, ac si parato me soluere, tu ex aliqua causa accipere nolles. in qua specie nõ utiq; semper tuum periculum erit. quid enim si non opportuno tempore uel loco obtulerim? His consequens esse puto, ut etiam si & emptor numos, & uenditor mercem, qd̃ inuicẽ parum fidei haberẽt, deposuerint: numi emptoris periculo sint, utiq; si ipse eum, apud quem deponerent̃, elegerit: & nihilominus merx quoq;, quia emptio perfecta sit.

XL. MARCELLVS.

SI pro me quis soluerit creditori meo, licet ignorante me, adquirit̃ mihi actio pignoraticia. item si quis soluerit legata, debent discedere legatarij de possessione. alioquin nascetur hæredi interdictũ, ut eos deiicere possit.

XLI MARTIANVS.

REo criminis postulato interim nihil prohibet recte pecuniã à debitoribus solui. alioquin plerisq; innocentiũ necessario sumptu egebunt.

XLII. PAVLVS.

SEd nec illud prohibitum uidetur, ne à reo creditori soluatur.

XLIII. VLPIANVS.

IN omnibus speciebus liberationũ & accessiones liberantur: puta adpromissores, hypothecæ, pignora: præter quàm quod inter creditores & adpromissores confusione facta reus non liberatur.

XLIIII. MARTIANVS.

IN numerationibus aliquando euenit, ut una numeratione duæ obligationes tollantur uno momento: ueluti si quis pignus pro debito uendiderit creditori. euenit enim, ut ex uendito tollatur obligatio & debiti. Item si pupillo, qui sine tutoris authoritate mutuam pecuniam accepit, legatum à creditore fuerit sub ea conditione, si eam pecuniam numerauerit: in duas causas uideri eum numerasse: & in debitũ suum, ut in Falcidiam hæredi imputetur: & conditionis gratia, ut legatum consequatur. Item si ususfructus pecuniæ numeratæ legatus fuerit: euenit, ut una numeratione & liberetur hæres ex testamento, & obliget sibi legatarium. tantũdem est, & si damnatus fuerit alicui uendere, uel locare. nam uendendo uel locando, & liberat̃ ex testamento hæres, & obligat sibi legatarium.

XLV. VLPIANVS *lib. I. responsorũ Callippo respõdit.*

QVamuis stipulanti uxori uir spopõderit dirempto matrimonio prædia, quæ doti erant obligata, in solutũ dare: tamen satis esse offerre dotis quantitatem. Idem Frontoni respondit. perseueranti tutori in tutelæ administratione, licet capitis reo, potuisse id, quod pupillo bona fide debetur, exsolui.

XLVI. MARTIANVS.

SI quis aliã rem p alia uolenti ſoluerit, & euicta fuerit: remanet priſtina obligatio. ſed & ſi pro parte fuerit euicta, tamẽ pro ſolido obligatio durat. nam non accepiſſet re integra creditor, niſi pro ſolido eis fieret. Sed & ſi duos fundos (uerbi gratia) pro debito dederit, euicto altero fundo remanet integra obligatio. tunc ergo res pro re ſoluta liberationem præſtat, cum pro ſolido facta eſt ſuſcipiẽtis. ſed & ſi quis per dolum pluris æſtimatum fundum in ſolutum dederit, non liberatur: niſi id, quod deeſt, repleatur.

XLVII. IDEM.

IN pupillo, cui ſine tutoris authoritate ſolutum eſt, ſi quæratur, quo tempore ſit locupletior: tempus, quo agitur, inſpicit: & ut exceptio doli mali oppoſita ei noceat, tempus, quo agitur, ſpectatur. Plãnè (ut Scæuola aiebat) etiã ſi perierit res ante litem conteſtatam, interdũ quaſi locupletior factus intelligitur: id eſt ſi neceſſariã rem ſibi emit, quam neceſſariò de ſuo erat emпturus. nam hocipſo, quod nõ eſt pauperior factus, locupletior eſt. ſic & in filiofamilias putabat Macedonianũ ceſſare, ſi in neceſſarias cauſſas filius mutuã pecuniam acceperit, & eã perdiderit.

XLVIII. MARCELLVS.

TItia, cum propter dotem bona mariti poſſideret, omnia pro domina egit: reditus exegit, & mouentia diſtraxit. quæro, an ea, quæ ex re mariti perceperit, in dotem ei reputari debeant? Marcellus reſpõdit, reputationem eius, quod proponeretur, nõ iniquam uideri. pro ſoluto enim magis habendum eſſe, quod ex cauſſa mulier perceperit. ſed ſi forte uſurarum quoq; rationem arbiter dotis recuperãdæ habere debuerit: ita eſſe computandũ, prout quidq; ad mulierem peruenerit, nõ ut ex uniuerſa ſumma decedat: ſed prius in eam quantitatem, quã uſurarum nomine mulierem conſequi oportebit. quod nõ eſt iniquum.

XLIX. MARTIANVS.

SOlutam pecuniã intelligimus utiq; naturaliter, ſi numerata ſit creditori. ſed & ſi iuſſu eius alij ſoluatur, uel creditori eius, uel futuro debitori, uel etiam ei, cui donaturus erat: abſolui debet. ratam quoq; ſolutionem ſi creditor habuerit, idem erit. tutori quoq; ſi ſoluta ſit pecunia, uel curatori, uel procuratori, uel cuilibet ſucceſſori, uel ſeruo actori: proficiet ei ſolutio. Quod ſi acceptum latum ſit, quod ſtipulationis nomine hypotheca ſit obligata, uel ſine ſtipulatione accepta: ſolutionis quidem uerbum non proficiet, ſed ſatisdationis proficit.

L. PAVLVS.

SI cum aurum tibi promiſiſſem ignoranti, quaſi aurũ æs ſoluerim: nõ liberabor. ſed nec repetam hoc quaſi indebitum ſolutũ, quod ſciens

sciens feci. petentem tamen aurum exceptione submouebo, si nō reddas æs, quod accepisti.

LI. IDEM.

DIspensatori, qui ignorante debitore remotus est ab actu, recte soluitur. ex uoluntate enim domini ei soluitur: quam si nescit mutatam, qui soluit, liberatur.

LII. VLPIANVS.

SAtisfactio pro solutione est.

LIII. CAIVS.

SOluere pro ignorante & inuito cuiq; licet: cum sit iure ciuili constitutum, licere etiā ignorantis inuitiq; meliorem conditionē facere.

LIIII. PAVLVS.

SOlutionis uerbum pertinet ad omnem liberationem quoquo modo factam: magisq; ad substantiam obligationis refertur, quàm ad numorum solutionem.

LV. VLPIANVS.

QVi sic soluit, ut recuperet, non liberatur: quemadmodum nō alienantur numi, qui sic dantur, ut recipiantur.

LVI. PAVLVS.

QVi mandat solui, ipse uidetur soluere.

LVII. VLPIANVS.

SI quis stipulatus fuerit decem in melle: solui quidem mel potest ante, quàm ex stipulatu agatur. sed si semel actum sit, & petita decem fuerint: amplius mel solui non potest. item si mihi aut Titio stipulatus fuero dari, deinde petam: amplius Titio solui non potest, quamuis ante litem contestatam possit.

LVIII. IDEM.

SI quis offerenti se negocijs alienis bona fide soluerit, quando liberatur? & ait Iulianus, cum dominus ratum habuerit, tunc liberari. Idem ait. antequàm dominus ratum habuerit, an condici ex ea causa possit? & ait interesse, qua mente solutio facta esset: utrum ut statim debitor liberaretur, an uero cū dominus ratum habuisset. priore casu cōfestim posse condici procuratori: & tunc demum exstingui condictionem, cum dominus ratum habuisset. posteriore tūc demum nasci condictionem, cum dominus ratum non habuisset. Si creditor, cuius ignorantis procuratori solutum est, adrogandum se dederit: siue habuerit pater ratum, siue nō habuerit: repetere debitor potest. Et si duo rei stipulandi sunt, quorum alterius absentis procuratori datum ante tempus, cū is ratū haberet, interim alteri solutū est: in pendēti est posterior solutio, ac prior: quippe incertū est, debitum, an indebitū exegerit.

LIX. PAVLVS.

SI ita ſtipulatus ſim, MIHI AVT TITIO DARE SPONDES? & debitor conſtituerit ſe mihi ſoluturum: quamuis mihi competat de conſtituta actio, poteſt adhuc adiecto ſoluere. & ſi à filiofamilias mihi aut Titio ſtipulatus ſim: patrem poſſe Titio ſoluere, quod in peculio eſt: ſcilicet ſi ſuo, non filij nomine ſoluere uelit. dum enim adiecto ſoluit, mihi ſolui uidetur. & ideo ſi indebitum adiecto ſolutũ ſit, ſtipulatori poſſe condici Iulianus putat: ut nihil interſit, iubeam Titio ſoluere, an ab initio ſtipulatio ita concepta ſit.

LX. IDEM.

IS, qui alienum hominem in ſolutum dedit, uſucapto homine liberatur.

LXI. IDEM.

IN perpetuum quoties id, quod tibi debeam, ad te peruenit, & tibi nihil abſit, nec quod ſolutum eſt, repeti poſſit: competit liberatio.

LXII. IDEM.

DIſpenſatorem meum teſtamento liberum eſſe iuſſi, & peculium ei legaui. is poſt mortem meam à debitoribus pecuniam exegit. an hæres meus retinere ex peculio eius, quod exegit, poſſit, quæritur. Et ſiquidem poſt aditam hæreditatem exegerit pecuniam: dubitari nõ debet, quin de peculio meo nomine retineri nihil debeat: quia liber factus incipit debere, ſi liberantur ſolutione debitores. cũ uero ante aditam hæreditatem pecuniam accepit diſpenſator: ſiquidem liberantur debitores ipſa ſolutione: non eſt dubium, quin de peculio id retinendum ſit: quia incipit debere hoc hæredi quaſi negociorum geſtorum, uel mandati actione. ſi uero non liberantur: illa quæſtio eſt. cum negocium meũ gerens à debitoribus meis acceperis, deinde ego ratum nõ habuero, & mox agere uelim negociorum geſtorum actione: an utiliter agam, ſi caueam te indemnem futurum? quod quidem ego non puto. nam ſublata eſt negociorum geſtorũ actio eo, quod ratum non habui, ut per hoc debitor mihi conſtituatur.

LXIII. IDEM.

SI debitor ſit ſerui fructuarius: poteſt is ſeruus per acceptilationem liberare eum. uidebitur em̃ ex re eius adquirere. idem in pacto dicemus.

LXIIII. IDEM.

CVm iuſſu meo id, quod mihi debet ſolui, ſoluis creditori meo: & tu à me, & ego à creditore meo liberor.

LXV. POMPONIVS.

SI filia furioſi à uiro diuorterit: dicendum eſt, adgnato curatori uoluntate filiæ, uel filiæ conſentiente adgnato, ſolui dotem.

Si pupilli

LXVI. IDEM.

SI pupilli debitor iubente eo sine tutoris authoritate pecuniam creditori eius numerauit: pupillū quidem à creditore liberat, sed ipse manebit obligatus, sed exceptione se tueri potest. Si autem debitor pupilli non fuerat: nec pupillo condicere potest, qui sine tutoris authoritate non obligatur: nec creditori, cum quo alterius iussu cōtraxit. sed pupillus in quantum locupletior factus est (utpote debito liberatus) utili actione tenebitur.

LXVII. MARCELLVS.

SI quis duos homines promiserit, & Stichum soluerit: poterit eiusdē Stichi dominium postea consecutus dando liberari. in numis minor uel prope nulla dubitatio est. nam etiam apud Alfenum Seruius eum, qui minus à debitore suo acciperet, & liberare eum uellet: respondit, posse sæpius aliquot numos accipiendo ab eo, eiq; retro dando, ac rursus accipiendo id efficere: ueluti si centum debitorem decem acceptis liberare creditor uelit, ut cum decem acceperit, eadem ei retro reddat, mox ab eo accipiat, ac nouissime retineat. & si in dubitationem à quibusdam hoc male deducatur: quod non possit uideri is, qui ita acceperit, ut ei, à quo accepit, retro reddat: soluisse potius, quàm *dedisse. *al's. cessisse.

LXVIII. IDEM.

SEruus decem dare iussus pupillo & liber esse, si hæres sit pupillus, siue tantum cōditio in eum collocata sit: an absente quoq; tutore pupillo dando libertatem cosequatur? moueri se comparatione conditionis, quæ constitit in facto, ueluti SI PVPILLO SERVIERIT, quæ potest impleri citra interuentum quoq; tutoris, & quid (inquit) si curatorem habeat, & furioso dare iussus sit: an curatori dando liberetur? & fingé alicui fundum legatum, si dedisset pupillo furioso? Et sciendum est, in omnibus istis casibus tutori quidem uel curatori utiliter dependi: ipsis autem, id est furioso, uel pupillo, non recte persolui, ne datio ex illorum imbecillitate pereat. nec em̄ hoc egit testator, ut quoquo modo esset datum, expleta uideretur conditio.

LXIX. CELSVS.

SI hominem, in quo ususfructus alienus est, uel qui erat pignori Titio obligatus, noxæ dedisti: poterit is, cui condemnatus es, tecum agere iudicati: nec exspectabimus, ut creditor eum uindicet. sed si ususfructus interierit, uel dissoluta fuerit pignoris obligatio: existimo processuram liberationem.

LXX. IDEM.

QVod die certa promissum est, uel statim dari potest. totum enim mediū tempus ad soluendū promissori liberū relinqui intelligit.

LXXI. IDEM.

CVm decem mihi aut Titio dari stipulatus, quinq; accipiam: reliquum promissor recte Titio dabit. Si fideiussor procuratori creditoris soluit, & creditor post tempus, quo liberari fideiussor potuerit, ratum habuit: tamẽ quia fideiussor, cum adhuc ex caussa fideiussoris teneret, soluit: nec repetere potest, nec minus agere aduersus reum mandati potest, q̃ si tum præsenti dedisset. Item si ignorãs creditor procuratori suo solutũ, seruo debitoris filioúe acceptum fecerit: postea autẽ, quàm id rescierit, ratum habuerit: cõfirmatur solutio, & quod acceptò latũ est, nullius momenti est. cõtra si ratum non habuerit: quod acceptum fecerit, confirmatur. Sed si ignorans solutũ litem contestatus est: si pendente iudicio ratum habuerit: absolui oportet illum, cum quo actum est. si ratum non habuit: condemnari.

LXXII. MARCELLVS.

QVi decem debet, si ea obtulit creditori, & ille sine iusta caussa ea accipere recusauit, deinde debitor ea sine sua culpa perdiderit: doli mali exceptione potest se tueri, quanquam aliquando interpellatus non soluerit. etenim non est æquum, teneri pecunia amissa, qui nõ teneretur, si creditor accipere uoluisset. quare pro soluto id, in quo creditor accipiendo moram fecit, oportet esse. & sanè si seruus erat in dotem, eumq; obtulit maritus, & is seruus decessit, aut numos obtulit, eosq; non accipiente muliere perdidit: ipso iure desinet teneri. Si cum mihi Stichum deberes, & in soluendo moram feciſſes, sub conditione eum promisisti, & pendente ea Stichus decessit: uideamus, an quia nouari prior obligatio non potest, petitio serui competat ea, quæ cõpeteret, si non interceſſisset stipulatio? sed in promptu contradictio est: debitorem cum stipulanti creditori sub conditione promisit, non uideri in solutione hominis cessasse. nam uerum est eum, qui interpellatus dare noluit, offerentẽ postea periculo liberari. Sed quid si ignorante debitore ab alio creditor eum stipulatus est? hic quoq; existimandus est periculo debitor liberatus esse, quemadmodum si quolibet nomine eius seruũ offerẽte stipulator accipere noluisset. Idem responsum est, si quis, cum subreptus sibi seruus esset, sub conditione stipulatus fuerit, quidquid furem facere dare oportet. nam etiã fur condictione liberatur, si dominus oblatum sibi accipere noluit: si tamen, cum in prouincia forte seruus esset, interceſſerit stipulatio. & finge prius, quàm facultatem eius nanciscereturfur uel promissor, decessisse seruum. nõ poterit rationi, quam supra reddidimus, esse locus. non enim obtulisse eum propter absentiam intelligi potest. Stichum aut Pamphilum stipulatus sum, cum esset meus Pamphilus. nec si meus esse desierit, liberabit

berabitur promissor Pamphilum dando. neutrũ enim uidetur in Pamphilo homine constitisse, nec obligatio, nec solutio. sed ei, qui hominẽ dari stipulatus est, unum etiam ex his, qui tunc stipulatori seruierãt, dando promissor liberatur ui quidem ipsa. at si ex his dari stipulatus est, qui eius non erãt. fingamus ita stipulatũ, HOMINEM EX HIS, QVOS SEMPRONIVS RELIQVIT, DARE SPONDES? cum tres Sempronius reliquisset, eorumq; aliquem stipulatoris fuisse: num mortuis duobus, qui alterius erant, supererit illa obligatio, uideamus. & magis est, deficere stipulationem: nisi ante mortem duorum desierit esse reliquus seruus stipulatoris. Qui hominem debebat Stichum, cui libertas ex caussa fidei commissi præstanda est, soluit. non uidetur liberatus, similiq; modo si soluerit seruũ, qui noxa solutus non est, non liberabitur. item qui hominẽ noxæ deditum soluit, nõ liberabitur. nam uel minus hic seruum dedit, quàm ille, qui seruum nondum noxa solutum. num ergo & si uespillonem, aut aliàs turpem dederit hominẽ, idem sit? & sanè datum negare non possumus: sed differt hæc species à prioribus. habet enim seruum, qui ei auferri non possit. Promissor serui eum debet hominẽ soluere, quem si uelit stipulator, possit ad libertatẽ perducere.

LXXIII. IDEM.

OB triginta aureos pecuniæ creditæ fideiussorem in uiginti dedi, & pignus in decem. ex uenditione autem pignoris creditor decem cõsecutus est. utrum ex uniuersitate id decedat, ut quidam putãt, ac si in soluendis decẽ nihil debitor dixisset: an (sicut ego puto) in totis decem fideiussori contigerit liberatio: quia hoc dicendo potuit efficere debitor, ut ubi non dixit, id potius solutum existimetur, quod satisdatò debebatur. magis tamen existimo licuisse creditori in id, quod solus debebat reus, acceptò referre.

LXXIIII. MODESTINVS.

ID, quod pœnæ nomine à debitore exactum est, lucro debere creditoris cedere.

LXXV. IDEM.

SIcut acceptilatio in eum diem præcedentes perimit actiones, ita & confusio. nam si debitor hæres creditori exstitent: confusio hæreditatis perimit petitionis actionem.

LXXVI. IDEM.

MOdestinus respondit. si post solutũ sine ullo pacto omne, quod ex caussa tutelæ debebatur, actiones post aliquod interuallum cessæ sint: nihil ea cessione actum esse, cũ nulla actio superfuerit. quod si ante solutionem hoc factum est, uel cum conuenisset, ut mandarentur actiones, tunc solutio facta esset, & mandatũ subsecutum: saluas esse

manda

mandatas actiones: cum nouissimo quoq; casu precium magis mandatarum actionũ solutum, quàm actio, quæ fuit, perempta uideatur.

LXXVII. IDEM.

IN liberto antiquior contractus operarum esse non potest, sine quo libertas ei data non esset.

LXXVIII. IABOLENVS.

SI alieni numi inscio uel inuito domino soluti sunt: manent eius, cuius fuere. si misti alijs essent ita, ut decerni nõ possent: eius fieri, qui accepit, in libris Cassij scriptum est: ita, ut actio domino cum eo, qui dedisset, furti competeret.

LXXIX. IDEM.

SI pecuniam, quam mihi debes, aut aliam rem, meo iussu conspectu ponere te iubeam: efficitur, ut & tu statim liberaris, & mea esse incipiat. nam tunc, quod à nullo corporaliter eius rei possessio detinetur, adquisita mihi, & quodammodo manu longa tradita existimanda est.

LXXX. POMPONIVS.

PRout quidq; contractum est, ita & solui debet. ut cum re contraximus, re solui debet: ueluti cum mutuum dedimus, ut retro pecuniæ tantundem solui debeat. & cum uerbis aliquid cõtraximus, uel re uel uerbis obligatio solui debet. uerbis: ueluti cum acceptum promissori fit. re: ueluti cum soluit, quod promisit. Aeque cũ emptio, uel uenditio, uel locatio contracta est: quoniam consensu nudo contrahi potest: & dissensu contrario dissolui potest.

LXXXI. IDEM.

SI stipulatus sum, MIHI AVT TITIO DARI? si Titius decesserit, hæredi eius soluere non poteris. Si lancem deposuerit apud me Titius, & pluribus hæredibus relictis decesserit: si pars hæredum me interpellet: optimum quidem esse, si prætor aditus iussisset me parti hæredum eam lancem tradere. quo casu depositi me reliquis cohæredibꝰ non teneri. sed & si sine prætore sine dolo malo hoc fecero, liberabor: aut (quod uerius est) non incidam in obligationem. optimum autem est id per magistratum facere.

LXXXII. PROCVLVS

SI cum Cornelius fundum suum nomine Seiæ uiro eius doti dedisset, nec de eo reddendo quidquam cauisset: effecit, ut uir & Seia inter se paciscerentur, ut diuortio facto is fundus Cornelio redderet: non puto, diuortio facto, uirum uetante Seia eum fundum Cornelio redditurum esse: sicuti si cum pactum conuentum nullum intercessisset, diuortio facto mulier iussisset eum fundũ Cornelio reddi, deinde anteqũ redderetur, uetuisset: non tuto redderetur. sed si ante, quàm Seia uetaret

ret,Cornelio eum fundũ reddidiſſet,nec cauſſam habuiſſet exiſtimandi ſe id inuita Seia facturum eſſe:nec melius,nec æquius eſſe exiſtimarem,eum fundum Seiæ reddi.

LXXXIII. POMPONIVS.

SI tuo ſeruo credidero,eumq; redemero,& is manumiſſus mihi ſoluerit:non repetet.

LXXXIIII. PROCVLVS.

EGiſti de peculio ſerui nomine cum domino.non eſſe liberatos fideiuſſores eius reſpõdeo.at ſi idem ſeruus ex peculio ſuo, permiſſa adminiſtratione peculij, numos ſoluiſſet:liberatos eſſe fideiuſſores eius, recte legiſti.

LXXXV. CALLISTRATVS.

SOlidum non ſoluitur,non minus quantitate,quàm die.

LXXXVI. PAVLVS.

HOc iure utimur,ut litis procuratori non recte ſoluatur. nam & abſurdum eſt, cui iudicati actio non datur, ei ante rem iudicatam ſolui poſſe. ſi tamen ad hoc datus ſit, ut ſolui ei poſſit: ſoluendo ei liberabitur.

LXXXVII. CELSVS.

QVodlibet debitum ſolutum à procuratore meo non repeto:quoniam cum quis procuratorẽ omniũ rerum ſuarum conſtituit,id quoq; mandare uidetur,ut creditoribus ſuis pecunia ſoluatur:neq; poſtea exſpectandum eſt,ut ratum habeat.

LXXXVIII. SCAEVOLA.

FIliæ inteſtato patri hæredis negocia mater geſſit, & res uendendas per argentarios dedit,idq; ipſum codice conſcriptum eſt.argentarij uniuerſum redactum uenditionis ſoluerunt:& poſt ſolutionem nouem ferè annis,quidquid agendum erat, nomine pupillæ mater egit: eamq; marito nuptum collocauit,& res ei tradidit.quæſitũ eſt,an puella cum argentarijs aliquam actionem habeat:quoniam non ipſa ſtipulata ſit precium rerum,quæ in uenditionem datæ ſunt,ſed mater? Reſpondit.ſi de eo quæreretur,an iure ea ſolutione argentarij liberati eſſent: reſponderi iure liberatos. CLAVDIVS.ſubeſt enim illa ex iuris dictione pendens quæſtio:an precia rerum, quæ ſciebant eſſe pupillæ, bona fide ſoluiſſe uideantur matri,quæ ius adminiſtrationis non habebat.ideoq; ſi hoc ſciebant:nõ liberantur,ſcilicet ſi mater ſoluendo nõ ſit.

LXXXIX. IDEM.

EX pluribus cauſſis & chirographis creditor ita cauit. Titius Mæuius dico me accepiſſe,& habere,& acceptum tuliſſe à Caio Titio reliquum omne poſt rationem propoſitam eius pecuniæ, quã mihi Sti-

chus Caij Titij seruus cauerat. quæsitũ est, an ex cæteris chirographis, quæ non Stichus cauit, sed ipse debitor, integra maneat actio? Respondit, eam solam obligationem dissolutam, ex qua solutum proponeretur. Lucius Titius ex duobus chirographis, quibus quadringenta ei à Seio debebantur, altero centum, altero trecenta: scripsit Seio, ut unius chirographi centum per Mæuium & Septicium sibi mitterentur. quæro, an Seius, si Mæuio & Septicio ex trecentis quoq; soluisse se dicat, liberatus sit? Respondit. si nec mandauit, ut ex trecentis solueret, nec solutum ratum habuit: non esse liberatum. Lucius Titius duabus stipulationibus, una quindecim sub usuris maioribus, altera uiginti sub usuris leuioribus, Seium eadem die obligauit: ita, ut uiginti prius soluerentur, id est idibus septembribus. debitor post diem utriusq; stipulationis cedentem soluit uiginti ex: neq; dictum est ab altero, pro qua stipulatione solueretur. quæro, an quod solutum est, eam stipulationem exonerauerit, cuius dies anteceſſit: id est ut uiginti sortis soluta uideantur, & in usuras eorum sex data? Respondit, magis id accipi, ex usu esse.

XC. IDEM.

FIlius, qui administrabat ut hæres paterna bona, pecuniam ex his Sempronio mutuam dedit, & eandem particulatim recepit. deinde se abstinuit, quia minor annis erat, ab ea hæreditate. quæsitũ est, curator bonorum patris constitutus, an aduersus Sempronium utilem actionem habeat? Respondit. nihil proponi, cur non is, qui soluisset id, quod mutuum iam ita acceperat, liberatus esset.

XCI. LABEO.

SI debitor tuus non uult à te liberari, & præsens est: nõ potest inuitus à te absolui. PAVLVS. imõ debitorem tuum & præsentem & inuitum liberare ita poteris, supponendo alium, à quo debitum nouandi caussa ita stipuleris. quod etiam si acceptum non feceris: tamen statim (quod ad te attinet) res peribit. nam & petentem te doli mali præscriptio excludet.

XCII. POMPONIVS.

SI mihi alienum seruum dare promiseris, aut testamento iussus dare fueris, isq; seruus ante, quàm per te staret, quominus dares, à domino manumissus sit: hæc manumissio similis morti est. si autem decessisset: non tenereris. sed & si quis seruum, quem dare promisit, hæres à domino scriptus statim liberum dederit, liberabitur.

XCIII. SCAEVOLA.

SI duo rei sint stipulandi, & alter alterum hæredem scripserit: uidendum, an confundatur obligatio. & placet non confundi, quod bonum

num est hoc dicere. qđ si intendat dari sibi oportere: uel ideo dari oportet ipsi, qđ hæres exstitit: uel ideo, quod proprio nomine ei debeatur. at quin magna est huius rei differentia. nam si alter ex reis pacti cõuenti temporali exceptione submoueri poterit: intererit, is, qui hæres exstitit, utrum ne suo nomine, an hæreditario experiatur: ut ita possit animaduertere, an exceptioni locus sit, nec ne. Item si duo rei sint, pmittendi, & alter alterum hæredem scripserit: non confunditur obligatio. sed si reus hæredem fideiussorem scripserit: confunditur obligatio & quasi generale quid retinendum est: ut ubi ei obligationi, quæ sequelæ obtinet locum, principalis accedit, confusa sit obligatio. quoties uero duæ sint principales: altera alteri potius adjci ad actionem, quàm confusionem parere uideatur. quid ergo, si fideiussor reum heredem scripserit? confundetur obligatio secundum Sabini sententiam, licet Proculus dissentiat.

XCIIII. PAPINIANVS.

SI is, cui numos debitor soluit alienos, numis integris pergat petere, quod sibi debeatur, nec offerat, quod accepit: exceptiõe doli submouebitur. sin autem communes numos credam, aut soluam: confestim pro parte mea nascetur & actio & liberatio: siue in singulis numis communionem pro indiuiso quis esse intelligat, siue in pecunia non corpora cogitet, sed quantitatem. sed & si fideiussor alienos numos in caussam fideiussionis dedit: consumptis his mandati agere potest. & ideo si eam pecuniam soluat, quam subripuerat: mandati aget, postq̃ furti uel ex caussa condictionis præstiterit. Fauius Ianuarius Papiniano salutem. cum Titius Caio Seio deberet ex caussa fideicommissi certam quantitatem, & tantundem eidem ex alia caussa, quæ peti quidem nõ poterat, ex solutione autem petitionẽ non præstabat: Titij seruus actor absente domino soluit eam summã, quæ sufficeret ad quantitatem unius debiti, cautumq̃ est ei solutum ex uniuerso credito. quæro, id, quod solutum est, in quam caussam acceptum uideatur? Respondi. siquidem Titio Seius ita cauisset, ut sibi solutum ex uniuerso credito significaret: crediti appellatio solius fideicõmissi pecuniam demonstrare uidetur: non eam, quæ petitionem quidem non habet, solutione autem facta, repeti pecunia non potest. cum uero seruus Titij actor absente domino pecuniã solueret: ne dominium quidem numorũ in ea specie obligationis, quæ habuit auxiliũ exceptionis, translatũ fore, si ex ea caussa solutio facta proponeretur: quia nõ est ueri simile dominũ ad eam speciem soluendis pecunijs seruũ præposuisse, quæ solui non debuerint: non magis, q̃ ut numos peculiares ex caussa fideiussionis, quàm seruus non ex utilitate peculij susceperit, solueret.

XCV. IDEM.

STICHVM AVT PAMPHILVM VTRVM EGO VOLAM DARE SPONDES? altero mortuo, qui uiuit, solus petetur: nisi mora facta sit in eo mortuo, quem petitor elegit. tunc enim perinde solus ille, qui decessit, præbetur, ac si solus in obligationem deductus fuisset. quod si promissoris fuit electio: defuncto altero, qui supereſt, æque peti poterit. Enimuero si facto debitoris alter sit mortuus, cũ debitoris esset electio: quamuis interim non alius peti possit, quàm qui solui etiã potest: neq; defuncti offerri æstimatio potest, si forte longe fuit uilior (quoniam id pro petitore in pœnam promissoris constitutum est) tametsi alter seruus postea sine culpa debitoris moriatur: nullo modo ex stipulatu agi poterit, cum illo in tempore, quo moriebatur, non commiserit stipulationẽ. Sanè quoniam impunita non debent esse admissa: dolo factio non immerito desiderabitur: aliter, quàm in persona fideiussoris, qui promissum hominem interfecit: quia tenetur ex stipulatu actione fideiussor, quemadmodũ teneretur, si debitor sine hærede decessisset. Aditio hæreditatis nonnunquam iure confundit obligationem: ueluti si creditor debitoris, uel contra debitor creditoris adierit hæreditatem. aliquando pro solutione cedit: si forte creditor, qui pupillo sine tutoris authoritate numos crediderat, hæres ei exstiterit. non enim quanto locupletior factus pupillus est, consequetur, sed insolidum creditum suũ ex hæreditate retinet. aliquãdo euenit, ut inanis obligatio aditione hæreditatis confirmetur. nam si hæres, qui restituit ex Trebelliano hæreditatem, fideicommissario hæres exstitit: uel mulier, quæ pro Titio intercesserat, eidem hæres exstitit: incipit obligatio ciuilis propter hæreditatem eius, qui iure tenebatur, auxilium exceptionis amittere. etẽ inconditum est, subuenire sexui mulieris, quæ suo nomine periclitentẽ.

Quod uulgo iactatur, fideiussorem, qui debitori hæres exstiterit, ex caussa fideiussionis liberari: toties uerum est, quoties plenior rei promittendi obligatio inuenitur. nam si reus duntaxat fuit obligatus: fideiussor liberabitur. & è contrario non potest dici, non tolli fideiussoris obligationem, si debitor propriam & personalem habuit defensionẽ. nam si minori uigintiquinq; annis bona fide pecuniã credidit, isq; numos acceptos perdidit, & intra tempora in integrum restitutionis decessit, hærede fideiussore: difficile est dicere, caussam iuris honorarij, quæ potuit auxilio minori esse, retinere fideiussoris obligationẽ, quæ principalis fuit, & cui fideiussoris accessit sine cõtemplatione iuris prætorij. auxilium igitur restitutionis fideiussori, qui adolescenti hæres exstitit, intra constitutum tempus saluum erit. Naturalis obligatio ut pecuniæ numeratione, ita iusto pacto uel iureiurando ipso iure tollit: quia

quia uinculum æquitatis,quo solo sustinebatur,conuentionis æquitate dissoluitur.ideoq; fideiussor,quem pupillus dedit,ex istis caussis liberari dicitur. Quæsitum est, an ita stipulari quis possit, MIHI AVT FILIO MEO DECEM DARI? uel ita MIHI AVT PATRI? sed non incõmode potest adhiberi distinctio:ut filio quidem stipulante, patris tunc adijciatur persona,cum stipulatio ei adquiri non possit.è contrario autem nihil prohibeat,patre stipulante filij personam adijci:cum toties, quod filio pater stipulatur,sibi stipulatus intelligitur, cum ipse sibi stipulatus non est.& in proposito manifestum est, non obligationis, sed solutionis gratia filij personam adiectam. Vsumfructum mihi aut Titio dari stipulatus sum. Titio capite minuto facultas soluendi Titio non intercidit: quia & sic stipulari possumus, MIHI AVT TITIO, CVM CAPITE MINVTVS ERIT, DARI? nam & si furiosi uel pupilli persona adiecta sit,ita tutori uel curatori pecunia recte dabitur.cõditionis quoq; implendæ caussa recte pecunia tutori uel curatori datur.qd quidem Labeo & Pegasus putauerunt utilitatis caussa recipiendum : idq; ita recipi potest,si pecunia in rem uel pupilli uel furiosi uersa est. quo modo si domino dare iussus,seruo dedisset, ut domino daret. cæterũ qui seruo dare iussus est,domino dando non aliter impleſſe conditionem intelligendus est,quã si ex uoluntate serui dederit. idem respondendum est in solutione,si stipulato Sempronio sibi aut Sticho Mæuij seruo decem dari, & debitor Mæuio domino pecuniam soluerit.

Si creditor debitoris hæreditatem ad se nõ pertinentẽ possedit,& tantum ad eum peruenit,quantum si quilibet alius bonorum possessor ei solueret,liberaret hæredem:nõ potest dici fideiussores liberari.non emẽ ipsum sibi soluisse pecuniam credendum est, à quo hæreditas euincitur. Dolo fecisti,quo minus possideres,quod ex hæreditate ad alium pertinente adprehenderas.si possessor corpus aut litis æstimationem præstitit:ea res tibi proderit,quia nihil petitoris interest.cæterum si tu ante conuentus,ex præterito dolo præstiteris:nihil ea res possessori proderit. Si mandatu meo Titio pecuniam credidisses: eiusmodi contractus similis est tutori & debitori pupilli.& ideo mandatore cõuento & damnato(quanquam pecunia soluta sit)non liberari debitorem, ratio suadet. sed & præstare debet creditor actiones mandatori aduersus debitorem, ut ei satisfiat . & ad hoc pertinet tutoris & pupilli debitoris nos feciſſe comparationem . nam cum tutor pupillo tenetur ob id, quod debitorem eius non conuenit : neq; iudicio cum altero accepto liberatur alter, nec si condemnatus tutor soluerit, ea res proderit debitori. quin etiam dici solet, tutelæ contraria actione agendum, ut ei pupillus aduersus debitorem actionibus suis cedat.

Si creditor à debitore petens culpa sua causſa ceciderit: propè eſt, ut actione mandati nihil à mandatore conſequi debeat: cum ipſius uicio acciderit, ne mãdatori poſſit actionibus cedere. Si inter emptorẽ & uenditorem conuenerit, prius quàm aliquid ex alterutra parte ſoluere tur, ut ab emptione diſcedatur: fideiuſſor eo nomine acceptus ſoluto contractu liberabitur.

XCVI. IDEM.

PVpilli debitor, tutore delegante, pecuniã creditori tutoris ſoluit. liberatio contingit, ſi non malo conſilio cum tutore habito, hoc factum eſſe probetur. ſed etiam interdicto fraudatorio tutoris creditor pupillo tenetur, ſi eum conſiliũ fraudis participaſſe conſtabit. Cum pupilla magiſtratui, qui per fraudem pupillo tutorem dedit, hæres exſtitiſſet, tutores eius cum adoleſcente tranſegerunt. eam tranſactionẽ pupilla ratam habere noluit. nihilominus erit tutorũ pecunia liberata: nec tutores contra adoleſcentem actionem, nec utilem habebunt, qui ſuum recuperauit. planè ſi adoleſcens pecuniã reſtituere tutoribus pupillæ maluerit: reſciſſo, quod geſtum eſt, actionem utilem in pupillam hæredem magiſtratus accipiet. Soror, cui legatum ab hærede fratre debebatur, poſt motam legati quæſtionem tranſegit, ut nomine debitoris contenta legatũ non peteret. placuit, quãuis nulla delegatio facta, neq; liberatio ſecuta eſſet: tamẽ nominis periculum ad eam pertinere. itaq; ſi legatum contra placitum petieretur, exceptioné pacti nõ inutiliter opponi. Cum eodem tempore pignora duobus cõtractibus obligantur, precium eorum pro modo pecuniæ cuiuſq; contractus creditor accepto facere debet: nec in arbitrio eius electio erit: cum debitor precium pignoris cõſortioni ſubiecerit. quod ſi temporibus diſcretis ſuperfluũ pignorum obligari placuit: prius debitum precio pignorũ iure ſoluetur, ſecundũ ſuperfluo cõpenſabitur. Cum inſtitutus deliberaret, ſubſtituto pecunia per errorem ſoluta eſt. ad eum hæreditate poſtea deuoluta, cauſſa condictionis euaneſcit. quæ ratio facit, ut obligatio debiti ſoluatur.

XCVII. IDEM.

CVm ex pluribus cauſſis debitor pecuniam ſoluit, utriuſq; demonſtratione ceſſante, potior habebitur cauſſa eius pecuniæ, quæ ſub infamia debetur: mox eius, quæ pœnam continet: tertio, quæ ſub iure hypothecæ uel pignore contracta eſt: poſt hunc ordinem potior habetur propria, quàm aliena cauſſa, ueluti fideiuſſoris. quod ueteres ideo definierunt, quod ueriſimile uideretur, diligentem debitorem admonitum, ita negocium ſuum geſturum fuiſſe. & ſi nihil eorũ interueniret, uetuſtior contractus ante ſolueretur. Si maior pecunia numerata ſit,

ra sit, quàm ratio singulorũ exposcat. nihilominus primo contractu soluto, qui potior erit, superfluum ordini secundo, uel in totum, uel pro parte minuendo, uidebitur datum.

XCVIII. PAVLVS.

QVi res suas obligauit, postea aliquam possessionẽ ex his, pro filia sua promittendo dotem, obligauit, & soluit. si ea res à creditore euicta est: dicendum est, maritum ex dotis promissione agere posse, ac si statuliberũ, uel rem sub conditione legatam dotis nomine pro filia pater soluisset. harũ enim rerum solutio nõ potest, nisi ex euentu, liberare: scilicet quo casu certũ erit remanere eas. Diuersum respondetur in ea pecunia siue re, quam patronus post mortẽ liberti per Fauianam aufert. hæc enim actio cum sit noua, partam liberationẽ non potest reuocare. Huic adplicatur minor uigintiquinq; annis, qui à creditore circũscriptus, in rem ex caussa debiti solutã restituitur. Rem autem castrensis peculij soluente patre, perinde accipere debemus, ac si alienã dedisset: quãuis possit residere apud eum, cui soluta est, mortuo prius intestato filio. sed tunc adquisita creditur, cum filius decesserit. & utiq; cuius fuerit, euẽtus declaret: sicq; & hoc ex his, quæ ex postfactis sunt, in præteritũ cuius quid fuerit, declaret. Mihi decẽ dari pure, aut Titio calendis, uel sub conditione: aut calendis Ianuarijs mihi, Titio Februarijs utiliter stipulor. quod si mihi solui calẽdis Februarijs, Titio calẽdis Ianuarijs: potest dubitari. sed rectius dicitur, utiliter stipulatũ. nam cum in diem sit ea quoq; obligatio: etiam mihi solui potest ante calendas Februarias. igitur & illi solui poterit. Qui stipulatur SIBI AVT TITIO, si hoc dicit, SI TITIO NON SOLVERIS, dari sibi: uidetur conditionaliter stipulari. & ideo etiã sic facta stipulatione, MIHI DECEM, AVT QVINQVE TITIO DARI? quinq; Titio solutis, liberabitur reus à stipulatore. quod ita potest admitti, si hoc ipsum expressim agebatur, ut quasi pœna adiecta sit in persona stipulantis, si Titio solutum nõ esset. at ubi simpliciter sibi aut Titio stipulatur: solutionis tantum caussa adhibetur Titius. & ideo quinq; ei solutis, remanebunt reliqua quinq; in obligatione. contra si mihi quinq;, illi decem stipulatus sim: quinq; Titio solutis, non facit conceptio stipulationis, ut à me liberetur. porrò si decem soluerit: non quinq; repetit, sed mihi per mandati actionẽ decem debebuntur. Mihi Romæ aut Ephesi Titio dari stipulor. an soluendo Titio Ephesi, à me liberetur, uideamus. nam si diuersa facta sint: (ut Iulianꝰ putat) diuersa res est. sed cũ prævalet caussa dandi: liberatur. liberaretur enim, & si mihi Stichum, illi Pamphilum dari stipulatus essem, & Titio Pamphilum soluisset. at ubi merum factum stipulor, puta insulam in meo solo ædificari, aut in Titij loco:

nunquid

nunquid si in Titij loco ædificet,non contingat liberatio? nemo enim dixit facto pro facto soluto liberationem contingere. sed uerius est liberationem contingere: quia non factum pro facto solui uidetur, sed electio promissoris completur. Si seruus fructuarius ex re fructuarij domino proprietatis aut usufructuario stipuletẽ: inutilis est stipulatio. at ex re proprietarij si ipsi domino aut fructuario stipuletur:recte stipulatur.tantũ enim solutionis capax est fructuarius hoc casu, non etiam obligationis. Aream promisi alienam.in ea dominus insulam ædificauit.an stipulatio exstincta sit,quæsitum est.Respondi. si alienũ hominem promisi,& is à domino manumissus est:liberor.nec admissum est,quod Celsus ait,si idem rursus lege aliqua seruus effectus sit: peti eum posse. in perpetuum enim sublata obligatio restitui non potest.& si seruus effectus sit:alius uidetur esse.nec simili argumento usus est:si nauem,quam tu promisisti,dominus dissoluerit, deinde eisdem tabulis compegerit:teneri te.hic enim eadem nauis est, quam te daturum spopõdisti:ut uideatur magis obligatio cessare,quàm exstincta esse. homini autem manumisso similis fiet, si ea mente dissolutam esse nauẽ posueris,ut in alios usus conuerterentur tabulæ,deinde mutato consilio easdem compositas.alia enim uidebitur esse posterior nauis, sicut ille alius homo est.Non est his similis area,in qua ædificium positum est.non enim desijt in rerum natura esse.imò & peti potest area,& æstimatio eiꝰ solui debebit.pars enim insulæ area est, & quidem maxima, cui etiam superficies cedit.diuersum dicemus, si seruus promissus ab hostibus captus est.hic interim peti non potest, quasi ante diem.sed si redierit postliminio:recte tũc petetur. cessauit enim hic obligatio. area autem exstat,sicut cætera,ex quibus ædificium cõstitit. denicꝙ lex duodecim tabularum tignum ædibus iunctum uindicare posse scit: sed interim id solui prohibuit,preciumꝙ eius dari uoluit.

XCIX. PAVLVS. *lib.V.responsorum.*

PAulus respondit.creditorem non esse cogendum in aliam formã numos accipere,si ex ea re damnum aliquod passurus sit.

C. IDEM.

QVæro,an curatoribus uel tutoribus in prouincia datis Romæ pecunia solui possit,quæ in prouincia ita ab his fœnerata esset, ut Romæ solueretur,cum ijdem curatores uel tutores rerum Italicarum administrationem non sustineant:an si soluerit debitor liberetur? Paulus respondit. tutoribus his uel curatoribus recte pupillo pecuniam debitam solui,qui negocia eius administrant.eos autem,qui prouinciali um rerum curatores uel tutores sunt, italica negocia administrare nõ solere: nisi specialiter tutores prouincialium rerum, ut sibi Romæ res

res redderet, promitti curauerunt.

CI. IDEM.

PAulus respondit. non ideo eos, qui uirilem portionem ex caussa fidei commissi inferre debuerant, liberatos uideri, quoniam quidã ex collegis per errorem plus debito intulerint. Paulus respondit. aliam caussam esse debitoris soluentis, aliam creditoris pignus distrahentis. nam cum debitor soluit pecuniam: in potestate eius esse, cõme morare in quam caussam soluerit. cum autem creditor pignus distrahit: licere ei preciũ acceptum referre etiam in eam quantitatem, quæ natura tantum debebatur. & ideo deducto eo debitum peti posse.

CII. SCAEVOLA.

CReditor oblatam à debitore pecuniam, ut alia die accepturus, distulit. mox pecunia, qua illa res publica utebatur, quasi æroſa iussu præsidis sublata est. item pupillaris pecunia, ut possit idoneis nominibus credi, seruata, ita interempta est. quæsitum est, cuius detrimentũ esset? Respondit. secundum ea, quæ proponerentur, nec tutoris, nec creditoris detrimentum esse. Cum de sorte debita constaret, de usuris litigatum esset: nouissime ex appellatione pronunciatum est, solutas quidem usuras non repeti, in futurum uero nõ deberi. quæro, pecunia data utrum usuris cedere deberet, quod petitor defenderet: an uero sorti proficeret? Respondit. si qui dabat, in sortem se dare dixisset, usuris non debere proficere. Valerius Lucij Titij seruus scripsit. accepi à Marino Materno ex summa maiore tot aureos. quæro, an hæc summa in proximum annum ei acceptò ferri debeat, cum superioris anni sit reliquator? Respondit. uideri in primam quamq; summam liberationem proficere. Titius mutuam pecuniam accepit, & quincunces usuras spopondit, easq; paucis annis soluit. postea nullo pacto interueniente, per errorem & ignorantiã semisses usuras soluit. quæro, an patefacto errore id, quod amplius usurarum nomine solutũ esset, quàm in stipulatum deductum, sortem minueret? Respondit. si errore plus in usuris soluisset, quàm deberet: habendam rationem in sortem eius, quod amplius solutum esset.

CIII. TERENTIVS CLEMENS.

CVm ex pluribus caussis debitor pecuniã soluit, Iulianus elegantissime putat ex ea caussa eum soluisse uideri debere, ex qua tunc, cum soluebat, compelli poterat ad solutionem.

CIIII. IDEM.

ANte restitutam hæreditatem solutiones & liberationes factæ ab hærede ratæ habebuntur.

CV. PAVLVS.

QVod dicimus in eo hærede, qui fideiussori testatoris id, quod ante aditam hæreditatem ab eo solutum est, debere statim soluere: cum aliquo scilicet temperamento temporis intelligendū est. nec eñ cum sacco adire debet.

CVI. CAIVS.

ALiud est iure stipulationis Titio solui posse, aliud postea permissu meo id contingere. nam cui iure stipulationis recte soluitur, ei etiam prohibente me recte solui potest. cui uero aliàs permisero solui, ei non recte soluitur: si prius, quàm solueretur, denunciauerim promissori, ne ei solueret.

CVII. POMPONIVS.

VErborum obligatio aut naturaliter resoluitur, aut ciuiliter, naturaliter, ueluti solutione, aut cum res in stipulationem deducta sine culpa promissoris in rebus humanis esse desijt. ciuiliter, ueluti acceptilatione, uel cum in eandem personam ius stipulantis promittentisq; deuenit.

CVIII. PAVLVS.

EI, qui mandatu meo post mortem meam stipulatus est, recte solui tur: quia talis est lex obligationis. ideoq; etiam inuito me recte ei soluitur. ei autem, cui iussi debitorem meum post mortem meam soluere, non recte soluitur: quia mandatum morte dissoluitur.

DE ACCEPTILATIONE. Tit. IIII.

I. MODESTINVS.



CCeptilatio est liberatio per mutuam interrogationem, qua utriusq; contingit ab eodem nexu absolutio.

II. VLPIANVS.

PVpillum per acceptilationem & sine tutoris authoritate liberari posse placet.

III. PAVLVS.

PEr procuratorem nec liberari, nec liberare quisquam acceptilatione sine mandato potest.

IIII. VLPIANVS.

ACceptilatio sub conditione fieri non potest.

V. VLPIANVS.

IN diem acceptilatio facta nullius mométi est. nam solutionis exemplo acceptilatio solet liberare.

VI. IDEM.

PLuribus stipulationibus factis, si promissor ita acceptò rogasset, Quod

QVOD EGO TIBI PROMISI, HABES'NE ACCEPTVM? siquidem appa ret,quid actum sit:id solum per acceptilationem sublatum est.si nõ ap paret:omnes stipulationes solutæ sunt:dũmodo illud sciamus,si ego ali ud acceptõ tuli,aliud tu rogasti,nihil ualere acceptilationem.

VII. IDEM.

SAne & sic acceptilatio fieri potest, ACCEPTA FACIS DECEM? ille respondit. FACIO.

VIII. IDEM.

AN inutilis acceptilatio utile habeat pactũ, quæritur. & nisi in hoc quoq; cõsensum est,nec habet pactũ. dicet aliquis. potest ergo nõ esse consensus? Respondeo. cur non possit? fingamus eum,qui acceptõ ferebat,scientem prudẽtemq; nullius esse momenti acceptilationem, sic acceptõ tulisse. quis dubitat non inesse pactum,cum consensum pa tiscendi non habuerit? Seruus communis sicut uni ex dominis stipulari potest,ita etiam acceptũ rogare uni ex dominis potest, eumq; in solidum liberat. & ita Octauenus putat. Acceptõ liberare seruus communis alterum ex dominis etiam ab altero domino potest. id enim & Labeoni placuit. deniq; Labeo libris πιθανῶν scribit: si à Primo domino,Secundo domino socio suo stipulatus fuerit,posse à Secundo ac ceptõ rogare,& per acceptilationem Primum liberare,quem ipse obli gauerat. sic fieri, ut per unum atq; eundem seruum & constituat & tollatur obligatio. Acceptum ferri non potest,nisi quod uerbis obliga tum est. acceptilatio enim uerborum obligationem tollit: quia & ipsa uerbis fit. non enim potest uerbis tolli,quod non uerbis cõtractum est.

Filiusfamilias promittendo patrem ciuiliter non obligat,sed se obligat. propter qd acceptõ rogare filiusfamilias potest,ut se liberet,quia ipse obligatus est. pater aũt acceptũ rogando nihil agit,cum nõ ipse ob ligatus sit,sed filius. Idem erit & in seruo dicendum. nam & seruus acce ptõ liberari potest. & tolluntur etiam honorariæ obligationes, si quæ sunt aduersus dominum: quia hoc iure utimur, ut iurisgentium sit acceptilatio. & ideo puto & græce acceptum ferri posse: dummodo sic fiat,ut latinis uerbis solet, ἔχεις λαβὼν δηνάρια τόσα; ἔχω λαβών.

IX. PAVLVS.

PArs stipulationis acceptõ fieri potest,non tantum si sic dicatur, EX NVMIS DECEM,QVOS TIBI PROMISI,QVINQVE HABES'NE ACCEPTOS? sed etiã si sic, QVOD EGO TIBI PROMISI, ID PRO PARTE DIMIDIA HABES'NE ACCEPTVM?

X. POMPONIVS.

SEd & si non numerata pecunia, sed certum corpus (ueluti homo) in stipulationem deductus est: potest ex parte acceptilatio fie-

ri,quomodo & uni ex hæredibus acceptum fieri poteſt.

XI. PAVLVS.

SPecies adquirendi eſt,liberare dominũ ab obligatione. & ideo fructuarius quoq; ſeruus liberare acceptum rogando fructuarium poteſt:quia ex re eius uidet̃ ei adquirere. ſed & ſi tantũ uſum habuit,idem fiet. idemq; dicemꝰ & in eo,qui bona fide nobis ſeruit:& in cæteris,qui noſtro iuri ſubiecti ſunt. ſed & ſi ſeruo, quod ipſe mihi promiſit, acceptum fecero: inutiles mihi erunt aduerſus dominum honorariæ actiones,quæ de peculio,uel in rem uerſo dantur. Si ſeruus hæreditarius ante aditam hæreditatem acceptum roget, quod defunctus mihi promiſerat:uerius puto contingere liberationẽ,ut per hoc hæreditas ipſa liberetur. ſed & ſi dominus apud hoſtes ſit:dicendũ eſt iure poſtliminij confirmari acceptilationem. nam & ſtipulari ei, qui apud hoſtes eſt, ſeruus poteſt.

XII. POMPONIVS.

QVod in diem uel ſub conditione debetur,acceptilatione tolli poteſt. ſed ita id factum apparebit,ſi conditio ſtipulationis exſtiterit,uel dies uenerit.

XIII. VLPIANVS.

ET per iuſiurandum liberti interpoſitam operarum obligationẽ per acceptilationem tolli,uerius eſt. Si id, quod in ſtipulationem deductum eſt,diuiſionem non recipiat:acceptilatio in partem nullius erit momenti:utputa ſi ſeruitus fuerit prædij ruſtici uel urbani.planẽ ſi uſusfructus ſit in ſtipulatum deductus, puta fundi Titiani: poterit pro parte acceptilatio fieri,& erit reſiduæ partis fundi uſusfructus. ſi tamen uiam quis ſtipulatus acceptò iter uel actum fecerit: iſta acceptilatio nullius erit momenti. hoc idem eſt probandum, ſi actus fuerit acceptò latus. ſi autem iter & actus acceptò fuerit latus:cõſequens erit dicere liberatum eum,qui uiam promiſit. Illud certum eſt:eum,qui fundum ſtipulatus,uſumfructum uel uiam acceptò faciat:in ea eſſe cauſſa, ut acceptilatio non ualeat. qui enim acceptò facit: uel totum, uel partẽ eius,quod ſtipulatus eſt,debet acceptò facere. hæ autẽ partes non ſunt: non magis,quàm ſi quis domũ ſtipulatus, acceptò ferat cæmenta, uel feneſtras,uel parietem,uel diætã. Si quis uſumfructum ſtipulatus, uſum acceptò tulerit:ſi quidem ſic tulerit acceptum,quaſi uſu debito: liberatio nõ continget. ſi uero quaſi ex uſufructu:cũ poſſit uſus ſine fructu conſtitui,dicendum eſt acceptilationem ualere. Si is,qui hominem ſtipulatus eſt,Stichum acceptò tulerit: Iulianus libro quinquageſimoquarto digeſtorũ ſcripſit,acceptilationem aliquid egiſſe, tuliſſeq; totam obligationem. quod enim ſtipulatori inuito promiſſor ſoluere poteſt,

poteſt,id & acceptum latum liberationem pariet. Eum, qui fundũ ſtipulatus eſt,non poſſe de dolo malo clauſulam acceptum ferre, con ſtat.non enim in partem debiti id conſtitit: & aliud eſt, quod debetur, & aliud,quod acceptò fertur. Si Stichum aut decem ſub conditione ſtipulatus,Stichum acceptum fecerit, & pendente conditione Stichus deceſſerit:decem in obligatione manebunt, perinde ac ſi ea acceptilatio interpoſita non fuiſſet. Si fideiuſſori acceptò fuerit latũ, cũ reus re,non uerbis fuiſſet obligatus:an reus quoq; liberetur? & hoc iure utimur,ut licet reus non ſit uerbis obligatus,tamen aceptilatione per fideiuſſorem liberetur. Si legatorum ſub conditione relictorum fideiuſſori dato acceptò latum ſit:legata debebuntur poſtea conditione eorum exiſtente. Qui ita ſtipulatur à fideiuſſore, QVOD TITIO CREDIDERO, FIDE TVA ESSE IVBES? deinde ante,quàm crederet,acceptum fecit fideiuſſori:reus non liberabitur.ſed ſi quandoq; ei creditũ fuerit:tenetur. nam & ſi fideiuſſorem non ante liberatum eſſe credimus,quàm cum fuerit creditum reo:non tamen reus antiquiore acceptilatione,quàm obligatio eius eſt,liberari potuit. Tutor, curator' ue furioſi acceptum ferre non poſſunt.ne procurator quidem poteſt facere acceptum. ſed hi omnes debẽt nouare.poſſunt enim & ſic acceptò facere. ne his quidem acceptum fieri poteſt,ſed nouatione facta poterunt liberari per acceptilationem.nam & in abſentium perſona hoc remedio uti ſolemus,cum ſtipulamur ab aliquo id nouandi cauſſa,quod abſens nobis debet:& ita acceptò liberamus eum, à quo ſtipulati ſumus: fitq;,ut abſens nouatione, præſens per acceptilationẽ liberetur.

Hæres quoq; & liberare & liberari acceptò poteſt,& honorarij ſucceſſores. Ex pluribus reis ſtipulandi,ſi unus acceptum fecerit,liberatio contingit in ſolidum.

XIIII. PAVLVS.

NIſi conſentiat acceptilatio cum obligatiõe,& niſi uerum eſt, qđ in acceptilatione demõſtratur:imperfecta eſt liberatio:quia uerbis uerba ea demum reſolui poſſunt,quæ inter ſe congruunt.

XV. POMPONIVS.

SIis,qui Stichũ expromiſit,ita interroget,QVOD STICHVM PROMISI, STICHVM ET PAMPHILVM HABES'NE ACCEPTOS? puto recte acceptò latũ,& ſuperuacuã mentionem Pamphili factã.quem ad modum ſi is,qui decem ꝓmiſit,ita interroget,QVOD TIBI DECEM PROMISI, ET VIGINTI HABES'NE ACCEPTA? etiã decem nomine erit liberatus.

XVI. VLPIANVS.

SI ex pluribus obligatis uni acceptò feratur:ipſe non ſolus liberatur, ſed & hi, qui ſecum obligantur. nam cum ex duobus pluribuſue

eiusdē obligatiōis participibus uni acceptò fertur, cæteri quoq; liberantur: nō quoniā ipsis acceptò latū sit, sed quoniā uelut soluisse uideatur is, qui acceptilatione solutus est. Si iudicati fideiussor sit datus & acceptus, eiq; acceptò latum sit: liberabitur & iudicatus.

XVII. IVLIANVS.

QVi hominem aut decem stipulatus est, si quinq; acceptò fecerit: partē stipulatiōis peremit, & petere quinq;, aut partem hominis potest.

XVIII. FLORENTINVS.

ET ex uno, & pluribus contractibus, uel certis, uel incertis, uel quibusdam exceptis cæteris, uel omnibus ex causis una acceptilatio & liberatio fieri potest. Eius rei stipulatio, quam acceptilatio sequatur, à Gallo Aquilio talis exposita est. quidquid te mihi ex quacunq; causa dare, facere oportet, oportebitúe, præsens in diemúe: quarúcunq; rerum mihi tecum actio, quæq; aduersus te petitio, uel aduersus te persecutio est eritúe: quod úe tu meum habes, tenes, possides: quanti quæq; earum rerum res erit, tantam pecuniam dari stipulatus est Aulus Agerius, spopōdit Numerius Nigidius. quod Numerius Nigidius Aulo Agerio spopondit, id haberet ne à se acceptum Numerius Nigidius Aulum Agerium rogauit. Aulus Agerius Numerio Nigidio acceptum fecit.

XIX. VLPIANVS.

SI acceptò latum fuerit ei, qui non uerbis, sed re obligatus est: non liberabitur quidem, sed exceptione doli mali, uel pacti conuenti se tueri potest. Inter acceptilationem & apocham hoc interest, quod acceptilatione omni modo liberatio cōtingit, licet pecunia soluta nō sit: apocha non aliàs, quàm si pecunia soluta sit.

XX. IDEM.

SI acceptò fuerit lata ob rem iudicatam clausula: Marcellus ait, cæteras partes stipulationis euanuisse. propter hoc enim tantum interponi, ut res iudicari possit.

XXI. VENVLEIVS.

SI sub cōditione legatū mihi datum nouandi causa stipulatus sim, & ante existentem conditionē acceptū fecero: Nerua filius ait, etiā si conditio exstiterit: neq; ex testamēto cōpetiturā actionem, quia nouatio facta sit: neq; ex stipulatu, quæ acceptilatione soluta sit.

XXII. PAVLVS.

SEruus nec iussu domini acceptum facere potest.

XXIII. LABEO.

SI ego tibi acceptum feci, nihilomagis ego à te liberatus sum. PAVLVS. imò cum locatio, conductio, emptio, uenditio conuentione facta

facta est,& nondum res interceſſit: utrinq; per acceptilationẽ (tametſi ab alterutra parte duntaxat interceſſit) liberantur obligationes.

DE PRAETORIIS STIPVLATIONIbus. Tit. V.

I. VLPIANVS.

PRætoriarum ſtipulationũ tres uidentur eſſe ſpecies:iudiciales, cautionales, & communes. Iudiciales eas dicimus, quæ propter iudiciũ interponuntur, ut ratum fiat: ut iudicatũ ſolui, & ex operis noui nunciatione. Cautionales autem ſunt, quæ inſtar actionis habent, & ut ſit nouatio,intercedunt: ut de legato ſtipulationes, & de tutela, & ratam rem habere,& damni infecti. Cõmunes ſunt ſtipulatiões,quæ fiunt iudicio ſiſtendi cauſſa. Et ſciendum eſt,omnes ſtipulationes natura ſui cautionales eſſe. hoc enim agitur in ſtipulationibus, ut quis cautior ſit & ſecurior interpoſita ſtipulatione. Stipulationũ iſtarum prætoriarũ quædam ſunt, quæ ſatiſdationem exigunt, quædam quæ nudam repromiſſionẽ. ſed perpaucæ ſunt,quæ nudam repromiſſionẽ habent: quibus enumeratis,apparebit cæteras non eſſe repromiſſiones, ſed ſatiſdationes. Stipulatio iſta ex operis noui nunciatione, aliàs ſatiſdationẽ,aliàs repromiſſionẽ habet. uideamus ergo,ex qua operis noui nunciatione ſatiſdari oporteat,& quemadmodum ſatiſdetur. nanq; de eo opere,quod in priuato factum erit,ſatiſdari:de eo, quod in publico, repromitti oportet. ſed & hi quidẽ,qui ſuo nomine cauent, repromittunt:qui alieno,ſatiſdant. Item ex cauſſa damni infecti interdũ repromittitur, interdum ſatiſdatur. nam ſi quid in flumine publico fiat,ſatiſdatur de ædibus:de ædibus autem repromittitur. Stipulatio duplæ repromiſſio eſt,niſi cõuenerit,ut ſatiſdetur. Quod ſi ſit aliqua cõtrouerſia: utputa ſi dicatur per calumniam deſiderari, ut ſtipulatio interponatur:ipſe prætor debet ſuper ea ſummatim cognoſcere,& cautum iubere aut denegare. ſed & ſi quid uel addi,uel detrahi,uel immutari in ſtipulatione oporteat:prætoriæ erit iuriſdictionis.

II. PAVLVS.

PRætoriæ ſtipulationes aut rei reſtitutionem continent,aut incertam quantitatẽ. Reſtitutionẽ rei, ſicuti ſtipulatio ex operis noui nunciatione,qua cauetur,ut opus reſtituatur. ideoq; ſiue actor,ſiue reus deceſſerit,pluribus hæredibus relictis:uno uincente,uel uicto,totum opus reſtitui debebit. quamdiu enim aliquid ſupereſt,tamdiu non poteſt uideri opus reſtitutũ. Incertam quantitatẽ continet ſtipulatio iudi

iudicatum solui,& rem ratam dominum habiturum,& damni infecti, & his similes:in quibus respondetur scindi eas in personas hæredũ:quã uis possit dici, ex persona hæredum promissoris non posse descendentem à defuncto stipulationem diuersam conditionem cuiusq; facere. at in contrarium summa ratione fit,ut uno ex hæredibus stipulatoris uincente,in partem eius committatur stipulatio.hoc enim facere uerba stipulationis,quanti ea res est. Sed si unus ex hæredibus promissoris totam rem possideat:in solidum eum damnandum, Iulianus scribit.In quantum autem ipse ea stipulatione,uel fideiussores an omnino teneantur,dubitari potest.& uidendũ ait,ne non committatur. Sed si lite contestata possessor decesserit:unum ex hæredibus non maiore ex parte damnandum, licet totum fundum possideat, quàm ex qua parte hæres est.

III. CAIVS.

GEneraliter in omnibus prætorijs stipulationibus & procuratoribus satisdatur.

IIII. PAVLVS.

PRætoriæ autem stipulationes sæpius interponuntur,cum sine culpa stipulatoris cautum esse desijt.

V. IDEM.

IN omnibus prætorijs stipulationibus hoc seruandum est,ut si procurator meus stipulet mihi,caussa cognita ex ea stipulatione actio cõpetat.idem est,& cum institor in ea caussa esse cœperit, ut interposita persona eius dominus mercis rem amissurus sit:ueluti bonis eius uenditis.succurrere enim domino prætor debet.

VI. IDEM.

IN omnibus prætorijs stipulationibus,in quibus fieri primo aliquid, deinde si factum non sit, pœnam inserimus: pœnæ nomine stipulatio committitur.

VII. PAPINIANVS.

PRætoriæ satisdationes personas desiderant pro se interuenientiũ: neq; pignoribus quis,neq; pecuniæ uel auri uel argenti depositione,in uicem sadisdationis fungitur. PAVLVS notat.eum qui sub conditione institutus est, agnita bonorum possessione cogi substituto in diem cauere longiorem. prætor enim beneficium suum nemini uult esse damnosum:& potest uideri calumniose satis petere,quẽ alius antecedit. Cum sub contrarijs cõditionibus Titio & Mæuio legatũ sit,utriq; cauetur:quia uterq; ex uoluntate defuncti sperat legatum.

VIII. VENVLEIVS.

IN prætorijs stipulationibus si ambiguus sermo acciderit: prætoris erit

ris erit interpretatio. eius etenim mens existimanda est.

IX. VLPIANVS.

VAleriano respondit. si præses, qui ante in triennium caueri iusserat, postea in longũ tempus caueri præceperit: quia à prima stipulatione prorsus discedi uoluerit, exceptionem primæ stipulationis obligatis peperisse uideri.

X. VENVLEIVS.

IN huiusmodi stipulationibus, quæ quanti ea res est, promissionem habent: commodius est certam summam comprehendere: quoniã plerumq; difficilis probatio est, quanti cuiuscunq; interfit, & ad exiguã summam deducitur.

REM PVPILLI SALVAM FORE, uel adolescentis. Tit. VI.

I. PAVLVS.

CVm pupillo rem saluam fore satisdatũ sit: agi ex ea tunc potest, cum & tutelæ potest.

II. VLPIANVS.

SI pupillus absens sit, uel fari non possit: seruus eius stipulabitur. si seruum non habet: seruus ei emendus est. sed si non sit, unde ematur, aut si non sit expedita emptio: profecto dicemus seruum publicum apud prætorem stipulari debere.

III. IDEM.

AVt dare aliquem prætor debet, cui caueatur.

IIII. IDEM.

NOn quasi ipso iure pupillo adquirat (neq; eñ adquirit) sed ut utilis actio ex stipulatu pupillo detur. cauetur autem pupillo hac stipulatione per satisdationem. Illud sciendum est, hac stipulatione teneri tam eum, qui tutor est, quàm eum, qui pro tutore negocia gessit, uel gerit, & fideiussores eorum. sed enim qui non gessit, omnino nõ tenebitur: nam nec actio tutelæ eum, qui non gessit, tenet: sed utili actione conueniendus est, quia suo periculo cessauit: & tamen ex stipulatu actione neq; ipse, neq; fideiussores eius tenebuntur. compellendus igit erit ad administrationem propterea, ut stipulatione quoq; ista possit teneri. Hanc stipulationem placet finita demum tutela cõmitti: & fideiussoribus diem exinde incipere cedere. in curatore aliud est. sed & in eo, qui pro tutore negocia gessit, aliud dicendum est. itaq; istæ stipulationes, siquidem quis tutor fuit, finita demum tutela committentur. si uero pro tutore negocia gessit: conueniens est dicere, statim, ut quæq;

res salua non esse cœpisset, committi stipulationem. Si tutor ab hostibus captus sit, an committatur stipulatio, uideamus. mouet, quia finita tutela est, licet recuperari speretur. & puto posse agi. Generaliter sciendũ est, ex quibꝰ caussis dicimus tutelæ agi nõ posse: ex ijsdem caussis nec ex stipulatu rem saluam fore agi posse, dicendum esse. Si quis curator datus non gesserit curam: consequens erit dicere, stipulationem non committi. sed eadem hæc erunt dicenda, quæ in tutore diximus. illud secus, quod hæc stipulatio statim, atq; quid saluum esse desinit, committitur, & fideiussoribus dies cedit, et in se reuoluit. Pertinet autem hæc stipulatio ad omnes curatores, siue puberibus, siue impuberibus propter ætatis infirmitatem, siue prodigis, uel furiosis, uel quibusdam alijs (ut fieri adsolet) dati sint.

V. PAVLVS.

SI filius, qui in potestate furiosi erit, rem saluam fore stipuletur: adquirit patri obligationem.

VI. CAIVS.

SEruum pupilli stipulari ita necesse est, si pupillus abest, aut fari non potest. nam si præsens est, & fari potest: etiam si eius ætatis erit, ut non intelligat, quid agat: tamen propter utilitatem receptum est, reste eum stipulari, & agere.

VII. MODESTINVS.

DAtiuus, uel testamentarius tutor, siue curator nõ petet satis à collega suo: sed offerre ei poterit, utrũ satis accipere uelit, an dare.

VIII. VLPIANVS.

ET si ad species curator datus sit, rem saluam fore stipulatio interponetur.

IX. POMPONIVS.

CVm pupillus â tutore stipulatur rem saluam fore: nõ solum quæ in patrimonio habet, sed etiam quæ in nominibus sunt, ea stipulatione uidentur contineri. quod enim in tutelæ iudicium uenit, hoc & ea stipulatione continetur.

X. AFRICANVS.

SI postea, quàm pupillus ad pubertatem peruenit, tutor in restituenda tutela aliquàmdiu moram fecerit: certum esse, & fructuum nomine, & usurarũ medij temporis, tam fideiussores eius, q̃ ipsum teneri.

XI. NERATIVS

CVm rem saluam fore pupillo cauetur: committitur stipulatio, si quod ex tutela dari fieri oportet, non præstetur. nam & si res ei salua sit, ob id non est: quia quod ex tutela dari fieri oportet, non soluit.

XII. PAVLVS. Si

SI plures fideiussores à tutore pupillo dati essent: non esse distinguendum, sed in unum dandã actionem: ita ut ei, qui conueniretur, actiones præstarentur. nec quisquã putauerit ab iure discessum, postquàm pro ea parte placuit tutores condemnari, quam administrauerunt: & ita demum in solidum, si res à cæteris non seruentur, aut idonea culpa detegatur, quod suspectũ facere supersederint. nã æquitas arbitrij atq; officium boni uiri uidetur eam formam iuris desiderasse. cæterum fideiussores ciuiliter in solidum obligati, cæteris quidem agentibus, ut diuidatur actio, impetrare possunt: pupillo uero agente, qui non ipse contraxit, sed in tutorem incidit, & ignorat omnia, beneficium diuidendæ actionis iniuriam habere uisum est: ne ex una tutela causſæ plures, uariæq; quæstiones apud diuersos iudices constituerentur.

IVDICATVM SOLVI. Tit. VII.

I. PAVLVS.

IN stipulatione IVDICATVM SOLVI post rem iudicatã statim dies cedit: sed exactio in tempus reo principali indultum differtur.

II. IDEM.

CVm lite mortua nulla res sit: ideo constat fideiussores ex stipulatu IVDICATVM SOLVI non teneri.

III. VLPIANVS.

SI quis ad aliquem iudicem iturus, stipulatus est IVDICATVM SOLVI: & agit apud alterum: non committitur stipulatio: quia non huiusmodi iudicis sententiæ fideiussores se subdiderunt. Stipulationem IVDICATVM SOLVI procurator, & tutor, & curator stipulari possunt. Procuratorem eum accipere debemus, cui mandatum est: siue huius rei tantum mandatum susceperit, siue etiam uniuersorum bonorum. sed & si ratũ fuerit habitum, procurator uidetur. Sed si forte ex liberis, uel ex parentibus aliquis interueniat, uel uir uxoris nomine, à quibus mandatum non exigitur: an committatur stipulatio, quæritur. magisq; erit, ne committi debeat, nisi fuerit ei mandatum, uel ratum habitum. quod eñ eis agere permittitur edicto prætoris, non facit eos procuratores. itaq; si talis persona interueniat: ex integro erit cauendum. sed & quod de tutore diximus, ita accipiendum est: si is fuerit, qui tutelam administrabat. si tutor non esset: tutoris appellatione eũ non contineri. sed & siquidem tutor sit, non tamen quasi tutor negocium administret, uel dum ignorat, uel ex alia causſa: dicendum erit, nõ committi stipulationem. nam edicto prætoris illi tutori agendi facul-

tas datur, cui à parente, maioreue parte tutorum eorum, uel cuius de ea re iurisdictio fuit, tutela permissa erit. Sed & curatorem accipiemus furiosi uel furiosæ. item pupilli, pupillæ, cæterorumq; puta adolescentis, uel si alterius cuius curator sit: committi puto stipulationem.

Si tutor esse proponatur regionis alicuius, uel prouinciæ, uel rerum Italicarum: cõsequens erit dicere, stipulationem ita demum committi, si ex ea caussa egerit, quæ ad administrationem earum pertinebat.

Si reus, postquàm iudicatum solui promisit, demẽs factus sit: an stipulatio committatur ob rem non defensam, quæritur. magisq; est, ut committatur, si nemo eũ defendat. Ob rem non defensam stipulatio non cõmittitur, quàmdiu potest existere, qui defendat. Si plures fuerint fideiussores: postea, quàm cum uno lis cõtestata est, ex clausula ob rem non defensam ipse reus potest suscipere defensionem.

IIII. IVLIANVS.

IS autem, cum quo actum fuerit, absolui debet.

V. VLPIANVS.

IAm tamen fideiussore, qui iudicium acceperat, damnato: frustra defensionem reus susceperit. cæterũ & si solutum fuerit postea, quàm illi iudicatum est: repetitionem cõstituerimus eius, quod solutum est.

Vnus ex fideiussoribus uel hæredibus pluribus, alio cessante suscipere defensionem potest. In hac stipulatiõe, quia plures caussæ sunt una quantitate conclusæ, si committetur statim stipulatio ex uno casu: amplius ex alio committi non potest. Nunc uideamus, qualis defensio exigatur, ne committatur stipulatio, & quarũ personarum. & siquidem ex personis enumeratis in defensionem quis succedat: palam est, recte rem defendi, nec committi stipulationem. si uero extrinsecus persona defensoris interueniat: æque stipulatio non cõmittetur: si modo ille paratus sit rem boni uiri arbitratu defendere, hoc est satisdare. sic enim uidetur defendere, si satisdet. cæterum si simpliciter paratus sit interuenire, nec admittatur: committetur ista stipulatio ob rem nõ defensam. quod si quis eum, uel cum satisdatione, uel sine satisdatione admiserit: consequens erit dicere, stipulationis istius nullam partem cõmitti: quia sibi imputare debet, qui talem defensorem admisit. Si ex fideiussoribus, qui iudicatũ solui cauerant, existat defensor: placuit ob rem iudicatam stipulationem non committi: cæteraq; eadem esse, atq; si extraneus defensor existat. In hac stipulatione hoc tractatur, an qui fideiusserunt, si defensionem omiserint, mandati iudicio teneantur. & est uerius, non teneri. hi enim in quantitatem interuenerunt, & hoc illis fuit mandatum, non in defensionem. quid tamen si & hoc sibi adsumpserint, ut defendant? an mandati possint agere? & si quidem uicti

uicti sunt: utiq; quod ob rem iudicatã præstiterunt, consequentur. sumptus tamen litis minime petent. si autẽ obtinuerint: poterunt & sumptus litis consequi, quasi iuxta mandatum, & si non mandatum fecerint. Si tamen plures fideiussores defendere fuerint parati: uideamus, utrum unum defensorem debeant dare: an uero sufficiat, ut unusquisq; eorum pro parte sua defendat, uel defensorem substituat. & magis est, ut nisi unum dent procuratorem (desiderante scilicet hoc actore) committatur stipulatio ob rem non defensam. nam & plures hæredes necesse habebunt unum dare procuratorem, ne defensio per plures scissa incommodo aliquo adficiat actorem. aliud est in hæredibus actoris, quibus necessitas non imponitur, ut per unũ litigent. Illud sciendũ est, ibi rem esse defendendam, ut recte defendat, ubi debet agi.

VI. IDEM.

IVdicatum solui stipulatio tres clausulas in unã collectas habet: de re iudicata, de re defendenda, de dolo malo.

VII. CAIVS.

SI ante acceptum iudicium prohibitus fuerit procurator à domino, & actor ignorans prohibitum esse egerit: Iulianus non putat stipulationem committi. nam ut committatur, non sufficere ait, cum ea persona acceptum esse iudicium, quæ stipulatione compræhensa est: sed oportere etiam causſam personæ eandem esse, quæ stipulationis interponendæ tempore fuit. & ideo si is, qui procurator datus est, hæres extiterit domino, atq; ita acceperit iudicium, siue etiam prohibitus acceperit: non committi stipulationem. & aliàs responsum esse, si quis absentem defendẽs satisdederit, deinde uel procurator ab eo datus, uel post quàm hæres ei exstitit, iudicium acceperit: fideiussores non teneri.

VIII. PAVLVS.

SI petitor post satisdationem ante iudicium acceptũ hæres possessori exstiterit: exstinguetur stipulatio.

IX. VLPIANVS.

IVDICATVM SOLVI stipulatio expeditam habet quantitatem. in tantum enim committitur, in quantum iudex pronunciauerit.

X. MODESTINVS.

SI ad defendendum procurator datus fuerit: satisdare iubetur IVDICATVM SOLVI stipulatione, quæ nõ ab ipso procuratore, sed à domino litis interponitur. quod si procurator aliquem defendat: ipse cogitur satisdare IVDICATVM SOLVI stipulatione.

XI. PAVLVS.

SI seruus, qui in rem actione petebatur, lite contestata decesserit, deinde possessor litem deseruerit; quidã eius fideiussores pro lite da-

tos nõ teneri putant: quia mortuo homine nulla iam res sit. quod falsum est: quoniã expedit de euictione actionis cõseruandæ causſa, item fructuum nomine rem iudicari.

XII. IDEM.

*al's. ab eo satis datio- nem datã.

SI reus post IVDICATVM SOLVI *stipulationẽ, in magistratu sit, nec inuitus in ius uocari possit: tamen nisi res boni uiri arbitratu defendatur, fideiussores tenentur.

XIII. VLPIANVS.

CVm quærebatur, si interposita IVDICATVM SOLVI stipulatione, cum quis rem non defenderet, postea ex eremodicio sententiam esset passus: an ob rem iudicatam clausula cõmittatur? dicebam, unam clausulam in stipulatione IVDICATVM SOLVI ob rem non defensam, & ob rem iudicatam in se habere. cum igitur IVDICATVM SOLVI stipulatio una cludatur clausula, siue res iudicetur, siue res nõ defendatur: merito quæritur, si altera clausula cõmittatur, an ex altera rursum cõmitti possit? ecce enim si quis stipuletur, SI NAVIS EX ASIA VENERIT, aut SI TITIVS CONSVL FVERIT, constat, siue nauis prior uenerit, siue Titius ante consul factus sit: cõmitti stipulationẽ. sed ubi cõmissa est ex priore causſa, ex altera (licet existat conditio) amplius nõ cõmittitur. altera enim causſa, non utraq; inerat stipulationi. pro inde uidendũ est, stipulatio ob rem non defensam, utrum commissa est re non defensa: an non prius creditur commissa, nisi ex stipulatione lis fuerit contesta. quod magis est. & ideo nec fideiussoribus uidetur statim diescedere, ubi res cœperat nõ defendi. proinde & si forte lis finita fuerit, ad quã defensio erat necessaria, uel solutione, uel trãsactione, uel acceptilatione, uel quo alio modo: consequenter placuit, euanescere ob rem non defensam clausulam. Si fuero à fideiussore procuratoris stipulatus IVDICATVM SOLVI quasi in rem acturus, & postea in personã egero: uel alia actione acturus, aliam autẽ dictauero: nõ cõmittitur stipulatio: quia de alio actum uidetur, de alio stipulatio interposita est.

XIIII. VLPIANVS.

SI ex duodus fideiussoribus, qui IVDICATVM SOLVI spoponderant, alter ob rem non defensam partẽ suã soluerit: nihilominus res defendi poterit: nec tamẽ is, qui soluerit, repetet. stipulatio enim pro parte eius perempta est perinde, ac si acceptũ ei factum fuisset. Quoties ex stipulatione IVDICATVM SOLVI ob rem non defensam agitur cum fideiussoribus: non est iniquum caueri, dominũ priore iudicio absolui: quia omissa cautione, fideiussores mandati iudicio non cõsequentur, aut certe cogentur dominũ priore iudicio defendere.

XV. AFRICANVS. Hæc

HAec stipulatio QVAM DIV RES NON DEFENDATVR, simulatq; defendi cœperit, aut defendi debere desierit, resoluitur.

XVI. TERENTIVS CLEMENS.

EX IVDICATVM SOLVI stipulatione ob rem nõ defensam cum uno ex fideiussoribus agere uolo. quod pro parte eius sit, si soluere mihi paratus est: nõ debet dari mihi in eum iudicium. neq; enim æquum est, aut iudicio adstringi, aut ad inficiationem compelli eum, qui sine iudice dare paratus est, quantũ aduersarius eius per iudicem ab eo consecuturus est.

XVII. VENVLEIVS.

EX clausula *de re iudicata dolo malo ob rẽ nõ defensam in solidũ cõmittitur stipulatio. non enim uidebitur defensa res boni uiri arbitratu, quæ non in solidum defensa sit. *als. rei iudicatæ de dolo malo

XVIII. IDEM.

VIr bonus non arbitratur indefensam esse rem, de qua prætor accipere iudicium non cogitat.

XIX. IDEM.

NOuissima clausula IVDICATVM SOLVI stipulationis DOLVM MALVM ABESSE ABFVTVRVM'QVE ESSE, & in futurum tempus permanens factum demonstrat. itaq; & si forte decesserit is, qui dolo fecit, tenebitur hæres eius. uerbum enim ABFVTVRVM'QVE ESSE plenissimũ est, & ad omne tempus refertur: ut si aliquo tempore non abfuerit dolus (quoniã uerum sit non abfuisse) cõmittatur hæc clausula. sin autẽ adiectũ sit, SI HVIVS REI DOLVS MALVS NON ABERIT, QVANTI EA RES EST, DARE SPONDES? etiam ob extranei dolũ promissor de pœna tenebit. doli autem mali clausula, sicut reliquæ stipulationes, in quibus tempus nominatim adiectum non est, ad principium stipulationis refertur.

XX. SCAEVOLA.

CVm apud Semproniũ iudicem datum reus defenderetur: stipulatione cautum est, ut quod Sempronius iudex iudicasset, præstaretur: à cuius sententia petitor appellauit. & cum apud competentem appellationis iudicem res ageretur, defensore cõdemnato: quæsitũ est, an stipulatio cõmissa esset? respondit. secundum ea, quæ proponerent, non esse iure commissam. CLAVDIVS. ideo in stipulatione adijcitur, QVI'VE IN EIVS LOCVM SVBSTITVTVS ERIT.

XXI. IDEM.

SI unus ex fideiussoribus ob rem nõ defensam cõuentus sit, deinde postea ea res defendat: alter fideiussorũ ob rẽ iudicatã cõueniri potest. & si reus promittẽdi duob9 hæredibus relictis decesserit, alter rem

non

non defendat, alter defendat: is, qui nõ defendit, ob rem non defensam conueniri potest: ille, qui defendit, ob rem iudicatam: quoniam in unius eiusdemq; persona non posse committi has duas clausulas creditur: & nos dicimus, semper præualere rei iudicatæ clausulam, eamq; solam committi.

RATAM REM HABERI, ET DE rati habitione. Tit. VIII.

I. PAPINIANVS.

CVm quis de rato stipularetur: quamuis non idem, sed alius pro domino conueniretur, qui cõueniri non posset: si ratum dominus habuisset, committi stipulationem placuit. ueluti si fideiussor, aut alter ex reis promittendi, qui socius est, conueniretur.

II. IDEM.

IN stipulatione de ratũ habendo non est cogitandum rei promittendi uel stipulandi compendium: sed quid interfuit eius, qui stipulatus est ratum haberi, quod gestum est.

III. IDEM.

CVm minor uigintiquinq; annis creditor pecuniã recuperare uellet: interpositus procurator debitori de ratũ habendo cauit. restitutione in integrum data, neq; indebiti condictionem, neq; stipulationem committi constabat. idemq; eueniret, si falsi procuratoris actum minor annis ratum habuerit. & ideo ita cauendum erit: præcedente quidem mandato, si ille in integrum restitutus fuerit, hæresue eius, aut is, ad quem ea res, qua de re agitur, pertinebit: quanti ea res erit, tantam pecuniam dari. mandato uero non interueniente: uulgaribus uerbis de ratũ habendo. hæc quoq; prudentius inter consentientes adstringentur. alioquin si nõ conueniat, nec creditor minor consentiat: actionem dari oportebit. Falsus procurator de ratũ habendo cauit, atq; ita dominus à sententia iudicis procuratore uicto prouocauit. stipulationis defeciſſe conditionem apparuit, cum ad auxilium commune ſuperatus confugiſſet. quod si dominus, qui ratum non habuit, pecuniã exegerit: stipulatio de rato committetur in eam pecuniam, quam dominus accepit, quamuis nihil procurator accepit.

IIII. SCAEVOLA.

PRocurator quinquaginta petit. si dominus cẽtum petat: tenebuntur fideiussores, qui de rati habitione cauerunt in quinquaginta, & quanti interfuit differri quinquaginta actionem. Idem

V. PAVLVS *lib.* XI. *responsorum respondit.*

NOn tantum uerbis ratum haberi posse, sed etiam actu. deniq; si eã litem, quam procurator incohasset, dominus comprobans persequeretur: non esse cõmissam stipulationem.

VI. VENVLEIVS.

Tutore suspecto postulato, defensor si uelit respõdere: cautionem ratam rem dominum habiturum cauere compellendus est.

VII. PAVLVS.

SI is, cui ignoranti petita est bonorum possessio, decesserit: hæres eius intra tempora petitionis ratam eam habere non potest.

VIII. VENVLEIVS.

PRocurator ad exhibendum egit, & cum aduersarius absolutus esset, quia non possidebat: cum possessionem eiusdem rei nactus esset, egit cum eo dominus ad exhibendum. Sabinus ait, fideiussores nõ teneri: quoniam hæc alia res sit. nam & si dominus egisset, mox absoluto aduersario, quia non possideret, ex integro ageret: non obstaturam rei iudicatæ exceptionem. Si procurator à debitore pecuniam exegerit, & satisfecerit dominum ratam rem habere, mox dominus de eadem pecunia egerit, & litem amiserit: cõmitti stipulationem. & si procurator eandem pecuniam domino soluerit: sine iudice condicturum. sed cum debitor ex stipulatu agere cœperit: potest dici dominum, si procuratoris defensionem suscipiat, non inutiliter doli mali exceptiõe aduersus debitorem uti: quia naturale debitum manet. Si quis à procuratore status controuersiam patiatur: satis accipere debet à procuratore, ne impune sæpius pro suo statu conueniretur. & si dominus uenientes q; ab eo personæ ratum non habuerint, quod procurator eum in seruitutem petierit, uel aduersus procuratorem ex seruitute in libertatem petitus fuerit: quanti ea res est, ei præstetur, scilicet cum de libertate eius constiterit: id est quanti interfuit eius de statu suo rursus non periclitari, & propter impendia, quæ in litem fecerit. sed Labeo certã summam comprehendendam existimabat, quia æstimatio libertatis ad infinitum extenderetur. ex quo autem dominus ratum non habuit: cõmitti stipulatio uidetur. sed non ante ex ea agi poterit, quàm de libertate iudicatum fuerit: quia si seruus sit iudicatus, inutilis fit stipulatio: cũ & si qua sit actio, eam domino adquisisse intelligatur.

IX. VLPIANVS.

ACtor à tutore datꝰ omnimodo cauet. sed actor ciuitatis nec ipse cauet, nec magister uniuersitatis, nec curator bonis cõsensu creditorum datus.

X. IDEM.

INterdum ex conuentione stipulatio ratam rem interponi solet: ut puta si quid procurator aut uendat, aut locet, aut si ei soluatur.

XI. VENVLEIVS.

VEl paciscitur, uel quodlibet aliud absentis nomine gerit.

XII. VLPIANVS.

QVo enim tutiore loco sit, qui contrahit, de rato solet stipulari. Rem haberi ratam hoc est, comprobare agnoscere q̃, quod actum est à falso procuratore. Iulianus ait: interesse, quando dominus ratam habere deberet solutionem in procuratorem factam: an tũc demum, cum primum certior factus esset. hoc autem accipiendum ἐν πλάτει, & cum quodã spacio temporis, nec minimo, nec maximo, quod magis intellectu percipi, quàm elocutione exprimi possit. quid ergo si quod primo ratum non habuit, postea habebit ratum? nihilo magis proficere ad impediendam actionem suã: & eo id, quod primo non habuerit ratum, actionem saluam habere ait. ideoq̃ si quod procuratori fuerat solutũ, exegerit: perinde agi ex ea stipulatione poterit, ac si ratum habere se postea non dixisset. sed ego puto exceptione dolí mali eum habiturum. Siue quis petat, siue compensatione utatur: committitur statim ratam rem dominum habiturum stipulatio. nam qualiter qualiter quis eundem actum retractat, qui à procuratore actus est: committi stipulationem oportet.

XIII. PAVLVS.

SI commissa est stipulatio ratam rem dominum habiturum: in tantum competit, in quantum mea interfuit, id est, quantũ mihi abest, quantum q̃ lucrari potui. Si sine iudice procuratori legatum soluatur: caueri debere ait Pomponius.

XIIII. IDEM.

SI quis uni ex reis promiserit rem ratam dominũ habiturũ, aut amplius eam non peti: dicendum est stipulationem committi, si ab eo petatur, qui eiusdem obligationis socius est.

XV. IDEM.

AMPLIVS NON PETI uerbum Labeo ita accipiebat, si iudicio petitum non esset. & si autem in ius eum uocauerit, & satis iudicio sistendi caussa acceperit, iudicium tamen acceptum non fuerit: ego puto non committi stipulationem AMPLIVS NON PETI. hic enim amplius non petit, sed petere uult. si uero soluta esset pecunia, licet sine iudicio: cõmittitur stipulatio. nam & si quis aduersus petentẽ cõpensationẽ deductionẽue usus sit: recte dictum est petijsse eum uideri, & stipulationem committi AMPLIVS NON PETI. nam & hæres, qui dãnatus est non petere, si horũ quidquam feciſſet, ex testamento tenetur.

Pompo

XVI. POMPONIVS.

SI indebitum procuratori solutum sit: agi statim ex hac stipulatione aduersus procuratorem potest, ut ratum habeat dominus: ut possit discerni, utrum ne domino condici debeat id, quod in debitum solutum sit, si is ratum habeat: an uero procuratori condicendũ sit, si dominus ratum non habeat. Si procurator fundum petijsset, & cauisset (uti adsolet) ratam rem dominum habiturum, deinde postea dominus uendidisset eundem fundum, eumq; emptor peteret: stipulationẽ ratam rem haberi committi, Iulianus scribit.

XVII. MARCELLVS.

CVm debitore decem creditoris nomine Titius egit. partem petitionis ratam habuit dominus. dicendum est obligationis partẽ consumptam, quẽadmodũ si decem stipulatus esset, aut exegisset: creditorq; non totum, sed partem rei gestæ comprobasset. & idcirco si ex stipulatu DECEM AVT STICHVM, VTRVM EGO VOLVERO, absente me domino, Titius quinq; petijsset: insecuta ratihabitione recte actum uideri.

XVIII. POMPONIVS.

SI procurator ratam rem dominum hæredemúe eius habiturum cauerit, & unus ex hæredibus domini ratũ habeat, alter non habeat: sine dubio cõmittetur stipulatio pro ea parte, pro qua ratũ non habebit: quia in id cõmittitur stipulatio, qd' stipulatoris interest. nã & si ipse dominus, p parte ratũ habuerit, pro parte nõ habuerit: nõ ultra, cõmittitur stipulatio: quia in id cõmittitur, quod interest agẽtis. & ideo sæpius ex ea stipulatione agi potest, prout interest agentis, qd' litigat, quod cõsumit, qd' aduocat, quod dãnatus soluit: sicut in stipulatiõe damni infecti accidere potest, ut is, qui stipulatus sit, subinde agat. cauet enim si quid ibi ruet, scindetur, fodietur, ædificabitur. finge ergo subinde damnum dari. non erit dubium, quin agere possit. nam si toto damno computato tunc agendum est: propèmodum non ante aget, quàm dies stipulationis præterierit, intra quem si damnum datum sit, stipulatori cautum erit. quod uerum non est.

XIX. PAVLVS.

IN stipulatione, qua procurator cauet rem ratam dominum habiturum, id continetur, quod interest stipulatoris. idemq; iuris est in clausulis omnibus de dolo malo.

XX. VLPIANVS.

NOn solum in actionibus, quas procurator intendit: uerum etiam in stipulationibus quoq;, quas interponi desiderat (si uicem repræsentant actionum) cauere eum de rato oportet. quare si duplæ stipulationes procurator interponat: de rato cauere debet. sed etiam si da

mni infecti stipulatio à procuratore interponatur, de rato debet procurator cauere.

XXI. IDEM.

NE satisdatio ratam rem dominum habiturum exigatur in his, quæ nomine eius agent, qui eum se fecisse procuratorem libello principi dato professus est, prodest. quod si iudicatum solui satis ab eo procuratore postuletur: necesse est, ut iuri manifesto pareatur.

XXII. IVLIANVS.

SI sine iudice indebitam pecuniam exegerit procurator, & dominus ratam solutionem non habuerit, sed eandem pecuniam petere instituerit: fideiussores tenentur: & condictio, qua procurator repeteretur, si stipulatio interposita nō fuisset, perimitur. quoties enim procuratori pecunia soluitur, & dominus eam solutionem ratam non habet: existimo agendum, ut condictio perimatur: & sola actio ei, qui indebitam soluit, aduersus procuratorem ex stipulatu cōpetat. Hoc amplius præstant fideiussores impensas, quæ in iudicium factæ sunt. quod si dominus ratam habuerit: fideiussores quidem liberantur, sed ab ipso domino eadem pecunia per condictionem peti potest. Quod si procurator debitā domino pecuniā sine iudice exegisset: idem iuris est. hoc sc cus, quod si dominus ratam rem habuisset, nulla eius pecuniæ repetitio futura est. Quod si procurator per iudicem non debitam pecuniam exegisset: dici potest (siue ratum dominus habuisset, siue non habuisset) fideiussores non teneri: uel quia nulla res esset, quam dominus ratam habere possit: uel quia nihil stipulatoris interesset, ratum haberi. adficietur ergo iniuria is, qui soluit procuratori. magis tamen est, ut si ratum dominus non habuerit, fideiussores teneantur. Quod si debitam pecuniam procurator, cui nihil mandatum fuerat, per iudicem petierit: magis est, ut in solidum fideiussores teneantur, si dominus ratum non habuerit. Cum autem procurator recte petit, dominus perperam: non debet procurator præstare, ne iniuria iudicis dominus aliquid consequatur. nunquam enim propter iniuriam iudicis fideiussores obligantur. uerius tamen est, hoc casu fideiussores non nisi in impensas litis teneri. MARCELLVS. si dominus ratam rem non habuerit, sed lite mota rem amiserit: nihil præter impendia in stipulationē ratam rem haberi deducitur. Si procuratori eius, qui mortuus erat, sine iudice fuerint soluta legata: stipulatio committetur, nisi hæres ratum habuerit: utiq; si debita fuerint. tunc enim non dubie interest stipulatoris, ratam solutionem ab hærede haberi, ne bis eadem præstet.

Si in stipulatione ratam rem haberi hactenus comprehensum fuerit, LVCIVM TITIVM RATVM HABITVRVM, cum id aperte ageret, ut

ut hæredis cæterorumq; personæ, ad quos ea res pertineret, omitterentur: difficile est existimari, doli clausulam committi. sanè cum per imprudentiam hæ personæ omittentur: actio ex doli clausula competit.

Si procurator iudiciũ de hæreditate ediderit, deinde dominus fundum ex ea hæreditate petierit: stipulatio ratam rem haberi committetur: quia si uerus procurator fuisset, exceptio rei iudicatæ dominũ submoueret. plerunq; autem stipulatio ratam rem haberi committetur his casibus, quibus si uerus procurator egisset, domino aut ipso iure aut per exceptionem actio inutilis esset. Qui patris nomine iniuriarũ agit ob eam rem, quod filius eius uerberatus pulsatusue sit: in stipulatione cogendus est filij quoq; personam comprehendere: præsertim cum fieri possit, ut pater ante decedat, quàm sciret procuratorem suũ egisse, & ita iniuriarum actio redeat ad filium. Sed & si nepoti iniuria facta fuerit, & procurator aui propter hanc causam iniuriarũ aget: non solum filij, sed etiam nepotis persona comprehendenda erit in stipulatione. quid enim prohibet & patrem & filium, antequàm scirent procuratorem egisse, decedere? quo casu iniquum est fideiussores non teneri, nepote iniuriarum agente.

XXIII. IDEM.

PRocurator, cum peteret pecuniam, satisdedit amplius non peti. post iudicium acceptum exstitit, qui & ipse procuratorio nomine eandem pecuniam repeteret. quæsitum est, cum is, qui postea repeteret, procurator non esset, & propter hoc exceptionibus procuratoris excludi posset: fideiussores ne procuratoris prioris tenerentur? respondi. uerius est non obligari fideiussores. nam in stipulatione cauetur, non petiturum eum, cuius de ea re actio, petitio, persecutio sit: & ratum habituros omnes, ad quos ea res pertinebit. hic autem, qui procurator non est, nec actionem, nec petitionem habere intelligendus est.

XXIIII. AFRICANVS.

BOnorum possessionem ab alio agnitam ratam haberi oportere eo tempore, quo adhuc in ea causa sit, ut peti possit. itaq; post centesimum diem ratam haberi nõ posse. an autem, & si mortuus fuisset, qui petisset, uel furere cœpisset, ratum habere possit: uideamus. nam si in uniuersum perinde haberi debet, ac si tunc, cum ratum habet, per eũ bonorum possessionem petat: frustra his casibus ratũ habetur. sed & illud consequens futurum, etiam si pœniteat illum petijsse, ratum habere non posse. quod utiq; sit absurdum. rectius itaq; dicetur, neutram earum causarum impedire rati habitionem.

XXV. IDEM.

PAter dotem à se datam absente filia petijt,& ratam rem habitura eam cauit.ea prius,quàm ratum haberet,mortua est.negauit committi stipulationem: quia etiam si uerum sit ratum eam non habuisse, nihil tamen mariti interfit dotem restitui, cum patri etiam mortua filia salua esse dos debeat. Procurator cum ab eo æs alienum exegerat,qui tempore liberaretur,ratam rem dominũ habiturũ cauit.deinde post tempus liberato iam debitore dominus ratam rem habet. posse debitorem agere cum procuratore existimauit,cum iam debitor liberatus sit.argumentũ rei esse,quod si nulla stipulatio interposita sit,condictio locũ aduersus procuratorem habitura sit. in locũ autẽ condictionis interponi stipulationem.

DIGESTORVM
SEV PANDECTARVM LIBER QVADRAGESIMVS SEPTIMVS.

DE PRIVATIS DELICTIS Tit. I.

I. VLPIANVS.

CIuilis constitutio est,pœnalibus actionibus hæredes non teneri,nec cæteros quidem successores.idcirco nec furti conueniri possunt. sed quamuis furti actione non teneantur:attamen ad exhibendũ actione eos teneri oportet, si possideant, aut dolo fecerint, quo minus possideant. sed enim, & uindicatione tenebuntur re exhibita. item condictio aduersus eos cõpetit. Hæredes aũt furti agere posse,æque constat.exsecutio enim quorundam delictorũ hæredibus est data.ita & legis Aquiliæ actionem hæres habet.sed iniuriarum actio hæredi non competit. Non tantum in furti,uerã in cæteris quoq; actionibus,quæ ex delictis oriuntur (siue ciuiles sunt,siue honorariæ) placet,ut noxa caput sequatur.

II. IDEM.

NVnquam plura delicta concurrentia faciunt, ut ullius impunitas detur. neq; enim delictum ob aliud delictũ minuit pœnam. Qui igitur hominem subripuit,& occidit:quia subripuit,furti tenetur: quia occidit, Aquilia tenetur:neq; altera harum actionũ alteram consumit. idem dicendum, si rapuit & occidit. nam & ui bonorum raptorum & Aquilia tenebitur. Item si quis subreptum flagello ceciderit; duabus actio

actionibus tenetur, furti, & iniuriarũ. & si forte hunc eundem ōcciderit, tribus actionibus tenebitur. Item quæsitum est, si condictum fuerit ex caussa furtiua, an nihilominus ex lege Aquilia agi possit? & scripsit Pomponius agi posse: quia alterius æstimatiōis sit legis Aquiliæ actio, alterius cōdictio ex caussa furtiua. Nanq; Aquilia eam æstimationem cōplectitur, quanti eo anno plurimi fuerit: condictio autem ex caussa furtiua non egreditur retrorsum iudicij accipiendi tempus. sed si seruus sit, qui hoc admisit: ex quacunq; actione noxæ fuerit deditus: perempta est altera actio. Item si quis ancillam alienam subripuit, & flagitauerit: utraq; actione tenebitur. nam & serui corrupti agi poterit, & furti. Item si quis seruum uulnerauit, quem subripuerat: æque duæ actiones locum habebunt, Aquiliæ, & furti.

III. IDEM.

SI quis actionem, quæ ex maleficijs oritur, uelit exsequi: siquidem pecuniarie agere uelit: ad ius ordinarium remittendus erit, nec cogendus erit in crimen subscribere. enimuero si extra ordinem eius rei pœnam exercere uelit: tunc subscribere eum in crimen oportebit.

DE FVRTIS. Tit. II.

I. PAVLVS.

FVrtum à furuo, id est nigro dictum Labeo ait, quod clam & obscure fiat, & plerunq; nocte: uel à fraude, ut Sabinus ait, & à ferendo, id est, auferendo: uel à græco sermone, quod φῶρας adpellant fures. imò & græci à ferendo φῶρας dixerunt. Sola tamen cogitatio furti faciendi non facit furem. sic is, qui depositũ abnegat, non statim etiam furti tenetur: sed ita, si id intercipiendi caussa occultauerit. Furtum est cōtrectatio fraudulosa, lucri faciendi gratia, uel ipsius rei, uel etiam usus eius, possessionisue, quod lege naturali prohibitum est admittere.

II. CAIVS.

FVrtorum genera sunt duo: manifestum, & nec manifestum.

III. VLPIANVS.

FVr manifestus est, quem græci ἐπ' αὐτοφώρῳ appellant, hoc est, qui deprænditur cum furto. & parui refert, à quo deprænditur: utrum ab eo, cuius res fuit, an ab alio. sed utrum ita demum fur sit manifestus, si in faciendo furto deprænditur: an uero & si aliubi fuerit deprænsus? & magis est (ut & Iulianus scripsit) & si nō ibi deprænditur, ubi furtũ fecit: attamen esse furem manifestũ, si cum re furtiua fuerit adprænsus, priusquàm eò loci rem pertulerit, quò destinauerat.

Paulus

IIII. PAVLVS.

QVô destinauerit quis auferre, sic accipiendum est: quò destinauerit eo die manere cum eo furto.

V. VLPIANVS.

SIue igitur in publico, siue in priuato deprehendatur, antequàm ad locum destinatum rem perferret: in ea caussa est, ut fur manifestus sit, si cum re furtiua deprehendatur. & ita Cassius scribit. Sed si pertulerit, quò destinauit: tametsi deprehendatur cum re furtiua, non tamen est manifestus fur.

VI. PAVLVS.

QVamuis enim sæpe furtum contrectando fit: tamen initio, id est faciendi furti tempore, constituere uisum est, manifestus, nec'ne fur esset.

VII. VLPIANVS.

SI quis in seruitute furtum fecerit, & manumissus deprehendatur: an fur manifestus sit, uideamus. & ait Pomponius libro decimono ex Sabino, non posse eum manifesti conueniri: quia origo furti in seruitute facti non fuit manifesti. Idem Pomponius eleganter scribit, deprehensione fieri manifestum furem. cæterum si cum tibi furtum facerem, de domo tua abscondisti te, ne te occidam: etiam si uidisti furtum fieri, attamen non est manifestum. Sed Celsus deprehensioni hoc etiam adijcit: si cum uidisses eum subripientem, & ad comprehendẽdum eum occurrisses, abiecto furto fugit: furem manifestũ esse. paruiq; referre putat, dominus, an uicinus quilibet transiẽs adprehendat.

VIII. CAIVS.

NEc manifestum furtum quid sit, apparet. nam quod manifestũ non est, hoc scilicet nec manifestum est.

IX. POMPONIVS.

EI, qui furti actionem habet, assidua contrectatione furis, non magis furti actio potest nasci: ne in id quidẽ, *in quod creuisset postea res subrepta. sed si eam à fure uindicassem: cõdictio mihi manebit. sed potest dici officio iudicis, qui de proprietate cognoscit, cõtineri: ut nõ aliter iubeat ei restitui, quàm si condictionem petitor remittat. quod si ex condictione ante damnatus reus litis æstimationem sustulerit: ut aut omnimodo absoluat reum: aut (quod magis placet) si paratus esset petitor æstimationem restituere, nec restitueretur ei homo: quanti in litem iurasset, damnaretur ei possessor.

*al's. in q̃ decreuiſſet.

X. VLPIANVS.

CVius interfuit non subripi, is actionem furti habet.

XI. PAVLVS.

Quin

QVinimò cuius intereſt, ita furti actionem habet, ſi honeſta de cauſſa intereſt.

XII. VLPIANVS.

ITaq; fullo, qui curanda polienda'q; ueſtimenta accepit, ſemper agit: præſtare enim ſemper cuſtodiam debet. ſi autem ſoluendo non eſt: ad dominum actio redit. nam qui non habet, quod det, eius periculo nihil eſt. Sed furti actio malæ fidei poſſeſſori non datur, quamuis interſit eius rem nõ ſubripi, quippe cum res eius periculo ſit: ſed nemo de improbitate ſua conſequitur actionem. & ideo ſoli bonæ fidei poſſeſſori, non etiam malæ fidei furti actio datur. Sed ſi res pignori data ſit: creditori quoq; damus furti actionem, quamuis in bonis eius res nõ ſit. quinimò non ſolũ aduerſus extraneum, uerum cõtra ipſum quoq; dominum furti actionem damus. & ita Iulianus ſcripſit. nec non & ipſi domino dari placet. & ſic fit, ut non teneatur furti, & agat. Ideo autem datur utriq;, quia utriuſq; intereſt. ſed utrum ſemper creditoris intereſt: an ita demum, ſi debitor ſoluendo non eſt? & putat Pomponius, ſemper eius intereſſe pignus habere. quod & Papinianus libro duodecimo quæſtionum probat. & uerius eſt, ubiq; uideri creditoris intereſſe: & ita Iulianus ſæpiſſime ſcripſit.

XIII. PAVLVS.

IS, cui ex ſtipulatu res debetur, furti actionem non habet, ſi ea ſubrepta ſit, cum per debitorem ſtetiſſet, quo minus eam daret.

XIIII. VLPIANVS.

EVm, qui emit, ſi non eſt tradita ei res, furti actionẽ nõ habere: ſed adhuc uenditoris eſſe hanc actionem, Celſus ſcripſit. mandare eũ planè oportere emptori furti actionem, & condictionem, & uindicationem. & ſi quid ex his actionibus fuerit conſecutus, id præſtare eum emptori oportere. quæ ſententia uera eſt, & ita Iulianus. & ſanè periculum rei ad emptorem pertinet: dummodo uenditor cuſtodiam ante traditionem præſtet. Adeo autem emptor ante traditionem furti actionem non habet, ut ſit quæſitum, an ipſe ſubripiendo rem emptor furti teneatur. & Iulianus libro uiceſimoſecundo digeſtorum ſcribit, ſi emptor rem, cuius cuſtodiam uenditorem præſtare oportebat, ſoluto precio ſubripuerit: actione furti eũ non teneri. planè ſi ante, quàm pecuniam ſolueret, rem ſubtraxerit: furti actione teneri perinde, ac ſi pignus ſubtraxiſſet. Præterea habent actionem furti coloni, quamuis domini non ſint: quia eorum intereſt. Is autem, apud quem res depoſita eſt: uideamus, an habeat furti actionem. & cum dolum dũtaxat præſtet: merito placet eum non habere furti actionem. quid enim eius intereſt, ſi dolo careat? quod ſi dolo fecit: iam quidem periculum ipſi?

est:sed non debet ex dolo suo furti quærere actionẽ. Iulianus quoq; libro uicesimosecũdo digestorum scribit:quia in omnium furum persona est constitutum,ne eius rei nomine furti agere possint,cuius ipsi fures sint:non habebit furti actionem is, apud quem res deposita est, quamuis periculo eius res esse cœperit:quia eam contrectauit. Papinianus tractat:si duos seruos ob decem aureos pignori acceperim,& alter subripiatur.cum alter quoq;,qui sit retentus,non minoris decem ualeret: utrum usq;ad quinq; tantum habeam furti actionem, quia in alio habeo saluos quinq;: an uero, quia mori potest, dici debeat in decem fore actionem, etiam si magni precij sit is, qui retinetur. & ita putat. non enim debemus respicere pignus, quod subreptum non est:sed id,quod subtractum est. Idem scribit.si cum mihi decem deberentur,seruus pignori datus subtractus sit,& actione furti consecutus fuero decem:non competere mihi actionem furti, si iterum subripiatur:quia desierit mea interesse,cũ semel sim consecutus. hoc ita,si sine mea culpa subripiatur.nam si culpa mea:quia interest, eò quod teneor: pignoraticia actione agere potero. quod si culpa abest: sine dubio actio competere domino uidetur,quæ creditori non competit. quam sententiã Pomponius quoq; libro decimo ex Sabino probat. Idem dicunt,etiam si duo serui subrepti sint,simul competere utriusq; nomine furti actionem creditori:sed non in totum,sed pro qua parte,in singulos diuiso eo,quod eis debetur,eius interest. separatim aũt duobus subreptis,si unius nomine solidum consecutus sit, alterius nomine nihil consequetur. Idem Pomponius libro decimo ex Sabino scribit: si is,cui cõmodaui,dolo fecerit circa rem cõmodatam:eum furti agere non posse. idem Pomponius probat & in eo,qui rem mandatu alicuius ceperit perferendam. An pater,cuius filio commodata res est, furti actionem habeat,quæritur.& Iulianus ait, patrẽ hoc nomine agere non posse,quia custodiam præstare non debeat:sicut(inquit)ille,qui pro eo,cui cõmodata res est,fideiussit,non habet furti actionem. neq; enim(inquit)cuiuscunq; interest rem non perire, habet furti actionẽ: sed qui ob eam rem tenetur,quod ea res culpa eius perierit.quam sententiam Celsus quoq; libro duodecimo digestorum probat. Is,qui precariò seruum rogauerat,subrepto eo, potest quæri,an habeat furti actionem.& cum non est contra eum ciuilis actio (quia simile donato precarium est,ideoq; & interdictum necessarium usum est)non habebit furti actionem.planè post interdictum redditum, puto eum etiam culpam præstare. & ideo & furti agere posse. Quod si conduxerit quis:habebit furti actionem, si modo culpa eius res subrepta est. Si filiusfamilias subreptus sit:patrem furti actionem habere,palam est.

Si res

Si res cõmodata est,& is,cui cõmodata est,decesserit: quãuis hæreditati furtũ fieri nõ possit,& ideo nec hæres eius,cui cõmodata est,possit agere:tamẽ cõmodator poterit furti agere.idemq; & in re pignorata,uel in re locata. licet eñ hæreditati furti actio non adquiratẽ: tamen alij,cuius interest,adquiritur. Non solum aũt in re cõmodata cõpetit ei,cui cõmodata est,furti actio: sed etiã in ea,quæ ex ea adgnata est: quia & huiusmodi custodia ad eum pertinet.nam & si seruũ tibi cõmodauero:etiam uestis eius nomine furti ages: quãuis uestem,qua uestitus est, tibi non cõmodauerim. Item si iumenta tibi cõmodauero, quorũ sequela erat equuleus:puto cõpetere furti actionem etiam eius nomine, quũuis ipse non sit cõmodatus. Qualis ergo furti actio detur ei,cui res commodata est, quæsitũ est.& puto omnibus, quorũ periculo res alienæ sunt:ueluti commodatæ,item locatæ, pignorisue nomine acceptæ:si hæ surreptæ sint, omnibus furti actionẽ cõpetere. cõdictio autem ei demum competit,qui dominium habet. Si epistola,quam ego tibi misi,intercepta sit:quis furti actionem habeat? & primum quærendum est,cuius sit epistola:utrum eius,qui misit: an eius, ad quem missa est.& siquidem dedi seruo eius: statim ipsi quæsita est, cui misi.si uero procuratori:æque (quia per liberam personam possessio quæri potest)ipsius facta est:maxime si eius interfuit eam habere. quod si ita misi epistolam,ut mihi remittatur:dominium meum manet:quia eius nolui amittere uel transferre dominium. quis ergo furti ageat? is,cuius interfuit eam non subripi,id est ad cuius utilitatem pertinebant ea,quæ scripta sunt.& ideo quæri potest, an etiã is, cui data est perferenda,furti agere possit? & si custodia eius ad eum pertinebat:potest.sed & si interfuit eius epistolam reddere,furti habebit actionẽ. finge enim eam epistolam fuisse, quæ continebat, ut ei quid redderetur, fieretue.potest habere furti actionem,& si uel custodiã eius rei recepit, uel mercedem perferendæ accepit.& erit in hoc casu similis caussa eius & cauponis,aut magistri nauis. nam his damus furti actionem, si sint soluendo:quoniam periculum rerum ad eos pertinet.

XV. PAVLVS.

CReditoris,cui pignus subreptum est, non credito tẽnus interest, sed omnimodo in solidum furti agere potest. sed & pignoraticia actione id,quod debitum excedit,debitori præstabit. Dominus,quĩ rem subripuit,in qua ususfructus alienus est,furti usufructuario tenetẽ. sed eum,qui tibi commodauerit, si eam rem subripiat, non teneri furti placuisse,Pomponius scripsit: quoniã nihil tua interest, utpote cum nec commodati tenearis.ergo si ob aliquas impẽsas,quas in rem commodatam feceris,retentionem eius habueris:etiam cum ipso domino,

si eam subripiat, habebis furti actionem: quia eo casu quasi pignoris loco ea res fuerit.

XVI. IDEM.

NE cum filiofamilias pater furti agere possit, non iuris constitutio, sed natura rei impedimento est: quod non magis cum his, quos in potestate habemus, quàm nobiscum ipsi agere possumus.

XVII. VLPIANVS.

SErui & filij nostri furtum quidem faciunt, ipsi autem furti nobis non tenentur. neq; enim qui potest in furem statuere, necesse habet aduersus furem litigare. idcirco nec actio ei à ueteribus prodita est. Vnde est quæsitum, si fuerit alienatus uel manumissus, an furti actione teneatur? & placet non teneri. neq; enim actio, quæ non fuit ab initio nata, oriri potest aduersus hunc furem. Planè si manumissus contrectauit: dicendum erit, teneri eum furti iudicio: quia hodie furtum fecit.

Cum autem seruus, quem emi, traditus q; mihi est, à me redhibetur: nõ est in ea caussa, ut perinde habeatur, atq; si nunquã meus fuisset. sed & fuit, & desijt. idcirco dicit Sabinus, eum, si furtũ fecit, in ea esse caussa, ut furti eius nomine is, qui redhibuit, agere nõ possit. sed & si nõ possit: attamen ratio haberi debet eius, quod fecit, cum redhiberi cœperit: idq; actione redhibitoria continetur. Illud quæsitum est: si cum in fuga esset seruus, furtum domino *fecisset: an æque possim actione habere aduersus eum, qui in potestate domini non regressum bona fide possidere cœperit? mouet quæstionem, quod quamuis possidere seruũ eo tempore, quo in fuga est, uideor: attamen furti actiõe non tenebor, quasi non sit in mea potestate. quod enim uideor possidere, ad usucapionem tantum mihi proficere Iulianus scribit. dicit igitur Pomponius libro decimoseptimo ex Sabino, competere furti actionem huic domino, cuius seruus in fuga fuit.

*al's addi tur. mihi

XVIII. PAVLVS.

QVod dicitur noxam caput sequi: tunc uerum est, ut quæ initio aduersus aliquem nata est, caput nocentis sequatur. ideoq; si seruus tuus furtum mihi fecerit, & dominus eius effectus eum uendidero: non posse me agere cum debitore Cassiani putant.

XIX. VLPIANVS.

IN actione furti sufficit rem demonstrari, ut possit intelligi. de ponderе autem uasorum non est necesse loqui. sufficiet igitur ita dici lancem, uel discum, uel pateram. sed describenda etiam materia est: utrũ argẽtea, an aurea, aut alia quæ sit. quod si quis argentũ infectũ petat: & massam argenteam dicere, & põdus debebit ponere. signati argenti numerum debebit complecti: ueluti aureos tot plureisue furto ei abesse.

De ueste

De ueste quæritur,an color eius dicendus sit? & uerum est, colorē eius dici oportere:ut quemadmodum in uasis dicitur patera aurea:ita & in veste color dicatur. planè si quis iuret pro certo se colorem dicere nō posse:remitti ei huius rei necessitas debet. Qui rem pignori dat, eamq; subripit:furti actione tenetur. furtum autem rei pignoratæ dominus non tantū tunc facere uidetur,cum possidenti, siue tenenti creditori aufert:uerum & si eo tempore abstulerit, quo non possidebat,ut puta si rem pignoratam uendidit. nam & hic furtum eum facere constat.& ita Iulianus scripsit.

XX. PAVLVS.

CVm æs pignori datur,etiam si aurum esse dicitur, turpiter fit,furtum non fit. sed si datum est aurum, deinde cum dixisset se ponderare,aut obsignare uelle,æs subiecit:furtum fecit. rem enim pignori datam interuertit. Si bona fide rem meam emeris,eamq; ego subripuero:uel etiam tuus ususfructus sit, & eam contrectauero : tenebor tibi furti actione,& si dominus rei sum. sed his casibus usucapio quasi furtiuæ rei non impedietur:quoniam & si alter subripiat,& in meā potestatem reuersa res fuerit,usucapietur.

XXI. VLPIANVS.

VVlgaris est quæstio,an is,qui ex aceruo frumenti modium sustulerit:totius rei furtum faciat,an uero eius tātum, quod abstulit? Ofilius totius acerui furem esse putat.nam & qui aurem alicuius tetigit(inquit Trebatius)totum uideri eum tetigisse. proinde(inquit)qui dolium aperuit,& inde parum uini abstulit:non tantum eius,quod abstulit,uerum totius uidetur fur esse. sed uerum est, in tantum eos furti actione teneri,quantum abstulerunt. nam & si quis armariū,quod tollere non poterat,aperuerit:& omnes res,quæ in eo erant,contrectauit, atq; ita discesserit,deinde reuersus unam ex his abstulerit:& ante,quàm se reciperet,quò destinauerat,deprehensus fuerit:eiusdem rei & manifestus,& nec manifestus fur erit. sed & qui segetem *ante lucem secat, & contrectat:eius,quod secat, manifestus, & nec manifestus fur est. *al's. luce secat.

Si is,qui uiginti numorū saccum deposuisset,alium saccum,in quo scit triginta esse,errante eo,qui dabat,acceperit,putauerit autē illic sua uiginti esse: teneri furti decē nomine placet. Si quis æs subripuit,dū aurū se subripere putat,uel contra(ut libro octauo Pomponius ex Sabino ait)minus esse putat,cum plus esset:eius,quod subripuit, furtum cōmittit,idem Iulianus scribit. Sed & si quis subripuit furto duos sacculos,unum decem, alterum uiginti, quorum alterum suum putauit, alterum scit alienum:profecto dicemus tantum unius, quem putauit alienum,furtum eum facere : quemadmodū si duo pocula abstulerit,

quorũ alterũ ſuum putauit, alterum ſcit alienum. nam & hic unius ſit furtum. Sed ſi anſam in poculo ſuam putauit, uel uere fuit: totius poculi eum furtum facere, Pomponius ſcripſit. Sed ſi de naui onerata furto quis ſextariũ frumenti tulerit: utrum totius oneris, an uero ſextarij tantũ furtũ fecerit? facilius hoc quæritur in horreo pleno. & durum eſt dicere, totius furtũ fieri. & quidem ſi ciſterna uini ſit, ſit aquæ ciſterna, quid dices? quid deinde, ſi de naue uinaria: ut ſunt multæ, in quas uinum infunditur? quid dicemus de eo, qui uinũ hauſit? an totius oneris fur ſit? & magis eſt, ut & hic non totius dicamus. Certe ſi proponas in apotheca amphoras eſſe uini, easq; ſubtractas: ſingularũ furtum fit, non totius apothecæ: quemadmodum ſi ex pluribus rebus mouentibus in horreo recluſis, unã tulerit. Qui furti faciẽdi cauſſa conclaue intrauit, nondum fur eſt, quamuis furandi cauſſa intrauerit: quid ergo, qua actione tenebitur? utiq; iniuriarũ, aut de ui accuſabitur, ſi per uim introiuit. Item ſi quis maioris ponderis quid aperuit aut refregit, quod tollere non poſſit: non eſt omnium rerum cum eo furti actio, ſed earum tantum, quas tulerit: quia totum tollere non potuit. proinde ſi inuolucrũ, quod tollere non potuit, ſoluit, ut contrectet, deinde contrectauit quaſdam res: quamuis ſingulas res, quæ in eo fuerãt, tollere potuerit: ſi tamen totum inuolucrũ tollere non potuit, ſingularum rerum: quas tulerit, fur eſt: cæterarũ nõ eſt. quod ſi totum uas tollere potuit: dicemus eũ totius eſſe furem, licet ſoluerit, ut ſingulas uel quaſdam tolleret. & ita Sabinus ait. Si duo, pluresúe unum tignum furati ſint, q̃d ſinguli tollere nõ potuerint: dicendũ eſt, omnes eos furti in ſolidũ teneri, quãuis id unus nec cõtrectare, nec tollere ſolus potuit, & ita utimur. nec enim poteſt dici, pro parte furtũ feciſſe ſingulos, ſed totius rei uniuerſos. ſic fiet, ſingulos furti teneri. Quãuis autem earum quoq; rerum, quas quis non abſtulit, furti teneatur: attamen condici ei non poteſt: idcirco, quia cõdici ea res, quæ ablata eſt, poteſt. & ita & Pomponius ſcripſit.

XXII. PAVLVS.

SI quid fur fregerit, aut ruperit, quod non etiam furandi cauſſa contrectauerit: eius nomine cum eo furti agi non poteſt. Si eo conſilio arca fracta ſit, ut uniones (puta) tollerent, hiq; furti faciendi cauſſa contrectati ſint: eorum tantummodo furtum factum uideri. uerum eſt. nam cæteræ res, quæ ſeponuntur, ut ad uniones perueniatur, non furti faciendi cauſſa contrectantur. Qui lancem raſit, totius fur eſt: & furti tenetur ad id, quod domini intereſt.

XXIII. VLPIANVS.

IMpuberem furtum facere poſſe, ſi iam doli capax ſit, Iulianus libro uicesi

uicesimo secundo digestorum scripsit. Item posse cum impubere damni iniuria agi, quia & furtum ab impubere fiat: sed modum esse adhibendum ait. nam in infantes id non cadere. nos putamus, cum impubere culpæ capace Aquilia agi posse. Item uerum est, quod Labeo ait: nec ope impuberis furto facto, teneri eum.

XXIIII. PAVLVS.

NEc minus etiã cõdici ei posse, Iulianus scripsit, cũ doli capax sit.

XXV. VLPIANVS.

VErum est, quod plerique probant, fundi nomine furti agi nõ posse. unde quæritur, si quis de fundo ui deiectus sit, an condici ei possit, qui deiecit? Labeo negat. sed Celsus putat posse condici possessionem, quemadmodum potest re mobili subrepta. Eorum, quæ de fundo tolluntur, utputa arborum, uel lapidum, uel arenæ, uel fructuum, quos quis fraudandi animo decerpserit: furti agi posse, nulla dubitatio est.

XXVI. PAVLVS.

SI apes feræ in arborem fundi tui apes fecerint, & quis eas uel fauum abstulerit: eum nõ teneri tibi furti, quia non fuerint tuæ: easque constat captarum terra, mari, cœlo numero esse. Item constat, colonũ, qui numis colat, cum eo, qui fructus stantes subripuerit, acturum furti: quia ut primum decerpti essent, eius esse cœpissent.

XXVII. VLPIANVS.

QVi tabulas, uel cautiones amouerit, furti tenetur: non tantũ precij earum tabularũ, uerum & eius, quod interfuit: quod ad æstimationem refertur eius summæ, quæ in his tabulis continetur, scilicet si tanti interfuit: utputa si chirographa aureorum decem tabulæ fuerint. nã dicimus hoc duplicari. quod si iam erant inanes, quia solutum proponebatur: nunquid ipsarum tantum tabularũ precij uideatur esse æstimatio facienda? quid enim interfuit huius? sed potest dici: quia nonnunquam debitores tabulas sibi restitui petũt, quod nonnunquam calumniantur debitoreis, quasi indebito soluto ab his: interest creditoris tabulas habere, ne forte controuersiam super ea re patiatur. & generaliter dicendum est: in id, quod interest, duplari. Inde potest quæri, si quis cũ alias probationes mensæ, quàm scripturam haberet, chirographi furtum sit passus: æstimari duplo chirographi quantitas debeat? & nunquid non, quasi nihil interfit? quantũ enim interest, cum possit debitum aliunde probare? quemadmodũ si in binis tabulis instrumentũ scriptum sit? nam nihil uidetur deperdere: sed futurũ est, ut alio chirographo saluo, securior sit creditor. Apocha quoque si fuerit subrepta: æque dicendum est furti actionem in id, quod interest, locum habere. sed nihil uidetur interesse, si sunt & aliæ probationes solutæ pecuniæ.

Sed

Sed si quis nõn amouit huiusmodi instrumenta, sed interleuit: non tantum furti actio locum habet, uerum etiam legis Aquiliæ. nam ruperisse uidetur, qui corrupit.

XXVIII. PAVLVS.

SEd si subripuit prius, quàm deleat: tanti tenetur, quanti domini interfuit non subripi. delendo enim nihil ad pœnam adiicit.

XXIX. VLPIANVS.

HOc amplius & ad exhibendũ agi potest, & interdicto QVORVM BONORVM agi poterit:

XXX. IDEM.

SI hæreditariæ tabulæ deletæ sint.

XXXI. IDEM.

SEd & si imaginem quis uel librũ deleuerit: & hic tenetur damni iniuriæ quasi ruperit. Si quis tabulas instrumentorum reipublicæ municipij alicuius aut subripuerit, aut interleuerit: Labeo ait, furti eũ teneri. Idemq; scribit & de cæteris rebus publicis, deq; societatibus.

XXXII. PAVLVS.

QVidam tabularum duntaxat æstimationem faciendam in furti actione existimant: quia si iudici, apud quem furti agatur, possit probari, quantum debitum fuerit: possit etiam apud eum iudicem eadem probare, apud quem pecuniam petat. si uero in furti iudicio probare non potest: ne illud quidem posse ostendi quanti eius interfit. sed *potest post furtum factum, si tabulas nactus est actor, ut ex eo probet, quanti sua interfuerit, si tabulas nactus non esset. De lege Aquilia maior quæstio est, quemadmodum possit probari, quanti eius interfit. nam si potest aliàs probare: non patitur damnum. quid ergo si forte pecuniam sub conditione credidit, & interim sunt testimonia, quorum probationem habeat, quæ possunt mori conditione pendente: aut puta me petijsse creditum, & quia testes & signatores, qui rem meminissent, præsentes non haberem, uictum remansisse: nunc uero cum furti agam, eorum memoria & præsentia ad fidem creditæ pecuniæ uti possim?

*al's. nec potuit.

XXXIII. VLPIANVS.

TVtor administrationem quidem rerum pupillarium habet, intercipiendi autem potestas ei non datur. & ideo si quid furandi animo amouerit: furtum facit, nec usucapi res potest. sed & furti actione tenetur, quamuis & tutelæ cum eo agi possit. quod in tutore scriptũ est, idem erit & in curatore adolescentis, cæterisq; curatoribus.

XXXIIII. PAVLVS

IS, qui opem furtum facienti fert, nunquam manifestus est. itaq; accidit

dit,ut is quidem,qui opem tulit,nec manifesti furti:is autẽ,qui deprehensus est,ob eandem rem manifesti teneatur.

XXXV. POMPONIVS.

SI quis perferendum acceperit,quod scierit furtiuum esse:constat,si deprehendatur,ipsum dũtaxat furem manifestum esse. si nescierit:neutrum. hunc,quia fur non sit:alium:quia non sit deprehensus.

Si unus è seruis tuis hausisset & abstulisset,alter hauriẽdo deprehensus esset:prioris nomine nec manifesti,alterius manifesti teneberis.

XXXVI. VLPIANVS.

QVi seruo persuasit,ut fugeret,fur nõ est. nec enim qui alicui malum consilium dedit,furtum fecit:non magis,quàm & si persuasit,ut se præcipitaret,aut manus sibi inferret. hæc enim furti non admittunt actionem. sed si alius fugam sibi persuaserit,ut ab alio subripiatur:furti tenebitur is, qui persuasit, quasi ope consilioúe eius furtum factum sit. plus Pomponius scripsit:cum quis persuasit,quamuis interim furti non teneretur:tunc tamen incipere teneri, cum quis fugitiuus fur esse cœperit, quasi uideatur ope consilioúe eius furtum factum. Item placuit eum,qui filio,uel seruo,uel uxori opem fert furtum facientibus,furti teneri,quamuis ipsi furti actione nõ cõueniant. Idem Pomponius ait:si cũ rebus aufugerit fugitiuus,posse furti actione sollicitatorem conueniri rerũ nomine:quia opem consiliumûe contrectatori tulit. quod & Sabinus significat. Si duo serui inuicem sibi persuaserunt,& ambo simul aufugerunt:alter alterius fur non est. Quid ergo si inuicem se cælauerint? (fieri enim potest, ut inuicem fures sint) & potest dici alterũ alterius furem esse: quemadmodũ si alij singulos subripuissent,tenerentur quasi alter alterius nomine opem tulisset. quem ad modum rerum nomine quoque teneri eos furti, Sabinus scripsit.

XXXVII. POMPONIVS.

SI pauonem meum mansuetum, cum de domo mea effugisset,persecutus sis,quoad is perijt:agere tecum furti ita potero,si aliquis eũ habere cœperit.

XXXVIII. PAVLVS.

MAter filij subrepti furti actionem non habet. Liberarum personarum nomine licet furti actio sit,condictio tamen nusquã est.

XXXIX. VLPIANVS.

SI filius subreptus sit,patrem habere furti actionem,palam est.

XL. IDEM.

VErum est,si meretricem alienam ancillam rapuit quis, uel cælauit,furtum non esse. nec enim factum quæritur,sed caussa facien

di causſa autem faciendi libido fuit,non furtum & ideo etiã eum, qui fores meretricis effregit libidinis causſa,& fures non ab eo inducti, sed aliàs ingressi meretricis res egesserunt:furti nõ teneri. an tamen uel Fauia teneatur,qui suppressit scortũ libidinis causſa? & non puto teneri: & ita etiam ex facto cum incidisset,dixi. hic enim turpius facit, quàm qui subripuit. sed secum facti ignominiam compensat. certe fur non est.

XLI. PAVLVS.

QVi iumenta sibi commodata longius duxerit,alienaúe re muito domino usus sit:furtum facit.

XLII. VLPIANVS.

SI cum quis in hostium potestate esset,furtum ei factum sit, & postliminio redierit:poterit quis dicere eum furti habere actionẽ. Adrogatorem posse furti agere, scilicet eius furti nomine, quod factũ est ei,quem adrogauit, antequàm adrogaret,certũ est. cæterum si postea: nulla dubitatio erit. Quàmdiu uiuit is, qui furtum fecit,non perit furti actio. aut enim sui iuris est is,qui furtum fecit, & cum ipso actio est: aut alieni iuris esse cœpit,& actio furti cum eo est,cuius potestati subiectus est & hoc est,quod dicitur,noxa caput sequitur. Si quis post noxam admissam hostium seruus fuerit factus:uidendũ est, an extinguatur actio & Pomponius scripsit,extingui actionem:& si fuerit reuersus postliminio,uel quo alio iure,nasci eam actionem debere. & ita utimur.

XLIII. PAVLVS.

SI seruus nauem exerceat nõ uoluntate domini: de eo,quod ibi perit, uulgaris formula in dominũ danda est:ut quod alter admisit, duntaxat de peculio: quod ipse exercitor,adijciatur, aut noxæ dedere. Igitur si manumissus sit:persecutio quidem in peculio manebit aduersus dominum intra annum,noxalis ipsum sequetur. Interdum & manumissus,& qui eum manumisit,ob furtum tenetur:si ideo manumissus sit,ne furti cum eo agi possit. sed si cum domino actum fuerit: ipso iure manumissum liberari Sabinus respondit,quasi decisum sit.

XLIIII. VLPIANVS.

FAlsus creditor,hoc est is,qui se simulat creditorem,si quid acceperit:furtum facit,nec numi eius fiunt. Falsus procurator furtum quidem facere uidetur:sed Neratius uidendum esse ait,an hæc sententia cum distinctione uera sit:ut si hac mente ei dederit numos debitor, ut eos creditori perferret,procurator autem eos intercipiat:uera sit.nã & manent numi debitoris,cum procurator eos non eius nomine accepit,cuius debitor eos fieri uult:& inuito domino eos contrectando, sine dubio furtum facit. Quod si ita det debitor,ut numi procuratoris fiant:nullo modo eum furtum facere ait,uolũtate domini eos accipiendo

do. Si is, qui indebitum accipiebat, delegauerit soluendum: non erit furti actio, cum eo absente solutum sit. cæterum si præsente: alia causa est, & furtum fecit. Si quis nihil in persona sua mentitus est, sed uerbis fraudem adhibuit: fallax est magis, quàm furtum facit. utputa si dixit se locupletem: si in mercem se collocaturũ, quod accepit: si fide iussores idoneos daturum, uel pecuniam confestim se soluturũ. nam his omnibus magis decepit, quàm furtum fecit. & ideo furti non tenetur. sed quia dolo fecit (nisi sit alia aduersus eum actio) de dolo dabit.

Qui alienum quid iacens lucrifaciendi caussa sustulit, furti obstringitur: siue scit, cuius sit, siue ignorauit. nihil eñ ad furtum minuendũ facit, quod cuius sit, ignoret. quod si dominus id dereliquit: furtum nõ fit eius, etiam si ego animum furandi habuero. nec enim furtũ fit, nisi sit, cui fiat. in proposito autem nulli fit: quippe cum placeat Sabini & Cassij sententia, existimantium statim nostram desinere rem esse, quã derelinquimus. sed & si non sit derelictum, putauit tamen derelictum: furti non tenetur. sed si neq; fuit, neq; putauit, iacens tamen tulit, nõ ut lucretur, sed redditurus ei, cuius fuit: non tenetur furti. proinde uideamus, si nescit, cuius esset, sic tamen tulit, quasi redditurus ei, qui desideraret, uel qui ostendisset rem suam: an furti obligetur. & non puto obligari eum debere. Plerique etiam hoc faciũt, ut libellum proponant continentem inuenisse se, & redditurum ei, qui desiderauerit. hi ergo ostendunt se non animo furandi fecisse. quid ergo si quæ græci dicunt τὰ ἐρωτήματα, petat? nec hic uidetur furtũ facere, & si nõ probè petat aliquid.

Si quis sponte rem iecit uel iactauit, & ideo quasi pro derelicto habiturus, tuq; rem hanc tuleris: an furti tenearis, Celsus libro duodecimo digestorum quærit. & ait: siquidem putasti pro derelicto habitam, non teneri. quod si non putasti: hic dubitari posse ait. & tamen magis defendit, non teneri: quia (inquit) res non interuertitur ei, qui eam sponte iecit. Si iactũ ex naue factum alius tulerit, an furti teneatur? quæstio in eo est, an pro derelicto habitum sit. & siquidem derelinquentis animo iactauerit (quod plerunq; credendum est) cum sciat periturũ: qui inuenit, suum fecit, nec furti tenetur. si uero non hoc animo, sed hoc, ut si saluum fuerit, haberet: ei, qui inuenit, auferẽdum est. & si scit hoc qui inuenit, & animo furandi tenet: furti tenetur. enimuero si hoc animo, ut saluum faceret domino: furti non tenetur. quod si putans simpliciter iactatum: furti similiter non tenetur. Etiam si partis dimidiæ nanciscar dominium in seruo, qui mihi antea furtum fecerat: magis est, ut exstinguatur actio etiam parte redempta: quia etiam si ab initio quis partem in seruo habebat, furti agere non poterat. Planè si ususfructus meus in eo seruo esse cœperit: dicendum est furti actionem

nem non exſtingui:quia fructuarius dominus non eſt.

XLV. POMPONIVS.

SI iuſſu debitoris ab alio falſus creditoris procurator accepit:debitori iſte tenetur furti,& numi debitoris erunt. Si rem meam quaſi tuam tibi tradidero ſcienti meam eſſe:magis eſt furtum te facere, ſi lucrandi animo id feceris. Si ſeruus hæreditarius nondum adita hæreditate furtum hæredi fecerit,qui teſtamento domini manumiſſus eſt: furti actio aduerſus eum competit: quia nullo tempore hæres dominus eius factus eſt.

XLVI. VLPIANVS.

SI ſocius communis rei furtum fecerit:(poteſt enim cõmunis rei furtum facere)indubitate dicendum eſt,furti actionem competere.

XLVII. IDEM.

INter omnes conſtat,& ſi exſtincta res ſit furtiua,attamen furti remanere actionem aduerſus furem.proinde mortuo quoq; homine,quẽ quis furto abſtulit,uiget furti actio.ſed nec manumiſſio furti actionem exſtinguit.nec enim diſſimilis eſt morti manumiſſio,quod ad ſubtrahendum domino ſeruum attinet.itaq; qualiter qualiter domino ſeruus ſit ſubtractus: attamen ſupereſſe aduerſus furem furti actionem, eoq; iure utimur.competit enim actio non ideo, quia nunc abeſt, ſed quia unquam beneficio furis abfuit.hoc idem in condictione quoq; placet. nam condici furi poteſt,etiã ſi res ſit aliqua ratione exſtincta.hoc idem dicendum,ſi res in poteſtate hoſtium peruenerit.nam cõſtat de ea poſſe furti agi.ſed & ſi pro derelicto ſit poſtea à domino habita: furti nihilominus agi poterit. Si ſeruus fructuarius ſubreptus eſt:uterq;, & qui fruebatur,& dominus actionẽ furti habet.diuidet igitur actio inter dominũ & fructuariũ.fructuarius aget de fructibus,uel quanti interfuit eius furtũ eius factum nõ eſſe dupli:proprietarius uero aget,quod interfuit eius proprietatem nõ eſſe ſubreptam. Quod dicimus DVPLI, ſic accipere debemus: & quadrupli,ſi manifeſtũ furtum ſit. Hæc actio, & ſi ſit, qui in eo ſeruo tantum uſum habeat,poterit ei competere.& ſi quis propoſuerit hunc ſeruum etiam pignoratum eſſe:euenier, ut etiã is, qui pignori acceperit,habeat furti actionem.Hoc amplius etiam debitor(ſi modo plus ualeat,quàm pro pignore debeẽ)habeat furti actionem.uſqadeo aũt diuerſæ ſunt actiones,quæ eis competunt:ut ſi quis eorum pro fure damnũ deciderit, dici oporteat, ſolũmodo actionem ſibi cõpetentem amiſiſſe eum ,cæteris uero ſupereſſe. nam & ſi proponas cõmunem ſeruum ſubreptũ,& alium ex dominis pro fure damnũ deciditſſe:is,qui non decidit,habebit furti actionẽ. proprietarius quoq; egere aduerſus fructuariũ poteſt iudicio furti, ſi quid cælandæ proprietatis

tatis uel ſupprimendæ cauſſa fecit. Recte dictũ eſt, qui putauit ſe domini uoluntate rem attingere, non eſſe furem. quid enĩ dolo fecit, qui putauit dominum conſenſurum fuiſſe: ſiue falſò id, ſiue uere putet? is ergo ſolus fur eſt, qui id adtrectauit, quod inuito ſe domino facere ſciuit. Per cõtrarium quæritur, ſi ego me inuito domino facere putarem, cũ dominus uellet: an furti actio ſit? & ait Pomponius, furtũ me facere. uerum tamen eſt, uti cũ ego uelim, licet tu ignores, ne furto ſis obligatus. Si furtiua res ad dominum redijt, & iterum cõtrectata eſt: competit alia furti actio.

XLVIII. PAVLVS.

SI dominiũ rei ſubreptæ quacunq; ratione mutatũ ſit: domino furti actio cõpetit: ueluti hæredi, & bonorũ poſſeſſori, & patri adoptiuo, & legatario.

XLIX. VLPIANVS.

QVi uas argenteum perdiderat, eoq; nomine furti egerat, de pondere uaſis controuerſia cũ eſſet, & actor maius fuiſſe diceret, fur uas protulit. id is, cuius erat, abſtulit ei, qui ſubripuerat. dupli nihilominus condemnatus eſt, & rectiſſime iudicatũ eſt. nam in actionẽ pœnalem non uenit ipſa res, quæ ſubrepta eſt: ſiue manifeſti furti, ſiue nec manifeſti agatur. Qui furem nouit, ſiue indicet eum, ſiue non indicet, fur non eſt: cum multũ interſit, furẽ quis cælet, an non indicet. qui nouit, furti non tenetur: qui cælat, hocipſo tenetur. Qui ex uoluntate domini ſeruũ recipit, quin neq; fur, neq; plagiarius ſit, plus q̃ manifeſtum eſt. quis enĩ uolũtatem domini habens, fur dici poteſt? quid ſi dominus uetuit, & ille ſuſcepit? & ſiquidẽ non cælandi animo: nõ eſt fur. ſi cælauerit: tũc eſſe incipit fur. qui igitur ſuſcepit, nec cælauit, & ſi inuito domino, fur non eſt. Vetare aũt dominũ accipimus etiam eũ, qui ignorat, hoc eſt eum, qui non conſentit. Si ego tibi poliendũ ueſtimentũ locauero, tu uero inſcio aut inuito me commodaueris Titio, & Titio furtum factum ſit: & tibi competit furti actio, quia cuſtodia rei ad te pertinet: & mihi aduerſus te, quia non debueras rem commodare, quod faciendo furtũ admiſeris. & ita erit caſus, quo fur furti agere poſſit. Si ancilla ſubripiatur prægnãs, uel apud furem conceperit: partus furtiuus eſt, ſiue apud furem edatur, ſiue apud bonæ fidei poſſeſſorem. ſed in hoc poſteriore caſu furti actio ceſſat. ſed ſi concepit apud bonæ fidei poſſeſſorem, ibiq; peperit: eueniet, ut partus furtiuus nõ ſit: uerum etiã uſucapi poſſit. idem & in pecudibus ſeruandum eſt, & in fœtu earũ, qd̃ in partu. Ex furtiuis equis nati ſtatim ad bonæ fidei emptorem pertinebũt, & merito: quia & in fructu numerant̃. at partus ancillæ nõ numerant̃ in fructu. Cũ fur rem furtiuã uendidiſſet, eiq; numos precij dñs rei per uim extorſiſſet: furtũ eorũ numorũ non feciſſe recte

reſponſum eſt. idem etiam ui bonorum raptorum actione tenebitur. quod enim ex re furtiua redigitur, furtiuum non eſſe, nemini dubium eſt. numus ergo hic, qui redactus eſt ex precio rei furtiuæ, non eſt furtiuus.

L. CAIVS.

INterdum accidit, ut non habeat furti actionem is, cuius intereſt rem ſaluam eſſe. ut ecce creditor ob rem debitoris ſubreptam furti agere non poteſt, & ſi aliunde creditum ſeruare non poſſit. loquimur autẽ ſcilicet de ea re, quæ pignoris iure obligata non ſit. item rei dotalis nomine, quæ periculo mulieris eſt: non mulier furti actionem habet, ſed maritus.

LI. VLPIANVS.

IN furti actione non quod intereſt, quadruplicabitur, uel duplicabitur, ſed rei uerum precium. ſed & ſi in rebus humanis eſſe deſierit, cũ iudicatur, nihilominus condemnatio facienda eſt. idemq; & ſi nunc deterior ſit, æſtimatione relata in id tempus, quo furtũ factũ eſt. quod ſi precioſior facta ſit: eius duplum, quanti tũc, cum precioſior facta eſt, æſtimabitur: quia & tunc furtũ factum eius eſſe, uerius eſt. Ope aut conſilio furtum factum Celſus ait, non ſolum ſi idcirco fuerit factum, ut ſocij furarentur: ſed & ſi non ut ſocij furarentur, inimiciciarũ tamen cauſſa fecerit. Recte Pedius ait: ſicut nemo furtum faciat ſine dolo malo, ita nec conſilium uel opem ferre ſine dolo malo poſſe. cõſilium autem dare uidetur, qui perſuadet, & impellit, atq; inſtruit conſilio ad furtum faciendum. opem fert, qui miniſterium atq; adiutoriũ ad ſubripiendas res præbet. Cum eo, qui pannum rubrum oſtendit, fugauitq; pecus, ut in fures incideret: ſiquidem dolo malo fecit: furti actio eſt. ſed & ſi non furti faciendi cauſſa hoc fecit, nõ debet impunitus eſſe luſus tam perniciosus. idcirco Labeo ſcribit in factũ dandam actionẽ.

LII. CAIVS.

NAm ſi præcipitata ſint pecora: utilis actio damni iniuriæ, quaſi ex lege Aquilia dabitur.

LIII. VLPIANVS.

SI quis uxori res mariti ſubtrahenti opem conſiliumue accõmodauerit: furti tenebitur. ſed & ſi furtum cum ea fecit, tenebitur furti, cum ipſa non teneatur. ipſa quoq; ſi opem furi tulit, furti non tenebitur, ſed rerum amotarum. ſerui uero ſui nomine furti eam teneri, neq; quaquã ambigendũ eſt. idem dicendum eſt & in filiofamilias milite. nam ipſe patri non tenebitur furti. ſerui autem ſui nomine caſtrenſis tenebitur, ſi patri ſeruus furtum fecerit. Sed ſi filius meus, qui habet caſtrenſe peculium, furtum mihi fecerit: an poſſim actione utili aduerſus eum agere, uidendum eſt, cum habeat, unde ſatisfaciat. & poteſt defendi agendum. an autem pater filio teneatur, ſi rem eius caſtrenſis peculij ſub

lij subtraxerit, uideamus. & puto teneri. non tantum igitur faciet furtum filio, sed etiam furti tenebitur. Eum creditorem, qui post solutam pecuniam pignus non reddat, furti teneri Mela ait, si cælandi animo retineat. quod uerum esse arbitror. Si sulphurariæ sunt in agro, & inde aliquis terram egessit, abstulitq; : dominus furti aget. deinde colonus conducti consequetur, ut idipsum sibi præstetur. Si seruus tuus uel filius polienda uestimenta susceperit : an furti actionẽ habeas, quæritur. & siquidem peculium serui soluendo sit : potes habere furti actionem. si non fuerit soluendo : dicendum est, non competere furti actionem. Sed & si rem furtiuam imprudens quis emerit, & ei subrepta sit; habebit furti actionem. Apud Labeonem relatum est : si siliginario quis dixerit, ut quisquis nomine eius siliginem petisset, ei daret : & quidam ex transeuntibus cum audisset, petierit eius nomine, & acceperit : furti actionem aduersus eum, qui sic petet, siliginario competere, non mihi. non enim mihi negocium, sed sibi siliginariũ gessisse.

Si fugitiuũ meum quis quasi suum à duumuiro, uel ab alijs, qui potestatem habent de carcere uel de custodia dimittendi, acceperit : an is furti teneatur? & placet, si fideiussores dedit : in eos domino actionem dandam, ut hi actiones suas mihi mandent. quod si non acceperint fideiussores, sed tanquam suum accipienti eum tradiderint : dominum furti actionem aduersus plagiariũ habiturum. Si quis de manu alicuius numos aureos, uel argenteos, uel aliam rem excusserit : ita furti teneẽ, si ideo fecerit, ut alius tolleret, isq; substulerit. Si quis massam meam argenteam subripuerit, & pocula fecerit : possum uel poculorũ, uel massæ furti agere, uel condictione. idem est & in uuis, & in musto, & in uinacijs. nam & uuarum, & musti, & uinaciorũ nomine furti agi potest. sed & cõdici. Seruus, qui se liberũ adfirmauit, ut sibi pecunia crederetur, furtum non facit. nanq; hic nihil amplius, quàm idoneũ se debitorem adfirmat. idem est & in eo, qui se patremfamilias finxit, cum esset filiusfamilias, ut sibi promptius pecunia crederetur. Iulianus libro uicesimosecundo digestorum scripsit : si pecuniam quis à me acceperit, ut creditori meo soluat : deinde cum tantam pecuniam eidem creditori deberet, suo nomine soluerit : furtum eum facere. Si Titius alienam rem uendidit, & ab emptore numos accepit : non uidetur numorum furtum fecisse. Si ex duobus socijs omniũ bonorum unus rem pignori acceperit, eaq; subrepta sit : Mela scribit, eum solum furti habere actionem, qui pignori accepit, & socium non habere. Neq; uerbo, neq; scriptura quis furtum facit. hoc enim iure utimur, ut furtũ sine contrectatione non fiat. quare & opem ferre, uel consiliũ dare tũc nocet, cum secuta contrectatio est. Si quis asinum meum in equas

suas

ſuas τῆς γονῆς duntaxat χάριν captum admiſiſſet: furti non tenetur, ni ſi fraudandi quoq; animum habuit. quod & Herennio Modeſtino ſtudioſo meo de Dalmacia conſulenti reſcripſi circa equos, quibus eiuſdem rei gratia ſubieciſſe quis equas ſuas proponebatur: furti ita demũ teneri, ſi furandi animo id feciſſet. ſi minus: agendum in factum. Cũ Titio honeſto uiro pecuniam credere uellem, ſubieciſti mihi alium Titium egenum, quaſi ille eſſet locuples, & numos acceptos cum eo diuiſiſti: furti teneris, quaſi ope tua conſilioq; furtum factum ſit. ſed & Titius furti tenebitur. Si maiora quis tibi pondera commodauit, cum emeres ad pondus: furti eum teneri uenditori, Mela ſcripſit. te quoq;, ſi ſciſti. non enim ex uoluntate uenditoris accipis, cum erret in ponderе. Si quis ſeruo meo perſuaſerit, ut nomen ſuum ex inſtrumento (puta) emptionis tolleret: & Mela ſcripſit, & ego puto, furti agendum. ſed ſi ſeruo perſuaſum ſit, ut tabulas meas deſcriberet: puto, ſi quidem ſeruo perſuaſum ſit, ſerui corrupti agendũ. ſi ipſe fecerit: de dolo actionem dandam. Si linea margaritarum ſubrepta ſit: dicendus eſt numerus. ſed & ſi de uino furti agatur: neceſſe eſt dici quot amphoræ ſubreptæ ſint. ſi uaſa ſubrepta ſint: itẽ numerus erit dicendus. Si ſeruus meus, qui habebat liberã peculij adminiſtrationẽ, pactus ſit cum eo nõ donationis cauſſa, qui rem eius peculiarem ſubripuerat: recte tranſactũ uidetur. quamuis enim domino quæratur furti actio: attamen in peculio ſerui eſt. ſed & ſi tota pœna dupli furti ſeruo ſoluta ſit: non dubie fur liberabitur. Cui conſequẽs eſt, ut ſi forte à fure acceperit ſeruus, quod eius rei ſatis eſſe uideatur: ſimiliter recte trãſactum uideatur. Si quis iurauerit ſe furtũ non feciſſe, deinde rem furtiuam contrectet: furti quidem actio perimitur, rei tamen perſecutio domino ſeruatur. Si ſeruus ſubreptus hæres inſtitutus fuerit: furti iudicio actor conſequet etiã precium hæreditatis: ſi modo ſeruus ante, quàm iuſſu domini adeat, mortuus fuerit. condicendo quoq; mortuum, idem conſequetur. Si ſtatuliber ſubreptus ſit, uel res ſub cõditione legata: deinde ante, quàm adeatur hæreditas, exſtiterit conditio: furti iam agi non poteſt: quia deſijt intereſſe hæredis. pendente autem cõditione, tanti æſtimandus eſt, quanti emptorem poteſt inuenire

LIIII. IDEM *lib.* XXXVIII. *ad edictum.*

SI quis ex domo, in qua nemo erat, rapuerit: actione de bõnis raptis in quadruplum conuenietur: furti nec manifeſti uidelicet actione, ſi nemo eum depræhenderit, tollenda.

LV. PAVLVS.

QVi iniuriæ cauſſa ianuam effregit: quamuis mihi per alios res amotæ ſint: non tenetur furti. nam maleficia uoluntas & propoſi tum

tum delinquentis distinguunt. Si seruus commodatoris rem subripuerit,& soluēdo sit is,cui subreptum est:Sabinus ait,posse & commodati agi cum eo,& contra dominum furti serui nomine. sed si pecuniā, quam dominus exegit,reddat:euanescere furti actionem. idem & si remittat commodati actionem. Quod si seruus tuus rem tibi commodatam subripuerit:furti tecum actio non est,quia tuo periculo res sit,sed tantum commodati. Qui alienis negocijs gerendis se obtulit,actionem furti non habet,licet culpa eius res perierit:sed actione negociorū gestorū ita damnandus est,si dominus actionem ei cedat. eadem sunt in eo,qui pro tutore negocia gerit:uel in eo tutore,qui diligentiā præstare debeat:ueluti qui ex pluribus tutoribus testamento datis, oblata satisdatione,solus administrationem suscepit. Si ex donatione alterius rem meam teneas,& eam subripiam:ita demū te furti agere mecum posse Iulianus ait,si interest tua retinere possessionem:ueluti si hominem donatum noxali iudicio defenderis, uel ægrum curaueris, ut aduersus uindicantem iustam habiturus sis retentionem.

LVI. CAIVS.

SI pignore creditor utatur:furti tenetur. Eum, qui quod utendū accepit,ipse alij commodauerit,furti obligari responsum est. ex q̄ satis apparet:furtum fieri,& si quis usum alienæ rei in suum lucrum cōuertat. nec mouere quem debet,quasi is nihil lucri sui gratia faciat. species enim lucri est ex alieno largiri, & beneficij debitorem sibi adquirere. unde & is furti tenetur,qui ideo rem amouet,ut eā alij donet. Furem interdiu deprehensum nō aliter occidere lex duodecim tabularū permisit,quàm si telo se defendat. teli autē appellatione & fustis,& ferrum,& lapis,& deniq; omne,quod nocendi caussa habetur, significat.

Cum furti actio ad pœnæ persecutionem pertineat, condictio uero & uindicatio ad rei recuperationem: apparet recepta re nihilominus saluam esse furti actionem,condictionem uero & uindicationem tolli: sicut ex diuerso post solutā dupli aut quadrupli pœnam, salua est uindicatio & condictio. Qui ferramenta sciens cōmodauerit ad effringendum ostium,uel armarium:uel scalam,sciens,cuius rei gratia id faceret,cōmodauerit ad ascendendū:licet nullum eius consilium principaliter ad furtum faciendum interuenerit,tamen furti actione tenetur.

Si tutor,qui negocia gerit,aut curator transegerit cum fure: euanescit furti actio.

LVII. PAVLVS.

CVm creditor rem sibi pignoratam aufert:non uidetur contrectare,sed pignori suo incumbere.

LVIII. IVLIANVS.

INterdum fur etiam manente pœnæ obligatione in quibuſdam caſibus rurſus obligatur,ut cum eo ſæpius eiuſdē rei nomine furti agi poſſit.primus caſus occurrit,ſi poſſeſſionis cauſſa mutata eſſet: ueluti ſi res in domini poteſtatem rediſſet,eandemq; idem ſubriperet,uel eidem domino,uel ei,cui is cōmodaſſet,aut uendidiſſet. ſed &ſi perſona domini mutata eſſet:altera pœna obligatur. Qui furem deducit ad præfectum uigilibus,uel ad præſidem:exiſtimandus eſt elegiſſe uiam, qua rem perſequeretur.&ſi negocium ibi terminatum eſt,& damnato fure recepta eſt pecunia ſublata:in ſimplum uidetur furti quæſtio ſublata:maxime ſi nō ſolum rem furtiuam fur reſtituere iuſſus fuerit,ſed amplius aliquid in eum iudex cōſtituerit.ſed & ſi nihil amplius, quàm furtiuam rem reſtituere iuſſus fuerit: eo ipſo,quod in periculum maioris pœnæ deductus eſt fur, quæſtionē furti ſublatam eſſe. Si res peculiaris ſubrepta in poteſtatem ſerui redierit:ſoluitur furti uicium,& incipit hoc caſu in peculio eſſe,& ita à domino poſſideri.cum autem ſeruꝰ rem ſuam peculiarem furandi conſilio amouet:quàmdiu eam retinet, condictio eius non mutatur.nihil enim domino abeſt.ſed ſi alij tradiderit:furtum faciet. Qui tutelam gerit,tranſigere cum fure poteſt.& ſi in poteſtatem ſuam redegerit rem furtiuam:deſinit furtiua eſſe:quia tutor domini loco habetur.ſed & circa curatorem furioſi eadem dicenda ſunt:qui adeo perſonā domini ſuſtinet,ut etiā tradendo rem furioſi, alienare exiſtimetur.cōdicere etiā rem furtiuā tutor & curator furioſi eorū noīe poſſunt. Si duo ſerui tui ueſtem & argentū ſubripuerint,& alterius nomine de ueſte tecū actū fuerit,& alterius de argento agetur: nulla exceptio dari debebit ob eam rem,quod iam de ueſte actū fuerit.

LIX. ALFENVS.

SI cretæ fodiendæ cauſſa ſpecum quis feciſſet,& cretā abſtuliſſet: fur eſt,non quia fodiſſet,ſed quia abſtuliſſet.

LX. VLPIANVS.

SI filiofamilias furtum factum eſſet:recte is paterfamilias factus eo nomine aget.ſed & ſi reſ ei locata ſubrepta fuerit, paterfamilias factus idem agere poterit.

LXI. IDEM.

SI is,qui rem commodaſſet,eam rem clam abſtuliſſet: furti cum eo agi non poteſt:quia ſuum recepiſſet,& ille commodati liberatus eſſet.hoc tamen ita accipiendum eſt,ſi nullas retinendi cauſſas is,cui cōmodata res erat,habuit.nam ſi impenſas neceſſarias in rem commodatam fecerat:interfuit eius,potius per retentionem eas ſeruare,quàm ultrò commodati agere.ideoq; furti actionem habebit.

LXII. AFRICANVS.

Ancilla

ANcilla fugitiua quemadmodum sui furtum facere intelligitur, ita partum quoq; contrectando furtum facit.

LXIII. IDEM.

SI seruus communis uni ex dominis furtum fecerit: communi diuidundo agi debere placet: & in arbitrio iudicis contineri, ut aut damnũ præstet, aut parte cedat. Cui consequens esse uidetur, ut etiam si alienauerit suam partẽ, similiter & cum emptore agi possit: ut quodã modo noxalis actio caput sequatur. quod tamen nõ eo usq; producendum ait, ut etiam si liber sit factus, cũ ipso agi posse dicamus: sicuti nec ageretur, etiãsi proprius fuisset. Ex his igitur apparere, mortuo seruo nihil esse, quod actor eo nomine consequi possit: nisi forte quid ex re furtiua ad socium peruenerit. His etiam illud consequens esse ait: ut & si is seruus, quem mihi pignori dederis, furtum mihi fecerit: agendo pignoraticia cõtraria cõsequar, ut similiter aut damnum decidas, aut pro noxæ dedito hominem relinquas. idem dicendum de eo, quem conuenisset in caussa redhibitionis esse: ut quemadmodum accessiones & fructus emptor restituere cogitur, ita & è cõtrario uenditor quoq; uel damnum decidere, uel pro noxæ dedito hominẽ relinquere cogatur: nisi quid in his amplius sit. Quod si sciens quis ignoranti furem pignori dederit: omnimodo præstare damnum cogendum esse. id enim bonæ fidei conuenire. Sed in actione empti præcipue spectandum esse, qualem seruum uenditor promiserit. Quod uero ad mandati actionem attinet, dubitare se ait, num æque dicendum sit, omnimodo damnum præstari debere. & quidem hoc amplius, quàm in superioribus cautis seruandum esse: ut etiam si ignorauerit is, qui certum hominem emi mandauerit, furem esse: nihilominus tamen damnum decidere cogatur. iustissime enim procuratorem allegare, non fuisse se id damnum passurum, si id mandatum nõ suscepisset. idq; euidentius in caussa depositi apparere. nam licet alioquin æquum uideat, non oportere cuiquam plus damni per seruum euenire, quàm quanti ipse seruus sit: multo tamen æquius esse, nemini officium suum, quod eius, cum quo contraxit, non etiam sui commodi caussa susceperit, damnosum esse. & sicut in superioribus contractibus, uenditione, locatione, pignore, dolum eius, qui sciens retinuerit, puniendum esse dictum sit: ita in his culpam eorum, quorum caussa contrahatur, ipsis potius damnosam esse debere. nam certam mandantis culpã esse, qui talem seruum sibi emi mandauerit: & similiter eius, qui deponat, quod non fuerit diligentior circa monendum, qualem seruum deponeret. Circa commodatum autem merito aliud existimandum: uidelicet quod tunc eius solius cõmodum, qui utendũ rogauerit, uersetur. itaq; eum,

qui cõmódauerit,ſicut in locatione,ſi nõ dolo id fecerit, non ultra preciũ ſerui quid amiſſurũ. Quin etiã paulo remiſſius circa interpretationem doli mali debere nos uerſari:quoniam (ut dictum ſit) nulla utilitas commodantis interueniat.hæc ita putat uera eſſe,ſi culpa nulla ipſius,qui mandatum uel depoſitum ſuſceperit,intercedat.cæterum ſi ipſe ultro ei cuſtodiam argenti forte,uel numorum commiſerit,cùm alioquin nihil unquam dominus tale quid feciſſet:aliter exiſtimandũ eſſe.

Locaui tibi fundũ,&(ut adſolet)cõuenit,uti fructꝰ ob mercedẽ mihi pignori eſſent.ſi eos clam deportaueris: furti me tecũ agere poſſe aiebat.ſed &ſi tu alíj fructus pendentes uendideris,& emptor eos deportauerit:cõſequens eſſe, ut in furtiuã cauſſam eos incidere dicamus.etenim fructus,quàmdiu ſolo cohæreant,fundi eſſe.& ideo colonum,quia uoluntate domini eos percipere uideatur, ſuos fructus facere. quod certe in propoſito non æque dicitur. qua enim ratione coloni fieri poſſunt, cum emptor eos ſuo nomine cogat? Statuliberũ,qui ſi decẽ dediſſet,liber eſſe iuſſus erat,hæres noxali iudicio defenderat.pendente iudicio ſeruus datis decem hæredi ad libertatem peruenit.quæritur, an nõ aliter abſolutio fieri debeat,quàm ſi decem,quæ accepiſſet hæres,actori dediſſet? referre exiſtimauit,unde ea pecunia data eſſet.ut ſiquidem aliunde,quàm ex peculio:hæc ſaltem præſtet: quandoquidem ſi nondum ad libertatem ſeruus perueniſſet, noxæ deditus ei, cui deditus eſſet,daturus fuerit.ſi uero ex peculio:quia numos hæredi dederit, quos utiq; is paſſurus eum non fuerit ei dare:contra ſtatuendum eſſe.

LXIIII. MARTIANVS.

FVrtum non committit,qui fugitiuo iter monſtrauit.

LXV. MARCELLVS.

NOn poterit præſes prouinciæ efficere,ut furti damnatum non ſequatur infamia.

LXVI MARCELLVS.

A Titio hærede homo Seio legatus ante aditam hæreditatem Titio furtum fecit.ſi adita hæreditate Seius legatum ad ſe pertinere uoluerit:furti ſerui eius nomine aget cum eo Titius: quia nec tunc, cum faceret furtum, eius fuerit.& ut maxime quis exiſtimet, ſi ſeruus eſſe cœperit eius,cui furtum fecerat, tolli furti actionem, ut nec ſi alienatus ſit,agi poſſit eo nòmine:ne poſt aditã quidem hæreditatem Titij factus eſt:quia ea,quæ legantur,recta uia ab eo,qui legauit, ad eum,cui legata ſunt,tranſeunt.

LXVII. VLPIANVS.

QVi ea mente alienum quid contrectauit, ut lucrifaceret: tamet ſi mutato conſilio id domino poſtea reddidit, fur eſt. nemo enim

enim tali peccato pœnitentia sua nocens esse desijt.

LXVIII. PAVLVS.

SI is,qui rem pignori dedit,uendiderit eam: quamuis dominus sit, furtum facit: siue eam tradiderit creditori,siue speciali pactione tantum obligauerit. idq; & Iulianus putat. Si is,cui res subrepta sit, dū apud furem sit,legauerit eam mihi: an si postea fur eam contrectet,furti actionem habeam? & secundum Octaueni sententiam mihi soli competit furti actio,cum hæres suo nomine non habeat: quia quacunq; ratione dominium mutatum sit,domino competere furti actionem constat. Eum,qui mulionem dolo malo in ius uocasset,si interea mulæ periissent, furti teneri, ueteres responderunt. Iulianus respondit, eum,qui pecunijs exigendis præpositus sit,si manumissus exigat,furti teneri. quod ei consequens dicere est & in tutore, cui post pubertatem solutum est. Si tu Titium mihi commendaueris,quasi idoneum, cui crederem,& ignorem Titium quis sit: si deinde tu aliū adducas qua si Titium: furtum facies,quia Titium hunc esse credo: scilicet si & ille, qui adducitur, scit. quod si nesciat: non facies furtum: nec is, qui adduxit,opem tulisse poterit uideri,cum furtum factum non sit. sed dabitur actio in factum in eum,qui adduxit. Si stipulatus de te sim, PER TE NON FIERI,QVO MINVS HOMO EROS INTRA CALENDAS ILLAS MIHI DETVR? quamuis mea interfit eum non subripi, cum subrepto eo ex stipulatu non tenearis (si tamen per te factum non sit,quo minus mihi daretur) non tamen furti actionem me habere.

LXIX. CELSVS.

INficiando depositum nemo facit furtum. nec enim furtum est ipsa infitiatio, licet propè furtum sit. sed si possessionem eius apiscatur interuertendi caussa: facit furtum. nec refert,in digito habeat anulum, an dactyliotheca,quem cum depositò teneret,habere pro suo destinauerit. Si tibi subreptum est,quod nisi die certa dedisses,pœnam pro missisti,ideoq; sufferre eam necesse fuit: furti actione hoc quoq; æstimabitur. Infans apud furem adoleuit. tam adolescentis furtum fecit ille,quàm infantis. & unum tamen est furtum. ideoq; dupli tenetur tanti, quanti unquam apud eum plurimi fuit. nam quod semel dūtaxat furti agi cum eo potest,quid refert propositæ quæstioni? quippe si subreptus furi foret,ac rursus à fure altero eum recuperasset: etiam si duo furta fecisset,non amplius, quàm semel, cum eo furti agi posset. & nec dubitauerim,quin adolescētis potius,quàm infantis æstimationē fieri oporteret. & quid tam ridiculū est,quàm meliorem furis conditionē esse propter continuationē furti existimare? Cū seruus inemptus factus sit: non posse emptorē furti agere cū uenditore ob id,

quod is seruus post emptionem ante, quàm redderetur, subripuisset. Quod furi ipsi furtũ fecerit furtiuus seruus, eo nomine actioné cum domino furem habiturũ placet: ne facinora talium seruorum non solum ipsis impunitatẽ præstent, sed dominis quoq; eorum quæstui sint. plerunq; enim eius generis seruorum furtis peculia eorundem augentur.

Si colonus post lustrum conductionis anno amplius fructus inuito domino perceperit: uidendum, ne messis & uindemiæ furti cum eo agi possit. & mihi dubium non uidetur, quin fur sit: & si consumpserit rem subreptam, repeti ab eo possit.

LXX. MARCELLVS.

HAereditariæ rei furtum fieri Iulianus negabat, nisi forte pignori dederat defunctus, aut cõmodauerat,

LXXI. SCAEVOLA.

AVt in qua usus fructus alienus est.

LXXII. MARCELLVS.

HIs enim casibus putabat hæreditariũ rerum fieri furtum, & usucapionem impediri. idcirco'q; hæredi quoq; actionem furti competere posse.

LXXIII. SABINVS.

SIis, cui cõmodata res erat, furtum ipsius admisit: agi cum eo & furti & cõmodati potest. & si furti actum est: & cõmodati actio extinguitur. si cõmodati: actioni furti exceptio obijcit. Eius rei, quæ pro hærede possidetur, furti actio ad possessorem non pertinet, quamuis usu capere quis possit: quia furti agere potest is, cuius interest rem non subripi. Interesse autem eius uidetur, qui damnũ passurus est: non eius, qui lucrum facturus est.

LXXIIII. MODESTINVS.

SEmpronia libellos composuit, quasi datura centurioni, ut ad officium transmitterentur. sed non dedit. Lucius pro tribunali eos recitauit, quasi officio traditos. quæro, cum nõ sint in officio inuenti, neq; centurioni traditi: quo crimine subijciat', qui usus est libellos de domo subtractos pro tribunali legere, qui non sunt dati? Modestinus respondit. si clam subtraxit: furtum commissum.

LXXV. SABINVS.

SIis, qui pignori rem accepit, cum de uendendo pignore nihil conueniisset, uendidit: aut ante, quàm dies uenditionis ueniret, pecunia non soluta, id fecit: furti se obligat.

LXXVI. IDEM.

FVrtiuã ancillam bona fide duobus aureis emptã cum possiderem, subripuit mihi Attius, cum quo & ego & dominus furti agimus. quæro

quæro,quanti æstimatio pro utroq; fieri debeat?respõdit.emptori duplo,quanti eius interest,æstimari debet:domino autem duplo,quãti ea mulier fuit.nec nos mouere debet,quod duobus pœna furti præstabit: quippe cum eiusdem rei nomine præstetur, emptori eius possessionis, domino ipsius proprietatis caussa præstanda est.

LXXVII. POMPONIVS.

SI is, qui simulabat se procuratorẽ esse, efficeret, ut uel sibi, uel cui me delegauit, promitterẽ:furti cum eo agere non possum:quoniã nullum corpus interueniisset,quod furandi animo contrectaretur.

LXXVIII. IDEM.

QVi re sibi cõmodata,uel apud se depositã usus est aliter,atq; accepit:si existimauit se nõ inuito domino id facere:furti non tenebitur, sed nec depositi ullo modo tenebitur. commodati an teneatur, in culpa æstimatio erit:id est, an non debuerit existimare,id dominũ permissurũ. Si quis alteri furtũ fecerit, & id,quod subripuit,alius ab eo subripuerit:cum posteriore fure dominus eius rei furti agere potest,fur prior non potest: ideo quod domini interfuit, non prioris furis, ut id, quod subreptum est, saluum esset.hæc Quintus Mutius refert, & uera sunt.nam licet interfit furis rem saluam esse, quia cõdictione tenetur: tamẽ cum eo is,cuius interest, furti habet actionẽ, si honesta ex caussa interest.nec utimur Seruij sententia,qui putabat,si rei subreptæ dominus nemo exstaret, nec exstaturus esset:furem habere furti actionẽ. nõ magis enim tunc eius esse intelligitur, cum lucrum facturus sit. dominus igitur habebit cum utroq; furti actionem:ita, ut si cum altero furti actionẽ incohet, aduersus alterum nihilominus duret.sed & condictionem:quia ex diuersis factis tenentur.

LXXIX. IDEM.

QVi saccum habentem pecuniam subripuit: furti etiam sacci nomine tenetur,quamuis non sit ei animus sacci subripiendi.

LXXX. PAPINIANVS.

REm inspiciendam quis dedit.si spectet periculum eum, qui accepit:ipse furti agere poterit.

LXXXI. IDEM.

SI debitor pignus subripuit:quod actione furti soluerit,nullo modo recipit.

LXXXII. IDEM.

SI uendidero, neq; tradidero seruũ, & is sine culpa mea subripiatur: magis est,ut furti mihi cõpetat actio:& mea uidetur interesse, quia dominiũ apud me fuit,uel quoniã ad præstandas actiones teneor. cum autem iure dominij defertur furti actio:quamuis non aliàs, nisi nostra interfit

interſit,competat:tamen ad æſtimationem corporis furti actio,& ſi nihil amplius interſit,utilitas mea referenda eſt.idq; & in ſtatuliberis, & in legato ſub conditione relicto probatur.alioquin diuerſum probantibus ſtatui facile quantitas non poteſt:quia tunc ſola utilitas æſtimationem facit, cum ceſſante dominio furti actio naſcitur. in iſtis cauſſis ad æſtimationem corporis furti actio referri non poteſt. Si ad exhibendum egiſſem,optaturus ſeruum mihi legatum, & unus ex familia ſeruus ſubreptus eſſet:hæres furti habebit actionem. eius enim intereſt. nihil enim refert,cum præſtare cuſtodiã debeat. Cum raptor omnimodo furtum facit,manifeſtus fur exiſtimandus eſt. is aũt,cuius dolo fuerit raptum,furti quidem non tenebitur,ſed ui bonorum raptorum.

Si Titius,cuius nomine pecuniam perperam falſus procurator accepit,ratum habeat:ipſe quidem Titius negociorũ geſtorum aget: ei uero,qui pecuniam indebitam dedit,aduerſus Titium erit indebiti condictio:aduerſus falſum procuratorem furtiua durabit cõdictio:& à Titio non inique per doli exceptionem,uti præſtetur ei furtiua condictio,de ſiderabitur.quod ſi pecunia fuerit debita, ratum habente Titio, furti actio euaneſcit:quia debitor liberatur. Falſus autem procurator ita demum furtũ pecuniæ facit:ſi nomine quoq; ueri procuratoris,quem creditor habuit,adſumpto,debitorem alienum circumuenerit. quod æque probatur & in eo,qui ſibi deberi pecuniam,ut hæredi Sempronij, creditori adſeuerauit,cũ eſſet alius. Qui rem Titij agebat,eius nomine falſo procuratori creditoris ſoluit,& Titius ratum habuit.non naſcitur ei furti actio:quæ ſtatim,cũ pecunia ſoluta eſt,ei,qui dedit,nata eſt: cum Titij numorum dominium non fuerit,neq; poſſeſſio. ſed cõdictionem indebiti quidem Titius habebit:furtiuam autem,qui pecuniã dedit,quæ(& ſi negociorum geſtorum actione Titius conueniri cœperit) arbitrio iudicis ei præſtabitur.

LXXXIII. IDEM.

OB pecuniam ciuitati ſubtractam actione furti,non crimine peculatus tenetur.

LXXXIIII. PAVLVS.

FVllo,uel ſarcinator,qui polienda,uel ſarcienda ueſtimenta accepit:ſi forte his utatur,ex contrectatione eorum furtum feciſſe uidetur:quia non in eã cauſſam ab eo uidentur accepta. Frugibus ex fundo ſubreptis tã colonus,quàm dominus furti agere poſſunt: quia utriuſq; intereſt rem perſequi. Qui ancillam non meretricem libidinis cauſſa ſubripuit, furti actione tenet:& ſi ſuppreſſerit,pœna legis Fauiæ coërcetur. Qui tabulas cautionesũe ſubripuit: in adſcriptam ſum mã furti actiõe tenebitur. nec refert cancellatæ, nec ne ſint:quia ex his debitum

debitum magis solutum esse comprobari potest.

LXXXV. NERATIVS.

SI quis ex bonis eius, quem putabat mortuum, qui uiuus erat, pro hærede res adprehenderit: eum furtum non facere. Ei, cum quo suo nomine furti actum est, etiã si serui nomine de alia re aduersus eũ agatur: non dandam exceptionem furti unà facti placet.

LXXXVI. PAVLVS

QVamuis res furtiua, nisi ad dominum redierit, usucapi non possit: tamen si eo nomine lis æstimata fuerit, uel furi dominus eã uendiderit: non interpellari iam usucapionis ius, dicendum est.

LXXXVII. IDEM.

IS, cuius interest nõ subripi, furti actionem habet, si & rem tenuit domini uoluntate: ut est is, cui res locata est. is autem, qui sua uoluntate, uel etiam pro tutore negocia gerit, item tutor, uel curator, ob rem subreptam non habebit furti actionem. item is, cui ex stipulatu, uel ex testamento seruus debetur, quamuis interfit eius, non habet furti actionem. sed nec is, qui fideiussit pro colono.

LXXXVIII. TRIPHONINVS.

SI ad dominum ignorantem peruenerit res furtiua, uel ui possessa: non uidetur in potestatem domini reuersa. ideoq; nec si post talẽ domini possessionem bona fide ementi uenierit, usucapio sequetur.

LXXXIX. PAVLVS.

CReditori actio furti in summam pignoris, non debiti cõpetit. sed ubi debitor ipse subtraxisset pignus: cõtrà probatur, & in summã pecuniæ debitæ & usurarum eius furti conuenietur.

XC. IDEM.

SI quis egerit ui bonorum raptorum, etiam furti agere non potest. quod si furti elegerit in duplum agere: potest & ui bonorum raptorum agere, sic ut non excedat quadruplum.

XCI. IDEM.

SI libertus patrono, uel cliens, uel mercennarius ei, qui eum conduxit, furtum fecerit: furti actio non nascitur.

XCII. IABOLENVS.

FVllo actione locati de domino liberatus est. negat eum furti recte acturum Labeo. item si furti egisset prius, quàm ex locato cum eo ageretur, & antequàm de furto iudicaretur, locati actione liberatus esset: & furem ab eo absolui debere. quod si nihil horum ante accidisset. furem ei condemnari oportere. hæc idcirco, quoniam furti eatẽnus habet actionem, quatenus eius interest. Nemo opem aut consilium alij præstare potest, qui ipse furti faciendi consilium capere non potest.

XCIII. LABEO.

SI quis,cũ sciret quid sibi subripi,non prohibuit:non potest furti agere. PAVLVS. imò contra. nam si quis scit sibi rapi,& quia non potest,phibere,quieuit:furti agere potest. sed & si potuit,phibere,nec prohibuit:nihilominus furti aget.& hoc modo patronus quoq; liberto: & is,cuius magna uerecundia,ei,quem in præsentia pudor ad resistendũ impedit,furtum facere solet.

XCIIII. VLPIANVS.

MEminisse oportebit,nunc furti plerũq; criminaliter agi:& eum, qui agit,in crimen subscribere:non quasi publicum sit iudicium, sed quia usum est temeritatem agentium etiam extraordinaria animaduersione coërcendam. non ideo tamen minus is,qui uelit,poterit ciuiliter agere.

DE TIGNO IVNCTO. Tit. III.

I. VLPIANVS.

IEx duodecim tabularum neq; soluere permittit tignum furtiuum ædibus uel uineis iunctum,neq; uindicare. qđ prouidenter lex effecit, ne uel ædificia sub hoc prætextu diruantur,uel uinearum cultura turbetur. sed in eum, qui conuictus est iunxisse,in duplũ dat actionem. Tigni autem appellatione continetur omnis materia, ex qua ædificium constet,uineæq; necessaria. unde quidam aiunt,tegulam quoq;, & lapidem,& cæmenta,cæteraq;, si qua ædificijs sunt utilia (tigna enim à tegendo dicta sunt) hoc amplius & calcem, & arenã appellatione tignorum contineri. sed & in uineis tigni appellatione omnia uineis necessaria cõtinentur:ut puta perticæ,pedamenta. Sed & ad exhibendũ danda est actio. nec enim parci oportet ei,qui sciens alienam rem ædificio inclusit iunxitúe. non enim sic eum conueniemus, quasi possidentem: sed ita,quasi dolo malo fecerit,quo minus possideat.

II. IDEM.

SEd & si proponas tigni furtiui nomine ædibus iuncti actum:deliberari poterit,an extrinsecus sit rei uindicatio. & esse, non dubito.

SI IS, QVI TESTAMENTO LIBER esse iussus erit, post mortem domini ante aditam hæreditatem subripuisse quid dicetur. Tit. IIII.

Vlpianus

I. VLPIANVS.

SI DOLO MALO EIVS, QVI LIBER ESSE IVSSVS ERIT, POST MORTEM DOMINI ANTE ADITAM HAEREDITATEM IN BONIS, QVAE EIVS FVERVNT, QVI EVM LIBERVM ESSE IVSSERIT, FACTVM ESSE DICETVR, QVO MINVS EX HIS BONIS AD HAEREDEM ALIQVID PERVENIRET: IN EVM INTRA ANNVM VTILEM DVPLI IVDICIVM DABO. Hæc autem actio (ut Labeo scripsit) naturalem potius, quàm ciuilem habet in se æquitatem: siquidem ciuilis deficit actio. sed natura æquum est, non esse impunitum eum, qui hac spe audacior factus est, quia neq; ut seruum se coërceri posse intelligit spe imminentis libertatis: neq; ut liberum damnari, quia hæreditati furtũ fecit, hoc est dominæ. dominus autem dominaúe nõ possunt habere furti actionem cum seruo suo, quamuis postea ad libertatem peruenerit, uel alienatus sit: nisi si postea quoq; contrectauerit. itaq; esse è re prætor putauit, calliditatem & proteruitatem horum, qui hæreditates depopulantur, dupli actione coërcere. Non autem aliàs tenebitur iste libertus, quàm si dolo quid dissipasse proponatur. culpa autem negligentiaq; serui post libertatem excusata est. sed culpa dolo proxima dolum repræsentat. proinde si quid damni dedit sine dolo: cessabit ista actio: quãuis aliàs Aquilia tenetur ob hoc, quod damnũ qualiter qualiter dederit. Habet itaq; certũ finem ista actio, ut & dolo fecerit iste, & post mortem domini, & ante aditam hæreditatem. cæterũ si sine dolo malo: aut dolo quidem, uerum uiuo domino: non tenebitur hac actione. quinimõ & si post mortem domini, post aditam tamen hæreditatem: cessabit actio. nam ubi adita hæreditas est, iam quasi liber cõueniri potest. quid tamen si sub conditione accepit libertatem: ecce nondum liber est, sed ut seruus potest coërceri. idcirco dicendum est, cessare hanc actionem. sed ubi libertas competit: continuo dicendum est, posse & debere hanc actionem dari aduersus eum, qui peruenit ad libertatem.

Si seruus pure legatus ante aditã hæreditatem quid admiserit in hæreditate: dicendum est, quia dominium in eo mutatur, huic actioni locum esse. & generaliter dicimus, quo casu in seruo dominium immutatur, uel amittitur, uel libertas competit post interuallum modi cum aditæ hæreditatis: eo casu hanc actionem indulgendam. sed si fideicommissaria libertas data sit seruo, qui quid in hæreditate maleficij admisit: numquid non prius cogatur hæres manumittere, quàm si satisfecerit? est autẽ sæpissime & à diuo Marco, & ab Imperatore nostro cum patre rescriptum: non impediri fideicommissariam libertatem, quæ pure data sit. diuus sanè Marcus rescripsit, arbitrum ex continenti

dandum, apud quem ratio ponatur. sed hoc rescriptū ad rationem ponendam pertinere actus, quem seruus administrauit, arbitror. ideo & hic posse hanc actionem competere. Ante aditam hæreditatem sic accipere debemus, antequàm uel ab uno adeatur hæreditas. nam ubi uel unus adijt, competit libertas. Si pupillus hæres institutus sit, & à substituto eius libertas data, medioq; tempore quædam admittantur: siquidem uiuo pupillo quid fuerit factum: locum nō esse huic actioni. si uero post mortem ante, quàm quis pupillo succederet: actionem istā locum habere. Hæc actio locum habet, non tantum in rebus, quæ in bonis fuerunt testatoris: sed & si hæredis interfuerit, dolum malum admissum non esse, quo minus ad se perueniret. & ideo Scæuola plenius tractat: ut si eam rem subripuisset seruus, quam defunctus pignori acceperat: actio honoraria locum haberet. plenius enim cautam bonorum hic accipimus pro utilitate. nam si in locum deficientis furti actionis propter seruitutem, hanc actionem substituit prætor: uerisimile est in omnibus cautis eum, in quibus furti agi potuerit, substituisse. In summa probatur, hanc actionem & in rebus pignoratis, & in rebus alienis bona fide possessis locum habere. idem & de re commodata testatori. Item si fructus post mortem testatoris perceptos hic seruus, qui libertatē prospicit, cōtrectauerit: locus erit huic actioni. sed & si partus, uel fœtus post mortem adgnatos: tantundem erit dicendū. Præterea si impubes post mortem patris quæsierit rei dominium, eaq; ante, q̄ impuberis hæreditas adeatur, subripiatur: locum habere istam actionē, dicendum est. Sed & in omnibus, quæ interfuit hæredis, non esse euersa: locū habet hæc actio. Non tantum autem ad sola furta ista actio pertinet, sed etiam ad omnia damna, quæcūq; hæreditati seruus dedit.

Scæuola ait, possessionis furtū fieri. deniq; si nullus sit possessor, furtum negat fieri. idcirco autem hæreditati furtum non fieri, quia possessionem hæreditas nō habeat, quæ facti est & animi. sed nec hæredis est possessio, antequàm possideat: quia hæreditas in eum id tantum transfundit, quod est hæreditatis. non aūt fuit possessio hæreditatis. Illud uerum est: si potest aliàs hæres ad suum peruenire, non esse honorariā actionem tribuendam: cum in id, quod interfuit, condemnatio fiat.

Præter hanc actionem esse & uindicationem rei constat: cum hæc actio ad similitudinem furti competat. item hæredi cæterisq; successoribus competere istam actionem, dicendum est. Si serui plures libertatem acceperunt, & dolo malo aliquid admiserunt: singuli conueniantur in solidū, hoc est in duplum. & cum ex delicto conueniantur: exemplo furti, nullus eorum liberatur, & si unus conuentus præstiterit.

II. PAVLVS. Si

SI paulo ante, & statuta libertas obtingeret, amouerit aliquid seruus aut corruperit: ignorantia domini non introducit hanc actionem. ideoq; licet maxime ignorauerit hæres à statulibero, aut quilibet alius dominus à seruo suo amotum aliquid corruptumúe esse: nõ impetrat post libertatem eius ullam actionem: quamuis in pluribus caussis alijs iusta ignorantia excusationem mereatur.

III. VLPIANVS.

LAbeo putauit, sub conditione manumissum res amouentem, si cito conditio exstiterit, hac actione conueniendum.

FVRTI ADVERSVS NAVTAS, CAVpones, stabularios. Tit. V.

I. VLPIANVS.

IN eos, qui naues, cauponas, stabula exercẽt: si quid à quo quo eorum, quos quasúe ibi habebunt, furtum factum esse dicetur: iudicium datur, siue furtum ope & consilio exercitoris factum sit, siue eorum cuius, qui in ea naue nauigandi caussa esset. Nauigandi autem caussa accipere debemus eos, qui adhibentur, ut nauis nauiget, hoc est nautas. Et in duplum actio est. cum enim in caupona uel naui res perierit, ex edicto prætoris obligatur exercitor nauis uel caupo: ita ut in potestate sit eius, cuius res subrepta sit, utrum malit cum exercitore honorario iure, an cum fure iure ciuili experiri. Quod si recipit saluum fore caupo uel nauta: furti actionem non dominus rei subreptæ, sed ipse habet: quia recipiendo periculum custodiæ subijt. Serui uero sui nomine exercitor noxæ dedendo se liberat. cur ergo non exercitor cõdemnatur, qui seruum tam malum in naue admisit? & cur liberi quidẽ hominis nomine tenetur in solidum, serui uero non tenetur? nisi forte idcirco, quod liberum quoq; hominem adhibens, statuere debebat, de eo, qualis esset: in seruo uero suo ignoscendum sit ei, quasi in domestico malo, si noxæ dedere paratus sit. si autem alienum adhibuit seruum: quasi in libero tenebitur. Caupo præstat factum eorum, qui in ea caupona eius cauponæ exercendæ caussa ibi sunt: item eorũ, qui habitandi caussa ibi sunt. uiatorum autem factum non præstat. nanq; uiatorem sibi eligere caupo uel stabularius non uidetur, nec repellere potest iter agentes. inhabitatores uero perpetuos ipse quodammodo elegit, qui non reiecit, quorum factum oportet eum præstare. In naui quoq; uectorum factum non præstatur.

SI FAMILIA FVRTVM FECISSE dicetur. Tit. VI.

I. VLPIANVS.

VTilissimũ id edictũ prætor proposuit, quo dominis prospiceret aduersus maleficia seruorum: uidelicet, ne cum plures furtũ admittant, euertant domini patrimoniũ, si omnes dedere, aut pro singulis æstimationẽ litis offerre cogatur. datur igitur arbitrium hoc edicto, ut siquidem uelit addicere noxios seruos: possit omnes dedere, qui participauerunt furtũ. enimuero si maluerit æstimationẽ offerre: tantum offerat, quantum si unus liber furtum fecisset, & retineat familiam suam. Hæc autem facultas domino tribuitur toties, quoties ignorante eo furtum factum est. cæterũ si sciente eo: facultas ei non erit danda. nam & suo nomine, & singulorum nomine conueniri potest noxali iudicio: nec una æstimatione, quam homo liber sufferret, defungi poterit. Is autem accipitur scire, qui scit, & potuit prohibere. Scientiã uero spectare debemus, quæ habet & uoluntatẽ. cæterũ si scit, & probibuit: tum dicendum est, usurum edicti beneficio. Si plures serui damnũ culpa dederint: æquissimũ est eandem facultatẽ domino dari. Cũ plures seruieiusdem rei furtũ faciũt, & unius nomine cum domino lis cõtestata est: tamdiu aliorũ nomine actio sustineri debebit, quàmdiu priore iudicio potest actor consequi, quantũ cõsequeretur, si liber id furtum fecisset.

II. IVLIANVS.

ID est & pœnæ nomine duplum, & condictionis simplum.

III. VLPIANVS.

QVoties tantum præstat dominus, quantũ præstaretur, si unus liber fecisset: cessat cæterorũ nomine actio, non tantum aduersus ipsum, uerũetiam aduersus emptorem duntaxat: si forte quis eorum, qui simul fecerant, uenierit. idemq; & si fuerit manumissus. Quod si prius fuerit oblatũ à manumisso: tunc dabitur aduersus dominũ familiæ nomine. nec enim potest dici, quod à manumisso præstitũ est, quasi à familia esse præstitũ. planè si emptor præstiterit: puto denegandam in uenditorẽ actionẽ. quodam enim modo hoc à uenditore præstitum est, ad quem nonnunquã regressus est ex hac caussa: maxime si furtis noxaq; solutum esse promisit. Sed an si legati serui nomine uel eius, qui donatus est, actum sit cũ legatario, uel eo, cui donatus est: agi possit etiam cum domino cæterorũ, quæritur. quod admittendum puto. Huius edicti leuamentũ, nõ tantũ ei, qui seruos possidens condemna

demnatus præstitit tantũ, quantũ si unus liber feciſſet, præstaret: uerũ ei quoq; qui idcirco cõdemnatus est, quia dolo fecerat, quomin9 possideret.

IIII. PAVLVS.

ETiam hæredibus eius, cui plures eiusdem familiæ furtũ fecerint, eadẽ actio cõpetere debet, quæ testatori cõpetebat: id est ut omnes non amplius cõsequantur, quàm cõsequerentur, si id furtũ liber feciſſet.

V. MARCELLVS.

FAmilia cõmunis sciente altero furtum fecit. omniũ nomine cum eo, qui scit, furti agi poterit: cum altero ad eum modũ, qui edicto cõprehensus est. quod si ille præstiterit non totius familiæ nomine: ab hoc socio partem consequetur. Et si seruus cõmunis alterius iussu damnũ dederit: etiam quod præstitit alter (si modo cũ eo quoq; ex lege Aquilia, uel ex duodecim tabulis agi potuerit) repetit à socio, sicuti cũ rei cõmuni nocitũ est. si ergo duntaxat duos habuerimus seruos cõmunes: cum eo, quo nõ ignorante factũ est, agetur utriusq; serui nomine. sed nõ amplius cõsequetur à socio, quàm si unius nomine præstitiſſet. quod si cum eo, quo ignorante factum est, agere uolet: duplum tantũ cõsequetur. & uideamus, an iam in sociũ alterius serui nomine non sit dandũ iudiciũ, quẽadmodũ si omniũ nomine socius dediſſet. nisi forte hoc casu seuerius à prætore cõstituendum, nec seruorũ cõsilio parcendum est.

VI. SCAEVOLA.

LAbeo putat, si cohæres meus, quod furtũ familia cuius feciſſet, duplum abstuliſſet: me non impediri, quo minus dupli agam, eoq; modo fraudem edicto fieri: esseq; iniquum, plus hæredes nostros ferre, quàm ferremus ipsi. item si defunctus minus duplo abstulerit, adhuc singulos hæredes recte experiri. sed uerius puto, partes eius hæredes persecuturos. sed ut cum eo, quod defunctus abstulit, uterq; hæres non plus duplo ferat.

ARBORVM FVRTIM CAESARUM. Tit. VII.

I. PAVLVS.

SIfurtim arbores cæsæ sint: & ex lege Aquilia, & ex duodecim tabulis dandam actionem Labeo ait. sed Trebatius ita utranq; dandam, ut iudex in posteriorem deducat id, quod ex prima consecutus sit, & reliquo condemnet eum.

II. CAIVS.

SCiendum est autem eos, qui arbores, & maxime uites ceciderint, tanquã

tanquam latrones puniri.

III. VLPIANVS.

VItem arboris appellatione contineri, pleriq; ueterum existimauerunt. Hederæ quoq; & arundines arbores non male dicentur. idem de salicto dicendum est. Sed si quis saligneas uirgas instituendi salicti caussa defixerit, hæcq; antequàm radices egerint, succidantur, aut euellantur: recte Pomponius scribit, non posse agi de arboribus succisis: cum nulla arbor proprie dicatur, quæ radicem non conceperit.

Quod si quis ex seminario stirpitus arborem transtulerit: eam, quamuis nondum comprehenderit terram, arborem tamen uideri, Pomponius libro decimonono ex Sabino probat. ideo ea quoq; arbor esse uidetur, cuius radices definent uiuere, quamuis adhuc terra contineatur, quam sententiam Labeo quoq; probat. Labeo etiam eam arborem recte dici putat, quæ subuersa radicitus etiam nũc reponi potest: aut ita translata est, ut poni possit. Stirpes oleæ arbores esse magis placet: siue iam egerint radices, siue nondum. omnium igitur harum arborum, quas enumerauimus, nomine agi poterit.

IIII. CAIVS.

CErte non dubitatur, si adhuc adeo tenerum sit, ut herbæ loco sit, non debere arboris numero haberi.

V. PAVLVS.

CAedere est non solum succidere, sed etiam ferire cædendi caussa. cingere est deglabrare. secare est subsecuisse. non enim poterat cecidisse intelligi, qui serra secuisset. Eius actionis eadem caussa est, quæ est legis Aquiliæ. Is, cuius ususfructus est in fundo, hanc actionẽ non habet. qui autem fundum uectigalẽ habet: hanc actionem habet, sicuti aquæ pluuiæ arcendæ actionem & finium regundorum.

VI. CAIVS.

SI plures eandem arborem furtim ceciderint: cum singulis in solidũ agetur. at si eadem arbor plurium fuerit: uniuersis duntaxat una & semel pœna præstabitur. Si arbor in uicini fundum radices porrexerit: recidere eas uicino non licebit. agere autem licebit, non esse ei ius, sicuti tignum, aut protectum immissum habere. si radicibus uicini arbor aletur: tamen eius est, in cuius fundo origo eius fuerit.

VII. VLPIANVS.

FVrtim cæsæ arbores uidentur, quæ ignorante domino cælandiq; caussa eius cæduntur. nec esse hanc furti actionem scribit Pedius: cum & sine furto fieri possit, ut quis arbores furtim cædat. Si quis radicitus arborẽ euulserit, uel exstirpauerit: hac actione non tenetur. neq; enim uel cædit, uel succidit, uel subsecuit. Aquilia tamen tenetur, quasi ruperit,

ruperit. Et si non tota arbor cæsa sit: recte tamen agetur, quasi cæsa ea. Siue autem quis suis manibus, siue dum imperat seruo arbores cingi, secari, cædi: hac actione tenetur. idem est, si libero imperet. quod si seruo suo non præceperit dominus, sed ipse sua uolũtate admiserit: Sabinus ait competere noxalem, ut in cæteris maleficijs. quæ sententia uera est. Hæc actio, & si pœnalis sit, perpetua est. sed aduersus hæredem non datur: hæredi, cæterisq; successoribus dabitur. condemnatio autem eius duplum continet:

VIII. PAVLVS.

FAcienda æstimatione, quanti domini interſit non lædi. ipsarũ q̃q; arborũ precium deduci oportet: & eius, quod supereſt, fieri æstimationem.

IX. VLPIANVS.

FVrtim arbores cædit, qui clam cædit. igitur si ceciderit, & lucri faciendi causſa contrectauerit: etiam furti tenebitur: lignorum causſa & condictione, & ad exhibendum. Qui per uim sciente domino cædit, non incidit in hanc actionem.

X. CAIVS.

SI colonus sit, qui ceciderit arbores: etiã ex locato cũ eo agi potest. Sed planè una actione contentus debet esse actor.

XI. IVLIANVS.

SI gemina arbor sit, & supra terram iunctura eius emineat: una arbor uidetur esse. sed si id, cui iungeretur, nõ exstet: totidẽ arbores sunt, quot species earum supra terram sunt.

XII. PAVLVS.

SEd si de arboribus cæsis ex lege Aquilia actum sit: interdicto QVOD VI AVT CLAM reddito, absoluetur, si satis prima condemnatione grauauerit reũ: manẽte nihilominus actione ex lege duodecim tabularum.

XIII. IABOLENVS.

QVi agrum uendidit, nihilominus furtim arborum cæsarum agere potest.

VI BONORVM RAPTORVM, ET de turba. TIT. VIII.

I. PAVLVS.

QVi rem rapuit, & furti nec manifesti tenetur in duplũ, & ui bonorum raptorum in quadruplum. sed si ante actũ sit ui bonorũ raptorũ: deneganda est furti. sed si ante furti actũ est: non est illa deneganda: ut tantum id, quod amplius in ea est, consequatur.

II. VLPIANVS.

PRætor ait. SI CVI DOLO MALO HOMINIBVS COACTIS DAMNI QVID FACTVM ESSE DICETVR, SIVE CVIVS RAPTA BONA: EI INTRA ANNVM, QVO PRIMVM DE EA RE EXPERIVNDI POTESTAS FVERIT, IN QVADRVPLVM: POST ANNVM IN SIMPLVM IVDICIVM DABO. ITEM SI SERVVS FECISSE DICETVR: IN DOMINVM IVDICIVM NOXALE DABO. Hoc edicto contra ea, quæ ui cõmittuntur, consulit prætor. nã si quis se uim passum docere possit: publico iudicio de ui potest experiri. neq; debere publico iudicio priuata actione præiudicari, quidam putant. sed utilius usum est, quamuis præiudicium legi Iuliæ de ui priuata fiat: nihilominus tamen non esse denegandam actionem eligentibus priuatam persecutionem. Dolo autem malo facere potest (quod edictum ait) nõ tantum is, qui rapuit: sed & qui præcedente consilio ad hoc ipsum homines collegit armatos, ut damnum det, bonaue rapiat. siue igit ipse quis cogat homines, sine ab alio coactis utatur ad rapiendũ: dolo malo facere uidetur. Homines coactos accipere debemus, ad hoc coactos, ut damnum daretur. neq; additur quales homines. qualescunq; igitur, siue liberos, siue seruos, sed & si unus homo coactus sit: adhuc dicemus homines coactos esse. Item si proponas solum damnũ dedisse: non puto deficere uerba. hoc enim, quod ait, HOMINIBVS COACTIS: sic accipere debemus, ut siue solus uim fecerit, siue etiã hominibus coactis, uel armatis, uel inermibus: hoc edicto teneatur. Doli mali mentio hic & uim in se habet. nam qui uim facit, dolo malo facit. nõ tamen qui dolo malo facit, utiq; & uim facit. & ita dolus habet in se & uim: & sine ui si quid callide admissum est, æque continebit. DAMNI prætor inquit. omnia ergo damna cõtinet, & clandestina. sed non puto clandestina: sed ea, quæ uiolentia permista sunt. etiam quis recte definiet: si quid solus admisit quis non ui: non contineri hoc edicto. & siquidem hominibus coactis, etiam si sine ui, dummodo dolo sit admissum: ad hoc edictũ spectare. Cæterum neq; furti actio, neq; legis Aquiliæ contributæ sunt in hoc edicto: licet interdum communes sint cum hoc edicto. nam Iulianus scribit eum, qui rapuit ui, furem esse improbiorem: & si quid damni coactis hominibus dederit, utiq; etiã Aquilia posse teneri. Quod ait prætor, BONA RAPTA: sic accipiemus, etiam si una res ex bonis rapta sit. Si quis homines non ipse coëgerit, sed inter coactos ipse fuerit, & quid aut rapuerit, aut damni dederit: hac actione tenetur. sed utrũ hoc solum contineat edictum, quod dolo malo hominibus à reo coactis damnum datum sit, uel raptum: an uero quod dolo malo rei raptum, uel damnum datum sit, licet ab alio homines sint coacti? quare melius

melius dicitur, etiam hoc contineri, ut omnia hic contineantur: & quod ex coactis ab aliquo damnū datum sit, in id & is, qui coëgit, & is, qui coactus est, teneri uideatur. In hac actione intra annum utilem uerum precium rei quadruplatur, non etiā quod interest. Hæc actio etiam familiæ nomine competit, non imposita necessitate ostēdendi, qui sunt ex familia homines, qui rapuerunt, uel etiam damnum dederunt. Familiæ autem appellatio seruos continet: hoc est eos, qui in ministerio sunt, & si liberi esse proponantur, uel alieni bona fide nobis seruientes. Hac actione non puto posse actorem singulorum seruorum nomine agere aduersus dominum eorum: quia sufficit dominū semel quadruplum offerre. Ex hac actione noxæ deditio nō totius familiæ, sed eorum tantum uel eius, qui dolose feciſſe comperiet, fieri debet. Hæc actio uulgo VI BONORVM RAPTORVM dicit. Hac actione is demum tenetur, qui dolum malum adhibuit. si quis igitur suam rem rapuit: ui quidem bonorum raptorum non tenebitur, sed aliter multabitur. Sed & si quis fugitiuum seruum, quem quis bona fide possidebat, rapuit: æque hac actione non tenebitur, quia rem suam aufert. quid ergo, si sibi obligatā rapuit? debebit teneri ui bonorū raptoū actione. In impuberem, qui doli mali capax nō est, nō dabit: nisi seruus ipsius uel familia eius admisisse proponatur. & serui, & familiæ nomine noxali ui bonorum raptorum actione tenebitur. Si publicanus pecus meū abduxerit, dum putat contra legem uectigalis aliquid à me factum: quamuis errauerit, agi tamen cum eo ui bonorum raptorum non posse, Labeo ait: sanè si dolo caret. si tamen ideo inclauserit, ne pasceretur, & ut fame periret: etiā utili lege Aquilia teneri. Si per uim pecus abductum incluserit quis: utiq; ui bonorum raptorum conueniri poterit. In hac actione non utiq; spectamus rem in bonis actoris esse. & siue in bonis sit, siue non sit, ex bonis tamen sit: locū hæc actio habebit. quare siue commodata res, siue locata, siue etiam pignorata proponatur, siue deposita apud me, ut interſit mea eam non auferri: siue bona fide à me possideatur, siue usumfructum in ea habeā, uel quod aliud ius, ut interſit mea non rapi: dicendum est competere mihi hanc actionem, ut nō dominium accipiamus, sed illud solum, ut ex bonis meis, hoc est ex substantia mea res ablata esse proponatur. Et generaliter dicendum est, ex quibus cauſſis furti actio mihi competit in re clam facta, ex ijsdem cauſſis habere me hanc actionem. dicet aliquis. at quin ob rem depositam furti actionem nō habemus. sed ideo addidi, si interſit nostra non esse raptam. nam & furti actionem habeo. Si in re depositā culpam quoq; repromisi, uel precium depositionis non quasi mercedem accepi: utilius dicendum est, & si cesset actio furti ob

rem depositam,esse tamen ui bonorum raptorum actionem: quia nō minima differentia est inter eū,qui clam facit,& eum,qui rapit:cum ille cælet suum delictum,hic publicet,& crimen etiam publicum admittat. si quis igitur interesse sua uel modice docebit: debet habere ui bonorum raptorum actionem. Si fugitiuus meus quasdam res instruendi sui caussa emerit,hæcq; raptæ sint:quia in bonis meis hæ sunt,responsum est,de his ui bonorū raptorum posse me agere. Rerum raptarum nomine etiam furti,uel damni iniuriæ,uel condictione agi potest:uel certe singulæ res uindicari possunt. Hæc actio hæredi cæterisq; successoribus dabitur. aduersus hæredes autem, uel cæteros successores non dabitur:quia pœnalis actio in eos non datur.an tamen in id,quo locupletiores facti sunt,dari debeat:uideamus. & ego puto prætorem ideo non esse pollicitum in hæredes in id,quod ad eos peruenit, quia putauit sufficere condictionem.

III. PAVLVS.

SI seruus rapuerit,& cum libero agatur:etiam si cum domino experiundi potestas fuit, non recte cum manumisso post annum agetur:quia cum quocunq; experiundi potestas fuerit,excluditur actor. & si cum domino intra annū actum sit, deinde cum manumisso agatur: rei iudicatæ exceptionem nocere,Labeo ait.

IIII. VLPIANVS.

PRætor ait. CVIVS DOLO MALO IN TVRBA DAMNVM QVOD FACTVM ESSE DICETVR: IN EVM IN ANNO, QVO PRIMVM DE EA RE EXPERIVNDI POTESTAS FVERIT, IN DVPLVM: POST ANNVM IN SIMPLVM IVDICIVM DABO. Hoc edictum de eo damno proponitur,quod quis in turba dedit.turbam autem appellatam Labeo ait ex genere tumultus, idq; uerbum ex græco tractum τύρβης.

Turbam autem ex quo numero admittimus? si duo rixam cōmiserint:utiq; non accipiemus in turba id factum:quia duo turba non proprie dicunt. enimuero si perplures fuerint(decē puta aut quindecim homines)turba dicet.quid ergo si tres aut quatuor? turba utiq; nō erit. & rectissime Labeo inter turbam & rixam multum interesse ait. nanq; turbam multitudinis hominum esse turbationem & cœtum:at rixam duorum. Hoc autem edicto tenetur non solum qui damnum in turba dedit:sed etiam is,qui dolo malo fecit,ut in turba damni quid daretur: siue illō uenerit, siue non fuerit præsens. dolus enim malus etiam absentis esse potest. Hoc edicto dicendum est etiam eum teneri, qui uenit, & in turba fuit author damni dandi: si tamen & ipse inter turbam fuit,cum damnum daretur,& dolo malo fuit. nam & huius dolo malo in turba damni quid factum esse, negari non potest.

Si

Si quis aduentu ſuo turbam concitauerit,uel contraxerit, uel clamore,uel facto aliquo,dum uel criminatur aliquem, uel miſericordiã prouocat,ſi dolo malo eius datum ſit damnum: etiam ſi non habuit conſilium turbæ cogendæ,tenetur. uerum eſt enim dolo malo eius in turba damni quid datum. neq; enim exigit prætor, ut ab ipſo ſit turba conuocata: ſed hoc,ut dolo malo alicuius in turba damnum datũ ſit. eritq; hæc differentia inter hoc edictum & ſuperius: quod ibi de eo damno prætor loquitur,quod dolo malo hominibus coactis datum eſt, uel raptum etiam non coactis hominibus. at hic de eo damno,quod dolo malo in turba datum eſt: etiam ſi non ipſe turbam coëgit,ſed ad clamorem eius,uel dicta miſericordia turba contracta eſt: uel ſi alius contraxit,& ipſe ex turba fuit. Idcirco illud quidem edictum propter atrocitatem facti quadrupli pœnam comminatur. at hoc dupli. Sed & hoc, & illud intra annum tribuit experiundi facultatem: poſt annum in ſimplum competit. Loquitur autem hoc edictum de damno dato,& de amiſſo: de rapto non. ſed ſuperiore edicto ui bonorum raptorũ agi poterit. Amiſſa autem dicuntur ea,quæ corrupta alicui relinquuntur, ſciſſa forte,uel fracta. Hæc autem actio in factum eſt,& datur in duplũ, quanti ea res erit: quod ad precium uerum rei refertur,& præſentis temporis fit æſtimatio,& ſemper in duplũ intra annum eſt: docereq; actor in turba damnum datum eſſe debet. cæterum ſi alibi datum ſit, quàm in turba: ceſſabit hæc actio. Si cum ſeruum meum Titius pulſaret, turba fuerit collecta, iſq; ſeruus in ea turba aliquid perdiderit: cum eo, qui pulſabat, agere poſſum,quippe cum in turba dolo malo damnum datum ſit: ſic tamen,ſi ut damnum daret, ideo cœperat cædere. cæterum ſi alia cauſſa uerberandi fuerit: ceſſat actio. & ſi quis ipſe turbam conuocaſſet,ut turba coram ſeruum uerberaret iniuriæ faciendæ cauſſa, non damni dandi conſilio: locum habet edictum. uerum eſt enim eum,qui per iniuriam uerberat,dolo facere: & eum,qui cauſſam præbuit damni dandi, damnum dediſſe. In ſeruum etiam & in familiam prætor dat actionem. Quæ de hæredibu cæterisq; ſucceſſoribus in ui bonorum raptorum actione diximus, & hic erunt repetita.

V. CAIVS.

NOn prodeſt ei,qui ui rapuit, ad euitandam pœnam: ſi ante iudicium reſtituat rem,quam rapuit.

VI. VENVLEIVS.

QVod ui poſſeſſum raptumue ſit,antequàm in poteſtatem domini hæredisue eius perueniat, uſucapi lex uetat.

DE INCENDIO, RVINA, NAVFRAGIO, rate, naue expugnata. Tit. IX.

I. VLPIANVS.

PRætor ait. IN EVM, QVI EX INCENDIO, RVINA, NAVFRAGIO, RATE, NAVE EXPVGNATA QVID RAPVISSE, RECEPISSE DOLO MALO, DAMNI VE QVID IN HIS REBVS DEDISSE DICETVR: IN QVADRVPLVM IN ANNO, QVO PRIMVM DE EA RE EXPERIVNDI POTESTAS FVERIT: POST ANNVM, IN SIMPLVM IVDICIVM DABO. ITEM IN SERVVM ET FAMILIAM NOXALE IVDICIVM DABO. Huius edicti utilitas euidens est, & iustissima seueritas. siquidē publice interest, nihil rapi ex huiusmodi casibus. Et quanq; sint de his facinoribus etiā criminū exsecutiones: attamē recte prætor fecit, qui forenses q̄q; actiones criminibus istis ꝓposuit. EX INCENDIO quēadmodū accipimus? utrū ex ipso igne: an uero ex eo loco, ubi incendium fit? & melius sic accipietur, propter incendiū, hoc est propter tumultum incendij, uel propter trepidationē incendij rapi: quemadmodū solemus dicere in bello admissum, quod propter caussam belli admittitur. proinde si ex adiacentibus prædijs, ubi incendium fiebat, raptum quid sit: dicendum, edicto locum esse: quia uerum est, ex incendio rapi. Item ruinæ appellatio refertur ad illud tempus, quo ruina fit: non tantum si ex his, quæ ruerunt, tulerit quis: sed etiā si ex adiacentibus. Si suspicio fuit incendij uel ruinæ, ut incendiū uel ruina nō fuerit: uideamus, an hoc edictū locū habeat. & magis est, ne habeat: quia neq; ex incēdio, neq; ex ruina quid raptum est. Item ait prætor NAVFRAGIO. hic illud quæritur, utrum si quis eo tempore tulerit, quo naufragiū fit: an uero etiam si alio tempore, hoc est post naufragiū? nanq; res ex naufragio etiā hæ dicuntur, quæ in litore post naufragium iacent. & magis est, ut eo tempore,

II. CAIVS.

ET loco,

III. VLPIANVS.

QVo naufragiū fit, uel factum est, si quis rapuerit, incidisse in hoc edictum uideatur. qui autē in litore rem iacentem postea, quàm naufragium factum est, abstulit: in ea conditione est, ut magis fur sit, quàm hoc edicto teneatur: quēadmodum is, qui quod de uehiculo exciderit, tulit. nec rapere uidetur, qui in litore rem iacentē tollit. Deinde ait prætor, RATE, NAVE EXPVGNATA. expugnare uidetur, qui in ipso quasi prælio & pugna aduersus nauem & ratem aliquid rapit: siue ex

ue expugnet, siue prædonibus expugnantibus rapiat. Labeo scribit, æquum fuisse, ut siue de domo, siue uilla expugnatis aliquid rapiatur: huic edicto locus sit. non enim minus in mari, quàm in uilla per latrunculos inquietari, uel infestari possumus. Non tantum autem qui rapuit, uerum is quoq; qui recepit, ex causis supra scriptis tenetur: quia receptatores non minus delinquunt, quàm aggressores. Sed enim additum est, DOLO MALO: quia non omnis, qui recepit, statim etiam deliquit: sed qui dolo malo recepit. quid enim si ignarus recepit: aut quid si ob hoc recepit, ut custodiret, saluaq; faceret ei, qui amiserat? utiq; non debet teneri. Non solum autem qui rapuit, sed & qui abstulit, uel amouit, uel damnũ dedit, uel recepit, hac actione tenetur. aliud autem esse rapi, aliud amoueri, palam est: siquidẽ amoueri aliquid etiam sine ui potest, rapi autem sine ui non potest. Qui eiecta naue quid rapuit, hoc edicto tenetur: eiecta, hoc est, quod græci aiunt ἠζοκελαμένης.

Quod ait prætor de damno dato, ita demum locum habet, si dolo malo damnũ datum sit. nam si dolus malus absit: cessat edictum. quẽadmodum ergo procedit, quod Labeo scribit: si defendendi mei caussa uicini ædificiũ orto incendio dissipauerim: & meo nomine, & familiæ iudiciũ in me dandum? cum enim defendendarũ mearũ ædium caussa fecerim: utiq; dolo careo. puto igitur uerum non esse, quod Labeo scribit. an tamen lege Aquilia agi cum hoc possit? & non puto agendum. nec enim iniuria hoc fecit, qui se tueri uoluit, cum aliàs nõ posset. & ita Celsus scribit. Senatusconsultũ Claudianis temporibus factum est, ut si quis ex naufragio clauos, uel unum ex his abstulerit: omniũ rerum nomine teneatur. item alio senatusconsulto cauetur: eos, quorũ fraude, aut consilio, naufragi suppressi per uim fuissent, ne naui ibiũe periclitantibus opitulentur: legis Corneliæ, quæ de sicarijs lata est, pœnis adficiendos. eos autem, qui quid ex miserrima naufragorum fortuna rapuissent, lucratiũe fuissent dolo malo: in quantũ edicto prætoris actio daretur, tantum & fisco dari debere.

IIII. PAVLVS.

PEdius posse etiam dici ex naufragio rapere eum, qui cum nondum naufragium fiat, in ipsa trepidatione rapiat. Diuus Antoninus de his, qui prædã ex naufragio diripuissent, ita rescripsit. quod de naufragijs nauis & ratis scripsisti mihi: eò pertinet, ut explores, qua pœna adficiendos eos putem, qui diripuisse aliqua ex illa probantur. & facile (ut opinor) constitui potest. nam plurimum interest, peritura collegerint: an quæ seruari possint, flagitiose inuaserint. ideoq; si grauior præda ui appetita uidebitur: liberos quidem fustibus cæsos in triennium relegabis. at si sordidiores erunt; in opus publicum eiusdem temporis

temporis dabis. seruos flagellis cæsos in metallum damnabis. si non magnæ pecuniæ res fuerint: liberos fustib9, seruos flagellis cæsos dimittere poteris. Et omnino ut in cæteris, ita in huiusmodi caussis ex personarum cõditione, & rerum qualitate diligenter pœnæ sunt æstimandæ: ne quid aut durius, aut remissius constituatur, quàm caussa postulabit. Hæ actiones etiam hæredibus dantur. at in hæredes eatenus dandæ sunt, quatenus ad eos peruenit.

V. CAIVS.

SI quis ex naufragio, uel incendio, ruinaue seruatam rem, & alio loco positam subtraxerit, aut rapuerit: furti scilicet, aut aliàs ui bonorum raptorum iudicio tenetur: maxime si non intelligebat ex naufragio, uel incendio, ruinaue eam esse. iacentem quoq; rem ex naufragio, quæ fluctibus expulsa sit, si quis abstulerit: plerique idem putant. Quod ita uerum est, si aliquod tempus post naufragiũ interceſſerit. alioquin si in ipso naufragij tempore id acciderit: nihil interest, utrũ ex ipso mari quisq; rapiat, an ex naufragijs, an ex litore. De eo quoq;, quod ex rate naue expugnata raptum sit, eandem interpretationem adhibere debemus.

VI. CALLISTRATVS.

EXpugnatur nauis, cum spoliatur, aut mergitur, aut dissoluitur, aut pertunditur, aut funes eius perscinduntur, aut uela conscinduntur, aut ancoræ inuolantur de mari.

VII. IDEM.

NE quid ex naufragijs diripiatur, uel quis extraneus interueniat colligendis eis, multifariam prospectum est. nam & diuus Hadrianus edicto præcepit, ut hi, qui iuxta litora maris possiderent, scirent si quando naui uel infixa, uel fracta intra fines agri cuiusq;, naufragia diripiant: in ipsos iudicia præsides his, qui res suas direptas querantur, reddituros: ut quidquid probauerint ademptum sibi naufragio, id à possessoribus recipiant. De his autem, quos diripuisse probatum sit, præsidẽ ut de latronibus grauem sententiã dicere. Et quo facilior sit probatio huius admissi: permisit eis, qui quid passos se huiusmodi querantur, adire præfectos, & apud eos testari, reosq; petere: ut pro modo culpæ, uel uincti, uel sub fideiussoribus ad præsidem remittantur. A' domino quoq; possessionis, in qua id admissum dicat, satis accipi, ne cognitioni desit, præcipitur. Sed nec interuenire naufragijs colligendis aut militem, aut priuatum, aut libertum, seruumue principis placere sibi, ait senatus.

VIII. NERATIVS.

RAtis ui fluminis in agrum meum delatæ non aliter tibi potestatẽ faciendam, quàm si de præterito quoq; damno mihi cauisses.

Caius

IX. CAIVS.

QVi ædes aceruumúe frumenti iuxta domum positum combusse fit:uinctus,uerberatus,igni necari iubetur: si modo sciens prudensq; id cõmiserit. si uero casu, id est neglegentia:aut noxam sarcire iubetur,aut si minus idoneus sit,leuius castigatur. appellatione autem ædium omnes species ædificij continentur.

X. VLPIANVS.

NEpiscatores nocte lumine ostenso fallant nauigãtes,quasi in portum aliquem delaturi,eoq; modo in periculum naues, & qui in eis sunt,deducant,sibiq; exsecrandam prædam dent: præsidis prouinciæ religiosa constantia efficiatur.

XI. MARCELLVS.

SI fortuitù incendium factum sit, uenia indiget: nisi tam lata culpa fuit,ut lusoria,aut dolo sit proxima.

XII. VLPIANVS.

LIcere unicuiq; naufragium suum impune colligere constat, idq; imperator Antoninus cum diuo patre suo rescripsit. Qui data opera in ciuitate incẽdium fecerint:si humiliore loco sint,bestijs subijci solent. si in aliquo gradu id fecerint:capite puniuntur,aut certe in insulam deportantur.

DE INIVRIIS, ET FAMOSIS LIbellis. Tit. X.

I. VLPIANVS.

INiuria ex eo dicta est,quod nõ iure fiat.omne enim, qđ non iure fit, iniuria fieri dicitur. hoc generaliter. specialiter autem iniuria dicitur contumelia. Interdum iniuriæ appellatione damnum culpa datum significatur, ut in lege Aquilia dicere solemus.interdum iniquitatem iniuriam dicimus.nam cum quis inique uel iniuste sententiam dixerit: ex eo iniuriam dicam,quod iure & iusticia caret,quasi noniuriã. contumeliam autem à contemnendo. Iniuriam autem fieri Labeo ait,aut re,aut uerbis. re,quoties manus inferuntur.uerbis autem,quoties non manus inferunt, sed cõuicium fit. Omnemq; iniuriam aut in corpus inferri,aut ad dignitatem,aut ad infamiam pertinere. in corpus fit, cũ quis pulsatur.ad dignitatem,cum comes matronæ abducitur.ad infamiam,cum pudicitia attentatur. Item aut per semetipsum alicui fit iniuria,aut per alias personas.per semet,cum directò ipsi patrifamilias uel matrifamilias fit iniuria. per alias,cũ per cõsequentias fit:ut cũ fit liberis

beris meis,uel ſeruis meis,uel uxori,nuruiue.ſpectat eñ ad nos iniuria, quæ his fit,qui uel poteſtati noſtræ,uel adfectui ſubiecti ſunt. Et ſi forte cadaueri defuncti fiat iniuria,cui hæredes bonorumûe poſſeſſores exſtitimus:iniuriarum noſtro nomine actionem habebimus. ſpectat eñ ad exiſtimationem noſtram,ſi qua ei fit iniuria. idemq; eſt, & ſi fama eius,cuius hæredes exſtitimus,laceſſatur. Vſqadeo autem iniuria, quæ fit liberis noſtris,noſtrum pudorem pertingit:ut etiam ſi uolentē filium quis uendiderit:patri ſuo quidem nomine competat iniuriarū actio,filij uero nomine non competat:quia nulla iniuria ſit, quæ in uolentem fiat. Quoties autem funeri teſtatoris uel cadaueri fit iniuria:ſiquidem poſt aditam hæreditatem fiat: dicendum eſt hæredi quodammodo factam. ſemper enim hæredis intereſt defuncti exiſtimationem purgare. quoties autem ante hæreditatem aditam: magis hæreditati,& ſic hæredi per hæreditatē adquiri. Deniq; Iulianus ſcribit: ſi corpus teſtatoris ante aditam hæreditatem detentum ſit: adquiri hæreditati actionem,dubium non eſſe. idemq; putat, & ſi ante hæreditatem aditam ſeruo hæreditario iniuria facta fuerit. nam per hæreditatē actio hæredi adquiritur. Labeo ſcribit: ſi quis ſeruum hæreditarium teſtamento manumiſſum ante aditam hæreditatem uerberauerit: iniuriarum hæredem agere poſſe. at ſi poſt aditam hæreditatē uerberatus ſit: ſiue ſcit ſe liberum eſſe,ſiue ignorat:ipſum agere poſſe. Siue autem ſciat quis filium meum eſſe,uel uxorem meam, ſiue ignorauerit:habere me meo nomine actionem,Neratius ſcripſit. Idem ait,ex una iniuria interdū tribus oriri iniuriarū actionem, neq; unius actionem per aliā conſumi. utputa uxori meæ filiæfamilias iniuria facta eſt. & mihi, & patri eius,& ipſi iniuriarum actio incipiet competere.

II. PAVLVS.

QVod ſi uiro iniuria facta ſit:uxor non agit:quia defendi uxores à uiris,non uiros ab uxoribus,æquum eſt

III. VLPIANVS.

ILlud relatum peræque eſt: eos,qui iniuriam pati poſſunt, & facere poſſe. Sanè ſunt quidam,qui facere non poſſunt: utputa furioſus, & impubes,qui doli capax non eſt. nanq; hi iniuriam pati ſolent, nō facere. cum enim iniuria ex adfectu facientis cōſiſtat:conſequens erit dicere,hos,ſiue pulſent,ſiue conuicium dicant,iniuriam feciſſe non uideri. itaq; pati quis iniuriam,etiā ſi non ſentiat,poteſt:facere nemo, niſi qui ſcit ſe iniuriam facere,& ſi neſciat,cui faciat. quare ſi quis per iocū percutiat, aut dum certat: iniuriarum non tenetur. Si quis hominem liberum occiderit, dum putat ſeruum ſuum: in ea cauſſa eſt,ne iniuriarum teneatur.

Paulus

IIII. PAVLVS.

SI cum seruo meo pugnum ducere uellem, in proximo te stantem inuitus percusserim: iniuriarum non teneor.

V. VLPIANVS.

LEx Cornelia de iniurijs competit ei, qui iniuriarũ agere uolet ob eam rem, quod se pulsatum, uerberatumúe, domumúe suam ui introitam esse dicat. qua lege cauetur, ut non iudicet qui ei, qui aget, gener, socer, uictricus, priuignꝰ, sobrinusúe est, ꝓpiusúe eorũ quis quenꝗ in ea cognatione adfinitateúe attinget, quiúe eius parentisúe cuius eorum patronus erit. Lex itaqꝫ Cornelia ex tribus caussis dedit actionẽ: quod quis pulsatus, uerberatusúe, domusúe eius ui introita sit. apparet igitur omnem iniuriam, quæ manu fiat, lege Cornelia contineri. Inter pulsationem & uerberationem hoc interest (ut Ofilius scribit.) uerberare est cum dolore cædere: pulsare sine dolore. Domum accipere debemus, non proprietatẽ domus, sed domicilium. quare siue in ꝓpria domo quis habitauerit, siue in conducta, uel gratis, siue hospitio receptus: hæc lex locum habebit. Quid si quis in uilla habitet, uel in hortis? idem erit probandum. Et si dominus fundum locauerit, inꝯ eum impetus factus sit: colonus aget, non dominus. Si tamen in fundũ alienum, qui domino colebatur, introitum sit: Labeo negat esse actionem domino fundi ex lege Cornelia: qui non possit ubiqꝫ domicilium habere, hoc est per omnes uillas suas. ego puto ad omnem habitationem, in qua paterfamilias habitat, pertinere hanc legem: licet ibi quis domiciliũ non habeat. ponamus enim studiorũ caussa Romæ agere. Romæ utiqꝫ domiciliũ nõ habet. & tamen dicendũ est, si ui domus eius introita fuerit, Corneliã locum habere. tantũ igitur ad meritoria uel stabula non pertinebit. cæterum ad hos pertinebit, qui inhabitant nõ momenti caussa, licet ibi domicilium non habeant. Illud quæritur, an pater filiofamilias iniuriam passo ex lege Cornelia iniuriarum agere possit? & placuit non posse, de eoꝯ res inter omnes constat: sed patri quidem prætoria iniuriarum actio competit, filio uero legis Corneliæ.

In lege Cornelia filiusfamilias agere potest ex omni caussa: nec cauere debet rem ratam patrem habiturum. nam nec aliâs agentem filiũ iniuriarum ad cautionem de rato cõpellendum, Iulianus scribit. Hac lege permittitur actori iusiurandum deferre, ut reus iuret iniuriam se non feciſſe. sed Sabinus in adsessorio etiam prætores exemplum legis secutos ait, & ita res se habet. Si quis librum ad infamiam alicuius pertinentem scripsit, cõposuit, edidit, doloúe malo fecit, quo quid eorum fieret: etiam si alterius nomine ediderit, uel sine nomine: uti de ea re agere liceat: & si cõdemnatus sit, qui id fecit, intestabilis ex lege esse

iubetur. Eadē pœna ex ſenatuſcōſulto tenetī is, qui ἐπιθέσει, aliudue quid, ſiue ſcripturam in notam aliquorum produxerit: item qui emendum uendendumue curauerit. & ei, qui indicaſſet (ſiue liber, ſiue ſeruus ſit) pro modo ſubſtantiæ accuſatæ perſonæ æſtimatione iudicis præmium conſtituitur: ſeruo forſitan & libertate præſtanda. quid enim, ſi publica utilitas ex hoc emergit?

VI. PAVLVS.

QVod ſenatuſconſultum neceſſariū eſt. Cum nomen adiectum non eſt eius, in quem factum eſt: tunc ei (quia difficilis probatio eſt) uoluit ſenatus publica quæſtione rem uindicare. cæterum ſi nomen adiectum: & iure cōmuni iniuriarum agi poteſt. nec ēm prohibendus eſt priuato agere iudicio, quod publico iudicio præiudicetur; quia ad priuatam cauſſam pertinet. planè ſi actum ſit publico iudicio: denegandum eſt priuatum. ſimiliter ex diuerſo.

VII. VLPIANVS.

PRætor edixit. QVI AGIT INIVRIARVM, CERTVM DICAT, QVID INIVRIAE FACTVM SIT: quia qui famoſam actionem intendit, non debet uagari cum diſcrimine alienæ exiſtimationis: ſed deſignare certum, & ſpecialiter dicere, quam ſe iniuriam paſſum contendit. Si dicatur homo iniuria occiſus: nunquid non debeat permittere prætor priuato iudicio legi Corneliæ præiudicari? itemq; & ſi ita quis agere uelit, quod tu uenenum dediſti hominis occidēdi cauſſa? rectius igitur fecerit, ſi huiuſmodi actionem non dederit. Atqui ſolemus dicere, ex quibus cauſſis publica ſunt iudicia, ex his cauſſis nō eſſe nos prohibendos, quo minus & priuato agamus. & eſt hoc uerum. ſed ubi non principaliter de ea re agitur, quæ habet publicam exſecutionem. quid ergo de lege Aquilia dicimus? nam & ea actio principaliter hoc cōtinet: hominem occiſum non principaliter. nam ibi principaliter de damno agitur, quod domino datum eſt. at in actione iniuriarum de ipſa cæde, uel ueneno, ut uindicetur, non ut damnum ſarciatur. Quid ergo ſi quis idcirco uelit iniuriarū agere, quod gladio caput eius percuſſum eſt? Labeo ait, nō eſſe prohibendum. neq; enim utiq; hoc (inquit) intenditur, quod publicam habeat animaduerſionem. quod uerum non eſt. cui enim dubium eſt, etiam hunc dici poſſe Cornelia cōueniri? Præterea illō ſpectat, dici certum de iniuria, quam paſſus quis ſit: ut ex qualitate iniuriæ ſciamus, an in patronum liberto reddendum ſit iniuriarum iudicium. etenim meminiſſe oportebit liberto aduerſus patronū non quidem ſemper, uerum interdum iniuriarum dari iudicium: ſcilicet ſi atrox ſit iniuria, quam paſſus ſit, puta ſi ſeruilis eſt. cæterum leuē coërcitionem utiq; patrono aduerſus libertum dabimus: nec patietur eum

eum prætor querentem, quasi iniuriam passus sit, nisi atrocitas eum mouerit. nec enim ferre prætor debet heri seruum, hodie libertum conquerentem, quod dominus ei conuicium dixerit, uel quod leuiter pulsauerit, uel emendauerit. sed si flagris, si uerberibus uulnerauit non mediocriter: æquissimum erit, prætorem ei subuenire. Sed & si quis ex liberis, qui non sunt in potestate, cum parente uelit experiri: non temere iniuriarum actio danda est, nisi atrocitas suaserit. certe his, qui sunt in potestate, prorsus nec competit, etiam si atrox fuerit. Quod autem prætor ait, CERTVM DICAT, quemadmodum accipiendum est? certũ eum dicere, Labeo ait, qui dicat nomen iniuriæ, neq; sub alternatione, puta illud aut illud: sed illam iniuriam se passum. Si mihi plures iniurias feceris: puta turba & cœtu facto domum alicuius introeas, & hoc pacto efficiatur, ut simul & conuiciũ patiar, & uerberer: an possim separatim tecum experiri de singulis iniurijs, quæritur. & Marcellus secundũ Neratij sententiam hoc probat: cogendum iniurias, quas simul passus sit, coniungere. Posse hodie de omni iniuria, sed & de atroci ciuiliter agi, Imperator noster rescripsit. Atrocem iniuriam quasi contumeliosiorem & maiorem accipimus. Atrocem autem iniuriam aut persona, aut tempore, aut re ipsa fieri, Labeo ait. persona atrocior iniuriã fieri, cum magistratui, cum parenti, patronoue fiat. tempore: si in ludis, & in conspectu prætoris. nam in prætoris conspectu, an in solitudine iniuria facta sit, multum interesse ait: quia atrocior est, quæ in conspectu fiat. Re atrocem iniuriam haberi Labeo ait: utputa si uulnus illatum, os alicui percussum sit.

VIII. PAVLVS.

VVlneris magnitudo atrocitatem facit, & nõnunquam locus uulneris, ueluti oculo percusso.

IX. VLPIANVS.

SEd est quæstionis, quod dicimus re iniuriam atrocem fieri: utrum si corpori inferatur, atrox sit: an & si non corpori, utputa uestimentis sciissis, comite abducto, uel conuicio dicto? & ait Pomponius, etiam sine pulsatione posse dici atrocem iniuriam, persona atrocitatem faciente. sed & si in theatro, uel in foro cædit & uulnerat, quanq; non atrociter: atrocem iniuriam facit. Parui aũt refert, utrum patrifamilias, an filiofamilias talis iniuria facta sit. nam & hæc atrox existimabitur.

Si atrocẽ iniuriã seruus fecerit: siquidem præsens sit dominus: potest agi de eo. quod si abfuerit: præsidi offerẽdus est, qui eum flagris rũpat.

Si quis tam fœminam, quàm masculum, siue ingenuos, siue libertinos impudicos facere attentauerit: iniuriarum tenebitur. sed & si serui pudicitia attentata fuerit: iniuriarum actio locum habet.

X. PAVLVS.

ATtentati pudicitia dicitur, cum id agitur, ut ex pudico impudicus fiat.

XI. VLPIANVS.

NOn solum is iniuriarum tenetur, qui fecit iniuriam, hoc est, qui percussit: uerum ille quoq; continetur, qui dolo fecit, uel qui curauit, ut cui mala pugno percuteretur. Iniuriarum actio ex bono & æquo est, & dissimulatione aboletur. si quis enim iniuriam dereliquerit, hoc est, statim passus ad animum suum non reuocauerit: postea ex pœnitentia iniuriam remissam non poterit recolere. secundũ hoc ergo æquitas actionis omnem metum eius abolere uidetur, ubicunq; contra æquum quis uenit. proinde & si pactum de iniuria interceſſerit, & si transactum, aut iusiurandum exactum erit: actio iniuriarũ non tenebit.

Agere quis iniuriarũ & per se, & per alium potest: utputa per procuratorẽ, tutorem, cæterosq;, qui pro alijs solent interuenire. Si mandatu meo facta sit alicui iniuria: pleriq; aiunt, tam me, qui mandaui, quàm eum, qui suscepit, iniuriarũ teneri. Proculus recte ait, si in hoc te conduxerim, ut iniuriam facias: cum utroq; nostrum iniuriarũ agi posse, quia mea opera iniuria facta sit. Idemq; ait, & si mandauero filio meo, ut tibi iniuriam faciat. Atilicinus autem ait, & si persuaserim alicui alias nolenti, ut mihi ad iniuriã faciendam obediret: posse iniuriarum mecum agi. Quanquam aduersus patronum liberto iniuriarũ actio non detur: uerũ marito libertæ nomine cum patrono actio competit. maritus enim, uxore sua iniuriam passa, suo nomine iniuriarum agere uidetur. quod & Marcellus admittit. Ego autem apud eum notaui, non de omni iniuria hoc esse dicendum, me putare. leuis enim coercitio etiam in nuptam, uel conuicij non impudici dictio cur patrono denegetur? si autem cõliberto nupta esset: diceremus omnino iniuriarum actionem marito aduersus patronũ cessare. & ita multi sentiunt. Ex quibus apparet, libertos nostros non tantum eas iniurias aduersus nos iniuriarum actione exsequi non posse, quæcunq; fiunt ipsis: sed ne eas quidem, quæ eis fiunt, quos eorũ interest iniuriam non pati. Plane si forte filius liberti uel uxor uelint iniuriarũ experiri, quia patri maritoue non datur: denegandũ non erit, quia suo nomine experiuntur.

Ei, qui seruus dicitur, secq; adserit in libertatem: iniuriarũ actionem aduersus dicentem se dominũ cõpetere, nulla dubitatio est. & hoc est uerum, siue ex libertate in seruitutem petatur, siue ex seruitute in libertatem proclamet. nam hoc iure indistincte utimur.

XII. CAIVS.

SI quis de libertate aliquem in seruitutem petat, quem sciat liberum esse

esse, neq; id propter euictionem, ut eam sibi conseruet, faciat: iniuriarum actione tenetur.

XIII. VLPIANVS.

INiuriarum actio neq; hæredi, neq; in hæredem datur. idem est, & si in seruum meum iniuria facta sit. nam nec hic hæredi meo iniuriarum actio datur. semel autem lite contestata, hæc actio etiam ad successores pertinet. Is, qui iure publico utitur, non uidetur iniuriæ faciendæ caussa hoc facere. iuris enim exsecutio non habet iniuriam.

Si quis quod decreto prætoris non obtemperauerit, ductus sit: non est in ea caussa, ut agat iniuriarum propter prætoris præceptum. Si quis per iniuriam ad tribunal alicuius me interpellauerit, mei uexandi caussa: potero iniuriarũ experiri. Si quis de honoribus decernendis alicui passus non sit decerni, utputa imaginem alicui, uel quid aliud tale: an iniuriarum teneatur? & ait Labeo non teneri, quamuis hoc contumeliæ caussa fiat. etenim multum interest (inquit) contumeliæ caussa quid fiat, an uero fieri quid in honorem alicuius quis non patiatur.

Idem Labeo scribit: si cum alium contingeret locatio, alij hoc onus duumuir indixerit: non posse agi iniuriarũ ob laborem indictum. aliud enim esse laborem indicere, aliud iniuriam facere. idem ergo erit probandum & in cæteris muneribus atq; honoribus, quæ per iniuriam indicuntur. ergo & si quis per iniuriam sententiam dixerit, idem erit probandum. Quæ iure potestatis à magistratu fiunt, ad iniuriarũ actionem non pertinent. Si quis me prohibeat in mari piscari, uel euerriculum, quod græci γάγγαμον dicunt, ducere: an iniuriarũ iudicio possim eum conuenire? sunt, qui putant, iniuriarũ me posse agere. & ita Pomponius. & plerisq; esse huic simílem eum, qui in publicum lauare, uel in cauea publica sedere, uel in quo alio loco agere, sedere, conuersari non patiatur: ut si quis re mea uti me non permittat. nam & hic iniuriarum conueniri potest. Conductori autem ueteres interdictum dederunt, si forte publice hoc conduxisset. nam uis ei prohibenda est, quo minus conditione sua fruatur. Si quem tamen ante ædes meas, uel ante prætorium meum piscari prohibeam: quid dicendum est? me iniuriarũ iudicio teneri, an non? & quidem mare commune omnium est, & litora, sicuti aër. & sæpissime rescriptũ est, non posse quem piscari prohiberi: sed nec aucupari, nisi quod ingredi quis agrum alienum prohiberi potest. usurpatum tamen & hoc est (tam & si nullo iure) ut quis prohiberi possit ante ædes meas uel prætoriũ meum piscari. quare si quis prohibeatur: adhuc etiam iniuriarũ agi potest. In lacu tamen, qui mei dominij est, utiq; piscari aliquem prohibere possum.

XIIII. PAVLVS.

Sanè

SAnè si maris propriũ ius ad aliquem pertineat: VTI POSSIDETIS interdictum ei competit, si prohibeatur ius suum exercere: quoniã ad priuatam iam causſam pertinet, nõ ad publicam hæc res: utputa cũ de iure fruendi agatur, quod ex priuata causſa contingat, non ex publica. ad priuatas eñ causſas accõmodata interdicta sunt, nõ ad publicas.

XV. VLPIANVS.

ITem apud Labeonem quæritur, si quis mẽtem alicuius medicamento alioũe quo alienauerit: an iniuriarum actio locum habeat? & ait iniuriarum aduersus eum agi posſe. Si quis pulsatus quidem nõ est, uerum manus aduersus eum leuatæ, & sæpe territus est quasi uapulatus, non tamen percussit: utili iniuriarum actione tenetur. Ait prætor. QVI ADVERSVS BONOS MORES CONVICIVM CVI FECISSE, CVIVS'VE OPERA QVID FACTVM ESSE DICETVR, QVO ADVERSVS BONOS MORES CONVICIVM FIERET: IN EVM IVDICIVM DABO.

Conuicium autem iniuriam esſe Labeo ait. conuicium dicitur uel à concitatione, uel à conuentu, hoc est à collatione uocum. cum enim in unum complures uoces conferuntur, conuicium appellatur, quasi conuocium. Sed quod adijcitur à prætore, ADVERSVS BONOS MORES: ostendit non omnem in unum collatam uociferationem prætorem notare: sed eam, quæ bonis moribus improbetur, quæq; ad infamiam, uel ad inuidiam alicuius spectet. Idem ait ADVERSVS BONOS MORES sic accipiendum: non eius, qui fecit, sed generaliter accipiendũ aduersus bonos mores huius ciuitatis. Conuicium non tantũ præsenti, uerum absenti quoq; fieri posſe, Labeo scribit. proinde si quis ad domum tuam uenerit te absente: conuicium factum esſe dicit. idem & si ad stationem, uel tabernam uentum sit, probari oportere Fecisſe conuicium non tantum is uidetur, qui uociferatus est: uerũ is quoq;, qui concitauit ad uociferationem alios, uel qui submisit, ut uociferentur. CVI non sine causſa adiectum est. nam si incertæ personæ conuicium fiat: nulla exsecutio est. Si curauerit quis conuicium alicui fieri, non tamen factũ sit: non tenebitur. Ex his apparet non omne maledictum conuicium esſe: sed illud solum, quod cum uociferatione dictum est: siue unus, siue plures dixerint, & quod in cœtu dictum est conuicium. quod aũt non in cœtu, nec cũ uociferatione dicitur: conuicium non proprie dicitur, sed infamandi causſa dictum est. Si quis astrologus, uel qui aliquam illicitam diuinationem pollicetur, consul tus aliquem furem dixisſet, qui non erat: iniuriarum cum eo agi nõ potest, sed constitutiones eum tenent. Iniuriarum actio, quæ ex conuicio nascitur, in hæredes non est reddenda: sed nec hæredi. Si quis uirgines appellasſet, si tamen ancillari ueste uestitas: minus peccare uideẽ. multo

multo minus si meretricia ueste fœminæ,nõ matrumfamiliarũ ueſtitæ fuiſſent. Si igitur non matronali habitu fœmina fuerit,& quis eam appellauerit,uel ei comitem abduxerit:iniuriarum non tenetur. Comitem accipere debemus eum,qui comitetur,& ſequatur:&(ut ait Labeo)ſiue liberum,ſiue ſeruum,ſiue maſculum,ſiue fœminam.& ita comitem Labeo definit:qui frequentandi cuiuſq; cauſſa,ut ſequeretur deſtinatus,in publico priuatoúe abductus fuerit.inter comites utiq; & pædadogi erunt. Abduxiſſe uidetur(ut Labeo ait)non qui abducere comitem cœperit,ſed qui perfecerit,ut comes cum ea non eſſet.abduxiſſe autem non tantum is uidetur,qui per uim abduxit: uerum is quoq;, qui perſuaſit comiti, ut eam deſereret. Tenetur hoc edicto non tantũ qui comitem abduxit,uerum etiam ſi quem eorum appellauit,adſectatusúe eſt. Appellare eſt blanda oratione alterius pudicitiam attentare. hoc enim nõ eſt conuicium facere,ſed aduerſus bonos mores attentare. Qui turpibus uerbis utitur,non tentat pudicitiam,ſed iniuriarum tenetur. Aliud eſt attentare,aliud adſectari.appellat eñ,qui ſermone pudicitiam attentat:adſectatur, qui tacitus frequenter ſequitur. aſſidua etenim frequentia quaſi præbet nonnullam infamiam. Meminiſſe autem oportebit,non omnem,qui adſectatus eſt:nec omnem, qui appellauit,hoc edicto conueniri poſſe. neq; enim ſi quis colludendi,ſi quis officij honeſte faciendi gratia id fecerit,ſtatim in edictum incidit:ſed qui contra bonos mores id fecit. Sponſum quoq; ad iniuriarũ actionem admittendum puto.etẽ ſpectat ad contumeliam eius iniuria, quæcunq; ſponſæ eius fiat. Ait prætor. NE QVID INFAMANDI EIVS CAVSSA FIAT. SI QVIS ADVERSVS EA FECERIT: PRO VT QVAEQVE RES ERIT, ANIMADVERTAM. Hoc edictum ſuperuacuum eſſe Labeo ait: quippe cũ ex generali cluſula agere poſſumus. ſed uidetur & ipſi Labeoni, & ita ſe habet: prætorem eandem cauſſam ſecutum, uoluiſſe & ſpecialiter de ea re loqui. ea enim, quæ notabiliter fiunt,niſi ſpecialiter notentur,uidentur quaſi neglecta. Generaliter uetuit prætor ad infamiam alicuius quid fieri. proinde quodcunq; quis fecerit,uel dixerit,ut aliquem infamaret:erit actio iniuriarũ.

Hæc autem ferè ſunt,quæ ad infamiam alicuius fiunt:utputa ſi ad inuidiam alicuius ueſte lugubri utatur,aut ſqualida:aut ſi barbam demittat,uel capillos ſubmittat:aut ſi carmen conſcribat, uel proponat, uel cantet aliquid,quod pudorem alicuius lædat. Quod ait prætor, SI QVIS ADVERSVS EA FECERIT: PROVT QVAEQVE RES ERIT, ANIMADVERTAM, ſic intelligendum eſt:ut plenior ſit prætoris animaduerſio: id eſt ut quidq; eum mouerit,uel in perſona eius, qui agit iniuriarum actione: uel eius, aduerſus quẽ agitur:uel etiam in re ipſa,

id est qualitate iniuriæ: non audiat eum, qui agit. Si quis libello dato uel principi, uel alij, famam alienam infectatus fuerit: iniuriarũ erit agendum, ut Pomponius ait. Idem ait: eum, qui euentũ sententiæ, uelut laturus pecuniam, uendiderit: fustibus à præside ob hoc castigatum iniuriarum damnatum uideri. utiq; autem apparet hunc iniuriam ei fecisse, cuius sententiam uenditauit. Si quis bona alicuius, uel rem unam per iniuriam occupauerit: iniuriarum actione tenetur. Item si quis pignus proscripserit, uenditurus, tanquam à me acceperit, infamandi mei caussa: Seruius ait iniuriarum agi posse. Si quis non debitorem quasi debitorem appellauerit iniuriæ faciendæ caussa: iniuriarum tenet. Prætor ait. QVI SERVVM ALIENVM ADVERSVS BONOS MORES VERBERAVISSE, DE VE EO INIVSSV DOMINI QVAESTIONEM HABVISSE DICETVR: IN EVM IVDICIVM DABO. ITEM SI QVID ALIVD FACTVM ESSE DICETVR: CAVSSA COGNITA IVDICIVM DABO. Si quis sic fecit iniuriam seruo, ut domino faceret: uideo dominum iniuriarũ agere posse suo nomine. si uero non ad fugillationem domini id fecit: ipsi seruo facta iniuria inulta à prætore relinqui nõ debuit: maxime si uerberibus uel quæstionib9 adfecerit. hoc enim & Seruium sentire, palam est. Si communem quis seruũ uerberauerit: utiq; hac actione non tenebitur, cum iure dominij id fecerit. nec si fructuarius id fecerit, dominus cum eo aget: uel si proprietarius fecerit, fructuarius eum cõueniet. Adijcitur, ADVERSVS BONOS MORES: ut nõ omnis omnino, qui uerberauit, sed qui aduersus bonos mores uerberauit, teneatur. cæterũ si quis corrigendi aĩo uerberauerit, aut emẽdandi: nõ tenet. Vnde quærit Labeo, si magistratus municipalis seruũ meũ loris ruperit: an possim cũ eo experiri, quasi aduersus bonos mores uerberauerit? & ait iudicem debere inquirere, quid facientem eum seruum uerberauerit. nam si honorem ornamentaq; petulanter attentantem ceciderit: absoluendum eum. VERBERASSE dicitur abusiue, & qui pugnis ceciderit. QVAESTIONEM intelligere debemus & tormenta, & corporis dolorem ad eruendam ueritatem. nuda ergo interrogatio, uel leuis territio non pertinet ad hoc edictũ. Quæstionis uerbo etiam ea, quam malam mansionem Græci dicunt, continebitur. Cum igitur per uim & tormenta habita quæstio est: tunc quæstio intelligitur. Sed & si iussu domini quis quæstionẽ hanc habeat, modum tamen excesserit: teneri eum debere Labeo ait. Prætor ait. SI QVID ALIVD FACTVM ESSE DICETVR: CAVSSA COGNITA IVDICIVM DABO. proinde si quidem uerberatus sit seruus, uel tormentis de eo quæstio habita: sine caussæ cognitione iudicium in eum competit. si uero aliam iniuriam passus sit: non aliter competit, quàm caussa cognita

cognita. Itaq; prætor non ex omni cauſſa iniuriarum iudiciũ ſerui nomine permittet. nam ſi leuiter percuſſus, uel leuiter ei maledictum ſit: nõ dabit actionem. at ſi infamatus ſit uel facto aliquo, uel carmine ſcripto: putõ cauſſæ cognitionem prætoris porrigendam & ad ſerui qualitatem. eteñ multum intereſt, qualis ſeruus ſit: bonæ frugi, ordinarius, diſpenſator, an uero uulgaris, uel mediaſtinus, an qualis qualis. & quid ſi compeditus, uel male notus, uel notæ extremæ? habebit igitur prætor rationem tam iniuriæ, quæ admiſſa dicitur: quàm perſonæ ſerui, in quem admiſſa dicitur: & ſic aut permittet, aut denegabit actionẽ. Interdum iniuria ſeruo facta ad dominum redundat: interdum nõ. nam ſi pro libero ſe gerentem, aut cum alterius potius, quàm meum exiſtimabat, quis ceciderit, non cæſurus eum, ſi meũ ſciſſet: non poſſe eum, quaſi iniuriam fecerit, ſic conueniri, Mela ſcribit. Si quis ſeruo uerberato iniuriarum egerit, deinde poſtea damni iniuriæ agat: Labeo ſcribit, eandem rem non eſſe: quia altera actio ad damnum pertinet culpa datum, altera ad contumeliam. Si uſumfructum in ſeruo habeam, tu proprietatem, iſq; uerberatus ſit quæſtione de eo habita: iniuriarum actio magis proprietario, quàm mihi competit. idemq; probatur etiã, ſi ſeruum meũ, quem bona fide poſſidebam, ceciderit. domino eñ magis competit iniuriarũ actio. Item ſi liberũ hominem, qui mihi bona fide ſeruiebat, quis ceciderit: diſtinguendum eſt, ut ſi in mei contumeliam pulſatus ſit, competat mihi iniuriarum actio. idem ergo & in ſeruo alieno bona fide mihi ſeruienti: ut toties admittamus iniuriarũ actionem, quoties in meã contumeliam iniuria ei facta ſit. nam & ipſius quidem ſerui nomine domino dabimus iniuriarũ actionem. Si autem me tangat & pulſet: iniuriarum mihi quoq; actio eſt. ergo & in fructuario idem diſtingui poteſt. Si ſeruũ compluriũ ceciderit: competere iniuriarum actionẽ omnibus, plusquàm manifeſtum eſt.

XVI. PAVLVS.

SEd non eſſe æquum, pro maiore parte, quàm pro qua dominus eſt, damnationem fieri, Pedius ait. & ideo officio iudicis portiones æſtimandæ ſunt.

XVII. VLPIANVS.

SEd ſi unius permiſſu id fecero: ſiquidem ſolius eius eſſe putaui: nulli competit iniuriarum actio. planè ſi ſciui eſſe plurium: ei quidem, qui permiſit, iniuriarum actio non competit: cæteris competit. Si iuſſu tutoris, aut procuratoris, uel curatoris quæſtio habita ſit: conſequens erit dicere, ceſſare iniuriarum actionem. Seruus meus opera uel querela tua flagellis cæſus eſt à magiſtratu noſtro. Mela putat, dandam mihi iniuriarum actionem aduerſus te, in quantum ob eam rem

æquum iudici uidebitur. & si seruus decesserit: dominũ eius agere posse Labeo ait: quia de damno, quod per iniuriam factũ est, agitur. & ita Trebatio placuit. Quædam iniuriæ à liberis hominibus factæ graues & nullius momenti uidentur. enimuero à seruis: graues sunt. crescit enim contumelia ex persona eius, qui contumeliam fecit. Cum seruus iniuriam fecit, maleficium eum admittere, palam est. igitur merito, si cuti ex cæteris delictis, ita & ex hoc iniuriarum noxalis actio datur. Sed in arbitrio domini est, an uelit eum uerberandum exhibere, ut ita satisfiat ei, qui iniuriam passus est. neq; enim erit necesse domino utiq; eum uerberandũ præstare: sed dabit̃ ei facultas præstandi seruum uerberandũ: aut si de eo uerberibus satis non fiat, noxæ dedendi, uel litis æstimationẽ sufferẽdi. Prætor ait, ARBITRATV IVDICIS VTIQVE QVASI VIRI BONI VTILEM MODVM VERBERVM IMPONET. Si cum ante iudicẽ dominus uerberandum seruum exhibuerit, ut satis uerberibus de eo fieret, & erit factũ arbitratu alicuius: postea actor agere iniuriarũ perseuerans, non est audiendus. qui em̃ accepit satisfactionẽ, iniuriam suam remisit. nam & si nuda uoluntate iniuriam remisit: indubitate dicendum est, exstingui iniuriarum actionem non minus, quàm si tempore abolita fuerit iniuria. Si iussu domini seruus iniuriam fecerit: utiq; dominus cõueniri poterit, etiam suo nomine. sed si proponatur seruus manumissus: placet Labeoni in eum dandũ actionem: quia & noxa caput sequitur, nec in omnia seruus domino parére debet. cæterum & si occidisset iussu domini, Cornelia eum eximeremus. Planè si defendendi domini gratia aliquid fecerit: rationem ei cõstare apparet, inq; eam rem aduersus agentem exceptio obijcienda erit. Si seruus, in quo ususfructus meus est, iniuriam mihi fecerit: aduersus dominum noxali iudicio experiri potero: neq; debeo deterioris cõditionis ob hoc esse, quod usumfructum in eo habeo, quàm si non haberem. aliter atq; si seruus communis esset. tunc enim non daremus socio actionem ea propter, quia & ipse iniuriarum actione tenetur. Ait prætor. SI EI, QVI IN ALTERIVS POTESTATE ERIT, INIVRIA FACTA ESSE DICETVR: ET NEQVE IS, CVIVS IN POTESTATE EST, PRAESENS ERIT, NEQVE PROCVRATOR QVISQVAM EXISTET, QVI EO NOMINE AGAT: CAVSSA COGNITA IPSI, QVI INIVRIAM ACCEPISSE DICETVR, IVDICIVM DABO. Filiofamilias iniuriam passo: si præsens sit pater, agere tamen nõ possit propter furorem, uel quem alium casum dementiæ: puto competere iniuriarum actionem. nam & hic pater eius absentis loco est. Planè si præsens agere nolit, aut quia differt, uel quia remittit, atq; donat iniuriam: magis est, ut filio actio non detur. nam & cum abest, idcirco datur actio filio, quia uerisimile est patrem, si præsens

sens fuisset, acturum fuisse. Interdum tamen putamus, & si pater remittat, iniuriarum actionem filio dandam. utputa si patris persona uilis & abiecta sit, filij honesta. neq; enim debet pater uilissimus filij sui cõtumeliam ad suam utilitatem metiri. ponamus eum esse patrem, cui iure meritoq; curator à prætore constitueretur. Sed & si pater litecontestata cœperit abesse, uel etiam negligere exsecutionem pater uilis: dicendum est, caussa cognita trãslationem filio competere. idem est, & si emancipatus filius esse proponatur. Procuratorem patris prætulit prætor ipsis personis, quæ iniuriam passæ sunt. si tamen procurator aut negligat, aut colludat, aut non sufficiat aduersus personas, quæ iniuriam fecerunt: ipsi potius, qui passus est iniuriam, actio iniuriarum competit. Procuratorem autem accipere debemus, non utiq; eum, cui specialiter data est procuratio actionis iniuriarum: uerum sufficit esse eum, cui omniũ rerum administratio mandata est. Quod autem ait prætor, CAVSSA COGNITA, ita accipiendum est, ut in cognitione caussæ hoc uersetur: quàm longe pater absit, & quando superuenturus sit: & nunquid is, qui uult iniuriarum actionem mouere, segnior, uel inutilis admodũ sit, qui non sufficiat ad rei alicuius administrationem, ac per hoc nec ad actionem. Quod deinde ait, QVI INIVRIAM ACCEPISSE DICETVR: interdum ita accipiendum est, ut patri eius cõpetat actio. utputa nepoti facta est iniuria. pater præsens est. auus abest. scribit Iulianus, patri potius dandam iniuriarum actionem, quàm ipsi nepoti: ad cuius (inquit) officium pertinet, etiam uiuente auo filiũ suum in omnibus tueri. Idem Iulianus scribit: filium non tantum ipsum agere debere, uerũ etiã ꝓcuratorẽ dare posse. alioquin (inquit) nisi ei permiserimus procuratorem dare posse: futurum est, ut si ualetudine impediatur, neq; sit, qui iniuriarum actionem exsequatur, impediatur actio. Idem ait: & si nepoti facta sit iniuria, & nemo sit, qui aui nomine agat: permittendum esse patri experiri, & is procuratorem dabit. omnibus enim, qui suo nomine actionem habent, procuratoris dandi esse potestatem. intelligi autem filium (inquit) familias suo nomine agere, cum patre cessante, prætor ei agere permittit. Si filiusfamilias iniuriarum egerit: patri actio non competit. Idem ait: filiofamilias iniuriarum nomine actionem dari, quoties nemo est, qui patris nomine experiatur: & hoc casu quasi patremfamilias constituit. quare siue emancipatus, siue ex parte hæres scriptus fuerit, uel etiam exhæredatus, siue paterna hæreditate abstinuerit: exsecutionem litis ei dandam. esse enim perabsurdum, quem prætor manente patria potestate ad actionem admittendũ putauerit, ei patrifamilias facto ultionem iniuriarũ suarum eripi, & transferri ad patrem, qui eum (quan-

tum in ipso est) omiserit: aut (quod est indignius) ad hæredes patris, ad quos non pertinere iniuriam filiofamilias factam proculdubio est.

XVIII. PAVLVS.

EVm, qui nocentem infamauit, non esse bonum & æquum ob eam rem condemnari. peccata enim nocentiũ nota esse & oportere, & expedire. Si seruus seruo fecerit iniuriam: perinde agendũ est, quasi si domino fecisset. Si nupta filiafamiliæ iniuriam acceperit: & uir, & pater iniuriarũ agent. Pomponius recte putat: tanti patri cõdemnandum esse reũ, quanti cõdemnaretur, si ea uidua esset: uiro tanti, quanti cõdemnaret, si ea in nullius potestate esset: quod sua cuiusq; iniuria, propriam æstimationẽ habeat. & ideo si nupta in nullius potestate sit: non ideo minus eam iniuriarum agere posse, quod & uir suo nomine agat.

Si iniuria mihi fiat ab eo, cui sim ignotus: aut si quis putat mẽ Lucũ Titium esse, cum sim Caius Seius: præualet, quod principale est, iniuriam eũ mihi facere uelle. nã certus sum ego: licet ille putet me alium esse, quàm sim. & ideo iniuriarũ habeo actionẽ. At cum aliquis filium familias patremfamilias putat: non potest uideri iniuriam patri facere: non magis, quàm uiro, si mulierẽ uiduam esse credat: quia neq; in personam eorum confertur iniuria, nec transferri personæ putatio ex persona filiorũ ad eas potest: cum adfectus iniuriam facientis in hunc, tanquam in patremfamilias, consistat. Quod si sciisset filiumfamilias esse: tametsi nesciisset, cuius filius esset: dicerem (inquam) patrem suo nomine iniuriarum agere posse: nec minus uirum, si ille nuptam esse sciret. nam qui hæc non ignorat: cuicunq; patri, cuicunq; marito, per filium, per uxorem uult facere iniuriam.

XIX. IDEM.

SI creditor meus, cui paratus sum soluere, per iniuriam meam fideiussores meos interpellauerit: iniuriarum tenetur.

XX. IDEM.

SI iniuriæ faciendæ gratia Seia domum absentis debitoris signasset sine authoritate eius, qui concedendi ius potestatemúe habuit: iniuriarum actionem intendi posse respondit.

XXI. IABOLENVS.

INiuriarũ æstimatio non ad id tempus, quo iudicatur, sed ad id, quo facta est, referri debet.

XXII. VLPIANVS.

SI liber pro fugitiuo adpræhensus erit: iniuriarũ cum eo agit.

XXIII. PAVLVS.

SI quis domum alienam inuito domino introijt, quamuis in ius uocati: actionem iniuriarum in eum competere, Ofilius ait.

Vlpianus

XXIIII. VLPIANVS.

SI quis proprium seruum distrahere prohibeatur à quolibet: iniuriarum experiri potest.

XXV. IDEM.

SI stuprum serua passa sit: iniuriarũ actio dabitur. at si cælauit mancipium, uel quid aliud furandi animo fecit: etiam furti. uel si uirginem immaturã stuprauerit: etiã legis Aquiliæ actionẽ cõpetere putãt.

XXVI. PAVLVS.

SI quis seruum meum uel filium meum ludibrio habeat, licet consentientẽ: tamen ego iniuriam iam uideor accipere: ueluti si in pompam duxerit illum, si alea luserit. sed hoc utrunq; tunc locum habere potest, quoties ille, qui suadet, animũ iniuriæ faciendæ habet. atquin potest malum consilium dare, uel qui dominũ ignoret. & ideo incipit serui corrupti actio necessaria esse.

XXVII. IDEM.

SI statua patris tui in monumẽto posita saxis cæsa est: sepulchri uiolati agi non posse, iniuriarum posse, Labeo ait.

XXVIII. VLPIANVS.

INiuriarum actio in bonis nostris non computatur, antequàm litem contestetur.

XXIX. PAVLVS.

SI seruum, cuius nomine iniuriarum actio tibi competit, manumiseris, aut alienaueris: supereſt tibi iniuriarum actio.

XXX. PAVLVS.

SEruo autem manumisso non competere actionem ob iniuriam, quam in seruitute passus est, quis dubitet? Filio si iniuria facta sit: cum utriq; tam filio, quàm patri adquisita actio sit: non eadem utriq; facienda æstimatio est.

XXXI. PAVLVS.

CVm possit propter filij dignitatem maior ipsi, quàm patri iniuria facta esse.

XXXII. VLPIANVS.

NEc magistratibus licet aliquid iniurioſe facere. si quid igitur per iniuriam fecerit magistratus, uel quasi priuatus, uel fiducia magistratus: iniuriarũ potest cõueniri. sed utrum deposito magistratu: an uero & quãdiu est in magistratu? sed uerius est: si is magistratus est, qui sine fraude in ius uocari nõ potest: exspectandũ esse, quo ad magistratu abeat. quod si ex minoribus magistratibus erit, id est qui sine imperio, aut sine potestate sunt magistratus: & in ipso magistratu posse eos conueniri.

Paulus

XXXIII. PAVLVS

QVod reipublicæ uenerandæ cauſſa ſecundũ bonos mores fit: etiã ſi ad contumeliã alicuius pertinet: quia tamen non ea mente magiſtratus facit, ut iniuriam faciat, ſed ad uindictã magiſtratus publice reſpiciat: actione iniuriarum non tenetur.

XXXIIII. CAIVS.

SI plures ſerui aliquem ſimul ceciderint, aut conuicium alicui fecerint: ſingulorum proprium eſt maleficium: & tanto maior iniuria, quanto à pluribus admiſſa eſt. imò etiam tot iniuriæ ſunt, quot & perſonæ iniuriam facientium.

XXXV. VLPIANVS.

SI quis iniuriam atrocem fecerit, qui contemnere iniuriarum iudicium poſſit ob infamiam ſuam, & egeſtatem: prætor atrociter exſequi hanc rem debet, & eos, qui iniuriam fecerunt, coërcere.

XXXVI. IVLIANVS.

SI filij nomine cum patre iniuriarum agere uelim, & is procuratorem det: non intelligitur filius defendi, niſi iudicatum ſolui ſatiſdetur. & ideo actio aduerſus filium, tanquam à patre non defendatur, danda erit.

XXXVII. MARTIANVS.

CONſtitutionibus principalibus cauetur: ea, quæ infamandi alterius cauſſa in monumẽta publica poſita ſunt, tolli de medio. Etiã ex lege Cornelia iniuriarum actio ciuiliter moueri poteſt: condemnatione æſtimatione iudicis facienda.

XXXVIII. SCAEVOLA.

SEnatuſconſulto cauetur, ne quis imaginem Imperatoris in inuidiam alterius portet: & qui cõtra fecerit, in uincula publica mittatur.

XXXIX. VENVLEIVS.

VEſtem ſordidam rei nomine in publico habere, capillumue ſubmittere nulli licet: niſi ita coniunctus ſit adfinitate, ut inuitus in reum teſtimonium dicere cogi non poſſit.

XL. MARTIANVS.

DIuus Seuerus Dionyſio Diogeni ita reſcripſit. atrocis iniuriæ damnatus in ordine decurionum eſſe non poteſt: nec prodeſſe tibi debet error præſidũ, aut eius, qui de te aliquid pronũciauerit: aut eorũ, qui contra formã iuris manſiſſe te in ordine decurionum putauerint.

XLI. NERATIVS.

PAter, cuius filio facta eſt iniuria, non eſt impediendus, quo minus duobus iudicijs & ſuam iniuriam proſequatur & filij.

XLII. PAVLVS. Iudici

IVdici ab appellatoribus conuicium fieri nõn oportet. alioquin infamia notantur.

XLIII. CAIVS.

QVi iniuriarum actionem per calumniam instituit:extra ordinem damnatur,ut exsilium,aut relegationem,aut ordinis amotionem patiatur.

XLIIII. IABOLENVS.

SI inferiorum ædium dominus superioris uicini fumigandi caussa fumum faceret: aut si superior uicinus in inferiores ædes quid aut proiecerit,aut infuderit:negat Labeo iniuriarũ agi posse.quod falsum puto:si tamen iniuriæ faciendæ caussa immittitur.

XLV. HERMOGENIANVS.

DE iniuria nunc extra ordinem ex caussa & persona statui solet.Et serui quidem flagellis cæsi dominis restituuntur:liberi uero, humilioris quidem loci,fustibus subijciũtur: cæteri autẽ uel exsilio temporali,uel interdictione rei certæ coërcentur.

DE EXTRAORDINARIIS CRIminibus. Tit. XI.

I. PAVLVS.

SOllicitatores alienarum nuptiarum,itemq; matrimoniorum interpellatores,& si effectu sceleris potiri non possunt:propter uoluntatem pernicioſæ libidinis extra ordinem puniuntur. Fit iniuria contra bonos mores, ueluti si quis fimo corrupto aliquem perfuderit:cœno,luto oblinierit:aquas spurcauerit:fistulas,lacus,quidúe aliud ad iniuriã publicã contaminauerit.in quos grauiter animaduerti solet. Qui puero stuprum,abducto ab eo uel corrupto comite, persuaserit:aut mulierem puellamúe interpellauerit,quidúe impudicitiæ gratia fecerit, domum præbuerit,preciumúe,quo is persuadeat, dederit: perfecto flagitio,punitur capite: imperfecto, in insulam deportatur:corrupti comites summo supplicio adficiuntur.

II. VLPIANVS.

SVb prætextu religionis,uel sub specie soluendi uoti cœtus illicitos nec à ueteranis tentari oportet.

III. IDEM

STellionatus,uel expilatæ hæreditatis iudicia accusationem quidẽ habent,sed non sunt publica.

IIII. MARTIANVS.

DIuus Seuerus & Antoninus reſcripſerunt:eam, quæ data opera partum abegiſſet,à præſide in temporale exſilium dandam. indignũ enim uideri, impune eam maritum liberis fraudaſſe.

V. VLPIANVS.

IN eum,cuius inſtinctu ad infamandum dominum ſeruus ad ſtatuã confugiſſe compertus erit,præter corrupti ſerui actionẽ, quæ ex edicto perpetuo competit,ſeuere animaduertetur.

VI. IDEM.

ANnonã attentare & uexare uel maxime dardanarij ſolent. quorum auariciæ obuiam itum eſt,tam mandatis,quàm conſtitutionibus. Mandatis deniq; ita cauetũ.præterea debebis cuſtodire, ne dardanarij ullius mercis ſint:ne aut ab his,qui coëmptas mercès ſupprimunt:aut à locupletioribus,qui fructus ſuos æquis precijs uendere nolunt,dũ minus uberes prouentus exſpectãt:annona oneretur. pœna autem in hos uaria ſtatuitur. nam plerunq;,ſi negociantes ſunt, negociatione tantum eis interdicitur, interdum & relegari ſolent: humiliores ad opus publicum dari. Onerant annonam etiam ſtateræ adulterinæ,de quibus diuus Traianus edictum propoſuit:quo edicto pœnam legis Corneliæ in eos ſtatuit,perinde ac ſi lege teſtamentaria,quod teſtamentum falſum ſcripſiſſet,ſignaſſet,recitaſſet,damnatus eſſet. ſed & diuus Hadrianus eum,qui falſas menſuras habuerat, in inſulã relegauit.

VII. IDEM.

SAccularij,qui uetitas in ſacculis artes exercentes partem ſubducũt, partem ſubtrahũt:item qui directarij appellantur, hoc eſt hi, qui in aliena cœnacula ſe dirigunt furandi animo: plus,quàm fures puniendi ſunt. idcirco aut ad tempus in opus dantur publicum, aut fuſtibus caſtigantur & dimittuntur,aut ad tempus relegantur. Sunt præterea criminа,quæ ad exſecutionẽ præſidis pertinent. utputa ſi quis inſtrumenta ſua prodita eſſe dicat. nam huius rei exſecutio præfecto urbi à diuis fratribus data eſt. Sunt quædã,quæ more prouinciarũ coërcitionem ſolent admittere:utputa in prouincia Arabia σκοπελισμὸν crimen appellant,cuius rei admiſſum tale eſt. Plerique inimicorum ſolent in prædium inimici σκοπελίζειν,id eſt lapides ponere,indicio futuros,quod ſi quis eum agrum coluiſſet,malo læto periturus eſſet inſidijs eorũ, qui σκοπέλους poſuiſſent.quæ res tantum terrorem habet, ut nemo ad eũ agrum accedere audeat,crudelitatem timens eorum,qui σκοπελισμὸν fecerunt. hanc rem præſides exſequi ſolent grauiter uſq; ad pœnam capitis:quia & ipſa res mortem comminatur. In Aegypto qui chomata rumpit uel diſſoluit (hi ſunt aggeres,qui quidem ſolent aquam Niloticam continere)æque plectitur extra ordinem. ſed pro conditione

ſua

sua & pro admissi mensura quidam opere publico, aut metallo plectuntur. Sed & metallo quidem secundum suam dignitatem, si quis arborem sycaminon exciderit. nam & hæc res uindicat extra ordinem non leui pœna: idcirco, quod hæ arbores colligunt aggeres Niloticos, per quos increméta Nili dispensantur, & deminutiones æque coërcentur. chomata etiam & diacopi, qui in aggeribus fiunt, plecti efficiunt eos, qui id admiserint.

VIII. PAVLVS.

IN circulatores, qui serpentes circũferunt & proponũt, si cui ob eorũ metum damnum datum est, pro modo admissi actio dabitur.

DE *SEPVLCHRO VIOLATO. Tit. XII.

al's *sepulchri uiolatu.

I. VLPIANVS.

SEpulchri uiolati actio infamiam irrogat.

II. IDEM.

SI sepulchrum quis diruit: cessat Aquilia: QVOD VI tamen AVT CLAM agendum erit. & ita de statua de monuméto euulsa Celsus scribit. idem quærit, si neq; ad plumbata fuerit, neq; adfixa: an pars monuméti effecta sit, an uero maneat in bonis nostris? & Celsus scribit, sic esse monumenti, ut ossaria. & ideo QVOD VI AVT CLAM interdicto locum fore.

III. VLPIANVS.

PRætor ait. CVIVS DOLO MALO SEPVLCHRVM VIOLATVM ESSE DICETVR: IN EVM IN FACTVM IVDICIVM DABO: VT EI, AD QVEM PERTINEAT, QVANTI OB EAM REM AEQVVM VIDEBITVR, CONDEMNETVR. SI NEMO ERIT, AD QVEM PERTINEAT, SIVE AGERE NOLET: QVICVNQVE AGERE VOLET, EI CENTVM AVREORVM ACTIONEM DABO. SI PLVRES AGERE VOLENT: CVIVS IVSTISSIMA CAVSSA ESSE VIDEBITVR, EI AGENDI POTESTATEM FACIAM. SI QVIS IN SEPVLCHRO VIOLATO DOLO MALO INHABITAVERIT, AEDIFICIVM'VE ALIVD, QVA'M QVOD SEPVLCHRI CAVSSA FACTVM SIT, HABVERIT: IN EVM, SI ALIQVIS EO NOMINE AGERE VOLET, DVCENTORVM AVREORVM IVDICIVM DABO. Prima uerba ostendũt eum demũ ex hoc plecti, qui dolo malo uiolauit. si igitur dolus absit: cessabit in eiusdẽ persona pœna. Personæ igitur doli non capaces, ut impuberes, & omnes, qui non animo uiolandi accedunt: excusati sunt. Sepulchri autem apppellatione omnem sepulturæ locum contineri, existimandum est.

Si quis in hæreditarium sepulchrum inferat: quamuis hæres, tamẽ

poteſt ſepulchri uiolati teneri,ſi forte contra uoluntatem teſtatoris in tulit.licet enim cauere teſtatori,ne quis eò inferatur,ut reſcripto impe ratoris Antonini cauetur. ſeruari enim uoluntatem eius oportere. ergo & ſi cauit,ut unus tantum hæredum inferat:ſeruabitur, ut ſolus inferat. Non perpetuæ ſepulturæ tradita corpora poſſe transferri,edicto diui Seueri cõtinetur:quo mandatur,ne corpora detinerentur, aut uexarentur,aut prohiberentur per territoria oppidorũ transferri. Diuus tamen Marcus reſcripſit nullam pœnam meruiſſe eos,qui corpus defuncti in itinere per uicos aut oppidum tranſuexerũt: quamuis talia fieri ſine permiſſu eorũ,quibus permittendi ius eſt,non debeant. Diuus Hadrianus reſcripto pœnam ſtatuit quadraginta aureorum in eos, qui in ciuitate ſepeliunt,quam fiſco inferri iuſſit: & in magiſtratus eandem ſtatuit,qui paſſi ſunt,& locum publicari iuſſit,& corpus transferri. Quid tamen ſi lex municipalis permittit in ciuitate ſepeliri? poſt reſcripta principalia an ab hoc diſceſſum ſit,uidebimus:quia generalia ſunt reſcripta.& oportet imperialia ſtatuta ſuã uim obtinere,& in omni loco ualere. Si quis in ſepulchro habitaſſet, ædificiumũe habuiſſet:ei, qui uelit,agendi poteſtas eſt. Aduerſus eos, qui cadauera ſpoliant, præſides ſeuerius interuenire debent:maxime ſi manu armata aggrediantur.ut ſi armati more latronum id egerint: etiam capite plectantũ, ut diuus Seuerus reſcripſit.ſi ſine armis:uſq; ad pœnam metalli procedatur. Qui de ſepulchri uiolati actione iudicant,æſtimabunt quatẽnus interſit,ſcilicet ex iniuria,quæ facta eſt:item ex lucro eius, qui uiolauit:uel ex damno,quod cõtigit:uel ex temeritate eius,qui fecit. nunquam tamen minoris debent condemnare his,quorum intereſt,quàm ſolent extraneo agente. Si ad plures ius ſepulchri pertineat:utrum omnibus damus actionem:an ei,qui occupauit? Labeo omnibus dandam dicit,recte:quia in id,quod cuiuſq; intereſt,agitur. Si is,cuius intereſt,ſepulchri uiolati agere nolet:poteſt pœnitentia acta ante, quàm lis ab alio cõteſtetur,dicere ſe uelle agere,& audietur. Si ſeruus in ſepulchro habitat,uel ædificauit: noxalis actio ceſſat, & in eũ prætor hãc actionem pollicetur.ſi tamen non habitet,ſed domũculam habeat ibi ſeruus:noxale iudicium erit dandum: ſi modo habere poſſe uidetur.

Hæc actio popularis eſt.

IIII. CAIVS.

SEpulchra hoſtium religioſa nobis nõ ſunt.ideoq; lapides inde ſublatos in quemlibet uſum conuertere poſſumus:nec ſepulchri uiolati actio competit.

V. POMPONIVS.

VTimur eo iure, ut dominis fundorum,in quibus ſepulchra fecerint,etiã

tint,etiã pòſt uenditos fundos adeundorum ſepulchrorum ſit ius. legi bus nanq; prædiorum uendendorum cauetur: ut ad ſepulchra,quæ in fundis ſunt,iter ei,aditus,ambitus funeris faciendi cauſſa ſint.

VI. MARTIANVS.

SEpulchri uiolati actio in primis datur ei, ad quem res pertinet. quo ceſſãte,ſi alius egerit(quamuis reipublicæ cauſſa abfuerit dominus)nõ debebit ex integro aduerſus eum, qui litis æſtimationẽ ſuſtulerit,dari. nec poteſt uideri deterior fieri cõditio eius,qui reipublicæ cauſſa abfuit:cum hæc actio non ad rem familiarem eius, ſed magis ad ultionem pertineat.

VII. IDEM.

SEpulchri deteriorem conditionem fieri prohibitũ eſt. ſed corruptũ & lapſum monumentum,corporibus non contactis, licet reficere.

VIII. MARCELLVS.

SEpulchri uiolati crimen poteſt dici ad legem Iuliam de ui publica pertinere ex illa parte,qua de eo cauetur, qui fecerit quid,quo minus quis funeretur,ſepeliaturúe:quia & qui ſepulchrũ uiolat,facit,quo minus quis ſepultus ſit.

IX. IDEM.

DE ſepulchro uiolato actio quoq; pecuniaria datur.

X. PAPINIANVS.

QVæſitum eſt,an ad hæredem neceſſarium, cum ſe bonis immiſcuiſſet,actio ſepulchri uiolati pertineret? dixi, recte eũ ea actione experiri,quæ in bonum & æquum concepta eſt. nec tamen ſi egerit,hæreditarios creditores timebit: cum & ſi per hæreditatem obtingat hæc actio,nihil tamen ex defuncti capiatur uoluntate:neq; id capiatur,quod in rei perſecutionem,ſed in ſola uindicta ſit conſtitutum.

XI. PAVLVS.

REi ſepulchrorum uiolatorum ſi corpora ipſa extraxerint, uel oſſa eruërint: humilioris quidem fortunæ ſummo ſupplicio adficiuntur: honeſtiores, in inſulam deportantur, aliàs aut relegantur, aut in metallum damnantur.

DE CONCVSSIONE. Tit. XIII.

I. VLPIANVS.

SI ſimulato præſidis iuſſu concuſſio interuenit:ablatum eiuſmodi terrore reſtitui præſes prouinciæ iubet, & delictum coërcet.

II. MACER.

CONcussionis iudicium publicum non est. sed si ideo pecuniã accepit quis, quod crimen minatus sit: potest publicum iudicium esse ex senatusconsultis: quibus pœna legis Corneliæ teneri iubentur, qui in accusationẽ innocentiũ coierint, quiũe ob accusandum uel non accusandum, denunciandum uel non denunciandum testimoniũ pecuniam acceperint.

DE ABIGEIS. Tit. XIIII.

I. VLPIANVS.

DE abigeis puniẽdis ita diuus Hadrianus *, pconsuli Beticæ rescripsit. abigei cum durissime puniuntur, ad gladium damnari solent. puniuntur autem durissime, non ubiq;, sed ubicunq; frequentius est id genus maleficij. alioqui in opus nonnunquam temporariũ dantur. Abigei autem proprie hi habentur, qui pecora ex pascuis, uel ex armentis subtrahunt, & quodãmodo deprædantur: & abigendi studiũ quasi artem exercent, equos de armentis, uel oues de gregibus abducentes. cæterũ si quis *bouem aberrantẽ, uel equos in solitudine relictos abduxerit: non est abigeus, sed potius fur. Sed & qui porcum, uel capram, uel uerueceм abduxit: non tam grauiter, quàm qui maiora animalia abigunt, plecti debet. Quanquam autem Hadrianus metalli pœnam, item operis, uel etiam gladij præstituerit: attamẽ qui honestiore loco nati sunt, non debent ad hanc pœnam pertinere: sed aut relegandi erunt, aut sunt ordine mouendi. sanè qui cum gladio abegerint: non inique bestijs obijciuntur. Qui pecora, de quorũ proprietate faciebat cõtrouersiam, abegit: ut Saturninus quidem scribit, ad examinationẽ ciuilem remittendus est. sed hoc ita demum probandum est, si non color abigeatui quæsitus est, sed uere putauit sua iustis rationibus ductus.

*als. consilio.

*als *ouẽ.

II. MACER.

ABigeatus crimen publici iudicij non est, quia furtum magis est: sed quia plerunq; abigei & ferro utuntur, si deprehendant: ideo grauiter puniri eorum admissum solet.

III. CALLISRATVS.

OVes pro numero abactorũ, aut abigeum, aut furem faciunt. quidam decem oues gregem esse putauerunt. porcos etiam quinq; uel quatuor abactos: equum, bouem uel unum abigeatus crimen facere. eumq; plenius coërcendum, qui à stabulo abegerit domitũ pecus, non à sylua, nec grege. Qui sæpius abegerunt, licet semper unum, uel alterum pecus subripuerint: tamen abigei sunt. Receptores abigeorum

georum qua pœna plecti debeant, epistola diui Traiani ita cauetur, ut extra terram Italiam decem annis relegentur.

DE PRAEVARICATORIBVS Tit. XV.

I. VLPIANVS.

PRæuaricator est quasi uaricator, qui diuersam partem adiuuat prodita caussa sua. quod nomen Labeo à uaria certatione tractum ait. nam qui præuaricatur, ex utraq; parte cõstitit, quinimò ex altera. is autem præuaricator proprie dicitur, qui publico iudicio accusauerit. cæterũ aduocatus non proprie præuaricator dicitur. quid ergo de eo fiet, siue priuato iudicio, siue publico præuaricatus est? hic extra ordinem solet puniri.

II. VLPIANVS.

SCiendum est, quod hodie ijs, qui præuaricati sunt, pœna iniungitur extraordinaria.

III. MACER.

PRæuaricationis iudiciũ aliud publicum, aliud moribus inductum est. nam si reus accusatori publico iudicio ideo præscribat, quod dicat se eodem crimine ab alio accusatũ, & absolutum: cauetur lege Iulia publicorũ, ut non prius accusetur, quàm de propria accusatoris præuaricatione constiterit, & pronunciatũ fuerit. huius ergo præuaricationis pronunciatio publici iudicij intelligitur. Quod si aduocato præuaricationis crimen intendatur: publicum iudicium non est. nec interest, publico, an priuato iudicio præuaricatus dicatur. Si ideo quis accusetur, quod dicatur crimen iudicij publici destituisse: iudicium publicum non est: quia neq; lege aliqua de hac re cautum est: neq; per senatusconsultum, quo pœna quinq; librarum auri in desistentem statuitur, publica accusatio inducta est.

IIII. IDEM.

SI is, de cuius calumnia agi prohibetur, præuaricator in caussa iudicij publici pronunciatus sit: infamis erit.

V. VENVLEIVS.

ACcusator de præuaricatione conuictus, postea ex lege non accusat.

VI. PAVLVS.

AB imperatore nostro & patre eius rescriptum est, ut in criminibus, quæ extra ordinem obijciuntur, præuaricatores eadem pœna adficiantur, qua tenerentur, si ipsi in legem commisissent, qua reus per præuaricationem absolutus est.

Vlpia

VII. VLPIANVS.

IN omnibus cauſſis,præterquàm in ſanguine,qui delatorem corrupit,ex ſenatuſconſulto pro uicto habetur.

DE RECEPTORIBVS. Tit. XVI.

I. MARTIANVS.

PEſſimum genus eſt receptorum, ſine quibus latére nemo diu poteſt:& præcipitur,ut perinde puniantur,atq; latrones. In pari cauſſa habendi ſunt, qui cum adpræhendere latrones poſſent,pecunia accepta uel ſub reptorum parte,dimiſerunt.

II. PAVLVS.

EOs,apud quos adfinis,uel cognatus latro conſeruatus eſt:neq; abſoluendos,neq; ſeuere admodum puniendos.nõ enim par eorum eſt delictum,& eorum,qui nihil ad ſe pertinentes latrones recipiunt.

DE FVRIBVS BALNEARIIS. Tit. XVII.

I VLPIANVS.

FVres nocturni extra ordinem audiendi ſunt,& cauſſa cognita ſunt puniendi: dummodo ſciamus, in pœna eorum operis publici temporarij modum nõ egrediendũ. idem eſt & in balnearijs furibus. ſed ſi telo ſe fures defendunt, uel effractores,uel cæteri his ſimiles, nec quenquã percuſſerũt:metalli pœna,uel honeſtiores relegationis adficiendi ſunt.

II. MARTIANVS.

SEd ſi interdiu furtum faciunt, ad ius ordinarium remittendi ſunt.

III. PAVLVS.

MIles, qui in furto balneario depræhenſus eſt, ignominia mitti debet.

DE EFFRACTORIBVS ET EXPILAtoribus. Tit. XVIII.

II. VLPIANVS.

DE his,qui carcere effracto euaſerunt,ſumendum ſupplicium, diui fratres Aemilio Tironi reſcripſerunt., Saturninus etiam probat hos,qui de carcere eruperũt:ſiue effractis foribus,ſiue cõſpiratione cum cæteris, qui in eadem cuſtodia

custodia erant: capite puniendos. quod si per neglegentiam custodum euaserint: lenius puniendos. Expilatores, qui sunt atrociores fures, hoc est λωποδύται, in opus publicum, uel perpetuum, uel temporariũ dari solent: honestiores autem ordine ad tempus moueri, uel patriæ fines iuberi excedere. quibus quia nulla specialis pœna rescriptis principalibus imposita est: idcirco causſa cognita liberum erit arbitrium statuendi ei, qui cognoscit. simili modo & sacculariſ, & directariſ erunt puniendi, item & effractores. sed enim diuus Marcus effractorem equitẽ Romanum, qui effracto perforatoq; pariete pecuniam abstulerat, quinquennio abstinere iussit prouincia Africa, unde erat, & urbe, & Italia. Oportebit autẽ æque & in effractores, & in cæteros suprascriptos causſa cognita statui, prout admissum suggerit: dummodo ne quis in plebeio operis publici pœnam, uel in honestiore relegationis excedat.

II. PAVLVS.

In effractores uarie animaduertitur. atrociores enim sunt nocturni effractores. & ideo hi fustibus cæsi in metallum damnari solent. diurni uero effractores, post fustium castigationem, in opus perpetuum, uel temporarium dandi sunt.

EXPILATAE HAEREDITATIS. Tit. XIX.

I. MARTIANVS.

Si quis alienam hæreditatem expilauerit: extraordinarie solet coërceri per accusationem expilatæ hæreditatis, sicut in oratione diui Marci cauetur.

II. VLPIANVS.

Si expilatæ hæreditatis crimen intẽdatur: præses prouinciæ cognitionem suam accommodare debet. cum enim furti agi non potest, solum supereſt auxilium præsidis. Apparet autem expilatæ hæreditatis crimen eo casu intendi posse, quo casu furti agi nõ potest: scilicet ante aditam hæreditatem, uel post aditam, scilicet anteq; res ab hærede possessæ sunt. nam in hoc casu furti actionem non competere palam est: quamuis ad exhibendum *agi possit, si qui uindicatus exhiberi desideret, palam sit. *als. agere posse eũ, qui.

III. MARTIANVS.

Diuus Seuerus & Antoninus rescripserunt: electionẽ esse, utrum quis uelit crimen expilatæ hæreditatis extra ordinem apud præfectum urbi, uel apud præsides agere: an hæreditatem â possessoribus iure ordinario uindicare.

IIII. PAVLVS.

REs hæreditarias omniũ hæredũ fuiſſe cõmunes. & ideo eũ, qui expilatæ hæreditatis crimen obiecit, & obtinuit, etiã cohæredi pfuiſſe uideri. V. HERMOGENIANVS.

VXor expilatæ hæreditatis crimine idcirco non accuſatur, quia nec furti cum ea agitur.

VI. PAPINIANVS.

SI hæreditariam rem ignorans in ea cauſſa eſſe, ſubripuiſti: furtum te facere reſpondi. PAVLVS. rei hæreditariæ furtum non fit: ſicut nec eius, quæ ſine domino eſt: & nihil mutat exiſtimatio ſubripientis.

STELLIONATVS. Tit. XX.

I. PAPINIANVS.

ACtio ſtellionatus, neq; publicis iudicijs, neq; priuatis actionibus continetur.

II. VLPIANVS.

STellionatus iudicium famoſum quidem non eſt, ſed coërcitionem extraordinariam habet.

III. IDEM.

STellionatus accuſatio ad præſidis cognitionem ſpectat. Stellionatum autem obijci poſſe his, qui dolo quid fecerũt, ſciendum eſt: ſcilicet & ſi aliud crimen non ſit, quod obijciatur. quod enim in priuatis iudicijs eſt de dolo actio, hoc in criminibus ſtellionatus perſecutio. Vbicũq; igitur titulus criminis deficit, illic ſtellionatũ obijciemus. maxime autem in his locum habet, ſi quis forte rem alij obligatam diſſimulata obligatione per calliditatem alij diſtraxerit, uel permutauerit, uel in ſolutum dederit. nam hæ omnes ſpecies ſtellionatũ continent.

Sed & ſi quis merces ſuppoſuerit, uel obligatas auerterit, uel corruperit: æque ſtellionatus reus erit. Idem ſi quis impoſturam fecerit, uel colluſionẽ in necem alterius: ſtellionatus poterit poſtulari. & ut generaliter dixerim, deficiente titulo criminis, hoc crimen locum habet, nec opus eſt ſpecies enumerare. Pœna autem ſtellionatus nulla legitima eſt, cum nec legitimum crimen ſit. ſolent autem ex hoc extra ordinem plecti: dummodo non debeat opus metalli hæc pœna in plebeijs egredi. in his autem, qui ſunt in aliquo honore poſiti, ad tempus relegatio, uel ab ordine motio remittenda eſt. Qui merces ſuppreſſit, ſpecialiter hoc crimine poſtulari poteſt.

IIII. MODESTINVS.

DE periurio, ſi ſua pignora eſſe quis in inſtrumẽto iurauit, crimen ſtellionatus ſit. & ideo ad tempus exulat.

De ter

DE TERMINO MOTO. Tit. XXI.

I. MODESTINVS.



Terminorum auulsorũ non multa pecuniaria est, sed pro conditione admittentiũ coërcitione transigendum est.

II. CALLISTRATVS.

Diuus Hadrianus in hæc uerba rescripsit. quin pessimum factum sit eorum, qui terminos finium caussa positos protulerunt: dubitari non potest. de pœna autem modus ex cõditione personæ & mente facientis magis statui potest. nam si splendidiores personæ sunt, quæ conuincuntur: non dubie, si id occupandorum alienorum finiũ caussa admiserunt, possunt ad tempus, ut cuiusq; ætas patietur, relegari: & si iunior, in longius: si senior, recisius. si uero alij negocium gesserint, & ministerio functi sint: castigari, & ad opus biennio dari. Quod si per ignorantiam, aut fortuitũ lapides furati sunt: sufficiet eos uerberibus decidere.

III. IDEM.

AGraria lege, quam Caius cæsar tulit aduersus eos, qui terminos statutos extra suum gradum finesúe mouerunt dolo malo, pecunaria pœna cõstituta est. nam in terminos singulos, quos eiecerint, locoúe mouerint, quinquaginta aureos in publicũ dari: & eius actionẽ ei, qui uolet, esse iubet. Alia quoq; lege agraria, quam diuus Nerua tulit, cauetur: ut si seruus seruaúe insciente domino dolo malo fecerit, ei capitale sit: nisi dominus dominaúe multam sufferre maluerit. hi quoq;, qui finalium quæstionum obstruendarum caussa faciem locorum conuertunt: utputa ex arbore arbustum, aut ex sylua nouale, aut aliquid eiusmodi faciunt: pœna plectendi sunt pro persona, & conditione, & factorum uiolentia.

DE COLLEGIIS ET CORPORibus. Tit. XXII.

I. MARTIANVS.



Mandatis principalibus præcipitur præsidibus prouinciarum, ne patiantur esse sodalitia, neúe milites collegia in castris habeant. sed permittitur tenuioribus stipem menstruam conferre: dum tantũ semel in mense coëant, ne sub prætextu huius illicitum collegium coëant. quod nõ tantũ in urbe, sed & in Italia, & in prouincijs locũ habere, diuus quoq;

Seuerus reſcripſit. Sed religionis cauſſa coire non prohibentur: dũ tamen per hoc non fiat contra ſenatuſconſultum, quo illicita collegia coërcentur. Non licet autem amplius, quàm unum collegium licitũ habere: ut eſt etiam conſtitutũ à diuis fratribus. & ſi quis in duobus fuerit: reſcriptũ eſt, eligere eum oportere, in quo magis eſſe uelit: acceptorum ex eo collegio, à quo recedit, id, quod ei competit ex ratione, quæ communis fuerit.

II. VLPIANVS.

QVi ſquis illicitum collegium uſurpauerit: ea pœna tenetur, qua tenentur hi, qui hominibus armatis loca publica, uel templa occupaſſe iudicati ſunt.

III. MARTIANVS.

COllegia, ſi qua fuerint illicita, mandatis, & cõſtitutionibus, & ſenatuſconſultis diſſoluuntur. ſed permittitur eis, cum diſſoluuntur, pecunias communes (ſi quas habent) diuidere, pecuniamq; inter ſe partiri. In ſumma autem, niſi ex ſenatuſconſulti authoritate uel Cæſaris, collegium, uel quodcunq; tale corpus coierit: contra ſenatuſconſulta, & mandata, & conſtitutiones collegium celebratur Seruos quoq; licet in collegiũ tenuiorum recipere, uolentibus dominis: ut curatorum corporum ſciant, ſi inuito aut ignorante domino, in collegium tenuiorum recipiant, & in futurum pœna teneantur in ſingulos homines aureorum centum.

IIII. CAIVS.

SOdales ſunt, qui eiuſdem collegij ſunt, quam Græci ἑταιρίαν uocãt. His autem poteſtatem facit lex pactionem, quam uelint, ſibi ferre: dum ne quid ex publica lege corrumpant. ſed hæc lex uidetur ex lege Solonis translata eſſe. nam & illic ita eſt eadem. Ἐὰν δὲ ὁ δῆμος, ἢ φράτορες, ἢ ἱερῆς ὀργίων, ἢ ναῦται, ἢ σύσσιτοι, ἢ ὁμόταφοι, ἢ θιασῶται, ἢ ἐπὶ λῆιαν οἰχόμενοι, ἢ εἰς ἐμποριάν, ἢ ὅτι οὖν τούτων, διαθῶνται πρὸς ἀλλήλους: κύριον εἶναι, ἐὰν μὴ ἀπαγορεύσῃ τὰ δημόσια γράμματα.

DE POPVLARIBVS ACTIONIBVS. Tit. XXIII.

I. PAVLVS *lib. I. ad edictum.*

EAm popularem actionem dicimus, quæ ſuum ius populo tuetur.

II. IDEM.

SI plures ſimul agant populari actione: prætor eliget idoneiorem. VIpia-

III. VLPIANVS.

SEd si ex eadem cauſſa ſæpius agatur, cum idem factum ſit: exceptio Vulgaris rei iudicatæ opponitur. In popularibus actionibus is, cuius intereſt, præfertur.

IIII. PAVLVS.

POpularis actio integræ perſonæ permittitur: hoc eſt cui per edictū poſtulare licet.

V. IDEM.

QVi populari actione conuenietur, ad defendendum procuratorē dare poteſt: is aūt, qui eam mouet, procuratorem dare nō poteſt.

VI. VLPIANVS.

MVlieri & pupillo populares actiones non dantur, niſi cum ad eos res pertinet.

VII. PAVLVS.

POpulares actiones non tranſeunt ad eum, cui reſtituta eſt hæreditas ex Trebelliano ſenatuſconſulto. Item qui habet has actiōes, non intelligitur eſſe locupletior.

VIII. VLPIANVS.

OMnes populares actiones neq; in hæredes dantur, neq; ſupra annum extenduntur.

DIGESTORVM
SEV PANDECTARVM LIBER QVADRAGESIMVSOCTAVVS.

DE PVPLICIS IVDICIIS. Tit. I.

I. VLPIANVS.

NOn omnia iudicia, in quibus crimen uertitur, & publica ſunt: ſed ea tantum, quæ ex legibus iudiciorum publicorum ueniunt: ut Iulia maieſtatis, Iulia adulteriĳ, Cornelia de ſicariĳs & ueneficis, Pompeia paricidiĳ, Iulia peculatus, Cornelia de teſtamentis, Iulia de ui publica, Iulia de ui priuata, Iulia ambitus, Iulia repetundarum, Iulia de annona.

II. PAVLVS.

PVblicorum iudiciorum quædam capitalia ſunt, quædam non capitalia. Capitalia ſunt, ex quibus pœna mors, aut exſilium eſt, hoc

est aquæ & ignis interdictio. per has enim pœnas eximit̃ caput de ciuitate. nam cætera, non exsilia, sed relegationes proprie dicuntur. tunc enim & ciuitas retinetur. Non capitalia sunt, ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coërcitio pœna est.

III. VLPIANVS.

PVblica accusatio reo uel rea ante defunctis * non permittitur.

*aliàs. perimitur.

IIII. PAVLVS.

INterdum euenit, ut præiudiciũ iudicio publico fiat: sicut in actione legis Aquiliæ, & furti, & ui bonorũ raptorum, & interdicto unde ui, & de tabulis testamenti exhibendis. nam in his de re familiari agitur.

V. VLPIANVS.

IS, qui reus factus est, purgare se debet: nec ante potest accusare, quàm fuerit excusatus. constitutionibus enim obseruatur, ut non relationẽ criminũ, sed innocentia reus purgetur. Illud incertum est: utrum ita demũ accusare possit, si fuerit liberatus: an & si pœnam subierit. est enim constitutũ ab imperatore nostro & diuo patre eius, post damnationem accusationẽ quem incohare non posse. sed hoc puto ad eos demum pertinere, qui uel ciuitatẽ, uel libertatem amiserunt. Incohatas planè delationes ante damnationẽ implere eis, & post damnationem permissum est.

VI. MARCIANVS.

DEfuncto eo, qui reus fuit criminis, & pœna exstincta est. In qua cunq; caussa criminis exstincti debet is cognoscere, cuius de pecuniaria re est cognitio.

VII MACER.

INfamem non ex omni crimine sententia facit: sed ex eo, quod iudicij publici caussam habuit. itaq; ex eo crimine, quod iudicij publici non fuit, damnatum infamia non sequetur: nisi id crimen ex ea actione fuit, quæ etiam in priuato iudicio infamiam condemnato importat: ueluti furti, ui bonorum raptorum, & iniuriarum.

VIII. PAVLVS.

ORdo exercendorũ publicorũ iudiciorũ capitaliũ in usu esse desijt, durante tamẽ pœna legũ, cum extra ordinẽ crimina probantur.

IX. MARTIANVS.

SCiendum est, si in capitali caussa suum seruũ reum crimine factum quis non defenderit: non eum pro derelicto haberi. & ideo si absolutus fuerit: non liberum fieri, sed manere domini.

X. PAPINIANVS.

INter accusatorẽ & reum cognitione susceptа, excusatio pro absente iustis rationibus admittit; nec per triduũ per singulos dies ter citatus reus

tus reus damnat̃, uel de accusatoris absentis præsente reo calũnia pronunciatur. XI. MAETIANVS.

SErnus etiam per procuratorem domini æque, ac per dominũ defendi potest.

XII. MODESTINVS.

CVstodias auditurũ tam clarissimos uiros, quàm patronos causarum (si omnes in ciuitate prouinciæ, quam regit, agunt) adhiberi debere: & feriatis diebus custodias audiri posse, rescriptũ est: ita ut innoxios dimittat, & nocentes, qui duriore animaduersione indigent, differat. XIII. PAPINIANVS.

ACcusatore defuncto, reus ab alio, iudicante præside prouinciæ, peragi potest. Ad crimen iudicij publici persequendũ frustra procurator interuenit: multoq; magis ad defendendum. sed excusationes absentium ex senatusconsulto iudicibus allegantur: & si iustam rationem habent, sententiam differunt.

XIIII. IDEM.

GEneri seruis à socero ueneficij accusatis, præses prouinciæ patrem calumniã intulisse pronunciauerat. inter infames patrẽ defunctæ non habendum respondi: quoniã & si publicum iudicium inter liberos de morte filiæ constitisset, citra periculum pater uindicaretur.

DE ACCVSATIONIBVS ET INscriptionibus. Tit. II.

I. POMPONIVS.

NOn est permissum mulieri publico iudicio quenquam reum facere: nisi scilicet parentũ, liberorumq;, & patroni, & patronæ, & eorum filij, filiæúe, nepotis, neptisúe mortem exsequatur.

II. PAPINIANVS.

CErtis de caussis concessa est mulieribus publica accusatio: ueluti si mortẽ exsequantur eorum earũq;, in quos ex lege publicorum testimoniũ inuitæ non dicunt. idem & in lege Cornelia testamentaria senatus statuit. sed & de testamento paterni liberti uel materni mulieribus publico iudicio dicere permissum est. Pupillis ex consilio tutorum patris mortẽ, item pupillæ aui sui mortem exsequi concessum est lege testamentaria. nam & de patris quidẽ testamento pupillis agere diuus Vespasianus permisit. sed & si non exhibeantur tabulæ, per interdictum possunt experiri.

III. PAVLVS.

Libello

LIbellorum inscriptionis conceptio talis est. consul & dies. apud illum prætorem uel proconsulem Lucius Titius professus est se Mæuiam lege Iulia adulterij ream deferre: quod dicat eam cum Caio Seio in ciuitate illa, domo illius, mense illo, consulibus illis, adulterium commisisse. Vtiq; enim & locus designandus est, in quo adulterium admissum est: & persona, cum qua admissum dicitur: & mensis. hoc enim lege Iulia publicorum cauetur. & generaliter præcipitur omnibus, qui reum aliquem deferunt. neq; autem diem, neq; horã inuitus comprehendet. Quod si libelli inscriptionum legitime ordinati nõ fuerint: rei nomen aboletur, & ex integro repetendi reum potestas fiet. Item subscribere debebit is, qui dat libellos, se professum esse: uel alius pro eo, si literas nesciat. Sed & si aliud crimen obijciat: ueluti quod domũ suam præbuit, ut stuprum materfamilias pateretur: quod adulterum deprehensum dimiserit: quod precium pro comperto stupro acceperit, & si quid simile: & ipsum libellis comprehendendum erit. Si accusator decesserit, aliaue caussa eum impedierit, quo minus accusare possit, & si quid simile est: nomen rei aboletur, postulante reo: idq; & lege Iulia de ui, & senatusconsulto cautum est: ita, ut liceat alij ex integro repetere reum. sed intra quod tempus, uidebimus. et utiq; triginta dies utiles obseruandi sunt.

IIII. VLPIANVS.

IS, qui iudicio publico damnatus est, ius accusandi non habet: nisi liberorum, uel patronorum suorũ mortem eo iudicio, uel rem suam exsequatur. sed & calumnia notatis ius accusandi ademptum est. item his, qui cum bestijs depugnandi caussa in arenã intromissi sunt: quiue artem ludicram, uel lenocinium fecerint: quiue præuaricationis calumniaue caussa quid fecisse iudicio publico, pnunciatus fuerit: quiue ob accusandũ negociumue cui facessendum pecuniã accepisse iudicatus erit.

V. IDEM.

SEruos quoq; adulterij posse accusari, nulla dubitatio est. sed qui prohibentur adulterij liberos homines accusare: ijdem seruos quoq; prohibebuntur. Sed & ex rescripto diui Marci etiam aduersus propriũ seruum accusationem dominus instituere potest. Post hoc igitur rescriptum accusandi necessitas incumbet domino seruum suum. cæterum iuste mulier nupta præscriptione utetur.

VI. IDEM.

LEuia crimina audire & discutere de plano proconsulem oportet: & uel liberare eos, quibus obijciuntur, uel fustibus castigare, uel flagellis seruos uerberare.

VII. IDEM. Si cui

SI cui crimen obijciatur: præcedere debet in crimẽ ſubſcriptio. quæres ad id inuenta eſt, ne facile quis proſiliat ad accuſationem: cũ ſciat inultam ſibi accuſationem non futuram. cauent itaq; ſinguli, præterea quod crimẽ obijciant, perſeueraturos ſe in crimine uſq; ad ſententiam. Iiſdem criminibus, quibus quis liberatus eſt, non debet præſes pati eundem iterũ accuſari: & ita Diuus Pius Saluio Valenti reſcripſit. ſed hoc utrum ab eodem, an nec ab alio accuſari poſſit, uidendum eſt. & putem (quoniam res inter alios iudicatæ, alij non præiudicant) ſi is, qui nunc accuſator exſtitit, ſuum dolorem perſequatur, doceatq; ſe ignoraſſe accuſationem ab alio inſtitutam: magna ex cauſſa admitti eum ad accuſationem debere. Si tamen alio crimine poſtuletur ab eodem, qui in alio crimine eum calumniatus eſt: puto, non facile admittendum eum, qui ſemel calumniatus ſit: quamuis filiũ accuſatoris admitti oportere, aliam accuſationem inſtituẽtem aduerſus eum, quem pater accuſauerat, diuus Pius Iulio Candido reſcripſerit. Idẽ Imperator reſcripſit: ſeruos ibi puniendos, ubi deliquiſſe arguantur: dominumq; eorum (ſi uelit eos defendere) nõ poſſe reuocare in prouinciam ſuam: ſed ibi oportere defendere, ubi deliquerũt. Cum ſacrilegium admiſſum eſſet in aliqua ſua prouincia, deinde in alia minus crimen: diuus Pius Pontio Proculo reſcripſit, poſtquàm cognouiſſet de crimine in ſua prouincia admiſſo: ut reum in eam prouinciam remitteret, ubi ſacrilegium admiſiſſet.

VIII. MACER.

QVi accuſare poſſunt, intelligemus, ſi ſcierimus, qui non poſſunt. itaq; prohibentur accuſare alij propter ſexum uel ætatem: ut mulier, ut pupillus. alij propter ſacramentum: ut qui ſtipendium merent. alij propter magiſtratũ poteſtatemúe, in qua agentes ſine fraude in ius euocari non poſſunt. alij propter delictum propriũ, ut infames. alij propter turpem quæſtũ: ut qui duo iudicia aduerſus duos reos ſubſcripta habet, numosúe ob accuſandum uel non accuſandum accepit. alij propter conditionem ſuam: ut filij circa parentes, & liberti circa patronos.

IX. PAVLVS.

ALij propter ſuſpitionem calumniæ: ut illi, qui falſum teſtimonium ſubornati dixerunt.

X. HERMOGENIANVS.

NOnnulli propter paupertatẽ: ut ſunt, qui minus, quàm quinquaginta aureos habent.

XI. MACER.

HI tamen omnes, ſi ſuam iniuriam exſequantur, mortemúe propinquorum defendant, ab accuſatione non excluduntur. Li-

beri libertíq; non sunt prohibendi suarum rerum defendendarum gratia de facto parentũ patronorumúe queri: ueluti si dicant ui se de possessione ab his expulsos, scilicet non ut crimen eis intendant, sed ut possessionem recipiant. nam & filius quidem non prohibitus est de facto matris queri, si dicat suppositum ab ea partum, quo magis cohæredẽ haberet: sed eam ream lege Cornelia facere permissum ei nõ est. Ab alio delatum alius deferre non potest. sed eum, qui abolitione publica, uel priuata interueniẽte, aut desistẽte accusatore, de reis exemptus est: alius deferre non prohibetur.

XII. VENVLEIVS.

HOs accusare non licet. legatum Imperatoris, item præsidem prouinciæ, ex sententia Lentuli dicta Sylla & * Tirone consulibus. item legatum prouincialem, eius duntaxat criminis, quod ante cõmissit, quàm in legationẽ uenit. item magistratũ populi Romani: eumúe, qui reipublicæ caussa abfuerit, dum non detrectandi leges caussa abest.

*al's. Trione.

Hoc etiam beneficio in reos recepti uti possunt: si abolitione interueniente, repeti se non debere contendant, secundum epistolam diui Hadriani ad Glabrionem consulem scriptam. Lege Iulia iudiciorum publicorum cauetur, ne eodem tempore de duobus reis quis queratur, nisi suarum iniuriarum caussa. Si seruus reus postulabitur: eadẽ obseruanda sunt, quæ si liber esset, ex senatusconsulto Cotta & Messala consulibus. Omnibus autem legibus serui rei fiunt, excepta lege Iulia de ui priuata: quia ea lege damnati partis tertiæ bonorum publicatione puniuntur: quæ pœna in seruum non cadit. idemq; dicendum est in cæteris legibus, quibus pecuniaria pœna irrogatur, uel etiam capitis, quæ seruorum pœnis non conuenit, sicuti relegatio. item nec lex Pompeia paricidij: quoniam caput primum eos adpræhendit, qui parentes, cognatosúe, aut patronos occiderint: quæ in seruos (quantum ad uerba pertinet) nõ cadunt. sed cum natura est communis: similiter & in eos animaduertetur. Item Cornelia iniuriarum seruum non debere recipi reum, Cornelius Sylla author fuit. sed durior ei pœna extra ordinem imminebit.

XIII. MARCELLVS.

MVlierem propter publicam utilitatem ad annonam pertinentẽ audiri à præfecto annonæ deferentem, diuus Hadrianus & Antoninus rescripserũt. famosi quoq; accusantes sine ulla dubitatione admittuntur. milites quoq;, qui caussas alienas defendere non possunt, qui pro pace excubant, uel magis ad hanc accusationem admittendi sunt. Serui quoq; deferentes audiuntur.

XIIII. PAVLVS.

Senatus

SEnatus cẽſuit,ne quis ob idem crimen plurib⁹ legibus reus fieret.

XV. VLPIANVS.

INeum,cuius dolo malo hominibus coactis damni quid datũ eſſe dicetur,non debet cogi actor,omiſſa actione ciuili, crimen intendere.

XVI. IDEM.

SIplures exiſtant,qui eundem publicis iudicijs accuſare uolunt: iudex eligere debet eum,qui accuſet,cauſſa ſcilicet cognita: æſtimatis accuſatorũ perſonis,uel de dignitate,uel ex eo,quod intereſt,uel ætate,uel moribus,uel alia iuſta de cauſſa.

XVII. MODESTINVS.

SIſeruum dominus in crimine capitali defendat:ſiſtendum ſatiſdatõ promittere iubetur.

XVIII. IDEM.

CVm Titia teſtamentum Caij fratris ſui falſum arguere minaret̃, & ſolennia accuſationis nõ impleſſet intra tempus à præſide prouinciæ definitum: præſes iterum pronunciauit,non poſſe illam amplius de falſo teſtamento dicere.aduerſus quas ſententias Titia non prouocauit:ſed dixit ſe poſt finitum tempus de irrito teſtamento dicere. quæro,an Titia,quæ non appellauit aduerſus ſententiam præſidis,poſſit ad falſi accuſationem poſtea reuerti? Reſpondit. nihil aperte proponi,propter quod aduerſus ſententiæ authoritatem de falſo agens, audienda ſit.

XIX. CALLISTRATVS.

DIui fratres reſcripſerunt, non debere cogi hæredes accuſatorum exſequi crimina.item non oportere compelli accuſatorem plures reos facere,diuus Hadrianus reſcripſit.

XX. IDEM.

EX iudiciorum publicorum admiſſis non aliàs tranſeunt aduerſus hæredes pœnæ bonorum ademptionis, quàm ſi lis conteſtata, & condemnatio ſecuta fuerit:excepto repetundarum & maieſtatis iudicio,quæ etiam mortuis reis,cum quibus nihil actum eſt, adhuc exercere placuit,ut bona eorum fiſco uindicentur: adeo ut diui Seuerus & Antoninus reſcripſerint,ex quo quis aliquod ex his cauſſis crimen contraxit,nihil ex bonis ſuis alienare,aut manumittere eum poſſe. Ex cæteris uero delictis pœna incipere ab hærede ita demũ poteſt, ſi uiuo reo accuſatio mota eſt,licet non fuerit condemnatio ſecuta.

XXI. PAPINIANVS.

CApitis reus ſuſpenſo crimine cauſſam fiſco deferre non prohibetur.

XXII. PAPINIANVS.

ALterius prouinciæ reus apud eos accusatur & damnatur, apud quos crimen contractum ostenditur. quod etiam in militibus esse obseruandũ, optimi principes nostri generaliter rescripserunt.

DE CVSTODIA ET EXHIBITIONE reorum. Tit. III.

I. VLPIANVS.

DE custodia reorum proconsul æstimare solet, utrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, uel fideiussoribus committenda, uel etiam sibi. hoc autẽ uel pro criminis, quod obijcitur, qualitate, uel propter honorem, aut propter amplissimas facultates, uel ꝓ innocentia personæ, uel pro dignitate eius, qui accusatur, facere solet.

II. PAPINIANVS.

SI seruus capitali crimine postuletur: lege publicorum cauetur, ut sistendum uel ab extero satisdatò promittatur. qui si non defendat: in uincula publica conijci iubetur, ut ex uinculis causſam dicat. solet itaq; tractari, an postea domino permittendum sit, oblata satisdatione, seruum suum uinculis liberare. dubitationem auget edictum Domitiani, quo cautum est, abolitiones ex senatusconsulto factas ad huiusmodi seruos non pertinere. nam & lex ipsa prohibet eum absolui, priusq; de eo iudicetur. Sed hæc interpretatio perdura, & pernimiũ seuera est in eo, cuius dominus absens fuit, uel quod per inopiam illo momento temporis satisdationem implere non potuit. neq; enim pro indefenso derelictus recte dici potest, qui dominum præsentem nõ habuit: uel habuit paratum defendere, pauperem tamen. quod utiq; facilius admitti poterit, si non post longum temporis spacium hoc desideret. Qui exhibendi postulati sunt: propter aliam causſam alterius criminis, qđ ante admissum est, rei non recipiuntur ex senatusconsulto. quod in priuatis quoq; causſis & hominibus sub fideiussore factis obseruatur: nisi ex hoc temporalis actio in periculum cadat.

III. VLPIANVS.

DIuus Pius ad epistolam Antiochensium græce rescripsit: non esse in uincula conijciendum eum, qui fideiussores dare paratus sit: nisi si tam graue scelus admisisse eum constet, ut neq; fideiussoribus, neq; militibus committi debeat, uerum hanc ipsam carceris pœnã ante supplicium sustinere.

IIII. IDEM.

SI quis reum criminis, de quo satisdedit, non exhibuerit: pœna pecuniaria

nlaria plectitur. puto tamen, si dolo non exhibeat, etiam extra ordinē esse damnandum. sed si neq; in cautione, neq; in decreto præsidis certa quantitas comprehensa est, ac ne cōsuetudo quidem ostendit, quæ certam formā habeat: præses de modo pecuniæ, quæ inferri debet, statuet.

V. VENVLEIVS.

SI confessus fuerit reus: donec de eo pronuncietur, in uincula publica conijciendus est.

VI. MARTIANVS.

DIuus Hadrianus Iulio secundo ita rescripsit. Et aliàs rescriptum est, non esse utiq; epistolis eorum credendū, qui quasi damnatos ad præsidem remiserint. idem & de irenarchis præceptum est: quia nō omnes ex bona fide elogia conscribere compertū est. sed & caput mandatorum exstat, quod Diuus Pius, cum quinciæ Asiæ præesset, sub edicto proposuit: ut irenarchæ, cum apprehenderint latrones, interrogēt eos de socijs & receptoribus, & interrogationes literis inclusas atq; obsignatas ad cognitionē magistratus mittant. igitur qui cum elogio mittuntur, ex integro audiendi sunt: & si per literas missi fuerint, uel etiam per irenarchas perducti. & sic diuus Pius & alij principes rescripserunt: ut etiam de his, qui requirendi adnotati sunt, non quasi pro damnatis, sed quasi re integra quæratur, si quis erit, qui eū arguat. & ideo cum quis ἀνάκρισιν fecerit: iuberi oportet uenire irenarcham, & quod scripsit, exsequi. & si diligēter ac fideliter hoc fecerit: collaudandum eum. si uero parum prudenter: non exquisitis argumentis simpliciter denotare, irenarcham minus retulisse. sed & si quid maligne interrogasse, aut non dicta retulisse pro dictis eum compererit: ut uindicet in exemplum, ne quid & aliud postea tale facere moliatur.

VII. MACER.

SOlent præsides prouinciarum, in quibus delictum est, scribere ad collegas suos, ubi factores agere dicuntur: & desiderare, ut cum persecutoribus ad se remittantur. & id quoq; quibusdam rescriptis declaratur.

VIII. VENVLEIVS.

DE militibus ita seruatur: ut ad eum remittantur, si quid deliquerint, sub quo militabant. is autem, qui exercitum acceperit, etiā ius animaduertendi in milites caligatos habet.

IX. PAVLVS.

CArceri præpositus, si precio corruptus, sine uinculis agere custodiam, uel ferrum, uel uenenum in carcerem inferri passus est: officio iudicis puniendus est. si nescit: ob neglegentiam remouendus est officio.

X. IDEM.

NE quis receptam custodiam sine caussa dimittat, mandatis ita cauet. si quos ex his, qui in ciuitatibus sunt, celeriter & sine caussa solutos à magistratibus cognoueris: uinciri iubebis, & his, qui soluerint, multã dices. nam cum scierint sibi quoq; molestiæ futurum magistratũ, si facile soluerint uinctos: non indifferenter de cætero facient.

XI. CELSVS.

NOn dubium est, quin cuiuscunq; prouinciæ sit homo, qui ex custodia producitur: cognoscere debeat is, qui ei prouinciæ præest, in qua prouincia agitur. Illud à quibusdam obseruari solet: ut cum cognouit, & constitit: remittat illũ cum elogio ad eum, qui prouinciæ præest, unde is homo est. quod ex caussa faciendum est.

XII. CALLISTRATVS.

MIlites, si amiserint custodias, ipsi in periculũ deducuntur. nam diuus Hadrianus Statilio Secundo legato rescripsit: quoties custodia militibus euaserit, exquiri oportere, utrum nimia neglegentia militum euaserit, an casu: & utrum unus ex pluribus, an unà plures. & ita demum adficiendos supplicio milites, quibus custodia euaserit, si culpa eorum nimia deprehendatur. alioquin pro modo culpæ in eos statuendum est. Saluio quoq; legato Aquitaniæ idem princeps rescripsit: in eum, qui custodiã dimisit, aut ita sciens habuit, ut possit custodia euadere: animaduertendũ. si tamen per uinum aut desidiam custodis id euenerit: castigandum eum, & in deteriorem militiam dari. si uero fortuitù amiserit: nihil in eũ statuendũ. Si paganus euaserit custodiã: idem puto exquirendũ, quod circa militis personã explorandũ retulit.

XIII. VLPIANVS.

IN eos, qui cum recepti essent in carcerem, conspirauerunt, ut ruptis uinculis & effracto carcere euadant: amplius, quàm caussa, ex qua recepti sunt, reposcit, cõstituendum est. & quamuis innocentes ex eo crimine inueniantur, propter quod impacti sunt in carcerẽ: tamẽ puniendi sunt. eos uero, qui conspirationẽ eorum detexerint, releuandos.

XIIII. TERENTIVS CLEMENS.

NOn est facile tironi custodia credenda. nam ea perdita: is culpæ reus est, qui eam ei cõmiserit. nec uni, sed duobus custodia committenda est: qui si neglegentia amiserint, pro modo culpæ uel castigantur, uel militiam mutant. quod si leuis persona custodiæ fuit: castigati restituũtur. nam & si miseratione custodiam quis dimiserit: militiam mutat. fraudulenter autem si fuerit uersatus in dimittenda custodia: uel capite punitur, uel in extremum gradum militiæ datur. Interdum uenia datur. nam cum custodia simul cũ altero custode fugisset: alteri

alteri uenia data est. sed si custodia se interfecerit, uel præcipitauerit: militis culpæ adscribitur,& castigabitur.quod si ipse custos custodiã interfecerit:homicidij reus est. ergo si casu custodia defuncta dicatur:testationibus id probandum est, & sic uenia dabitur. Solet præterea amissa culpa custodia (si tamẽ interfit eam adpræhendi) tempus causſa cognita militi dari ad eam requirendam, adplicito ei alio milite. quod si fugitiuũ domino reddendum perdiderit:si facultates habeat, domino precium reddere iuberi,Saturninus probat.

AD LEGEM IVLIAM MAIESTATIS. Tit. IIII.

I. VLPIANVS.

PRoximum sacrilegio crimen est, quod maiestatis dicitur. Maiestatis autem crimen est illud, quod aduersus populum Romanũ, uel aduersus securitatẽ eius cõmititur. quo tenetur is, cuius opera dolo malo consilium initum erit,quo obsides iniussu principis interciderint: quo armati homines cum telis lapidibusúe in urbe sunt, conueniantúe aduersus rempublicã, locaúe occupent,uel templa:quoúe cœtus conuentusúe fiat, hominesúe ad seditionem conuocentur. cuiusúe opera & consilio dolo malo consilium initum erit, quo quis magistratus populi Romani, quiúe imperium potestatemúe habet, occidatur:quoûe quis contra rempublicam arma ferat: quiúe hostibus populi Romani nuncium,literasúe miserit,signumúe dederit,feceritúe dolo malo,quo hostes populi Romani consilio iuuentur aduersus rempublicã: quiúe milites solicitauerit, concitaueritúe, quo seditio tumultusúe aduersus rempublicam fiat.

II. IDEM.

QViũe de prouincia, cum ei successum esset,non discessit: aut qui exercitũ deseruit,uel priuatus ad hostes perfugit:quiúe sciens falsum conscripsit,uel recitauit in tabulis publicis.nam & hoc capite primo legis maiestatis enumeratur.

III. MARTIANVS.

LEx duodecim tabularũ iubet eum qui hostem concitauerit,quiũe ciuem hosti tradiderit,capite puniri.lex autẽ Iulia maiestatis præcipit eum, qui maiestatem publicam læserit, teneri: qualis est ille, qui imbellis cesserit: *hostemúe arcere renuerit, aut castra cõcesserit.eadẽ aũs*arcẽ-lege tenetur & qui iniussu principis bellum gesserit, delectũúe habue- ue nõ terit,exercitũúe cõparauerit: quiúe,cum ei in prouincia successum esset, nuerit,

exercitũ

exercitum ſucceſſori non tradiderit: quiúe imperium exercitumúe populi Romani deſeruerit: quiúe priuatus pro poteſtate magiſtratuúe quid ſciens dolo malo geſſerit: qui ue quid eorum, quæ ſupraſcripta ſunt, facere curauerit.

IIII. SCAEVOLA.

CVius q; dolo malo iure iurando quis adactus erit, quo aduerſus rempublicam faciat: cuiusúe dolo malo exercitus populi Romani in inſidias deductus, hoſtibusúe proditus erit: cuiusúe dolo malo factum dicitur, quo minus hoſtes in poteſtatem populi Romani ueniant: cuiusúe opera dolo malo hoſtes populi Romani commeatu, armis, telis, equis, pecunia, aliaúe qua re adiuti erunt: utúe ex amicis hoſtes populi Romani fiant: cuius ue dolo malo factum erit, quo rex exteræ nationis populo Romano minus obtemperet: cuius ue opera dolo malo factum erit, quo magis obſides, pecunia, iumenta hoſtibus populi Romani dentur aduerſus rempublicã. Item qui confeſſum in iudicio reũ, & propter hoc iñ uincula cõiectum, emiſerit. Hoc crimine liberatus eſt à ſenatu, qui ſtatuas Imperatoris reprobatas conflauerit.

V. MARCELLVS.

NOn contrahit crimen maieſtatis, qui ſtatuas Cæſaris uetuſtate corruptas reficit. nec qui lapide iactato incerto fortuitù ſtatuam attigerit, crimen maieſtatis cõmiſit: & ita Seuerus & Antoninus Iulio Caſſiano reſcripſerunt. iidem Pontio reſcripſerunt, non uideri contra maieſtatem fieri ob imagines Cæſaris nondum conſecratas uenditas.

VI. VENVLEIVS.

QVi ſtatuas aut imagines Imperatoris iam conſecratas conflauerint, aliudúe quid ſimile admiſerit: lege Iulia maieſtatis tenentũ.

VII. MODDESTINVS.

FAmoſi, qui ius accuſandi non habent, ſine ulla dubitatione admittũtur ad hanc accuſationem. ſed & milites, qui cauſſas alias defendere non poſſunt. nam qui pro pace excubant, magis ad hanc accuſationem admittendi ſunt. ſerui quoq; deferentes audiuntur, & quidem dominos ſuos, & liberti patronos. Hoc tamen crimen à iudicibus non in occaſione ob principalis maieſtatis uenerationem habendũ eſt, ſed in ueritate. nam & perſona ſpectanda eſt, an potuerit facere, & an ante quid fecerit, & an cogitauerit, & an ſanæ mẽtis fuerit: nec lubricum linguæ ad pœnam facile trahendum eſt. quanquam enim temerarij digni pœna ſint: tamen ut inſanis illis parcendum eſt, ſi nõ tale ſit delictum, quod uel ex ſcriptura legis deſcendat, uel ad exemplum legis iudicandũ ſit. Crimine maieſtatis facto, uel uiolatis ſtatuis, uel imaginibus, maxime exacerbatur in milites.

Papinia

VIII. PAPINIANVS.

IN quæſtionibus læſæ maieſtatis etiam mulieres audiuntur. & coniurationem deniq; * Lucij Catilinæ Fuluia mulier detexit, & Marcum Tullium conſulem indicio ſuo inſtruxit. *al's. L. Sergij Cat.

IX. VENVLEIVS.

EOrum, qui maieſtatis crimine damnati ſunt, libertorum bona liberis damnatorum conſeruare diuus Seuerus decreuit: & tunc demum fiſco uindicari, ſi nemo damnati liberorum exiſtat.

X. IDEM.

MAieſtatis crimine accuſari poteſt, cuius ope conſilio dolo malo prouincia, uel ciuitas hoſtibus prodita eſt.

XI. VLPIANVS.

IS, qui in reatu decedit, integri ſtatus decedit. exſtinguitur enim crimen mortalitate: niſi quis forte maieſtatis reus fuit. nam hoc crimẽ niſi à ſucceſſoribus purgetur, hæreditas fiſco uindicatur. planè nõ quiſquis legis Iuliæ maieſtatis reus eſt, in eadem conditione eſt: ſed qui perduellionis reus eſt, hoſtili animo aduerſus rempublicam, uel principẽ animatus. cæterum ſi quis ex alia cauſſa legis Iuliæ maieſtatis reus ſit: morte crimine liberatur.

AD LEGEM IVLIAM DE ADVLTERIJS coërcendis & ſtupro. Tit. V.

I. VLPIANVS.

HAec lex lata eſt à diuo Auguſto.

II. IDEM.

EX lege Iulia ſeruatur, ut cui neceſſe ſit ab adultero incipere, ſiquidẽ mulier ante denunciationẽ nupſit: nec aliàs ad mulierẽ poſſit peruenire, niſi reũ peregerit. peregiſſe autem non aliàs quis uidetur, niſi & condemnauerit. Marito iure mariti accuſanti illa præſcriptio obijcitur: SI NON LEGEM PRODIDISSE DICATVR OB HOC, QVOD AGGRESSVS ACCVSATIONEM ADVLTERII DESTITIT. Lenocinij quidem crimini lege Iulia de adulterijs præſcriptum eſt: cum ſit in eundem maritum pœna ſtatuta, qui de adulterio uxoris ſuæ quid acceperit: item in eum, qui in adulterio deprehenſam retinuerit. cæterum qui patitur uxorem ſuam delinquere, matrimoniumq; ſuum contemnit, quiq; contaminatione non indignatur: pœna adulterum non affligit. Qui hoc dicit lenocinio mariti ſe feciſſe: reuelare quidem uult crimen ſuum, ſed non eſt huiuſmodi compenſatio admiſſa. ideo ſi maritum uelit reus adulterij

lenocinij reum facere, semel delatus non audietur. Si publico iudicio maritus uxorem ream faciat: an lenocinij allegatio repellat maritū ab accusatione? & putem non repellere. lenociniū igitur mariti ipsum onerat, non mulierem excusat. Vnde quæri potest: an is, qui de adulterio cognoscit, statuere in maritum ob lenocinium possit? & puto posse. nam Claudius Gorgus uir clarissimus uxorem accusans, cum detectus esset uxorem in adulterio deprehensam retinuisse: & sine accusatore lenocinij damnatus est à diuo Seuero. Extraneus autem nequaquam lenocinium obijciens, postea quàm reus factus est, se releuabit: nec maritum pœnæ subijciet. Si simul ad accusationem ueniāt maritus & pater mulieris: quem præferri oporteat, quæritur. & magis est, ut maritus præferatur. nam & propensiore iure & maiore dolore executurum eum accusationem credendum est: intantū, ut & si pater præuenerit, & libellos inscriptionis deposuerit, marito nō neglegente nec retardante, sed accusationem parante, & probationibus instruēte atq; muniente, ut facilius iudicantibus de adulterio probetur: idem sit dicendum. sed & quoties alij, qui post maritum & patrem accusare possunt, ad accusandum prosilierint: lege expressum est, ut is, cuius de ea re notio est, de iusto accusatore constituat.

III. IDEM.

NIsi igitur pater maritum aut infamem arguat, aut doceat colludere magis cum uxore, quàm ex animo accusare: postponet marito.

IIII. IDEM.

SI maritus præuenerit, accusareq; instituerit: tempora non cedūt patri: quia accusationem instituere nō potest. sic tamē, ut quoad unus occupat, utriq; tēpora cedant. ubi uero maritus occupauit: residua tempora ei, qui occupare non potest, nō cedant. Quod & in eo dici potest, qui ab adultero uel ab adultera cœpit. nam aduersus eū, aduersus quē non cœpit, desinūt ei tempora cedere. hæc in maritis & patribus dicta sunt. Extraneis autē, qui accusare possunt, accusandi facultas post maritum & patrem conceditur. nam post sexaginta dies quatuor menses extraneis dantur. Si ante extraneus instituerit accusationem: an superueniente marito, permittatur accusatio, quæritur. & magis arbitror, hoc quoq; casu maritum audiendum, si nō neglegentia præuentus est. & ideo si accusatione instituta absoluta sit mulier extraneo accusante: tamen marito debet permitti restaurare accusationē, si idoneas causas allegare possit, quibus impeditus accusationem non instituerit.

V. IVLIANVS.

NVptam mihi adulterij ream postulari posse in priore matrimonio commissi, dubium non est; cum aperte lege Iulia de adulterijs

rijs cõërcendis caueatur, siquidem uidua sit, de cuius adulterio agetur, ut accusator liberum arbitrium habeat, adulterum, an adulteram prius accusare malit. si uero nupta sit: ut prius ad adulterum pergat, tum ad mulierem.

VI. PAPINIANVS.

INter liberas tantum personas adulterium stuprumúe passas lex Iulia locum habet. quod autẽ ad seruas pertinet: & legis Aquiliæ actio facile tenebit, & iniuriarum quoq; competit, nec erit deneganda prætoria quoq; actio de seruo corrupto: nec propter plures actiones parcendũ erit in huiusmodi crimine reo. Lex stuprum & adulterium promiscue & καλαχρησικώτερον appellat. sed proprie adulterium in nuptã committitur, propter partum ex altero conceptum composito nomine. stuprum uero in uirginem uiduáúe cõmittitur: quod Græci φθορὰν appellant. Filiusfamilias igitur maritus ab eo, qui sui iuris est, in ea lege non separatur. Diuus quoq; Hadrianus Roscio Gemino rescripsit, & inuito patre filiũ hac lege reum facere posse. Maritus, & si duos reos ex alio crimine habeat, poterit iure uiri tertium accusare: quoniam ea causa non cedit in numerum cæterorum.

VII. MARTIANVS.

QVi pupillam suam duxit in uxorem contra senatusconsultum: nec matrimonium est. & potest adulterij accusari, qui tutor uel curator fuit, & intra uicesimum sextum annum duxerit uxorem non à patre desponsam, uel destinatam, uel in testamento denominatam.

*In libro secundo de adulterijs Papiniani Martianus notat: incesti commune crimen aduersus duos simul intentari potest. *als nouũ caput hic incipit. Incesti com.

VIII. PAPINIANVS.

QVi domum suam, ut stuprum adulteriumúe cum aliena matrefamilias, uel cum masculo fieret, sciens præbuerit, uel quæstum ex adulterio uxoris suæ fecerit: cuiuscũq; sit conditionis, quasi adulter punitur. Appellatione domus habitationẽ quoq; significari, palã est.

IX. VLPIANVS.

ET si amici quis domũ præbuerit, tenetur. sed & si quis in agro alieno ut stuprũ fieret, præbuisset: cõprehendi debet. sed & si in domũ aliquam soliti fuerint conuenire ad tractandum de adulterio: & si eo loco nihil admissum fuerit: ueruntamen uidetur is domum suam, ut stuprum adulteriumúe committeretur, præbuisse: quia sine colloquio illo adulterium non committeretur.

X. PAPINIANVS.

MAter autem familias significatur non tantum nupta, sed etiam uidua. Mulieres quoq; hoc capite legis, quod domum suam

præbuerunt,uel pro comperto ſtupro aliquid acceperunt, tenentur.

Mulier,quæ euitandæ pœnæ adulterij gratia lenocinium fecerit, aut operas ſuas in ſcenam locauerit: adulterij accuſari damnariq; ex ſenatuſconſulto poteſt.

XI. IDEM.

Milles,qui cum adultero uxoris ſuæ pactus eſt, ſolui ſacramento, deportariq; debet. Militem,qui ſororis filiam in contubernio habuit,(licet non in matrimonio)adulterij pœna teneri,rectius dicitur. Ea,quæ inter reas adulterij recepta eſt, abſens defendi nõ poteſt. Socer cum nurum adulterij accuſaturum ſe libellis præſidi datis atteſtatus fuiſſet,maluit ab accuſatione deſiſtere, & lucrum ex dote magis petere.quæritur,an huiuſmodi commentũ eius admitti exiſtimes.Reſpondi. turpiſſimo exemplo is,qui nurum ſuam accuſare inſtituit, poſtea deſiſtere maluit, contentus lucrum ex dote retinere, tanquã culpa mulieris dirempto matrimonio.quare non inique repelleẽ, qui commodum dotis uindictæ domus ſuæ præponere non erubuit.

Adulterij reum intra quinq; annos continuos à die criminis admiſſi,defuncta quoq; muliere,poſtulari poſſe,palam eſt. Quidam accuſare uolebat adulterij mulierem:& poſtulabat, ne ſibi computarentur dies, quibus in cuſtodia fuiſſet. me hoc admittente exſtitit, qui mihi contradiceret.cuius opinionem an tu probes,rogo maturius mihi ſcribas.Reſpondi.opinionem quidem tuam & uerba legis,& ſententia adiuuant:cui placuit utiles dies accuſatori cõputandos eſſe, id eſt quibus potuit accuſatiõis ſolennia implere.quare ſine dubio dies, quibus quis in cuſtodia fuit,extra cõputationem utiliũ dierum exiſtimanti tibi conſtitutos,contradici non debuit. Sexaginta dies,qui marito accuſanti utiles computantur,feriatis quoq; diebus(ſi modo facultatem præſidis adeundi accuſator habuit)numerari certum eſt:quoniam de plano quoq; libellus dari poteſt.quod priuilegium ſi amiſerit:non prohibeẽ intra alios quatuor menſes querelã ſuam apud iudices deferre. Quærebatur,an iure mariti poſſet accuſare uir eam fœminam, quæ cum ei deſpõſa fuiſſet,alij in matrimonium à patre fuiſſet tradita? Reſpondi. nouam rem inſtituere huiuſmodi accuſatorem exiſtimo,qui adulterij crimen obijcere deſiderat propter hoc tantum,quod priori ſibi deſponſa puella à patre in matrimonium alij fuerit tradita. Defuncto marito adulterij rea mulier poſtulatur. Quæ propter impuberem filiũ uult dilationem ab accuſatore impetrare,an debeat audiri? Reſpondi. non uidetur mihi confugere ea mulier ad iuſtam defenſionẽ, quæ ætatem filij prætendit ad * elidendam legitimam accuſationem. nam nõ utiq; crimen adulterij,quod mulieri obijcitur,infanti præiudicat:cum poſſit

aliàs *deludendã.

posſit & illa adultera eſſe,& impubes defunctũ patrem habuiſſe. Volenti mihi ream adulterij postulare,quæ post commiſſum adulterium in eodem matrimonio perſeuerauerat,contradictum est.quæro,an iuste responsum sit? Respondi.ignorare non debuisti:durante eo matrimonio,in quo adulterium dicitur esse commissum,non posse mulierẽ reã adulterij fieri:sed nec adulterum interim accusari posse. Licet mulier ei,qui in suspitionem adulterij incidit,nupsisse dicetur:nõ ante accusari poterit,quàm adulter fuerit cõuictus.alioquin ad hoc uel maxime uiri confugient,uolentes bene concordatum sequens matrimonium dirimere,ut dicant cum adultero mulierem nuptias contraxisse.

Mulier cum absentẽ uirum audisset uita functum esse, & alij se iunxisset,mox maritus reuersus est. quæro, quid aduersus eam mulierem statuendum sit? & respondi,tam iuris,quàm facti quæstionem moueri. nam si longo tempore transacto sine ullius stupri probatione falsis rumoribus inducta, quasi soluta priore uinculo, legitimis nuptijs secundis iuncta est:quod uerisimile est deceptam eam fuisse, nihil uindicta dignum uideri potest.quod si ficta mariti mors argumentum faciendis nuptijs præstitisse probabitur:cum hoc facto pudicitia laboret,iudicari debet pro admissi criminis qualitate. Ream adulterij uxorem duxi. eam damnatam mox repudiaui.quæro,an caussam dissidij præstitisse uidear? Respondi.cum per legem Iuliam huiusmodi uxorem retinere prohibearis:non uideri caussam te dissidij præstitisse, palam est. quare ita ius tractabitur, quasi culpa mulieris facto diuortio.

XII. VLPIANVS.

HAec uerba legis, NE QVIS POST HAC STVPRVM ADVLTERIVM'VE FACITO SCIENS DOLO MALO, & ad eum,qui suasit,& ad eum,qui stuprum uel adulterium intulit,pertinent.

XIII. IDEM.

SI uxor non fuerit in adulterio, concubina tamen sit: iure quidem mariti accusare eam non poterit,quæ uxor non fuerit.iure tamen extranei accusationẽ instituere nõ prohibebitur:si modo ea sit, quæ in concubinatũ se dando matronæ nomen non amisit:utputa quæ patroni concubina fuit. Planè siue iusta uxor fuit,siue iniusta:accusationem instituere uir poterit.nam (ut Sextus Cæcilius ait) hæc lex ad omnia matrimonia pertinet:& illud Homericum adfert.

εἰ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων
Atreidai;

Sed & in ea uxore potest maritus adulteriũ uindicare,quæ uulgaris fuerit:quãuis si uidua esset,impune in eam stuprum cõmitteret. Diui Seuerus & Antoninus rescripserũt,etiã in sponsa hoc idem uindicandũ:

quia nec matrimoniũ qualecũq;, nec ſpem matrimonij uiolare permittitur. Sed & ſi ea ſit mulier, cũ qua inceſtum cõmiſſum eſt: uel ea, quæ quamuis uxoris animo habetur, uxor tamẽ eſſe non poteſt: dicendum eſt, iure mariti accuſare eam non poſſe, iure extranei poſſe. Iudex adulterij ante oculos habere debet, & inquirere, an maritus pudice uiuens, mulieri quoq; bonos mores colendi author fuerit. periniquum enim uideẽ eſſe, ut pudicitiã uir ab uxore exigat, quã ipſe nõ exhibeat. quæ res poteſt & uirũ damnare, nõ rem ob cõpenſationẽ mutui criminis inter utroſq; cõmunicare. Si quis uxorẽ ſuã uelit accuſare, dicatq; eã adulteriũ cõmiſiſſe, antequàm ſibi nuberet: iure uiri accuſationẽ inſtituere nõ poterit: quia nõ cũ ei nupta eſt, adulteriũ cõmiſit. Quod etiã in cõcubina dici poteſt, quã uxorẽ quis poſtea habuit: uel in filiafamilias, cuius cõiunctioni pater poſtea conſenſit. Si quis planè uxorem ſuam, cũ apud hoſtes eſſet, adulteriũ cõmiſiſſe arguat: benignius dicetur, poſſe eum accuſare iure uiri: ſed ita demum adulteriũ maritus uindicabit, ſi uim hoſtium paſſa non eſſet. cæterum quæ uim patitur, non eſt in ea cauſſa, ut adulterij uel ſtupri damnetur. Si minor duodecim annis in domum deducta adulterium commiſerit, mox apud eum ætatem exceſſerit, cœperitq; eſſe uxor: non poterit iure uiri accuſari ex eo adulterio, quod in minore ætate, antequàm nupta eſſet, commiſit: ſed uel quaſi ſponſa poterit accuſari ex reſcripto diui Seueri, quod ſupra relatum eſt. Sed & ſi qua repudiata mox reducta ſit, nõ quaſi eodem matrimonio durante, ſed quaſi alio interpoſito: uidendum eſt, an ex delicto, quod in priore matrimonio admiſit, accuſari poſſit. & puto nõ poſſe. aboleuit enim prioris matrimonij delicta reducendo eandem. Idem dicendum eſt, ſi ſtupri uelit accuſare eam, quã poſtea duxit uxorem. ſero enim accuſat mores, quos uxorem ducendo cõprobauit.

XIIII. SCAEVOLA.

IS, cuius ope & cõſilio dolo malo factũ eſt, ut uir fœminaúe in adulterio depræhenſi, pecunia, aliaúe qua pactiõe ſe redimeret: eadem pœna damnatẽ, quæ cõſtituta eſt in eos, qui lenocinij crimine damnantur.

Si uir infamandæ uxoris ſuæ cauſſa adulterum ſubiecerit, ut ipſe depræhenderet: & mulier, & uir adulterij crimine tenentur ex ſenatuscõſulto de ea re facto. Marito primũ uel patri eam filiã, quã in poteſtate habet, intra dies ſexaginta diuortij accuſare permittitur: nec ulli alij intra id tempus agendi poteſtas datur, ultra eos dies neutrius uoluntas exſpectatur. Iure mariti qui accuſant, calũniæ periculũ non euitant.

XV. VLPIANVS.

SI maritus ſit in magiſtratu, poteſt præueniri à patre? atquin non oportet. & putat Pomponius debere dici, quoad maritus magiſtratum

ſtratũ gerit, patris quoq; accuſationẽ impediendam: ne præripiatur ma rito ius, quod cum eo æquale habet. igitur non cedent ſexaginta dies patri, cum accuſare non poteſt. Legis Iuliæ de adulteriis capite ſeptimo ita cauetur. NE QVIS INTER REOS REFERAT EVM, QVI TVNC SINE DETRECTATIONE REIPVBLICAE CAVSSA ABERIT. neq; enim æquum uiſum eſt abſentem reipublicæ cauſſa inter reos referri: dum reipublicæ operaẽ. neceſſariò dicitur SINE DETRECTATIONE. Cæterũ ſi quis euitandi criminis cauſſa id egerit, ut reipublicæ cauſſa abeſſet: nihil illi cõmentum hoc proficiet. quod ſi quis præſens ſit, uice tamen abſentis habeatur: utputa qui in uigilibus, uel urbanis caſtris militat: dicendum eſt deferri hunc poſſe. neq; enim laborare habet, ut ſe repræſentet. Et generaliter dicendum eſt, eorum demum abſentiam excuſatam eſſe, qui in alia prouincia reipublicæ cauſſa abſunt, quàm in ea, in qua deferuntur. proinde ſi quis in prouncia, in qua agit, adulteriũ commiſerit, accuſari poterit: niſi ſit ea perſona, quæ ad præſidis cognitionẽ nõ pertinet. Si negauerint ſe pater & maritus accuſaturos intra diem ſexageſimũ: an ſtatim incipient tempora extraneo cedere? & primus Pomponius putauit, admitti ad accuſationẽ extraneum poſſe ſtatim, atq; negauerint. cui adſentiendum puto. fortius enim dicitur: eum, qui ſe negauerit acturum, poſtea nõ audiendum. Lex Iulia de adulteriis ſpecialiter quoſdam adulterij accuſare prohibet: ut minores annis uigintiquinq;. nec enim uiſus eſt idoneus accuſator, qui nondũ robuſtæ ætatis ſit. quod ita uerum eſt, ſi non matrimonij ſui iniuriam exſequatur. cæterũ ſi ſuum matrimoniũ uindicare uelit: quamuis iure extranei ad accuſationẽ ueniat, tamen audietur. nec enim ulla præſcriptio obijcitur ſuam iniuriam uindicanti. ſanè ſi iuuenili facilitate ductus, uel etiam feruore ætatis accenſus, ad accuſationẽ proſilijt: accuſanti ei non facile calũniæ pœna irrogabitur. Minorẽ uigintiquinq; annis & eũ accipimus, qui annũ uiceſimũ quintũ ætatis agit. Præſcriptiones, quæ obijci ſolent accuſantibus adulterij, ante ſolent tractari, quàm quis inter reos recipiatur. cæterũ poſtea, quàm ſemel receptus eſt, non poteſt ptæſcriptionẽ obijcere. Si in uiduitate mulier perſeuerat: in accuſatoris eſt arbitrio, à quo uelit incipere: utrum ab adultero, an ab adultera. Si quis & adulterũ & adulteram ſimul detulerit: nihil egit, poteritq; quaſi neutrum detulerit, & rurſus à quo uelit, initium facere: quia nihil prima delatione egit.

XVI. IDEM.

QVi uxori repudium miſit, poteſt denunciare, ne ea Seio nuberet. & ſi denunciauerit: & ab ea incipere poteſt.

XVII. IDEM.

Denunciaſſe

DEnunciasse qualiter accipimus: utrum ad iudicem, an uero simpliciter? ego, & si non denunciauit ad iudicem, sufficere credo, si adulterij se acturum denũciauerit. Quid ergo, si non quidem denunciauerit, uerum libellos accusatorios dederit ante, quàm nuberet: eaq; cum cognouisset, nupsit: ne ignorans? puto, non uideri ei denunciatũ: idcirco non posse accusatorem ab ea incipere. Quid ergo, si tantum denunciauit, ne nuberet: sed non addidit, quare? num recte nupsisse uideatur? sed melius est illud sequi, ut eius denunciatio uideatur electionem accusatori reseruare, qui crimen denunciauit. omnino igitur si fecit adulterij criminis cõmemorationem in denunciatione: & si iudicẽ non monstrauit: magis putamus mulierem, quasi denunciatio præcesserit, posse accusari. Quid tamen si specialiter, cum quo adulterium fecit, denunciatione complexus est: mox uelit eam ex alterius persona accusare? magis est, ut non debeat audiri. neq; enim crimen, quod denunciauit, obijcit. Sed & si per procuratorẽ denunciauerit: puto posse eum accusationẽ (si ueliti) nstituere: sufficereq; procuratoris denunciationem. ergo & si per actorem denũciauerit, id est per seruum dominus denunciauerit, rata erit denunciatio. Quæritur, an alius adulteram, alius adulterum postulare possit: ut quamuis ab eodem ambo simul postulari non possunt, à diuersis tamen singuli possint? sed non abre est hoc probare, diuersos accusatores admitti posse: dum si ante denunciationem nupserit, prior mulier accusari non possit. exspectabit igitur mulier sententiam de adultero latam. si absolutus fuerit: mulier per eum uincet, nec ultra accusari poterit. si cõdemnatus fuerit: mulier non est cõdemnata, sed aget causam suam: fortassis & obtinere uel gratia, uel iusticia, uel legis auxilio poterit. quid enim si adulter inimicitijs oppressus est, uel falsis argumentis, testibusq; subornatis apud præsidem grauatus, qui aut noluit, aut non potuit prouocare: mulier uero iudicem religiosum sortita, pudicitiam suam defendat? Sed si ante, quàm condemnetur,

XVIII. MARTIANVS.

VEl ante, quàm cum eo agi cœperit,

XIX. VLPIANVS.

ADulter diem suum obierit: constitutum est, etiam mortuo adultero sine præscriptione mulierẽ posse accusari. sed & si nõ mors, sed pœna alia reum subtraxerit: adhuc dicimus posse mulierem conueniri. Si eo tempore, quo eligebatur reus, adultera nupta non fuerit, quo autem absoluatur, nupta inuenitur: dicendum est, hanc absoluto quoq; adultero posse accusari: quia eo tempore, quo adulter eligebatur, nupta non fuit. Nupta non potest accusari, non tantum ab eo, qui

qui adulterum accusauit,nec obtinuit:sed ne ab alio quidem,si adulter absolutus est. Proinde si per collusionem cũ adultero constituerit, fueritq; absolutus:dedit mulieri nuptæ aduersus omnes securitatem. Plane si nupta esse desierit:accusari poterit. neq; enim aliam lex tuetur, q̃ eam,quæ nupta est,quàmdiu nupta erit.

XX. POMPONIVS.

PAtri dat̃ ius occidendi adulterũ simul cũ filia,quã in potestate habet. itaq; nemo alius ex parẽtibus idem iure faciet:sed nec filiusfamilias pater. XXI. VLPIANVS.

SIc eueniet,ut nec pater,nec auus possit occidere: nec immerito. in sua enim potestate non uidetur habere, qui non est suæ potestatis.

XXII. PAPINIANVS.

NEc in ea lege naturalis pater ab adoptiuo separatur. In accusationem uiduæ filiæ non habet pater ius præcipuum. Ius occidendi patri conceditur domi suæ (licet ibi filia non habitet) uel in domo generi. sed domus & pro domicilio accipienda est,ut in lege Cornelia de iniuriis. sed qui occidere potest adulterum: multo magis contumelia poterit eum iure adficere. ideo autem patri,nõ marito mulierẽ & omnem adulterum permissum est occidere,quod plerunq; pietas paterni nominis consilium pro liberis capit. cæterum mariti calor & impetus facile decernentis fuit refrenandus

XXIII. VLPIANVS.

QVod ait lex, CVM IN FILIA ADVLTERVM DEPRAEHENDERIT, non ociosum uidetur. uoluit enim ita demum hanc potestatem patri competere,si in ipsa turpitudine filiam cum adultero deprehẽdat. Labeo quoq; ita probat. & Pomponius scribit, in ipsis rebus Veneris deprehensum occidi. & hoc est,quod Solo & Draco dicunt ἐν ἔργῳ. Sufficit patri,si eo tempore habeat in potestate, q̃ occidit,non quo in matrimonium collocauit. finge enim postea redactam in potestatem. Quare non ubicunq; deprehenderit pater,permittatur occidere, sed domi suæ,generiue sui,tantum illa ratio reddit̃:quod maiorem iniuriam putauit legislator,quod in domo patris,aut mariti ausa fuerit filia adulterum inducere. sed si pater alibi habitet,habeat autem & aliam domum,in qua non habitet:deprehensam illo filiam, ubi nõ habitat,occidere non poterit. Quod ait lex, IN CONTINENTI FILIAM OCCIDAT: sic erit accipiendum, ne occiso hodie adultero reseruet,& post diem filiam occidat,uel contra. debet enim propè uno ictu & uno impetu utrũq; occidere,æquali ira aduersus utrũq; sumpta. qd̃ si non adfectauit,sed dũ adulterũ occidit,pfugit filia, & interpositis horis adprehensa est à patre,qui persequebat̃:in cõtinenti uidebit̃ occidisse.

XXIIII. MACER.

MArito quoq; adulterum uxoris suæ occidere permittitur: sed nō quemlibet, ut patri. nam hac lege cauetur, ut liceat uiro deprehensum domi suæ (non etiam soceri) in adulterio uxoris occidere eū, qui leno fuerit, quiúe artem ludicram fecerit, uel in scenam saltādi causa prodierit: iudicioúe publico damnatus, neq; in integrū restitutus erit: quiúe libertus eius mariti, uxorisúe patris, matris, filij, filiæ, utrius eorum fuerit (nec interest proprius cuius eorū, an cum alio communis fuerit) quiúe seruus erit. & præcipitur, ut is maritus, qui horum quem occiderit, uxorem sine mora dimittat. cæterū sui iuris quis, an filiusfamilias sit maritus, nihil interesse, à plerisq; dictum est. Illud in utroq; ex sententia legis quæritur, an patri magistratum occidere liceat: item si filia ignominiosa sit, aut uxor contra leges nupta, an id ius nihilominus pater maritusúe habeat: & quid si pater maritusúe leno, uel aliqua ignominia notatus sit: & rectius dicetur, eos ius occidendi habere, qui iure patris maritiúe accusare possunt.

XXV. VLPIANVS.

CApite quinto legis Iuliæ ita cauetur, ut uiro adulterum cum uxore sua deprehensum, quem aut nolit, aut non liceat occidere, retinere horis diurnis nocturnisq; continuis non plus quàm uiginti, testandæ eius rei caussa, sine fraude suo iure liceat. ego arbitror etiam in patre id seruandum, quod in marito expressum est. sed & si non in domo sua maritus deprehēderit, poterit retinere. sed semel remissus adulter, reduci non potest. quid ergo si euaserit: an reductus custodiri uiginti horis possit: & putem, hic magis dicendum, reductum retineri posse, testandæ rei gratia. Quod adijcitur, TESTANDAE REI GRATIA: ad hoc pertinet, ut testes inducat testimonio futuros accusatori deprehensum reum in adulterio.

XXVI. IDEM.

COnstante matrimonio ab his, qui extra maritum ad accusationem admittuntur, accusari mulier adulterij non potest. probatā enim à marito uxorem, & quiescens matrimoniū non debet alius turbare atq; inquietare: nisi prius lenocinij maritum accusauerit. derelictā uero à marito accusationem etiam ab alio excitari utile est.

XXVII. IDEM.

SI postulauerit accusator, ut quæstio habeatur de seruo adulterij accusati: siue ipse uoluit interesse, siue noluit: iubent eum iudices seruum æstimari: & ubi æstimauerint, tantam pecuniam adulterū: & tantam eum, qui nomen eius serui detulit, ei, ad quem ea res pertinet, dare iubebunt. Sed dispiciamus, cui ista pecunia præstanda sit, quia lex eū nomi

nominauit,ad quem ea res pertinebit:igit̃ bonæ fidei emptorem, quã-uis ab eo emit,qui dominus non est,recte dicemus eum esse, ad quem ea res pertinet. Eũ quoq; qui pignori accepit,magis admittimus in eadem caussa esse:scilicet,quia interest eius quæstionem non haberi. sed & si ususfructus in seruo alienus sit,inter dominum & fructuarium diuidi debet æstimatio:& si communis plurium seruus erit, utiq; inter eos quoq; erit æstimatio diuidẽda. Si liber homo,dũ seruus existimatur,tortus sit,quia & ipse conditionem suã ignorat:magis admittit Cæcilius,accusationem utilem sibi dandã aduersus eum,qui per calumniam appetit:ne impunita sit calumnia eius ob hoc,quod liberum hominem quasi seruum deduxit in quæstionem. Haberi quæstionem lex iubet de seruis ancillisue eius, de quo uel de qua quæreretur,parentisue utrius eorum:si ea mancipia ad usum eius à parentibus data sint. diuus autem Hadrianus Cornelio Latiniano rescripsit,& de exteris seruis quæstionem haberi. Quæstioni interesse iubentur reus reaue, & patroni eorum,& qui crimen detulerit, interrogandiq; facultas datur patronis. De eo quoq; seruo,in quo usumfructum reus habuit,magis est,ut quæstio haberi possit. licet enim seruus eius non fuerit:in seruitute tamen fuisse uidetur. nec tam proprietatis caussa ad quæstionẽ, quàm ministerij pertinet. Ergo & si bona fide seruiat reo seruꝰ alienus: admittat quis,interrogari eum per quæstionẽ posse. sed & si seruus sit, cui fideicommissaria debetur libertas,uel statuta speratur: torqueri eũ posse,magis est. Iubet lex eos homines,de quibus quæstio ita habita sit, publicos esse. proinde in cõmuni partem publicamus: in proprio, cuius ususfructus alienus est,nudam proprietatem. in quo tantũ usumfructum habuit reus:magis est,ut perceptio ususfructus ad publicũ incipiat pertinere. alienum seruum utiq; non publicamus. Ratio autem publicandorum seruorum ea est,ut sine ullo metu uerum dicant:& nedum timeant se in reorum potestatem regressuros,obdurent in quæstione. non tamen prius publicantur,quàm quæstio de illis habita fuerit. sed & si negauerint:nihilominus publicãtur. ratio enim adhuc eadẽ est:ne dum hi sperant se in potestatem dominorum reuersuros,si negauerint,spe meriti collocandi in mendacio perseuerent. Sed & serui accusatoris,si de his quæstio habita sit,publicentur. eius em̃ serui ne mentiantur, merito à domino eius recedunt. extranei uero non habent,cui gratificentur. Si reus uel rea absoluti fuerint, æstimari per iudices lex damnum uoluit:siue mortui fuerint,quãtæ pecuniæ ante quæstionem fuerint:siue uiuerent,quantæ pecuniæ in his damnum datum fuerit,factumue esset. Notandum est,quod hoc capite quidem non cauetur,si seruus adulterij accusetur,& accusator quæstionem in eo habe-

ri uelit,duplum precium domino præstari: at hic simplum.

XXVIII. MARTIANVS.

QVod ex his caussis debetur, per condictionem, quæ ex lege descendit,petitur.

XXIX. VLPIANVS.

MAriti lenocinium lex coërcuit, qui deprehensam uxorem in adulterio retinuit,adulterumq; dimisit.debuit enim uxori quoq; irasci,quæ matrimonium eius uiolauit.tunc autem puniendus est maritus eius,cum excusare ignorantiam suam non potest, uel adumbrare patientiam prætextu incredibilitatis.idcirco enim lex ita locuta est, ADVLTERVM IN DOMO DEPRAEHENSVM DIMISERIT: quod uoluerit in ipsa turpitudine deprehensum maritum coërcere. Quod ait lex,DAMNATAM ADVLTERII SI QVIS DVXERIT VXOREM, EA LEGE TENETOR: an & ad stuprum referatur,uideamus.quod magis est.certe si ob aliam caussam ea lege sit condemnata:impune uxor ducetur. Plectitur,& qui precium pro comperto stupro acceperit.nec interest,utrum maritus sit,qui accepit,an alius quilibet.quicunq; enim ob conscientiam stupri accepit aliquid,pœna erit plectendus. cæterum si gratis quis remisit,ad legem non pertinet. Qui quæstum ex adulterio uxoris suæ fecit,plectitur.nec enim mediocriter deliquit,qui lenocinium in uxorem exercuit. Quæstum autem ex adulterio uxoris facere uidetur,qui quid acceperit,ut adulteretur uxor:& siue sæpius,siue semel accepit, non est eximendus. Quæstum enim de adulterio uxoris facere propè ille existimandus est,qui aliquid accepit,ut uxorem pateretur adulterari meretricio quodam genere. quod si patiatur uxorem delinquere,non ob quæstũ,sed ob neglegentiam,uel culpam,uel quandam patientiam,uel nimiam credulitatem:extra legem positus uidet.

Sex mensium hæc fiet separatio:ut in nupta quidem ex die diuortij sex menses computentur, in uidua uero ex die cõmissi criminis.qđ significare uidetur rescriptio ad Tertyllũ & Maximũ consules. Præterea si ex die diuortij sexaginta dies sunt,ex die uero commissi criminis quinquennium præterierit:debuit dici nec mulierem posse accusari:ut quod dantur sex menses utiles,sic sit accipiendũ,ne crimen quinquennio continuo sopitum excitetur. Hoc quinquennium obseruari legislator uoluit,si reo uel reæ stuprũ,adulterium,uel lenociniũ obijciatur.quid ergo si aliud crimen sit,quod obijciatur,quod ex lege Iulia descendit:ut sunt,qui domum suam caussa stupri præbuerint,& alij similes? & melius est dicere,de omnibus admissis ex lege Iulia uenientibus quinquenniũ esse præstitum. Quinquennium autem accipiendum est ex eo die,ex quo quid admissum est:& ad eum diem, quo quis postulaẽ

postulatur,postulataúe est:& non ad eum diem,quo iudicium de adulteriis exercetur. Hoc amplius senatusconsulto adiectũ est:ut si plures eundẽ postulauerint:eius,qui perseuerauerit reũ reamúe facere, postulationis dies prima exigat̃,scilicet ut qui accusat, suos libellos accusatorios exspectet,non alienos. Eum autem,qui per uim stuprũ intulerit,uel mari, uel fœminæ:sine præfinitione huius temporis accusari posse,dubiũ non est:cum eũ publicâ uim cõmittere, nulla dubitatio sit.

XXX. PAPINIANVS.

PAter sine periculo calũniæ agere non potest. Sexaginta dies à diuortio numerant̃.in diebus aũt sexaginta & ipse sexagesimus dies est.

XXXI. IDEM.

QVinquenniũ non utile,sed cõtinuò numerandũ est. quid ergo si prior mulier rea facta sit,& ideo adulter eodem tempore reus fieri non poterit,& diu tracta lite quinquenniũ transierit? quid si is, qui intra quinquenniũ,quem postulauerat,non peregerit: aut prævaricatus est,& alius eundẽ repetere uelit,& quinquenniũ transactũ sit? æquũ est computationi quinquennij eximi id tempus,quod per postulationem præcedentem consumptum sit.

XXXII. MACER.

NIhil interest,adulterã filiam prius pater occiderit, an non: dum utrunq; occidat.nanq; si alterum occidit:lege Cornelia reus erit. qd̃ si altero occiso,alter uulneratus fuerit: uerbis quidem legis non liberatur.sed diuus Marcus & Cõmodus rescripserunt,impunitatem ei concedi:quia licet interempto adultero,mulier superuixerit post tam grauia uulnera,quæ ei pater inflixerat:magis facto,q̃ uolũtate eius seruata est:quia lex parem in eos,qui deprehensi sunt,indignationem exigit,& seueritatem requirit. Cum alterũ ex adulteris elegerit maritus: alterum non ante accusare potest,quàm prius iudiciũ finietur:quia duos simul ab eodem accusari non licet.nõ tamen prohibetur accusator simul cũ adultero uel adultera eum quoq; accusare, qui domũ suã præbuit,uel consilio fuit,ut crimen redimeretur.

XXXIII. MARTIANVS.

SI quis adulteriũ à seruo suo cõmissum dicat in eam,quã uxorẽ habuit:diuus Pius rescripsit,accusare potius mulierẽ eũ debere,q̃ in præiudiciũ seruũ eius torquere. Si quis adulterũ nõ dimiserit,sed retinuerit(forsitan filiũ in nouercã,uel etiam libertũ,uel seruũ in uxorem)ex sententia legis tenetur,quamuis uerbis non contineretur. quæ aũt retinetur,punitur.sed & si dimissam reduxerit, uerbis non tenetur:sed tamen dicendum est,ut teneatur,ne fraus fiat. Si uxor ex adulterio uiri præmium acceperit:lege Iulia quasi adultera tenetur.

XXXIIII. MODESTINVS.

STuprum cõmittit,qui liberam mulierem cupidinis cauſſa, nõ matrimonij continet:excepta uidelicet concubina. Adulterium in nupta admittitur:ſtuprum in uidua,uel uirgine,uel puero.

XXXV. IDEM.

ACcuſaturus adulterij, ſi circa inſcriptionem errauerit, ſiquidem tempora largiãtur, emendare nõ prohibet, ne cauſſa aboleatur.

XXXVI. PAPINIANVS.

SI minor annis adulterium cõmiſerit:lege Iulia tenetur, quoniã tale crimen poſt pubertatem incipit.

XXXVII. IDEM.

FIliumfamilias publico iudicio adulterium in uxorem ſine uoluntate patris arguere poſſe,conſtitutum eſt. uindictam enim proprij doloris conſequitur.

XXXVIII. IDEM.

SI adulterium cum inceſtu cõmittatur:utputa cum priuigna,nuru, nouerca: mulier ſimiliter quoq; punietur. id enim remoto etiam adulterio eueniret. Stuprum in ſororis filiã ſi cõmittatur:an adulterij pœna ſufficiat marito,conſiderandum eſt. occurrit,quod hic duplex admiſſum eſt:quia multum intereſt, errore matrimoniũ illicite cõtrahatur, an contumacia iuris & ſanguinis contumelia concurrant. quare mulier tũc demũ eam pœnam,quam mares,ſuſtinebit:cum inceſtum iuregentiũ prohibitũ admiſerit. nam ſi ſola iuris noſtri obſeruatio interueniat:mulier ab inceſti crimine erit excuſata. nõnunquam tamen & in maribus inceſti crimina (quanquam grauiora ſint natura) humanius,quàm adulterij tractari ſolent:ſi modo inceſtum per matrimoniũ illicitum contractum ſit. Fratres deniq; imperatores Claudiæ crimen inceſti propter ætatem remiſerunt, ſed diſtrahi coniunctionẽ illicitam iuſſerunt:cum aliâs adulterij crimen,quod pubertate delinquitur, non excuſetur ætate. nam & mulieres in iure errantes, inceſti crimine non teneri, ſupra dictum eſt: cũ in adulterio cõmiſſo nullam habere poſſint excuſationẽ. Iidem Imperatores reſcripſerũt, poſt diuortium,quod cum nouerca bona fide priuignus fecerit,non eſſe crimen admittendũ inceſti. Iidem Pollioni in hæc uerba reſcripſerũt. inceſtæ nuptiæ non firmari nõ ſolent. & ideo abſtinenti tali matrimonio pœnam præteriti delicti, ſi nondum reus poſtulatus eſt,remittimus. inceſtum autẽ,quod per illicitam matrimonij coniunctionẽ admittitur, excuſari ſolet, uel ſexu,uel ætate,uel etiam puniendi correctione, quæ bona fide interuenit. utiq; ſi error allegatur:& facilius,ſi nemo reum poſtulauerit. Imperatores Marcus Antoninus,& Cõmodus filius reſcripſerunt, ſi maritus

tus uxorem in adulterio deprehensam, impetu tactus doloris interfecerit: non utiq; legis Corneliæ de sicarijs pœnã excipiet. nam & diuus Pius in hæc uerba rescripsit Apollonio. ei, qui uxorem suam in adulterio deprehensam occidisse se non negat, ultimũ suppliciũ remitti potest: difficilimũ cum sit, iustum dolorem temperare: & magis, quia plus fecerit, quàm quia se uindicare nõ debuerit, puniendus sit. sufficiet igitur, si humili loco sit, in opus perpetuũ eum tradi: si quid honestior, in insulã relegari. Liberto patroni famã lacessere non facile cõceditur: sed si iure mariti uelit adulterij accusare, permittendũ est, quomodo si atrocem iniuriam passus esset. certe si patronum, qui sit ex eo numero, qui deprehensus ab alio interfici posset, in adulterio uxoris deprehenderit: deliberandum est, an impune possit occidere. quod nobis durum esse uidetur. nam cuius famæ, multomagis uitæ parcendum est. Si quis in honore ministerioñe publico sit: reus quidem postulatur, sed differtur eius accusatio, ut cautione in iudicio sistendi caussa promittatur in finem honoris. & hoc ita Tyberius Cæsar rescripsit.

XXXIX. IDEM.

VIm passam esse mulierẽ sententia præsidis prouinciæ cõtinebat. in legem Iuliam de adulterijs non cõmisisse respondi: licet iniuriam suam protegendæ pudicitiæ caussa confestim marito renunciari prohibuit. Nupta quoq; muliere, tametsi lenocinij uir prior non postuletur, adulterij tamen crimen contra adulterum ab extero poterit inferri. In matrimonio quoq; defuncta uxore, uir iure adulterũ inter reos recipi postulat. Nupta, prius quàm adulter damnetur, adulterij non postulatur: si nuptias denunciatio uel ad domum mulieris missa non præcessit. Mulierem ob latronum societatẽ exulare iussam citra pœnæ metum in matrimonio posse retineri respondi: quia nõ fuerit adulterij damnata. Præscriptione quinq; annorũ crimen incesti coniunctum adulterio non excluditur. Duos quidem adulterij marem & fœminã propter cõmune crimen simul non iure, nec à uiro postulari conuenit. cum tamen duobus denunciatũ fuisset ab eo, qui postea desistere uolebat: abolitionem esse necessariã in utriusq; personam respondi. Incesti cõmune crimen aduersus duos simul intentari potest. De seruis in dominos incesti postulatos quæstioñẽ ita demum habendam respõdi, si per adulterũ incestum esse contractum dicatur.

XL. PAVLVS.

QVæsitum est, an ea, quã maritus adulterij crimine se accusaturũ minatus est, nec quidquã egit: uel iure mariti, uel iure publico: nubere possit ei, quem in eam reum adulterij destinauerit? Paulus respondit, nihil impedire, quo minus ei, quem suspectũ maritus habuit,

ea,

ea, de qua quæritur, nubere possit. Item quæritur, an idem maritus destitisse uideatur, uel lenocinium cõmisisse, qui eandem reduxit uxorem? Paulus respondit eum, qui post crimen adulterij intentatum eandem uxorem reduxerit, destitisse uideri: & ideo ex eadem lege postea ius accusandi ei non superesse.

XLI. IDEM.

IN crimine adulterij nulla danda dilatio est: nisi ut personæ exhibeantur, aut iudex qualitate negocij motus hoc caussa cognita permiserit.

XLII. TRIPHONINVS.

SI is, qui ius anulorum aureorum impetrauit, adulterium commiserit in patroni uxorem, aut in patronam suam, aut in eius eamñe, cuius libertus patris, aut matris, filij, filiæñe fuit: an ut libertus puniri debeat? & si deprehensus sit in adulterio, an impune occidatur? & magis probo pœnæ subijciendum libertinorum: quoniam lege Iulia de adulterijs coërcendis ad tuenda matrimonia pro libertinis eos haberi placuit: & deteriorem caussam per istud beneficium patronorum haberi non oportet.

XLIII. CAIVS.

SI ex lege repudium missum non sit, & idcirco mulier adhuc nupta esse uideatur: tametsi quis eam uxorem duxerit: adulter non erit. idq; Saluius Iulianus respondit: quia adulterium (inquit) sine dolo malo non committitur. quanquã dicendum est: ne is, qui sciret eam ex lege repudiatam non esse, dolo malo committat.

XLIIII. PAVLVS.

DEfuncta quoq; socru gener incesti postulabit, ut adulter post mortem mulieris.

AD LEGEM IVLIAM DE VI publica. Tit. VI.

I. MARTIANVS.

LEge Iulia de ui publica tenetur, qui arma, tela, domi suæ, agroñe in uilla, præter usum uenationis, uel itineris, uel nauigationis coëgerit.

II. VLPIANVS.

EXcipiuntur etiam arma, quæ quis promercij caussa habuerit, hæreditateñe ei obuenerint.

III. MARTIANVS.

IN eadem caussa sunt, qui turbæ seditionisue faciendæ consiliũ inierint, seruosue aut liberos homines in armis habuerint. Eadem lege tenet

ge tenetur,qui pubes cum telo in publico fuerit. in eadem cauſſa ſunt, qui peſſimo exemplo conuocata ſeditione uillas expugnauerint, & cũ telis ac armis bona rapuerint. item tenetur,qui ex incendio rapuerit aliquid præter materiam. præterea punitur huius legis pœna, qui puerũ, uel fœminam,uel quẽquam per uim ſtuprauerit. ſed & qui in incendio cum gladio aut telo rapiendi cauſſa fuerit, uel prohibendi res ſuas dominum ſeruare:eadem pœna tenetur. eadem lege tenetur,qui hominibus armatis poſſeſſorem domo agroúe ſuo uel naui ſua deiecerit, excuſſerit,expugnauerit.

IIII. VLPIANVS

VTiúe id fieret,homines commodauerit.

V. MARTIANVS.

QVi cœtu,concurſu,turba,ſeditione incendium fecerit:quíq; hominem dolo malo incluſerit,obſederit:quiúe fecerit, quo minus ſepeliatur,quo magis funus diripiatur, diſtrahatur: quiúe per uim ſibi aliquem obligauerit. nam eam obligationem lex reſcindit. Si de ui, & poſſeſſione,uel dominio quærat̃:ante cognoſcendũ eſſe de ui,quàm de proprietate rei,diuus Pius τῷ δ' κοινῷ τῶν θεσσάλων reſcripſit. ſed & decreuit,ut prio de ui quærat̃,cp̃ de iure dominij,ſiue poſſeſſionis. Qui uacantem mulierem rapuit,uel nuptam,ultimo ſupplicio punitur. & ſi pater iniuriam ſuam precibus exoratus remiſerit: tamen extraneus ſine quinquennij præſcriptione reum poſtulare poterit: cum raptus crimen legis Iuliæ de adulterijs poteſtatem excedat.

VI. VLPIANVS.

ET eum,qui puerum ingenuum rapuit,puniendum diuus Pius reſcripſit in hæc uerba. Exemplum libelli dati mihi à Domitio Syluano nomine Domitij Syluani patrui,ſubijci iuſſi:motus querela eio, qua ſignificauit,filium ſuum ingenuum iuuenem admodum raptum atq; concluſum,mox uerberibus ac tormentis uſq; ad ſummum periculum adflictum. Gemine chariſſime uelim,audias eum:& ſi compereris hæc ita admiſſa,rem ſeuere exſequaris.

VII. IDEM.

LEge Iulia de ui publica tenetur,qui cum imperium poteſtatemúe haberet,ciuem Romanum aduerſus prouocationem necauerit, uerberauerit,iuſſeritúe quid fieri,aut quid in collum iniecerit, ut torqueat̃:item quod ad legatos,oratores,comitesúe attinebit, ſi quis quẽ eorum pulſaſſe,aut iniuria adfeciſſe arguatur.

VIII. MARTIANVS.

LEge Iulia de ui publica cauetur,ne quis reum uinciat,impediatúe, quo minus Romæ intra certum tempus adſit.

IX. PAVLVS.

ARmatos non utiq; eos intelligere debemus, qui tela habuerint: sed etiam eos, qui habent, quod nocere potest.

X. VLPIANVS.

QVi dolo malo fecerit, quo minus iudicia tutô exerceantur, aut iudices ut oportet iudicent: uel is, qui potestatem imperiumue habebit, aliter, quàm ei ius erit, decernat, imperet, faciat. qui ludos pecuniamue ab aliquo inuito polliceri publice, priuatimq; per iniuriam exegerit. item qui cum telo dolo malo in concione fuerit, aut ubi iudicium publice exercebitur. exceptus est, qui propter uenationem habeat homines, qui cũ bestijs pugnent. ministros em̃ ad ea habere concedi tur. Hac lege tenetur, & qui conuocatis hominibus uim fecerit, quo quis uerberetur, & pulsetur, & si neq; homo occisus sit. Damnato de ui publica aqua & igni interdicitur.

XI. PAVLVS.

HI, qui ædes alienas aut uillas expilauerinte, ffregerint, expugnauerint: si quidẽ in turba cum telis fecerint: capite puniunt. Telorum autẽ appellatione omnia, ex quibus singuli homines nocere possunt, accipiunt̃. Qui telum tutandæ salutis suæ caussa gerunt, nõ uidentur hominis occidendi caussa portare.

XII. IDEM.

QVi noua uectigalia exercent, lege Iulia de ui publica tenentur.

AD LEGEM IVLIAM DE VI priuata. Tit. VII.

I. MARTIANVS.

DE ui priuata damnati pars tertia bonorum ex lege Iulia publicatur: & cautum est, ne senator sit, nec decurio, aut ullum honorem capiat, neue in eum ordinem sedeat, neue iudex sit: & uidelicet omni honore quasi infamis ex senatusconsulto carebit. Eadem pœna adficiuntur, qui ad pœnam legis Iuliæ de ui priuata rediguntur, & si quis ex naufragio dolo malo quid rapuerit. sed & ex constitutionibus principum extra ordinẽ, qui de naufragijs aliquid diripuerint, puniunt̃. nam & diuus Pius rescripsit: nullã uim nautis fieri debere: & si quis fecerit, ut seueriſſime puniatur.

II. SCAEVOLA.

HAc lege tenetur, qui conuocatis hominibus uim fecerit, quo quis uerberetur, pulsetur: neq; homo occisus erit.

III. MACER. Nec

NEc interest,liberos,an seruos suos,an alienos quis ad uim faciendam conuocauerit.nec minus hi,qui conuocati sunt, eadem lege tenentur.sed & si nulli conuocati,nulliq; pulsati sunt, per iniuriam tamen ex bonis alienis quid ablatũ sit:hac lege teneri eũ,qui id fecerit.

IIII. PAVLVS.

LEgis Iuliæ de ui priuata crimen committitur,cum cœtũ aliquis & concursum fecisse dicitur,quo minus quis in ius produceretur: & si quis quæstionem de alterius seruo habuisset.& ideo moderatius edicto prætoris de iniurijs utendum esse,Labeo ait.

V. VLPIANVS.

SI quis aliquem deiecerit ex agro suo hominibus congregatis sine armis:uis priuatæ postulari poterit.

VI. MODDESTINVS.

EX senatusconsulto Volusiano,qui improbe coëunt in alienam litem,ut quidquid ex condẽnatione in rem ipsius redactũ fuerit,inter hos communicaretur:lege Iulia de ui priuata tenentur.

VII. CALLISTRATVS *lib.V.de cognitionibus.*

CReditores si aduersus debitores suos agant:per iudicem id, quod deberi sibi putant,reposcere debent.alioquin si in rem debitoris sui intrauerint,nullo id concedente:diuus Marcus decreuit, ius creditis eos nõ habere.uerba decreti hæc sunt. optimũ est,ut si quas putes te habere petitiones,actionibus experiaris. interim ille in possessione debet morari,tu petitor esse.& cum Martianus diceret.uim nullam feci:Cæsar dixit, tu uim putas esse solum,si homines uulnerentur? uis est & tunc,quoties quis id,quod deberi sibi putat,non per iudicem reposcit. nõ puto autem nec uerecundiæ, nec dignitati,nec pietati tuæ conuenire,quidquã nõ iure facere.quisquis igitur ,pbatus mihi fuerit, rem ullã debitoris,non ab ipso sibi traditam,sine ullo iudice temere possidere, *(uel accepisse)sibiq; ius in eam rem dixisse:ius crediti non habebit. al's *deest

VIII. MODESTINVS.

SI creditor sine authoritate iudicis res debitoris occupet: hac lege tenetur,& in tertia parte bonorum multatur,& infamis fit.

AD LEGEM CORNELIAM DE SICARIJS & ueneficis. Tit. VIII.

I. MARTIANVS.

LEge Cornelia de sicarijs & ueneficis tenetur, qui hominem occiderit:cuiusue dolo malo incendium factũ erit: quiue hominis occidendi,furtiue faciendi causa cũ te-

lo ambulauerit:quiúe cum magiſtratus eſſet,publicoúe iudicio præſet,operam dederit,quo quis falſum indicium profiteretur,ut quis innocens conueniretur,condẽnaretur. Præterea tenetur,qui hominis necandi cauſſa uenenum confecerit, dederit:quiúe falſum teſtimoniũ dolo malo dixerit, quo quis publico iudicio rei capitalis damnaretur: quiúe magiſtratus iudexúe quæſtionis ſub capitalem cauſſam pecuniã acceperit,ut publica lege reus fieret. Et qui hominem occiderit, punit: non habita differentia,cuius conditionis hominem interemit. Diuus Hadrianus reſcripſit:eum,qui hominem occiderit,ſi non occidendi animo hoc admiſerit,abſolui poſſe:& qui hominem non occiderit, ſed uulnerauerit,ut occidat,pro homicida damnandum:& ex re conſtituendum hoc.nam ſi gladiũ ſtrinxerit,& eo percuſſerit: indubitate occidendi animo id eum admiſiſſe. Sed ſi claui percuſſit,aut cucuma in rixa:quamuis ferro percuſſerit,tamen non occidendi animo: leniendã pœnã eiꝰ,qui in rixa caſu magis,q̃ uolũtate homicidiũ admiſerit. Itẽ diuus Hadrianus reſcripſit:eum, qui ſtuprum ſibi uel ſuis per uim inferentem occidit,dimittendum. Sed & in eum,qui uxorẽ depræhenſam in adulterio occidit,diuus Pius leniorem pœnam irrogandam eſſe reſcripſit:& humiliore loco poſitum in exilium perpetuum dari iuſſit,in aliqua dignitate poſitum ad tempus relegari.

II. VLPIANVS.

INauditum filium pater occidere non poteſt: ſed accuſare eum apud præfectum præſidemúe prouinciæ debet.

III. MARTIANVS.

EIuſdem legis Corneliæ de ſicarijs & ueneficis capite quinto, qui uenenum malum necandi hominis cauſſa fecerit, uel uendiderit, uel habuerit, plectitur. Eiuſdẽ legis pœna adficitur,qui in publicũ mala medicamenta uendiderit,uel hominis necãdi cauſſa habuerit. Adiectio autem iſta ueneni mali oſtendit eſſe quædam & non mala uenena. ergo nomẽ medium eſt,& tam id,quod ad ſanandũ,quàm id,quod ad occidendum paratum eſt,continet. ſed & id,quod amatorium appellatur. ſed hoc ſolum notatur in ea lege,quod hominis necandi cauſſa habet. ſed ex ſenatuſconſulto relegari iuſſa eſt ea, quæ non quidem malo animo, ſed malo exemplo medicamentum ad conceptionem dedit,ex quo ea,quæ acceperat,deceſſit. Alio ſenatuſconſulto effectum eſt,ut pigmentarij,ſi cui temere cicutam, ſalamandram, aconitum, pityocampas,bupreſtim, mandragoram, cantharidas, aut quid luſtramenti cauſſa dederint: pœna teneantur huius legis. Item is, cuius familia ſciente eo recuperandæ & apiſcendæ poſſeſſionis cauſſa arma ſumpſerit. Item qui author ſeditionis fuerit,& qui naufagium

ſuppreſſe

suppresserit:quiúe falsa indicia professus fuerit, profitendaúe curauerit,quo quis innocens circumueniretur. Qui hominem libidinis uel promercij caussa castrauerit,ex senatusconsulto pœna legis Corneliæ punitur. Legis Corneliæ de sicarijs & ueneficis pœna insulæ deportatio est,& omnium bonorum ademptio. sed solent hodie capite puniri:nisi honestiore loco positi fuerint, ꝯ ut pœnã legis sustineant. humiliores enim solent uel bestijs subijci:altiores uero deportantur in insulam. Transfugas licet (ubicunq; inuenti fuerint)quasi hostes interficere.

IIII. VLPIANVS.

LEge Cornelia de sicarijs tenetur, qui cum in magistratu esset, eorum quid fecerit cõtra hominis necem, quod legibus permissum non est. Cum quidam per lasciuiam caussam mortis præbuisset: cõprobatum est factum Ignatij Taurini proconsulis Beticæ à diuo Hadriano,quod eum in quinquenniũ relegasset. Idem diuus Hadrianus rescripsit. cõstitutum quidem est,ne spadones fierẽt:eos autem, qui hoc crimine arguerentur, legis Corneliæ pœna teneri,eoruḿq; bona meri to fisco meo uindicari debere. sed & in seruos,qui spadones fecerit,ultimo supplicio animaduertendum esse. & qui hoc crimine tenerẽtur,si non adfuerint,de absentibus quoq;, tanquam legis Corneliæ teneantur,pronunciãdum esse. Planè si ipsi,qui hanc iniuriam passi sunt,proclamauerint:audire eos præses prouinciæ debet,& qui uirilitatem amiserint. nemo enim liberum seruumúe inuitum sinentemúe castrare debet: nec quis se sponte castrandum præbere. at si quis aduersus edictũ meum fecerit: medico quidem, qui exciderit, capitale erit: item ipsi, qui se sponte excidendum præbuit.

V. PAVLVS.

HI quoq;,qui thlibias faciunt,ex cõstitutione diui Hadriani ad Nonium Hastam in eadem caussa sunt, qua hi, qui castrant.

VI. SCAEVOLA.

IS,qui seruum castrandum tradiderit, pro parte bonorum dimidia multatur ex senatusconsulto, quod Neratio Vero & Annio Prisco consulibus factum est.

VII. PAVLVS.

IN lege Cornelia dolus pro facto accipiẽ: neq; in hac lege culpa lata pro dolo accipitur. quare si quis ab alto se præcipitauerit,& super alium uenerit,euḿq; occiderit:aut putator ex arbore, cum ramum deijceret,non proclamauerit,& prætereuntem occiderit:ad huius legis coẽrcitionem non pertinet.

VIII. VLPIANVS.

SI mulierem uisceribus suis uim intulisse,quo partum abigeret, con

stiterit: eam in exsilium præses prouinciæ exiget.

IX. IDEM.

FVrem nocturnũ si quis occiderit: ita demum impune feret, si parcere ei sine suo periculo non potuit.

X. IDEM.

SI quis dolo insulam meam exusserit: capitis pœna plectetur quasi incendiarius.

XI. MODESTINVS.

CIrcumcidere filios suos iudæis tantum rescripto diui Pij permittitur. in non eiusdem religionis qui hoc fecerit: castrantis pœna irrogatur. Seruo sine iudice ad bestias dato, nõ solum qui uendidit, uerum & qui comparauit, tenebitur. Post legem Petroniam & senatusconsulta ad eam legem pertinentia, dominis potestas ablata est ad bestias depugnandas suo arbitrio seruos tradere: oblato tamen iudici seruo (si iusta sit domini querela) sic pœnæ tradetur.

XII. IDEM.

INfans, uel furiosus, si hominẽ occiderit, legis Corneliæ non tenetur: cum alterũ innocentia consilij tuetur, alterũ fati infelicitas excusat.

XIII. IDEM.

EX senatusconsulto eius legis pœna damnari iubetur, qui mala sacrificia fecerit, habuerit.

XIIII. CALLISTRATVS.

DIuus Hadrianus in hæc uerba rescripsit. in maleficijs uoluntas spectatur, non exitus.

XV. VLPIANVS.

NIhil interest, occidar quis, an caussam mortis præbeat.

XVI. MODESTINVS.

QVi cædem admiserũt sponte doloue malo, in honore aliquo positi, deportari solent: qui secundo gradu sunt, capite puniuntur. facilius hoc in decuriones fieri potest: sic tamen, ut consulto prius principe, & iubente id fiat: nisi forte tumultus aliter sedari non possit.

XVII. PAVLVS.

SI in rixa percussus homo perierit: ictus uniuscuiusq; in hoc collectorum contemplari oportet.

AD LEGEM POMPEIAM DE parricidijs. Tit. IX.

Martia

I. MARTIANVS.



Ege Pompeia de parricidijs cauetur, si quis patrẽ, matrem, auum, auiam, fratrem, sororem, patruelem, matruelem, patruum, auunculum, amitam, materteram, consobrinũ, consobrinã, uirum, uxorem, generum, nurum, socerum, socrum, uitricum, priuignũ, priuignã, patronum, patronam occiderit, cuiusue dolo malo id factum erit: ut pœna ea teneatur, quæ est legis Corneliæ de sicarijs. sed & mater, quæ filium filiamue occiderit, huius legis pœna adficitur: & auus, qui nepotem occiderit: & præterea qui emit uenenum, ut patri daret, quamuis non potuerit dare.

II. SCAEVOLA.

FRater autem eius, qui cognouerat tantum, nec patri indicauerat, relegatus est: & medicus supplicio adfectus est.

III. MARTIANVS.

SEd sciendum est Pompeia lege de consobrino cõpræhensum esse: sed nõ eos etiam pariter complecti, qui pari propioreue gradu sint, Sed & nouercæ & sponsæ personæ ômissæ sunt. sententia tamen legis continentur.

IIII. IDEM.

CVm pater & mater sponsi & sponsæ socerorũ, ut liberorũ sponsi generorum adpellatione contineantur.

V. IDEM.

DIuus Hadrianus fertur, cum in uenatione filiũ suum quidam necauerat, qui nouercam adulterabat, in insulam eum deportasse: quod latronis magis, quàm patris iure eũ interfeciſſet. nam patria potestas in pietate debet, non atrocitate consistere.

VI. VLPIANVS.

VTrum qui occiderint parentes, an etiam conscij pœna parricidij adficiantur, quæri potest. & ait Mætianus, etiam cõscios eadem pœna adficiendos, non solum parricidas. proinde conscij etiam extranei eadem pœna adficiendi sunt.

VII. IDEM.

SI sciente creditore ad scelus cõmittendum pecunia sit subministrata: utputa si ad ueneni mali comparationẽ, uel etiam ut latronibus aggressoribusq; daretur, qui patrem interficerẽt: parricidij pœna tenebitur, quiq; quæsierit pecuniã, quiq; eorum ita crediderit, aut à quo ita cauerit.

VIII. IDEM.

PArricidij postulatus, si interim decesserit, si quidem sibi mortẽ conscijuit: successorẽ fiscum habere debebit. si minus: eum, quem uo-

luit

luit: si modō testamentum fecit. si intestatus decesserit: eos hæredes habebit, qui lege uocantur.

IX. MODESTINVS.

POena parricidij more maiorum hæc instituta est. parricida uirgis sanguineis uerberatus, deinde in culleo insuitur cum cane, gallo gallinaceo, uipera, & simia. deinde in mare profundum culleus iactatur. hoc ita, si mare proximum sit. alioquin bestijs obijcitur secundum diui Hadriani constitutionem. qui alius personas occiderāt, præter patrem, & matrem, & auum, & auiam, quos more maiorum puniri supra diximus: capitis pœna plectūtur, aut ultimo supplicio mactantur. Sanè si per furorem aliquis parentem occiderit: impunitus est, ut diui fratres rescripserunt super eo, qui per furorem matrē necauerat. nam sufficere furore ipso eum puniri: diligentiusq; custodiendum esse, aut etiā uinculis coërcendum.

X. PAVLVS.

EOrum, qui parricidij pœna teneri possunt, semper accusatio permittitur.

AD LEGEM CORNELIAM DE FALSIS, & de senatusconsulto Liboniano. Tit. X.

I. MARTIANVS.

POena legis Corneliæ irrogatur ei, qui in falsas testatiōes faciendas, testimoniaúe falsa inuicem dicenda dolo malo coierit. Item, qui ob instruendam aduocationem testimoniaũe pecuniam acceperit, pactusũe fuerit, societatemũe coierit ad obligationem innocentium: ex senatusconsulto coëcetur. Sed & si quis ob denunciandum, remittendum! ue testimonium, dicendum, uel nō dicendum pecuniam acceperit: pœna legis Corneliæ adficitur. & qui iudicem corruperit, corrumpendū' ue curauerit, sed & si iudex constitutiones principum neglexerit, punitur. Qui in rationibus, tabulis, cereisũe, uel alia qua re, siue consignatiõe falsum fecerint, uel rem amouerint: perinde ex his causſis, atq; si erāt falsarij, puniuntur. sic & diuus Seuerus lege Cornelia de falsis damnauit præfectum Aegypti: quod instrumentis suis, cum præerat prouinciæ, falsum fecerit. Is, qui peruertit uiui testamentum, legis Corneliæ pœna tenetur. Is, qui depositā instrumenta apud alium, ab eo prodita esse aduersarijs suis dicit: accusare eum falsi potest. Ad testamenta militum senatusconsultum pertinet, quo lege Cornelia tenetur, qui legatum sibi fideiũe commissum adscripserit. Interfilium

lium,& ſeruũ,& extraneum teſtamentum ſcribẽtes hoc intereſt: qđ in extraneo,ſi ſpecialiter ſubſcriptio facta eſt, QVOD ILLI DICTAVI, ET RECOGNOVI,pœna ceſſat,& capi poteſt. in filio uel ſeruo,uel generalis ſubſcriptio ſufficit, & ad pœnã euitandam, & ad capiendũ. Ex illa q̃q; cauſſa falſi pœnæ quis ſubijciẽ,ut diui quoq; Seuerus & Antoninus conſtituerũt. Tutores,& curatores,& hi,qui officio depoſito nõ reſtituerunt tutelam uel curationem,cum fiſco contrahere non poſſunt. at ſi quis aduerſus hanc legem præfectis ærario obrepſerit:ut perinde puniat̃,ac ſi falſum commiſiſſet. ſed ad illos hoc non pertinet (ut ijdem principes reſcripſerunt)qui ante,q̃ tutelam ſuſciperent, hoc geſſerũt. nec em̃ excuſationes admiſiſſe,ſed fraudes excluſiſſe uident̃. Iidem principes reſcripſerunt:ita demum eum,qui rationem tutelæ uel curæ nondum reddiderit,cum fiſco contrahere non debere:ſi uiuat is, cuius tutela adminiſtrata eſt. nam ſi deceſſerit: licet nondum hæredi eius rationem reddiderit:iure eum contrahere. ſed & ſi iure hæreditario ſucceſſerunt in fiſcalem contractum tutor, uel curator, licet ante rationẽ redditam:non puto pœnam locum habere, licet adhuc uiuat is, cuius tutela uel cura adminiſtrata eſt. Pœna falſi,uel quaſi falſi, deportatio eſt,& omnium bonorum publicatio: & ſi ſeruus eorum quid admiſerit,ultimo ſupplicio adfici iubetur.

II. IVLIANVS.

QVi teſtamentum amouerit,cælauerit,rapuerit,deleuerit, interleuerit,ſubiecerit,reſignauerit:quiũe teſtamentũ falſum ſcripſerit,ſignauerit,recitauerit, mutauerit dolo malo, cuiusũe dolo malo id factum erit:legis Corneliæ pœna damnatur.

III. PAVLVS.

QVi ignorans falſum eſſe teſtamentum,uel hæreditatem adijt,uel legatum accepit,uel quoquo modo agnouit: falſum teſtamentũ dicere non prohibetur.

IIII. IDEM.

SI quis cum falſò ſibi legatum adſcribi curaſſet, deceſſerit:id hæredi quoq; extorquendum. Inde quoq; diuus Marcus reſcripſit,cum quidam à patre hæres inſtitutus codicillos intercidiſſet, & deceſſiſſet:fiſco tantum putauit eſſe uindicandum,quantum per codicillos erogari potuiſſet,id eſt uſq; ad dodrantem.

V. IVLIANVS.

SEnatus pœnam remiſit ei,qui legata à ſe teſtamento data codicillis ſua manu ſcriptis ademerat. ſed & quia iuſſu patris id fecerat,& annorum uiginti quinq; erat:hæreditatem quoq; ei capere permiſſum eſt.

VI. AFRICANVS.

SI quis legatum sibi adscripserit: tenetur pœna legis Corneliæ, quãuis inutile legatum sit. nam & eum teneri constat, qui eo testamento, quod postea ruptum est, uel etiam quod initio non iure fiebat, legatum sibi adscripsit. hoc tamen tũc uerum est, cum perfectum testamentum erit. cæterum si non signatum fuerit: magis est, ut senatusc̃ōsulto locus non sit: sicuti nec interdictum de tabulis testamenti exhibendis locum habet. prius enim oportet esse aliquod testamentum, uel non iure factum, ut senatusconsulto locus sit. nam & falsum testamentum id demum recte dicitur, quod si adulterinum non esset, uerum tamen testamentum recte diceretur. similiter igitur & nõ iure factum testamentum id appellatur, in quo si omnia rite facta essent, iure factum diceret.

Si institutus hæres exhæredationem nominatim filij uel aliarũ personarum adscribit: senatusconsulto tenetur. similiter & is, qui libertatem sua manu ademit seruo testatoris, & maxime, cui à se legata uel fideicommissa data erant: senatusconsulto tenetur. Si patronus in testamento liberti legatum sibi adscripserit, & uenia impetrata abstinere à legato iussus erit: an emolumẽtum bonorum possessionis contra tabulas habere possit? & magis placet, non posse. non tamen huic consequens est, ut & si uxor dotem, uel creditor id, quod in diem sibi debetur, sibi adscripserit: similiter uenia impetrata abstinere se à legato iubeatur, aut mulieri dos, aut creditori actio sua denegari debeat: ne eorum uterq; merito debito careat.

VII. MARTIANVS.

NVllo modo serui cum dominis suis consistere possunt: cum omnino neq; iure ciuili, neq; prætorio, neq; extra ordinem computantur: præterquàm quod fauorabiliter diuus Marcus & Commodus rescripserunt, cum seruus quereretur, quod tabulæ testamenti, quibus ei data erat libertas, supprimerentur: admittendum ad suppressi testamenti accusationem.

VIII. VLPIANVS.

QVicunq; numos aureos partim raserint, partim tinxerint, uel finxerint: siquidem liberi sunt, ad bestias dari: si serui, summo supplicio adfici debent.

IX. IDEM.

LEge Cornelia cauetur, ut qui in aurum uicij quid addiderit, quiũe argenteos numos adulterinos conflauerit, falsi crimine teneatur. Eadẽ pœna adficitur etiã is, qui cum prohibere tale quid posset, non prohibuit. Eadem lege exprimitur, ne quis numos stanneos, plumbeos emere, uendere dolo malo uellet. Pœna legis Corneliæ irrogat̃ ei, qui quid aliud, quàm in testamento, sciens dolo malo falsum signauerit

gnauerit, signariue curauerit: item qui in falsas testationes faciendas testimoniaue falsa inuicem dicenda dolo malo coierint. Qui delatorem submisit in caussa pecuniaria: eadem pœna tenetur, qua tenentur hi, qui ob instruendas lites falsas pecuniam acceperunt.

X. MARCELLVS.

DE eo, qui ei, in cuius potestate est, eiq; , qui in eadem potestate est, adscripserit: nihil senatusconsultis cauetur. sed hoc quoq; casu committitur in legem: quia huius rei emolumentum ad patrem dominumue pertinet, ad quem pertineret, si filius seruusue sibi adscripsisset. Illud constat: si extraneo quis adscripserit legatum: licet postea uiuo testatore in potestate eum habere cœperit: senatusconsultis locũ non esse.

XI. MARTIANVS.

SI pater filio suo militi, quem habet in potestate, testamẽto commilitonis filij aliquid adscripserit, quem commilitonem in militia non uit: quia patri non adquiritur: extra pœnam est. & cum matri filius adscripserit: diui fratres rescripserunt, cum iussu testatoris hæc scripsit, impunitum eum esse, matremq; posse capere.

XII. PAPINIANVS.

CVm falsi reus ante crimen illatum, aut sentẽtiam dictam uita decedit: cessante lege Cornelia, quod scelere quæsitum est, hæredi non relinquitur.

XIII. IDEM.

FAlsi nominis uel cognominis adseueratio pœna falsi coërcetur. Ordine decurionum decem annis aduocatum motũ, qui falsum instrumentum cognoscente præside recitauit, post finem temporis dignitatem recuperare respondi: quoniam in Corneliam falso recitato, nõ facto incidit. eadem ratione plebeium ob eandẽ causſam exilio temporario punitum, decurionem post reditum recte creari.

XIIII. PAVLVS.

FIlius emancipatus, cum scriberet patris testamentum, iussu patris seruo communi Titij & suo legatum adscripsit. quæro quis exitus quæstionis sit? Respondi. plures quæstiones coniunxisti. & quidẽ quantum ad senatusconsultũ pertinet, quo prohibemur nobis, uel his, quos in potestate habemus, adscribere legatum: emancipatus quoq; filius eadem pœna tenebitur, licet iussu patris scripserit. excusatus enim is uidetur, qui in potestate est, sicut seruus: si tamen iussus ex subscriptione testatoris appareat. sic eñ inueni senatum censuisse. Sequens quæstio est: quoniam placet id, quod illicite scriptũ est, pro non scripto esse: quod seruo communi scribentis & alterius adscriptum est, utrum in totum pro non scripto sit: an quantum ad eum tantum, qui adscripsit,

cæterum socio totum debeatur? & inueni Marcellum apud Iulianum adnotasse. nam cum Iulianus scripsisset, si sibi & Titio adscripsisset, aut seruo communi, cum pro non scripto sit, facillime quæri posse, quantum Titio & socio eius adquiratur: ita adijcit ipse Marcellus. quemadmodum socio debebitur, si quasi falsum nomen serui subducitur? quæ & in præsenti quæstione obseruandum est. Maritus seruum dotalē manumisit, & in testamento eius legatum sibi adscripsit. quæsitum est, quid mulier ex lege Iulia consequi possit? Respondi. & patronum incidere in pœnam edicti diui Claudij, dicendum est, & filium emancipatū (licet præteriri possit) petere bonorum possessionem. ergo si nihil habet patronus ex bonis liberti: non tenebitur mulieri. An ideo teneri potest, quod adiectum est in lege, AVT DOLO FECIT, QVO MINVS ADEVM PERVENIAT? sed nihil fecit in fraudem mulieris. non enim aduersus illam hoc excogitauit. An ideo non denegamus huic actiones, quoniā alij restituturus est? atquin cum is sibi iussu testatoris legatum adscripsit: etiam si fidei suæ similiter iubente testatore commisit, uti id alij restitueret: senatus iussit eum nihilominus à legato abstinere, idq; apud hæredem remanere cum onere fideicommissi.

XV. CALLISTRATVS.

DIuus Claudius edicto præcepit, adijciendum legi Corneliæ, ut si quis cum alterius testamentum uel codicillos scriberet, legatum sibi sua manu adscripsisset: perinde teneretur, ac si commisisset in legē Corneliam. & ne uel his uenia daretur, qui se ignorasse edicti seueritatē prætendant. Scribere autem sibi legatum uideri nō solum eum, qui manu sua id facit: sed etiam qui per seruum suum, uel filium, quē in potestate habet, dictante testatore, legato honoratur. Planè constitutionibus principalibus cauetur, ut si testator specialiter subscriptione sua declarauerit, dictasse seruo alicuius, ut domino eius legatum ab hæredibus suis daretur: id ualere, nec generalem subscriptionem testatoris ualere aduersus authoritatem senatusconsulti. & ideo legatum pro non scripto habendum: & seruo, qui etiam sibi legatum adscripsit, ueniam dari. ego tutius esse puto ueniam ab Imperatore petendam: scilicet eo, quod relictum est, abstinentibus. Item senatus censuit, ut si seruus domini sui iussu testamento codicillisue libertatem sibi adscripserit: ob eā rem, q̄d ipsius manu adscriptū est, nō ideo minus liber sit, sed libertas ei ex fideicommissi caussa præstetur: si modo post eam scripturā manu sua testator testamento codicillisue subscripsit. Et quatenus de sola specie fideicommissæ libertatis hoc senatusconsulto continebatur: diuus Pius rescripsit, sententiam magis sequendam esse huius senatusconsulti, quàm scripturā. nam seruos, cum dominis suis parent

rent,neceſſitatem poteſtatis excuſari:ſi tamen accedat domini autho-
ritas ſubſcribentis ſe ea dictaſſe,& recognouiſſe. uideri enim ait ipſius
domini manu ſcripta, cuius uoluntate ea ſcripta ſunt. Quod tametſi
(inquit)ad liberas perſonas,in quas nullum ius teſtator habuerit,exten
di non debet:quæri tamen debet,an æque ſubſequendi neceſſitas,& ho
neſta excuſatio ſit non facientibus,quod non ſit conceſſum. Matri
quoq;,cui per ſeruum ſuum dictante filio legatum ſcriptum eſſet:ueni-
am tribuendam legis Corneliæ placuit. idem in filia, quæ dictante ma
tre ſua,per ignorantiam iuris legatum ſibi ſcripſerat, cenſuit ſenatus.

Si quis duobus hæredibus inſtitutis adiecerit, ut ſi alteruter hæres ſi
ne liberis deceſſiſſet:ei,qui ſupereſſet,& liberos haberet, hæreditas red
deretur:uel ſi ſine liberis uterq; deceſſiſſet, hæreditas deinde alia manu
ſcriptori teſtamenti reſtitueretur: placet teſtamentario pœnam legis
Corneliæ remitti. ſed benignius eſt,ut etiam ea,quæ ſupraſcripta ſunt,
ſimili modo conſequatur.

XVI. PAVLVS.

PAulus reſpondit. inſtrumentorum ſubreptorum crimen non eſſe
publici iudicij, niſi teſtamentum alicuius ſubreptum arguatur.

Paulus reſpondit. legis Corneliæ pœna omnes teneri,qui etiam ex
tra *teſtamentorũ cætera falſa ſignaſſent. ſed & cæteros,qui in rationi al's *teſta
bus,tabulis,literis publicis,aliaue qua re,ſiue cõſignatione falſum fece- mentũ.
runt, uel ut uerum non appareat,quid cælauerũt,ſubripuerunt,deleue-
runt,ſubiecerũt,reſignauerũt:eadem pœna adfici ſolere,dubiũ nõ eſſe.

XVII. IDEM.

CVm quidam ſua manu ſeruum ſibi legatum ſcripſiſſet, & eum
manumittere rogatus eſſet:ſenatus cenſuit, ab omnibus hæredi-
bus eum manumittendum.

XVIII. IDEM.

VXori legatum in alieno teſtamento adſcribere nõ prohibemur.

Qui ſe filio teſtatoris impuberi tutorem adſcripſit: & ſi ſu-
ſpectus eſſe præſumitur,quod tutelam ultro uideatur adfectaſſe: tamẽ
ſi idoneus eſſe adprobetur,nõ ex teſtamento,ſed ex decreto tutor dan-
dus eſt:nec excuſatio eius admittetur,quia conſenſiſſe uidetur uolun-
tati teſtatoris.

XIX. IDEM.

QVi falſam monetam percuſſerint,ſi id totum formare noluerũt,
ſuffragio iuſte pœnitentiæ abſoluuntur. Accuſatio ſuppoſiti
partus nulla temporis præſcriptione depellitur:nec intereſt,deceſſerit,
nec ne ea,quæ partum ſubdidiſſe cõtenditur.

XX. HERMOGENIANVS.

FAlsi pœna coërcentur, & qui ad litem instruendã aduocatione testibusue pecuniã acceperunt: obligationem, pactionem fecerunt, societatem inierunt: & ut aliquid eorum fieret, curauerunt.

XXI. PAVLVS.

QVi duobus in solidum eandem rem diuersis contractibus uendiderint, pœna falsi coërcentur: & hoc diuus Hadrianus cõstituit. his adiungitur & is, qui iudicem corruperit: sed remissius puniri solent, & ad tempus relegantur, nec bona illis auferuntur.

XXII. IDEM.

IMpuberem in hoc edictum incidere, dicendum non est: quoniã falsi crimine uix poterit teneri, cum dolus malus in eam ætatem non cadit. Si ei filio, qui apud hostes est, adscripserit pater legatum: dicendum est, reuerso eo, incidere in pœnam senatusconsulti. quod si ibi decesserit: innocens pater existimabitur. Sed si emancipato filio adscribit: recte id faciet. item in adoptionẽ dato. Item si seruo, cui moram fecerit in fideicommissaria libertate præstanda, adscripserit: dicendum est, extra sententiã senatuscõsulti eũ esse: quoniã placet, omne, quod per huiusmodi seruũ adquisitũ est, restitui oportere manumisso. Sed etsi ei seruo, qui bona fide seruit, aliquid adscribat: quanctz ad cogitationẽ animi nocens est, quia ei adscribit, quẽ suũ putat: sed quoniã nec legatũ, nec hæreditas bonæ fidei possessori adquiritur: dicemus eum pœnæ eximendũ esse. Si dominus adscripserit seruo legatũ, cũ liber erit: dicimus senatusconsulto dominũ excusatũ esse, qui compendio suo nullo modo, pspexerit. idem & de filio postea emancipato dici potest. Qui codicillos ante testamentũ factos, in quibus legatum ei adscriptũ erat, cõfirmat: in senatusconsultũ incidit. quod & Iulianus scribit. Adimendo quoq; aliquid, in pœnam incidere debet, quasi sibi aliquid dederit: ueluti si seruo legato sibi, eodemcz manumisso libertatem sua manu ademerit. hæc ita, si uoluntate testatoris ademit. nam si ignorante eo: libertas ualebit. idem si rogatus restituere legatum sibi adscriptũ, fideicõmissario ademerit. Qui liberti sua manu adsignationem adscripsit: non uerbis, sed sententia senatusconsulti tenetur. Item nõ continetur uerbis seruus, qui alieno testamento fideicõmissam libertatem sibi adscripserit. sed de hoc potest hæsitari: quoniã (ut supra diximus) senatusconsultũ ita demum ei, qui libertatem fideicõmissam in testamento domini adscripsit, pœnam remisit, si dominus subscripsit. imò magis dicendum hunc contra senatusconsultũ facere, quàm eum, qui legatum sibi adscripsit: cum libertas omnino ipsi cõpetitura sit, legatũ autem adquiri domino possit. Si testamẽtarius seruo suo fideicommissam libertatẽ dederit: uideamus, ne extra pœnam sit, cum nullum ipsius

ipſius cõmodum ſit: niſi ideo adſcripſerit, ut ſeruus magnõ precio redimatur ab eo, & manumittatur. ſed & ille, qui cum Titio fundus legaretur, adiecit ſua manu conditionẽ pecuniæ ſibi dandæ, in uoluntatem ſenatusconſulti incidit. Qui autẽ uoluntate patris ſe exhæredat, uel legatũ ſibi adimit: neq; uerbis ſenatuscõſulti, neq; ſententia cõtinetur.

XXIII. IDEM.

QVid ſit falſum, quæritur. & uidetur id eſſe: ſi quis chirographum alienum imitetur, aut libellum, uel rationes intercidat, uel deſcribat: non qui aliâs in computatione, uel in ratione mentitur.

XXIIII. SCAEVOLA.

ATHales ſeruus, cui teſtamento Vetiti Callinici domini per fidei cõmiſſum libertas & portio hæreditatis relicta erat ab his, qui ex undecim portionibus hæredes erãt inſtituti: profeſſus eſt indiciũ apud Maximillam filiam teſtatoris ex parte duodecima hæredem ſcriptã, ſe poſſe probare falſum teſtamentũ Vetiti Callinici: & apud magiſtratũ interrogatus à Maximilla, profeſſus eſt probaturũ ſe, quẽadmodum ſit falſum factum teſtamentũ. & cum in crimine falſi ſubſcripſiſſet Maximilla, in ſcriptorẽ teſtamenti & Proculum cohæredem acta cauſſa: præfectus urbi falſum teſtamentum non eſſe pronunciauit, & Maximillæ partem duodecimã à fiſco cogi iuſſit. quæſitum eſt, an Athali libertas & fidei cõmiſſum poſt hæc facta debeantur? Reſpondit, ſecundũ ea, quæ proponerentur, deberi.

XXV. VLPIANVS.

QVi nomine prætoris literas falſas reddidiſſe, edictumúe falſum propoſuiſſe dicetur, ex cauſſa actione in factum pœnali tenetur, quanquam legis Corneliæ reus ſit.

XXVI. MARTIANVS.

SI quis patris ſui teſtamẽtũ aboleuerit, & quaſi inteſtatus deceſſiſſet, pro hærede geſſerit, atq; ita diem ſuum obierit: iuſtiſſime tota hæreditas paterna hæredibus eius eripietur.

XXVII. MODESTINVS.

EOs, qui inter ſe diuerſa teſtimonia præbuerunt, quaſi falſum fecerint, præſcripto legis Corneliæ teneri, pronunciatũ eſt. & eum, qui contra ſignũ ſuum falſum præbuit teſtimoniũ, pœna falſi teneri pronunciatũ eſt. De imprudentia eius, qui diuerſa duobus teſtimonia præbuit, cuius ita anceps fides uacillat, quin crimine falſi teneatur, nec dubitandum eſt. Qui ſe pro milite geſſit, uel illicitis inſignibus eſt uſus, uel falſo diplomate uias cõmeauit: pro admiſſi qualitate grauiſſime puniendus eſt.

XXVIII. IDEM.

SI à debitore prolato die pignoris obligatio mentiatur: falsi crimini locus est.

XXIX IDEM.

SI quis obrepserit præsidi prouinciæ: tã per acta, quàm per libelli interpellationem nihil agit. imò si accusatus fuerit: pœnam temeratoris luit. Perinde enim punitur, atq; si falsum fecerit. sunt enim rescripta de ea re. sufficit autem unum argumenti caussa referre, cuius uerba hæc sunt. Alexander Augustus Iulio Maryllo. si libello dato aduersarius tuus ueritatem in precibus ab eo datis non adiecit: subscriptione uti non potest. imò si accusatus fuerit: & pœnam sufferre debet.

XXX. IDEM.

LEge Cornelia testamentaria obligatur, qui signum adulterinum fecerit, sculpserit. De partu suppositio soli accusant parentes, aut hi, ad quos ea res pertinet: non quilibet ex populo, ut publicam accusationem intendat.

XXXI CALLISTRATVS.

DIuus Pius Claudio rescripsit, pro mensura cuiuscũq; delicti constituendum in eos, qui apud iudices instrumenta protulerunt, quæ probari non possint. at si plus eos meruisse uideatur, quàm ex forma iurisdictionis pati possint: ut Imperatori describatur, æstimaturo, quatenus coërceri debeant. Sed diuus Marcus cũ fratre suo pro sua humanitate hanc rem temperauit: ut si (qd' plerũq; euenit) per errorẽ huiusmodi instrumẽta proferantur: ignoscat eis, qui tale quid protulerint.

XXXII. MODESTINVS

HOdie qui edicta, proposita dolo malo corrũpunt, falsi pœna plectuntur. Si uenditor mensuras publice probatas uni, frumẽti, uel cuiuslibet rei, aut emptor corruperit, doloue malo fraudem fecerit: quãti ea res est, eius duplo condemnat: decretoq; diui Hadriani præceptum est, in insulam eos relegari, qui pondera ant mensuras falsassent.

XXXIII. IDEM.

SI quis falsis constitutionibus nullo authore habito utitur: lege Cornelia aqua ei & igni interdicitur.

AD LEGEM IVLIAM REPETVNdarum. Tit. XI.

I. MARTIANVS.

IEx Iulia repetundarũ pertinet ad eas pecunias, quas quis in magistratu, potestate, curatione, legatione, uel quo alio officio, munere, ministerioue publico cepit, uel cum ex cohor-

cohorte cuius eorum est. Excipit lex, à quibus licet accipere: à sobrinis, propioreue gradu cognatis suis, uxore.

II. SCAEVOLA.

DAtur ex hac lege & in hæredes actio intra annum, dutaxat à morte eius, qui arguebatur.

III. MARTIANVS.

LEge Iulia repetundarum tenentur, qui cum aliquam potestatem haberent, pecuniam ob iudicandum, uel non iudicandum, decernendumue acceperint:

IIII. VENVLEIVS.

VEl quo magis aut minus quid ex suo officio facerent.

V. MARTIANVS.

IN comites quoq; iudicum ex hac lege iudicium datur.

VI. VENVLEIVS SATVRNINVS *lib. III. publicorũ iudiciorũ.*

EAdem lege tenentur, qui ob denunciandum, uel non denunciandum testimoninium pecuniam acceperint. Hac lege damnatus testimoniũ publice dicere, aut iudex esse, postulareue prohibetur.

Lege Iulia repetundarum cauetur, ne quis ob militem legendũ, mittendumue æs accipiat: neue quis ob sententiam in senatu, cõsilioue publico dicendam pecuniam accipiat, uel ob accusandum, uel non accusandum: utq; urbani magistratus ab omni sorde se abstineãt, neue plus doni munerisue in anno accipiant, quàm quod sit aureorum centum.

VII. MARCELLVS.

LEx Iulia de repetundis præcipit, ne quis ob iudicẽ arbitrumue dandum, mutandum, iubendumue, ut iudicet: neue ob non dandum, non mutandum, non iubendum, ut iudicet: neue ob hominem in uincula publica conijciendum, uinciendum, uinciriue iubendũ, uel ex uinculis dimittendum: neue quis ob hominem condemnandum, absoluendumue, neue ob litem æstimandã, iudiciumue capitis pecuniæue faciendum, uel nõ faciendum aliquid accipiat. Apparet autem, quod lex ab exceptis quidem in infinitum capere permittit. ab his autẽ, qui hoc capite enumerantur, à nullo, nec ullam quantitatem capere permittit.

Illud quoq; cauetur, ne in acceptum feratur opus publicum faciendum, frumentum publice dandum, præbendum, *adprobandum, sarta tecta tuenda, antequàm perfecta, probata, præstita lege erunt. Hodie ex lege repetundarum extra ordinem puniuntur: & plerũq; uel exsilio puniuntur, uel etiam durius, prout admiserint. quid enim si ob hominem necandum pecuniam acceperint: uel licet non acceperint, calore tamen inducti interfecerint uel innocẽtem, uel quẽ punire nõ debuerant? capite plecti debent, uel certe in insulã deportari, ut pleriq; puniti sunt.

*al's. adprähendendũ.

VIII. PAVLVS.

QVod contra legem repetundarum proconsuli uel prætori donatum est, nõ poterit usucapi. Eadem lex uenditiones, item locationes eius rei causſa pluris minorisue factas irritas facit: impeditq; usucapionẽ, priusq; in potestatem eius, à quo, pfecta res sit, hæredisue eius ueniat.

IX. PAPINIANVS.

QVi munus publice mandatum accepta pecunia ruperunt, crimine repetundarum postulantur.

AD LEGEM IVLIAM DE ANnona. Tit. XII.

I. MARTIANVS.

COnstitit inter seruum & dominum iudicium, si annonã publicam fraudasse dicat dominum.

II. VLPIANVS.

LEge Iulia de annona pœna statuitur aduersus eum, qui contra annonam fecerit, societatemue coierit, quo annona carior fiat. Eadem lege continetur, ne quis nauem nauem tamue retineat, aut dolo malo faciat, quo magis detineatur: & pœna uiginti aureorum statuitur.

III. PAPYRIVS IVSTVS.

IMperatores Seuerus & Antoniuus Augustus in hæc uerba rescripserunt. minime æquum est, decuriones ciuibus suis frumentum uilius, quàm annona exigit, uendere. Item rescripserũt: ut ius non esset ordini cuiusq; ciuitatis preciũ grani, quod inuehitur, statuere. Itẽ in hæc uerba rescripserunt. & si non solent hoc genus nunciationis mulieres exercere: tamen quia demonstraturam te ea, quæ ad utilitatem annonæ pertinent, polliceris: præfectum annonæ docere potes.

AD LEGEM IVLIAM PECVLATVS, & de sacrilegijs, & residuis. Tit. XIII.

I. VLPIANVS.

IEge Iulia peculatus cauetur, ne quis ex pecunia sacra, religiosa, publicaue auferat: neue intercipiat, uel in rem suam uertat: neue faciat, quo quis auferat, nisi cui utiq; lege licebit: neue quis in aurum argentumue, aut æs publicum quid indat, neue immiscеat: neue quo quid indatur, immiscеatur, faciat sciens dolo malo, quo id peius fiat.

Paulus

II. PAVLVS.

LEge Iulia de residuis tenetur, qui publicam pecuniam delegatam in usum aliquem, retinuit, neq; in eum consumpsit.

III. VLPIANVS.

PEculatus pœna aquæ & ignis interdictionem, in quam hodie successit deportatio, continet. porrò qui in eum statum deducitur, sicut omnia pristina iura, ita & bona amittit.

IIII. MARTIANVS.

LEge Iulia peculatus tenetur, qui pecuniam sacram, religiosam abstulerit, uel interceperit. sed & qui donatum deo immortali abstulerit, peculatus pœna tenetur. Mandatis autem cauetur, ut præsides sacrilegos, latrones, plagiarios conquirant: & ut quisq; deliquerit, in eum animaduertant. Et sic constitutionibus cauetur, ut sacrilegi extra ordinem digna pœna puniantur. Lege Iulia de residuis tenetur is, apud quem ex locatione, emptione, alimentaria ratione, ex pecunia, quam accepit, aliaue qua caussa pecunia publica resedit. sed & qui pecuniam publicam in usu aliquo acceptam retinuerit, nec erogauerit: hac lege tenetur. qua lege damnatus amplius tertia parte, quàm debet, punitur. Non fit locus religioso, ubi thesaurus inuenitur. nã & si in monumento inuentus fuerit, non quasi religiosus tollitur. quod enim sepelire quis prohibetur, id religiosum facere non potest. at pecunia sepeliri non potest: ut & mandatis principalibus cauetur. Sed & si de re ciuitatis aliquid subripiat: constitutionibus diuorum principũ Traiani & Hadriani cauetur, peculatus crimẽ committi: & hoc iure utimur.

V. IDEM.

DIui Seuerus & Antoninus Cassio Sexto rescripserunt: res priuato cum si in ædem sacram depositæ, subreptæ fuerint: furti actionẽ, non sacrilegij esse.

VI. VLPIANVS.

SAcrilegij pœnam debebit proconsul pro qualitate personæ, proq; rei cõditione, & temporis, & ætatis, & sexus, uel seuerius, uel clementius statuere. & scio multos etiam ad bestias damnasse sacrilegos, nonnullos & uiuos exussisse, alios uero in furcas suspendisse: sed moderanda pœna est usq; ad bestiarum damnationem eorum, qui manufacta templum effregerunt, & dona dei noctu tulerũt. Cæterum si quis inter diu modicum aliquid ex templo tulit: pœna metalli coercẽdus est: aut si honestiore loco natus sit, deportandus in insulam est. Qui cum in moneta publica operarẽtur, extrinsecus sibi signant pecuniam forma publica, uel signatam furantur: hi non uidentur adulterinam monetã exercuisse, sed furtũ publicæ monetæ fecisse: quod ad peculatus crimen

accedit. Si quis ex metallis Cæsarianis aurum argentumue furatus fuerit: ex edicto diui Pij exsilio uel metallo pro dignitate personæ punitur. is autem, qui furanti signum præbuit: perinde habetur, ac si manifesti furti condemnatus esset, & famosus efficitur. qui autem aurum ex metallo habuit illicite, & conflauerit: in quadruplum condemnatur.

VII. VENVLEIVS.

PEculatus crimen ante quinquennium admissum obijci non oportebit.

VIII. IDEM.

QVi tabulam æream legis, formamue agrorũ aut quid aliud continentem refixerit, uel quid inde immutauerit: lege Iulia peculatus tenetur. Eadem lege tenetur, qui quid in tabulis publicis deleuerit, uel induxerit.

IX. PAVLVS.

SAcrilegi capite puniuntur. sunt autem sacrilegi, qui publica sacra cõpilauerunt. at qui priuata sacra, uel qui ædiculas incustoditas tenuerint: amplius quàm fures, minus quàm sacrilegi merentur. quare quod sacrum, quodue admissum in sacrilegij crimen cadat: diligenter considerandum est. Labeo libro tricesimooctauo posteriorum peculatum definit pecuniæ publicæ aut sacræ furtum, non ab eo factum, cuius periculo fuit. & ideo ædituum in his, quæ ei tradita sunt, peculatum non admittere. eodem capite inferius scribit: non solum pecuniam publicam, sed etiam priuatam crimen peculatus facere: si quis, quod fisco debeat, simulans se fisci creditorẽ accepit, quamuis priuatã pecuniã abstulerit. is aũt, qui pecuniam trajciendam suscepit, uel quilibet alius, ad cuius periculum pecunia pertinet, peculatũ non cõmittit. Senatus iussit lege peculatus teneri eos, qui iniussu eius, qui ei rei præerat, tabularũ publicarũ inspiciendarum, describendarumq; potestatẽ fecerint. eum quoq;, qui pecuniam publicam in usus aliquos retinuerit, nec erogauerit, hac lege teneri, Labeo libro tricesimooctauo posteriorũ scripsit. Cum eo aũt, qui cum in prouinciam abiret, pecuniam, quæ penes se esset, ad ærariũ professus retinuerit: nõ esse residuæ pecuniæ actionem: quia eam priuatus fisco debebat. & ideo inter debitores eũ referri: eamq; ab eo is, qui hoc imperio utitur, exigere scilicet pignus capiendo, corpus retinendo, multam dicendo. sed eam quoq; lex Iulia residuorum post annum residuam esse iussit.

X. MARTIANVS.

HAc lege tenetur, qui in tabulis publicis minorẽ pecuniam, quàm quid uenierit, aut locatum erit, scripserit, aliudue quid simile cõmiserit. Diuus Seuerus & Antoninus quendam clarissimũ iuuenem cum

cum inuētus esset arculā in templo ponere, ibiq; hominem includere, qui post clausum templū de arca exiret, & de templo multa subtraheret, & se in arculā iterum referret: conuictum in insulam deportarunt.

XI. VLPIANVS.

QVi perforauerit muros, uel inde aliquid abstulerit: peculatus accusatione tenetur.

XII. MARCELLVS.

PEculatus nequaquā cōmittitur, si exigam ab eo pecuniā, qui & mihi & fisco debet. nō em̄ pecunia fisci intercipitur, quæ debitori eius aufertur: scilicet quia manet debitor fisci nihilominus.

XIII. MODESTINVS.

IS, qui prædam ab hostibus captā subripuit: lege peculatus tenetur, & in quadruplum damnatur.

XIIII. PAPINIANVS.

PVblica iudicia peculatus, & de residuis, & repetundarum, similiter aduersus hæredem exercentur, nec immerito: cum in his quæstio principalis ablatæ pecuniæ moueatur.

AD LEGEM IVLIAM DE AMbitu. Tit. XIIII.

I. MODDESTINVS.

HAec lex in urbe hodie cessat: quia ad curam principis magistratuum creatio pertinet, non ad populi fauorem. qđ si in municipio contra hanc legem magistratum aut sacerdotium quis petierit: per senatusconsultum centum aureis cum infamia punitur. qua lege damnatus si aliū conuicerit: in integrum restituitur, non tamen pecuniā recipit. Item is, qui nouum uectigal instituerit, ex senatusconsulto hac pœna plectitur. Sed si quis reus uel accusator domum iudicis ingrediatur: per legem Iuliam iudiciariam in legem ambitus committit, & aureos centum fisco inferre iubetur.

AD LEGEM FAVIAM DE PLAgiarijs. Tit. XV.

I. VLPIANVS.

SI liberū hominem emptor sciens emerit: capitale crimē aduersus eum ex lege Fauia de plagio nascitur: quo uenditor quoq; fit obnoxius, si sciens liberū esse uendiderit.

II. IDEM.

SCiendum est legem Fauiam ad eos non pertinere, qui cum absentes seruos haberent, eos uendiderunt. aliud enim est abesse, aliud in fuga esse. Item non pertinere ad eum, qui mandauit seruum fugitiuum persequendum, & distrahendũ. nec enim fugam uendidit. Hoc amplius dicendum est, & si quis mandauit Titio seruum fugitiuum deprehendendũ, ut si adprehendisset, eum emptum haberet: cessare senatusconsultũ. Hoc etenim senatuscõsulto domini cõtinentur, qui fugam seruorum suorum uendiderunt.

III. MARTIANVS.

LEgis Fauiæ crimine suppressi mancipij bona fide possessor nõ tenetur, id est qui ignorabat seruum alienũ, & qui uoluntate domini id putabat eum agere. & ita de bonæ fidei possessore ipsa lex scripta est. nam adijcitur, SI SCIENS DOLO MALO HOC FECERIT. & sæpissime à principibus Seuero & Antonino constitutum est, ne bonæ fidei possessores hac lege tenerẽtur. Illud aũt non est omittendum: quod exemplo legis Aquiliæ si is, propter quem quis in Fauiam cõmisit, decesserit: adhuc accusatio & pœna legis fauiæ supereſt, ut diuus Seuerus & Antoninus rescripserunt.

IIII. VLPIANVS

LEge Fauia tenetur, qui sciens hominẽ liberũ donauerit, uel in dotem dederit. item qui ex earum qua causſa sciens liberum esse acceperit: in eadẽ causſa haberi debet, qua uenditor & emptor habetur. idem & si pro eo res permutata fuerit.

V. MODESTINVS *lib. responsorũ respondit.*

EVm, qui fugitiuum alienum suscepisse & cælasse doceatur: ex eo, quod proprietatis quæstionem referret, crimen (si probetur) euitare minime posse.

VI. CALLISTRATVS.

NOn statim plagiariũ esse, qui furti crimine ob seruos alienos interceptos tenetur: diuus Hadrianus in hæc uerba rescripsit. seruos alienos qui sollicitauerit, aut interceperit: crimine plagij, quod illi intenditur, teneatur, nec ne, facit quæstionem. & ideo non me consuli de ea re oportet: sed quod ueriſſimum in re præsenti cognoscitur, sequi iudicem oportet. Planè autem scire debet, posse aliquem furti crimine ob seruos alienos interceptos teneri, nec idcirco tamen statim plagiarium esse existimari. Idem princeps de eadem re in hæc uerba rescripsit. apud quẽ unus aut alter fuerit fugitiuus inuentus, qui operas suas locauerit, ut pasceretur, & utiq; si idem antea apud alios opus fecerit: hunc non iure quis suppressorem dixerit. Lege Fauia cauetur, ut liber,

ber, qui hominẽ ingenuum uel libertinũ inuitum cælauerit, in uinculis habuerit, emerit sciens dolo malo, quiúe in earum qua re socius erit: quiq; seruo alieno seruæsie persuaserit, ut à domino dominaúe fugiat, uel eũ eamúe inuito, uel insciente domino dominaúe cælauerit, in uinculis habuerit, emerit sciens dolo malo, quiúe in ea re socius erit: eius pœna tenetur.

VII. VEÑVLEIVS.

POena pecuniaria statuta lege Fauia in usu esse desijt. nam in hoc crimine detecti, pro delicti modo coërcentur, & plerunq; in metallum damnantur.

AD SENATVSCONSVLTVM TVRPILLIANum, & de abolitionibus criminũ. Tit. XVI.

I. MARTIANVS *lib. singulari ad Sen. consul. Turpillianũ.*

ACcusatorum temeritas tribus modis detegitur, & tribus pœnis subijcitur. aut enim calumniantur, aut præuaricantur, aut tergiuersantur. Calumniari, est falsa crimina intendere. præuaricari, uera crimina abscondere. tergiuersari, in uniuersum ab accusatione desistere. Calumniatoribus pœna lege Rhemmia irrogat: sed non utiq; qui nõ probat, quod intendit, protinus calumniari uidetur. nam eius rei inquisitio arbitrio cognoscentis cõmittitur, qui reo absoluto de accusatoris incipit consilio quærere, qua mente ductus ad accusationẽ processerit. & siquidem eius iustum errorem reperit: absoluit eum. si uero in euidenti calumnia eum deprehendit: legitimam pœnam ei irrogat. quorum alterutrũ ipsis uerbis pronunciationis manifestatur. nam siquidem ita pronunciauerit, NON PROBASTI: pepercit ei. si autem pronunciauit, CALVMNIATVS ES: condemnauit eum. & quamuis nihil de pœna subiecerit, tamen legis potestas aduersus eum exercebit. nam ut Papinianus respondit. facti quidem quæstio in arbitrio est iudicantis: pœnæ uero persecutio non eius uoluntati mandatur, sed legis authoritati reseruatur. Quæri potest, si ita fuerit interlocutus, LVCIVS TITIVS TEMERE VIDETVR ACCVSASSE, an calumniatorẽ pronunciasse uideat? & Papinianus temeritatẽ facilitatis ueniam continere, & inconsultum calorem calumniæ uicio carere: & ob id hunc nullam pœnam subire oportere. Prævaricatorẽ esse eum ostendimus, qui colludit cum reo, & translaticie munere accusandi defungitur: eo quod proprias quidem probationes dissimularet, falsas uero rei excusationes admitteret. Si quis autem ab accusatione citra abolitionẽ destiterit, punitur. Abolitio

tio priuatim à præside poſtulari ac impetrari ſolet, item pro tribunali non de plano: nec præſes hanc cognitionem alteri demandare poteſt.

Si plura crimina idem eidem intulerit: ſingulorum abolitionem debet petere. alioquin prout quid omiſerit, eius nomine ſenatuſconſulti pœnam patietur. Si accuſationem intulit, qui præſcriptione ſubmoueri poterat: ut quilibet adulterij maſculo poſt quinq; annos cõtinuos ex die commiſſi adulterij, uel fœminæ poſt ſex menſes utiles ex die diuortij: an ſi deſtiterit, hoc ſenatuſconſulto plecti debeat accuſator, bene dubitatur. mouet, quod penè nulla ſit accuſatio, quã temporis ſpacium, aut perſonæ uicium omnimodo remoueat, reoq; ſecuritatem timoris ac periculi promittat. è contrario mouet, quod qualiſcunq; accuſatio illata cognoſcentis authoritate, nõ accuſantis uoluntate aboleri debeat: maioreq; odio dignus exiſtimet, qui temere ad tam improbam accuſationem proceſſiſſet. ergo uerius eſt, eum quoq;, de quo loquimur, in ſenatuſconſultum incidere oportere. Atquin Papinianus reſpondit, mulierem, quæ idcirco ad falſi accuſationem non admitteret, quod ſuam ſuorumue iniuriam non perſequeretur: deſiſtentem ſenatuſconſulto Turpilliano nõ plecti. num ergo & in cæteris idem reſponſurus ſit? quid enim intereſt, propter ſexus infirmitatem, an propter ſtatus turpitudinem, temporisue finem ad accuſationem aliquam nõ admittatur? multoq; magis excludendi ſunt, quod mulieris quidem accuſatio uel propter proprium eius dolorem effectum habere potuerit, illorũ uero accuſatio uoce duntaxat tenus interuenerit. Atquin idẽ aliàs ſcribit, non poſſe aliquem duos eodem tempore adulterij accuſare, marem & fœminam: & tamen ſi utrũq; ſimul denunciauerit, in utriuſq; perſonam abolitionẽ eum petere debere, ne in hoc ſenatuſconſultũ incidat. quid porrô refert, propter cauſſas ſupraſcriptas accuſatio nõ ualuerit, an propter numerum perſonarum non tenuerit? an hoc interſit, plenam habuerit aliquis accuſandi facultatem, ſed propter perſonarum coniunctionem ab hac accuſatione ſubmoueatur: an uero ſtricta ratione quibuſdam accuſandi facultas non competat? merito itaq; dicendum eſt, omnes (excepta muliere & minore) niſi abolitionem petierint, in hoc ſenatuſconſultum incidere. Suſpecti tutoris accuſatio pro tribunali tantum examinari poteſt, & nullus alius de huius quæſtione, quàm præſes pronũciare poteſt: & tamen qui ab ea deſtitit, ſenatuſconſulto non tenetur. Item ſi dicat aliquis in ſenatuſconſultum incidiſſe Turpillianum: præſidis eſt ſuper ea re notio, & tamen contra deſertorem ſenatuſconſulti non interuenit coërcitio. qui eñ dicit, quẽ in hoc ſenatuſconſultũ incidiſſe, accuſator non eſt. Incidit in hoc ſenatuſconſultũ, & qui accuſatorem ſubmittit, aut inſtigat, aut mandat alicui

alicui, & inſtruit eum ad accuſationem capitalem, dando probationes, allegando *excuſationes: & merito. nam diffitendo crimini, quod mouet, & eximendo ſe periculo calumniæ uel deſertionis, merito calumniatis & deſiſtentis pœnæ ſubiici debuit: niſi ſubornatus accuſator probauerit crimen, quod intendere ſuſcepit. nec intereſt, per ſe mandauit accuſationem, an per alium. uerũ hunc, qui hoc miniſterio uſus eſt: ad mandandam accuſationem non ex uerbis, ſed ex ſententia ſenatuſconſulti puniri, Papinianus reſpondit. ſubmiſſus enim accuſator ſimiliter eodem ſenatuſconſulto plectitur: id eſt propter hoc ſolum punitur, quod miniſterium alieni timoris receperit. Reus condemnatus prouocauit, deinde accuſator deſtitit. an in hoc ſenatuſconſultũ incidit? pro pè eſt, ut incidiſſe uideatur: quia prouocationis remedio condemnationis exſtinguitur pronunciatio.

II. PAVLVS.

QVi deſtitit, agere amplius, & accuſare prohibetur.

III. IDEM.

ET in priuatis & in extraordinariis criminibus omnes calumnioſi extra ordinem pro qualitate admiſſi plectuntur.

IIII. PAPINIANVS.

MVlier, quæ falſi crimen iniuriæ propriæ poſt interpoſitam denunciationem deſiſtens omiſit, ex ſenatuſcõſulto Turpilliano teneri nõ uidetur. Poſt abolitionem idem crimen ab eodem in eundem inſtaurari non poteſt.

V. PAVLVS.

QVæſitũ eſt, an is, qui libello principi dato falſum ſe obiecturum minatus eſt, ſi nõ obieciſſet, Turpilliano ſenatuſconſulto teneretur? Paulus reſpondit. uerbis ſenatuſconſulti Turpilliani eum, de quo quæritur, non contineri.

VI. IDEM.

AB accuſatione deſtitit, qui cum aduerſario ſuo de compoſitione eius criminis, quod intendebat, fuerit locutus. Animo ab accuſatione deſtitit, qui adfectum & animum accuſandi depoſuit. Deſtitiſſe uidetur, qui intra præfinitum accuſationis à præſide tempus reũ ſuum non peregerit. Nunciatores, qui per notoria indicia prodũt, notoriis ſuis adſiſtere iubentur. Calumniæ eauſſa puniuntur, qui in fraudem alicuius librum, uel teſtimoniũ, aliudũe quid conquiſiſſe, uel conſcripſiſſe, uel in iudicium protuliſſe dicuntur.

VII. VLPIANVS.

SI quis repetere uelit crimen publica abolitione interueniente: eodẽ iure repetit, quo accuſabat. neq; eĩ poſſunt præſcriptiões obiici ei,

quæ reo ante reorum abolitionem non sunt obiectæ. & ita diuus Hadrianus scripsit. Si stellionatus quis, uel expilatæ hæreditatis crimen obiecit, & destitit: pœnam senatusconsulti Turpilliani non subibit, quem admodum nec furti, uel iniuriarum: sed officio iudicis culpa eius coërcebitur.

VIII. PAVLVS.

ABolitio aut publice fit ob diem insignem, aut ob publicam gratulationem,

IX. MARTIANVS.

VEl ob rem prospere gestam,

X. PAVLVS.

AVt priuatim actore postulante. Tertio genere lege fit abolitio, mortuo accusatore, uel ex iusta caussa impedito, quo minus accusare possit. Abolitione autem publice facta, non retractabitur in iudicio repetendo de mariti iure. Triginta dies repetendi rei diuus Trajanus utiles esse interpretatus est, ex die scilicet, quo feriæ finitæ sunt: & senatus censuit eos dies cedere, quibus quisq; reum suum repetere possit. Hoc autem repetendi rei tempus non aliter cedit, quàm si accusator quoq; potuit adire.

XI. IDEM.

QVærebatur, an hi, qui ab accusatione tempore excluſi essent, in senatusconsultum Turpillianum inciderent? Respondi. non oportere dubitari, calumnia non puniri eos, qui præscriptione temporis excluſi, causſam adulterij perferre non potuerunt.

XII. VLPIANVS.

SI interueniente publica abolitione ex senatusconsulto (ut fieri adsolet) uel ob lætitiam aliquã, uel honorem domus diuinæ, uel ex qua alia causſa, ex qua senatus censuit abolitionem reorum fieri, nec intra dies præstitutos reum repetierit: dicendum est, cessare Turpillianum senatusconsultum. nec enim uidetur desistere, qui exemptum reum nõ defert. eximitur autem reus publica abolitione interueniente.

XIII. PAVLVS.

DEstitisse eum accipimus, qui in totum animum agẽdi deposuit, non qui distulit accusationem. sed qui permissu Imperatoris accusatione destitit, impunitus est.

XIIII. VLPIANVS.

DIuus Hadrianus Fuluio Caro rescripsit proconsuli Cretæ. tutorem, qui pupilli causſa instituerat accusationẽ, defuncto pupillo, cuius causſa accusare cœperat, non esse cogendũ accusationẽ implere.

XV. MACER.

IN senatusconsultum Turpillianum incidunt, qui subieciſſent accusatores

fatores,aut ſubiecti poſtulaſſent,nec peregiſſent reōs: aut aliter, quàm abolitione facta,deſtitiſſent:quicꝫ chirographum ob accuſandum dediſſent,pactionemue aliquam interpoſuiſſent. hoc autem uerbum PEREGISSENT ad uniuerſos ſupraſcriptos pertinere dicendū eſt. An ad eos,qui hodie de iudicijs publicis extra ordinē cognoſcunt,ſenatuſconſultū pertineat: quæritur. ſed iam hoc iure ex ſacris conſtitutionibus utimur,ut pertineat,& ex ſingulis cauſſis ſingulæ pœnæ irrogentur.

Eos,de quorum calumnia agi non permittitur,ſi deſtiterint,non incidere in pœnam huius ſenatuſconſulti,conſtitutionibus cauetur. Si propter mortem rei accuſator deſtiterit:non poteſt hoc ſenatuſconſulto teneri, quia morte rei iudicium ſoluitur: niſi tale crimen fuit, cuius *actio aduerſus hæredes durat,ueluti maieſtatis. Idem in accuſatiōe repetundarum eſt:quia hæc quoq; morte nō ſoluitur. cæterum ſi poſtea, quàm accuſator deſtitit, reus deceſſerit:non ideo magis delictū accuſatoris releuatur. nam eum,qui ſemel deſtitit,ſi poſtea paratus accuſare ſit,non eſſe audiendū,diuus Seuerus & Antoninus ſtatuerūt. Qui poſt inſcriptionem ante litem conteſtatam uel anno,uel biennio agere non potuerunt,uarijs præſidum occupationibus,uel etiam ciuiliū officiorum neceſſitatibus diſtricti:in ſenatuſconſultū non incident. Cū prius reum quis detulerit,& poſt abolitionem,antequàm reus repeteretur,alia abolitio ſuperuenerit:non ex ſuperiore, ſed ex ſecunda abolitione dies triginta computantur. *al's. fanctio.

XVI. PAVLVS.

DOmitianus reſcripſit:quod de ferijs & de abolēdis reis dicitur, nō pertinere ad ſeruos,qui accuſati in uinculis eſſe iubent,ne iudiciū finiatur.

XVII. MODESTINVS.

LVcius Titius Seium reum falſi fecit:& prius,cꝫ perſequeretur, indulgentia reorum crimina abolita ſunt. quæro,ſi poſtea eum iteratō reum non fecerit:an in Turpillianum ſenatuſconſultū inciderit? Modeſtinus reſcripſit.abolitionem reorū, quæ publice indulgetur, ad hoc genus criminis non pertinere.

XVIII. PAPINIANVS.

IMperatores Antoninus & Seuerus Auguſti Iulio Seuero reſcripſerunt,cum ſatis diu litem traxiſſe diceretur,inuito aduerſario nō poſſe eum abolitionem accipere. Item reſcripſerunt:niſi euidenter probaretur conſentire aduerſarium,abolitionem non dari. Item reſcripſerunt,cum in crimine capitali abolitionem,ut in re pecuniaria, petitam eſſe diceretur:reſtaurandam eſſe nihilominus cognitionem: & ſi non probaſſet hoc,quod proponeret,non impune eum laturum.

DE REQVIRENDIS REIS, NEC ABsentibus damnandis. Tit. XVII.

I. MARTIANVS.

DIui Seueri & Antonini Magni reſcriptũ eſt, ne quis abſens puniatur: & hoc iure utimur, ne abſentes damnentur. neq; enim inaudita cauſſa quenquam damnari æquitatis ratio patitur. Si autem grauius quis puniatur, puta in opus metalli, uel ſimilem pœnã, ſiue capitalem: hoc caſu non eſt irroganda in abſentem pœna, ſed abſens requirendus adnotandus eſt, ut copiam ſui præſtet. Præſides autem prouinciarũ circa requirendos adnotatos & hoc debent facere: ut eos, quos adnotauerint, edictis adeſſe iubeant, ut poſſit innoteſcere, qui adnotati ſint. ſed & literas ad magiſtratus, ubi conſiſtunt, mittere: ut per eos poſſit innoteſcere, requirendos eos eſſe adnotatos: & ex hoc annus computatur ad ſe purgandos. Sed & Papinianus libro decimoſexto reſponſorum reſpondit: requirendum adnotatum, ſi prouinciæ præſidem intra annum adierit, & ſatis obtulerit, non facere locũ mandatis, ut bona fiſco uindicentur. nã & ſi intra annum mortuus ſit: criminis cauſſa exſpirat, & perit, & bona eius ad ſucceſſores tranſmittuntur.

II. MACER.

ANni ſpacium ad occupanda bona eius, qui requirendus adnotatus eſt, pertinet. ſed ſi per uiginti annos fiſcus bona eius non occupauerit: poſtea præſcriptione uel ab ipſo reo, uel ab hæredibus eius ſubmouebitur.

III. MARTIANVS.

QVamcũq; enim quæſtionem apud fiſcum (ſi non alia ſit propria præſcriptio) uiginti annorũ ſilentio præſcribi, diui principes uoluerunt.

IIII. MACER.

ANnus exinde computandus eſt, ex quo ea adnotatio, uel edicto, uel etiam literis ad magiſtratus factis publice innotuit. ergo & uiginti annorum tempus exinde fiſco numeratur, ex quo adnotatio publice innotuit. In ſumma ſciendum eſt, nulla temporis præſcriptione à cauſſæ defenſione ſubmoueri eum, qui requirendus adnotatus eſt.

V. MODESTINVS.

MAndatis cauetur, intra annum requirendorum bona obſignari: ut ſi reſponderint, & ſe purgauerint, integram rem ſuam habeant. ſi neq; reſpõderint, neq; qui ſe defendant, habuerint: tũc poſt annũ bona in fiſcum cogantur. & intra annum medio tempore mouentia, ſi qua

qua sunt(ne aut mora deteriora fiant,aut aliquo modo intereant)ueni re debere,preciuḿq; eorum in deposito esse,diui Seuerus & Antoninus sanxerunt. Sed & diuus Traianus inter mouentia fructus quoq; haberi rescripsit. Curandum est autem,ne quid ei,qui profugit,medio tempore à debitoribus eius soluatur,ne per hoc fuga eius instruatur.

DE QVAESTIONIBVS. Tit. XVIII.

I. VLPIANVS.

IN criminibus seruandis quæstio adhiberi solet:sed quando,uel quatenus id faciendum sit,uideamus. & non esse à tormentis incipiendũ,diuus Augustus constituit: neq; adeo fidem quæstioni adhibẽdam,etiã epistola diui Hadriani ad Sẽnium Sabinum continetur. uerba rescripti ita se habent.ad tormenta seruorum ita demum ueniri oportet, cum suspectus est reus,& alijs argumentis ita à probatione amouetur, ut sola confessio seruorum deesse uideatur. Idem Diuus Hadrianus Claudio Quartino rescripsit.quo rescripto illud expressit:à suspectissimo incipiendũ,& à quo facillime posse uerũ sciri iudex crediderit. Ad quæstionem non esse prouocandos eos, quos accusator de domo sua produxerit:nec facile credendũ subiectã eã, quã ambo parentes dicũt charam filiã habuisse,rescripto diuorum fratrum ad Lucium Tyberianũ emisso declaratur. Iidem Cornelio Proculo rescripserunt:non utiq; in serui unius quæstione fidem rei constituendã,sed argumentis causam examinandam. Diuus Antoninus & diuus Hadrianus Sennio Sabino rescripserũt,cum serui pariter cum domino aurũ & argentum exportasse dicerentur:nõ esse de domino interrogandos: nec quidem, si ultro aliquid dixerint,obesse hoc domino. Diui fratres Leliano Longino rescripserũt: de seruo hæredum non esse habendam quæstionem in res hæreditarias: quamuis suspectum fuisset,quod imaginaria uenditione dominium in eo quæsisse hæres uideretur. Seruum municipũ posse in caput ciuiũ torqueri, sæpissime rescriptum est,quãdo nõ sit illorum seruus, sed reipublicæ. ideḿq; in cæteris seruis corporũ dicendum est.nec enim plurium seruus uidetur,sed corporis. Si seruus bona fide mihi seruiat:etiam si dominium in eo non habui:potest dici,torqueri eum in caput meum non debere.idem est & in libero homine,qui bona fide seruit. sed nec libertum torqueri in patroni caput constitutum est: nec quidem fratrem in fratris, Imperator noster cum patre suo rescripsit, addita ratione:quod in eum, in quem quis inuitus testimonium dicere non cogitur, in eum nec torqueri debet.

Seruũ mariti in caput uxoris posse torqueri, diuus Traianus Seruio Quarto rescripsit. Item Mummio Lolliano rescripsit: damnati seruos, qui desierint esse ipsius, posse in eum torqueri. Si seruus ad hoc erit manumissus, ne torqueat: dũmodo in caput domini non torqueatur: posse eum torqueri, diuus Pius rescripsit. sed & eum, qui cognitiõis susceptæ tempore alienus fuit: licet postea rei sit effectus, torqueri in caput eius posse, diui fratres rescripserunt. Si quis dicatur nullo iure emptus: non prius torqueri poterit, quàm si constiterit uenditionẽ non ualuisse. & ita Imperator noster cũ diuo patre suo rescripsit. Antoninus & Verus Sulpitio Antigono ita rescripserũt. Cũ quæstio de seruis cõtra dominos neq; haberi debeat, neq; si facta sit, dicturi sententiã cõsiliũ instruat: multominus indicia seruorũ cõtra dominos admittẽda sunt.

Diuus Seuerus rescripsit, cõfessiones reorũ, p exploratis facinoribus haberi nõ oportere, si nulla probatio religionẽ cognoscentis instruat.

Cum quidam deponere precium serui paratus esset, ut seruus torqueretur contra dominũ: Imperator noster cum diuo patre suo id non admisit. Si serui, quasi sceleris participes in se torqueantur, deq; domino aliquid fuerint cõfessi apud iudicem: prout caussa exegerit, ita pronunciare eum debere, diuus Traianus rescripsit. quo rescripto ostenditur, grauari dominos cõfessione seruorũ. sed ab hoc rescripto recessũ, constitutiones posteriores ostendunt. In caussa tributorũ, in quibus esse reipublicæ neruos, nemini dubium est: periculi quoq; ratio, quod seruo fraudis conscio capitalem pœnam denunciat, eiusdem professionem instruat. Qui quæstionem habiturus est, non debet specialiter interrogare, an Lucius Titius homicidiũ fecerit: sed generaliter, quis id fecerit. alterum enim magis suggerentis, quàm requirentis uidetur. & ita diuus Traianus rescripsit. Diuus Hadrianus Calpurnio Celeriano in hæc uerba rescripsit. Agricola Pompeij Valentis seruus de se potest interrogari. At si dum quæstio habetur, amplius dixerit: rei fuerit iudicium, non interrogationis culpa. Quæstioni fidem nõ semper, nec tamen nunquam habendam, constitutionibus declaratur. etenim res est fragilis, & periculosa, & quæ ueritatem fallat. nam plerique patientia siue duritia tormentorũ ita tormenta contemnũt, ut exprimi ab eis ueritas nullo modo possit. alij tanta sunt impatientia, ut quoduis mentiri, quàm pati tormenta uelint. & ita fit, ut etiã uario modo fateantur: et non tantum se, uerum etiam alios criminentur. Præterea inimicorũ quæstioni fides haberi non debet: quia facile mentiunt. nec tamẽ sub prætextu inimiciciarũ detrahenda erit fides quæstioni: sed caussa cognita aut habenda fides, aut non habenda. Cũ quis latrones tradidit: quibusdã rescriptis continetur, non debere fidem haberi eis in eos, qui

qui eos tradiderunt. quibuſdam uero, quæ ſunt pleniora, hoc cauetur: ut neq; de ſtricto habeat, ut in cæterorũ perſona ſolet: ſed cauſſa cognita æſtimetur, habenda fides ſit, necné. pleriq; eñ dum metuũt, ne forte adprehenſi eos nominent, prodere eos ſolent, ſcilicet impunitatẽ ſibi captantes, quia non facile eis indicãtibus proditores ſuos credatur. ſed neq; paſſim impunitas eis per huiuſmodi proditiones concedenda eſt: neq; tranſmittẽda allegatio dicentiũ, idcirco ſe oneratos, quod eos ipſi tradidiſſent. neq; enim inualidum argumentũ haberi mendacij debet, ſiue calumniæ in ſe inſtructæ. Si quis ultro de maleficio fateatur: nõ ſemper ei fides habenda eſt nonnunquã enim aut metu, aut qua alia de cauſſa in ſe confitentur. & exſtat epiſtola diuorũ fratrum ad Voconiũ Saxam, qua continetur liberandũ eum, qui in ſe fuerat confeſſus, cuius poſt damnationẽ de innocentia conſtitiſſet. cuius uerba hæc ſunt. Prudenter & egregia ratione humanitatis (Saxa chariſſime) Primitiũ ſeruum, qui homicidiũ in ſe cõfingere metu ad dominũ reuertendi ſuſpectus eſſet, perſeuerante falſa demonſtratione, damnaſti: quæſiturus de conſcijs, quos æque habere ſe cõmentus fuerat, ut ad certiorem ipſius de ſe confeſſionẽ peruenires. nec fruſtra fuit tam prudens conſiliũ tuũ: cum in tormentis conſtiterit, neq; illos ei conſcios fuiſſe, & ipſum de ſe temere cõmentũ. potes itaq; decreti gratiam facere, & eum per officiũ diſtrahi iubere: conditione addita, ne unquã in poteſtatẽ domini reuertatur, quẽ precio recepto certum habemus libenter tali ſeruo cariturũ.

Hac epiſtola ſignificatur, quod ſi ſeruus damnatus, fuiſſet reſtitutus: ad eum pertineret, cuius fuiſſet, antequã damnaretẽ. ſed præſes puinciæ eũ, quẽ damnauit, reſtituere non poteſt: cum nec pecuniariã ſententiã ſuã reuocare poſſit. quid igitur? principi eum ſcribere oportet: ſi quando ei, qui nocens uidebatur, poſtea ratio innocentiæ conſtitit.

II. VLPIANVS.

HAereditarij ſerui quàmdiu incertũ eſt, ad quem bona pertineant, non poſſunt uideri in caput domini torqueri.

III. IDEM.

CONſtitutione imperatoris noſtri & diui Seueri placuit, pluriũ ſeruum in nullius caput torqueri poſſe.

IIII. IDEM.

INceſto (ut Papinianus reſpondit, & eſt reſcriptũ) ſeruorũ tormenta ceſſant: quia & lex Iulia ceſſat de adulterijs.

V. MARTIANVS.

SI quis uiduam, uel alij nuptam cognatam, cum qua nuptias contrahere non poteſt, corruperit: in inſulam deportandus eſt, quia duplex crimen eſt: inceſtũ, quia cognatã uiolauit cõtra fas: & adulteriũ uel ſtuprum, quod

ſtuprum adiungit. deniq; hoc caſu ſerui in perſonã domini torquent.

VI. IVLIANVS.

PAtre uel marito de adulterio agente & poſtulante, ut de ſeruis rei quæſtio habeatur: ſi cauſſa perorata, teſtibus prolatis, abſolutio ſecuta fuerit: mancipiorum, quæ mortua ſunt, æſtimatio habetur. ſecuta uero damnatione: quæ ſuperſunt, publicantur. Cum de falſo teſtamento quæritur, hæreditarij ſerui poſſunt torqueri.

VII. VLPIANVS.

QVæſtionis modũ, magis eſt, iudices arbitrari oportere. itaq; quæſtionẽ haberi oportet, ut ſeruus ſaluus ſit, uel innocentia, uel ſupplicio.

VIII. PAVLVS.

EDictum diui Auguſti, quod propoſuit Iunio Auito & Lucio Apro niano conſulibus: in hunc modũ exſtat. Quæſtiones neq; ſemper in omni cauſſa & perſona deſiderari debere arbitror: & cum capitalia & atrociora maleficia non aliter explorari & inueſtigari poſſunt, quàm per ſeruorum quæſtiones: efficaciſſimas eas ad requirendam ueritatẽ exiſtimo, & habendas eſſe cenſeo. Statuliber in adulterio poſtulari poterit, ut quæſtio ex eo habeatur, quod ſeruus hæredis eſt: ſed ſpem ſuam retinebit.

IX. MARTIANVS.

DIuus Pius reſcripſit, poſſe de ſeruis haberi quæſtionem in pecuniaria cauſſa, ſi aliter ueritas inueniri nõ poſſit. qd' & alijs reſcriptis cauetur. ſed hoc ita eſt, ut nõ facile in re pecuniaria quæſtio habeatur. ſed ſi aliter ueritas inueniri non poſſit, niſi per tormenta: licet habere quæſtionem, ut diuus Seuerus reſcripſit. licet itaq; & de ſeruis alienis haberi quæſtionem, ſi ita res ſuadeat. Ex quibus cauſſis quæſtio de ſeruis aduerſus dominos haberi non debet, ex his cauſſis nec quidem interrogatio ualere debet: & multominus indicia ſeruorum contra dominos admittenda ſunt. De eo, qui in inſulam deportatus eſt, quæſtio habenda non eſt, ut diuus Pius Cæcilio Iubentiano reſcripſit. ſed nec de ſtatulibero in pecunarijs cauſſis quæſtio habend aeſt, niſi deficiente conditione.

X. ARCADIVS CHARISIVS *lib. ſingulari de teſtibus.*

DE minore quatuordecim annorũ quæſtio habenda nõ eſt, ut & diuus Pius Cæcilio Iubẽtiano reſcripſit. ſed omnes omnino in maieſtatis crimine (quod ad perſonas principum attinet) ſi ad teſtimoniũ prouocentur, cum res exiget, torqueantur. Poteſt quæri, an de ſeruis filij caſtrenſis peculij in caput patris quæſtio haberi nõ poſſit? nam patris non debere torqueri in filium, conſtitutum eſt. & puto recte dici, nec filij ſeruos in caput patris eſſe interrogandos. Tormenta autem adhiben

adhibenda ſunt, non quanta accuſator poſtulat, ſed ut moderatæ ratio nis temperamenta deſiderant: nec debet initium probationum de domo rei accuſator ſumere, dum aut libertos eius, quem accuſat, aut ſeruos in teſtimonium uocat. Plurimũ quoq; in excutiẽda ueritate, etiã uox ipſa, & cognitionis ſubtilis diligentia adfert. nam & ex ſermone, & ex eo, qua quis conſtantia, qua trepidatione quid diceret, uel cuius exiſtimationis quiſq; in ciuitate ſua eſt, quædam ad illuminandam ueritatem in lucem emergunt. In cauſſis quoq; liberalibus nõ oportet per eorum tormenta, de quorum ſtatu quæritur, ueritatem requiri.

XI. PAVLVS.

ETiam ſi redhibitus fuerit ſeruus, in caput emptoris nõ torquebit̃.

XII. VLPIANVS.

SI quis, ne quæſtio de eo agatur, liberum ſe dicat: diuus Hadrianus reſcripſit, non eſſe eum ante torquendum, quàm liberali iudicio experiatur.

XIII. MODESTINVS.

CErto precio ſeruum æſtimatum in quæſtionem dari, interpoſita ſtipulatione, reſcriptum eſt.

XIIII. IDEM.

STatuliber in delicto repertus, ſperandæ libertatis prærogatiua, nõ ut ſeruus ob ambiguum conditionis, ſed ut liber puniendus eſt.

XV. CALLISTRATVS.

EX libero homine pro teſtimonio non uacillante quæſtionem haberi non oportet. De minore quoq; quatuordecim annorum in caput alterius quæſtionem habendã non eſſe, diuus Pius Mecilio reſcripſit: maxime, cum nullis extrinſecus argumentis accuſatio impleatur. nec tamen conſequens eſſe, ut etiam ſine tormentis eidem credatur. nam ætas (inquit) quæ aduerſus aſperitatẽ quæſtionis eos interim tueri uidetur, ſuſpectiores quoq; eoſdem facit ad mentiendi facilitatẽ.

Eum, qui uindicanti ſeruum cauit, domini loco habendum: & ideo in caput eius ſeruos torqueri non poſſe, diuus Pius in hæc uerba reſcripſit. Cauſſam tuam aliis probationibus inſtruere debes. nam de ſeruis quæſtio haberi non debet: cum poſſeſſor hæreditatis, qui petitori ſatisfecit, interim domini loco habeatur.

XVI. MODESTINVS.

REpeti poſſe quæſtionem diui fratres reſcripſerunt. Is, qui de ſe confeſſus eſt, in caput aliorum non torquebitur, ut diuus Pius reſcripſit.

XVII. PAPINIANVS.

EXtraio quoq; accuſante ſeruos in adulterij quæſtionem cõtra do-

minũ interrogari placuit. quod diuus Marcus, ac postea maximus princeps noster iudicantes secuti sunt. Sed & in quæstione stupri aduersus dominum serui non torquentur. De quæstione suppositi partus, uel si petat hæreditatem, quem cæteri filij non esse fratrem suũ contendunt: quæstio de seruis hæreditarijs habebitur: quia non contra dominũ * (cæteros filios) sed pro successione domini defuncti quæritur, quod congruit ei, quod diuus Hadrianus rescripsit. cum enim in sociũ cædis socius postularetur: de communi seruo habendam quæstionem rescripsit. quod pro domino fore uideretur. De seruo in metallũ damnato quæstionem contra eum, qui dominus fuit, nõ esse habendam respondi. nec ad rem pertinere, si ministrum se facinoris fuisse confiteatur.

*al's de sunt.

XVIII. PAVLVS.

VNius facinoris plurimi rei ita audiendi sunt, ut ab eo primũ incipiatur, qui timidior est, uel teneræ ætatis uidetur. Reus euidentioribus argumentis oppressus, repeti in quæstionem potest: maxime si in tormenta animum corpusq; obduruerit. In ea causa, in qua nullis reus argumentis urgeatur, tormenta non facile adhibenda sunt: sed instandum accusatori, ut id, quod intendit, comprobet, atq; sic conuincat. Testes torquendi non sunt conuincendi mendacij aut ueritatis gratia, nisi cum facto interuenisse dicuntur. Iudex cum de fide generis instrui non potest, poterit de seruis hæreditarijs habere quæstionem. Seruo, qui ultro aliquid de domino confitetur, fides non accõmodatur. neq; enim oportet salutem dominorum seruorum arbitrio committi. Seruus in caput domini, à quo distractus est, cui aliquando seruiuit, in memoriam prioris domini interrogari nõ potest.

Seruus nec si à domino ad tormenta offeratur, interrogandus est.

Sanè quoties quæritur, an serui in caput domini interrogandi sunt, prius de eorum dominio oportet inquiri. Cognituram de criminibus præsidem oportet ante diem palam facere, custodias se auditurũ: ne hi, qui defendendi sunt, subitis accusatorum criminibus opprimantur: quamuis defensionem quocunq; tempore postulante reo negari nõ oportet: adeo, ut propterea & differantur, & proferantur custodiæ.

Custodiæ non solum pro tribunali, sed & de plano audiri possunt, atq; damnari.

XIX. TRIPHONINVS.

IS, cui fideicommissaria libertas debetur, non aliter, ut seruus, quæstioni adplicetur, nisi aliorum quæstionibus oneretur.

XX. PAVLVS.

MAritus quidam hæres uxoris suæ petebat à Suro pecuniam, quã apud eum deposuisse defunctã se absente dicebat: & in eam rem unum

unum testem liberti sui filium produxerat. apud procuratorem desiderauerat quæstionem haberi de ancilla. Surus negabat se accepisse, & testimonium non oportere unius hominis admitti: nec solere à quæstionibus incipi, & si aliena esset ancilla procurator quæstionem de ancilla habuit. cum ex appellatione cognouisset imperator: pronũciauit, quæstione illicite habita, unius testimonio non esse credendum: ideoq; recte prouocatum.

XXI. IDEM.

QVæstionis habendæ caussa neminem esse damnandum, diuus Hadrianus rescripsit.

XXII. IDEM.

QVi sine accusatoribus in custodiã recepti sunt, quæstio de eis habenda non est: nisi aliquibus suspitionibus urgeantur.

DE POENIS. Tit. XIX.

I. VLPIANVS.

QVoties de delicto quæritur, placuit non eam pœnã subire quem debere, quam conditio eius admittit eo tempore, quo sententia de eo fertur: sed eam caussam sustinere, quam sustineret, si eo tempore esset sententiã passus, cũ deliquit. proinde si seruus crimen commiserit, deinde libertatem consecutus dicetur: eam pœnam sustinere debebit, quã tunc sustineret, si sententiam passus fuisset, cum deliquisset. per contrarium quoq; si in deteriorem conditionem fuerit redactus: eam pœnam subire eum oportebit, quã sustineret, si in cõditione priore durasset. Generaliter placet, in legibus publicorum iudiciorum uel priuatorum criminum: qui extra ordinem cognoscunt, præfecti, uel præsides, ut eis, qui pœnam pecuniariam egentes deludunt, coërcitionem extraordinariam indicant.

II. IDEM.

REi capitalis damnatum sic accipere debemus, ex qua caussa damnato uel mors, uel etiam ciuitatis amissio, uel seruitus contingit. Constat, postquàm deportatio in locum aquæ & ignis interdictionis successit: nõ prius amittere quem ciuitatem, quàm princeps deportatum eum in insulam statuerit. præsidem enim deportare nõ posse, nulla dubitatio est. sed præfectus urbi ius habet deportandi, statimq; post sententiam præfecti amisisse ciuitatem uidetur. Eum accipimus damnatum, qui non prouocauit. cæterum si prouocet: nondum damnatus uidetur. sed & si ab eo, qui ius damnandi non habuit, rei capitalis

pitalis quis damnatus sit: in eadem caussa erit. damnatus enim ille est, ubi damnatio tenuit.

III. IDEM.

PRægnantis mulieris consumendæ damnatæ pœna differtur, quo ad pariat. ego quidem & ne quæstio de ea habeatur, scio obseruari, quàmdiu prægnans est.

IIII. MARTIANVS.

RElegati, siue in insulam deportati debent locis interdictis abstinere. & hoc iure utimur, ut relegatus interdictis locis non excedat. alioquin in tempus quidem relegato, in perpetuum relegationis: in insulam relegato, deportationis: in insulam deportato, pœna capitis irrogatur. & hæc ita, siue quis nõ excesserit in exsilium intra tempus, intra quod debuit: siue etiam aliàs exsilio non obtemperauerit. nam contumacia eius cumulat pœnam: & nemo potest cõmeatum remeatumue dare exsuli, nisi Imperator ex aliqua caussa.

V. VLPIANVS.

ABsentem in criminibus damnari non debere, diuus Traianus Iulio Frontoni rescripsit. sed nec de suspitionibus debere aliquem damnari, diuus Traianus Adsidio Seuero rescripsit. satius enim esse impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnari. Aduersus cõtumaces uero, qui neq; denunciationibus, neq; edictis præsidũ obtemperassent, etiam in absentes pronunciari oportet, secundum morem priuatorum iudiciorum. potest & quis defendere hæc non esse cõtraria. quid igitur est? melius statuitur: in absentes pecuniarias quidem pœnas, uel eas, quæ existimationẽ contingunt (si sæpius admoniti per contumaciam desunt) statui posse, & usq; ad relegationem procedi. uerum si quid grauius irrogandum sit, puta in metallum, uel capitis pœnam, non esse absentibus irrogandam. In accusatorem autem absentem nonnunquam grauius statuendum, quàm Turpilliani senatusc̃õsulti pœna irrogatur, dicendum est. Refert & in maioribus delictis, consultò aliquid admittatur, an casu. & sanè in omnibus criminibus distinctio hæc pœnam aut iustam eligere debet, aut temperamentum admittere.

VI. IDEM.

SI quis forte, ne supplicio adficiatur, dicat se habere, quod principi referat salutis ipsius caussa: an remittendus sit ad eum, uidendum est. & sunt pleriq; præsidum tam timidi, ut etiam post sententiam de eo dictam pœnam sustineant, nec quidquam audeant. alij omnino non patiuntur quidquam tale allegantes. nonnulli neq; semper, neq; nunquã remittunt, sed inquirunt quid sit, quod allegare principi uelint, quidq; pro

pro salute ipsius habeant dicere: post quod aut sustinent pœnam, aut non sustinent. quod uidetur habere mediam rationem. cæterũ (ut mea fert opinio) prorsus eos nõ debuisse postea, quàm semel damnati sunt, audiri, quidquid allegent. quis enim dubitat, eludẽdæ pœnæ caussa ad hæc eos decurrere? magisq; esse puniendos, qui tamdiu conticuerunt, quod pro salute principis habere se dicere iactant? nec enim debebant tam magnam rem tamdiu reticere. Si quos comitum uel legati sui reos proconsul inuenerit: utrum punire eos debeat, an successori seruare, quæri potest. sed multorũ exstant exempla, qui non tantum officialium suorum, nec sub se agentium, uerum quoq; suos seruos pœna adfecerunt. quod quidem ideo faciendum est, ut exemplo deterriti minus delinquant. Nunc genera pœnarum nobis enumeranda sunt, quibus præsides adficere quenquam possint. & sunt pœnæ, quæ aut uitam adimant, aut seruitutem adiungant, aut ciuitatem auferãt, aut exsiliũ, aut coërcitionem corporis contineant.

VII. CALLISTRATVS.

VEluti fustium admonitio, flagellorum castigatio, uinculorum uerberatio.

VIII. VLPIANVS.

AVt damnum cum infamia, aut dignitatis alicuius depositionem, aut alicuius actus prohibitionem. Vita adimitur: utputa si damnatur aliquis, ut gladio in eum animaduertatur. sed animaduerti gladio oportet, non securi, uel telo, uel fusti, uel laqueo, uel quo alio modo. Proinde nec liberam mortis facultatem concedendi ius præsides habent. multo minus uel ueneno necandi. diui tamẽ fratres rescripserunt, permittentes liberam mortis facultatẽ. Hostes autẽ, item transfugæ ea pœna adficiuntur, ut uiui exurantur. nec ea quidem pœna damnari quem oportet, ut uerberibus necetur, uel uirgis interimatur, nec tormentis: quamuis pleriq; dum torquentur, deficere solent. Est pœna, quæ adimat libertatem huiusmodi: utputa si quis in metallum, uel in opus metalli damnetur. metalla autem multa numero sunt: & quædam quidem prouinciæ habent, quædam non habent. sed quæ non habent, in eas prouincias mittunt, quæ metalla habent. Præfecto plane urbi specialiter competere ius in metallum damnandi, ex epistola diui Seueri ad * Fabium Cilonem exprimitur. Inter eos, qui in metallum, & eos, qui in opus metalli damnantur, differentia in uinculis tantũ est: quod qui in metallũ dantur, grauioribus uinculis premuntur: qui in opus metalli, leuioribus: quodq; refugæ ex opere metalli in metallum damnantur, ex metallo grauius coërcentur. Quisquis autem in opus publicũ damnatus refugit: duplicato tempore damnari solet.

als * Fauium.

sed duplicare eum id temporis oportet,quod ei supereſt,cum fugit: scilicet ne illud duplicetur, quo adpræhensus in carcere fuerit: & si in decem annos damnatus sit,aut perpetuari debet ei pœna,aut in opus metalli transmitti. planè si decennio damnatus fuit, & initio statim fugit: uidendum est,utrum duplicari ei tempora debeant, an uero perpetuari,uel transferri in opus metalli.& magis est, ut transferantur, aut perpetuentur.generaliter enim dicitur, quoties decenniũ excessura est duplicatio,non esse tempore pœnam artandam. In ministeriũ metallicorum fœminæ in perpetuũ, uel ad tempus damnari solent. simili modo & in salinas. Et quidem in perpetuũ,uel ad tempus damnatæ:quasi seruæ pœnæ constituũtur. si uero ad tempus damnantur:retinent libertatem. Solent præsides in carcerem continendos damnare,ut in uinculis contineantur.sed id eos facere non oportet. nam huiusmodi pœnæ interdictæ sunt.carcer enim ad continendos homines, non ad puniendos haberi debet. In calcariam quoq; uel sulfurariã damnari solent. sed hæ pœnæ metalli magis sunt. Quicunq; in ludum uenatorium damnati sunt, uidendũ,an serui pœnæ efficiantur. solent enim iuniores hac pœna adfici. utrum ergo serui pœnæ isti efficiantur:an retineãt libertatem,uidendum est.& magis est,ut hi quoq; serui efficiantur.hoc enim distant à cæteris, quod instituuntur uenatores, aut pyrrhicharij, aut in aliam quam uoluptatem,gesticulandi, uel aliter se mouendi gratia. Seruos in metallum, uel in opus metalli, item in ludum uenatoriũ dari solere,nulla dubitatio est:& si dati fuerint, serui pœnæ efficiuntur : nec ad eum pertinebunt, cuius fuerunt, antequàm damnarentur. Deniq; cum quidam seruus in metallum damnatus, beneficio principis esset iam pœna liberatus:imperator Antoninus rectissime rescripsit, quia semel domini esse desierat pœnæ seruus factus,nõ esse eum in potestatem domini postea reddendum. sed siue in perpetua uincula fuerit damnatus seruus,siue in temporaria:eius remanet, cuius fuit, antequàm damnaretur.

IX. IDEM.

MOris est,aduocationibus quoq; præsides interdicere,& nonnunquam in perpetuũ interdicunt, nõnunquam ad tempus,uel annum metiuntur,uel etiam tempore, quo prouinciam regunt. nec non ita quoq; interdici potest alicui, ne certis personis adsit. potest & ita interdici cui,ne apud tribunal præsidis postulet: & tamẽ apud legatũ, uel procuratorẽ non prohibeatur agere. si tamen apud legatũ prohibitus fuerit postulare:credo per consequentias, nec quidem apud præsidem relictam illi postulandi facultatem. Nonnunquam non aduocationibus cui interdicitur, sed foro. plus est autem foro,quàm aduocationibus

nibus interdicere:huic omnino forensibus negocijs accõmodare se nõ permittitur. solet autem ita uel iuris studiosis interdici, uel aduocatis, uel tabellionibus,siue pragmaticis. solet & ita interdici, ne instrumẽta omnino forment,neúe libellos concipiant,uel testationes consignent. solet & sic,ne eò loci sedeant,quo in publico instrumenta deponuntur, archío forte,uel grammatophylacío.solet & sic,ut testamenta ne ordi nent,uel scribãt,uel signent. Erit & illa pœna, ne quis negocijs publicis interueniat.hic enim priuatis quidem interesse poterit, publicis prohibetur:ut solent,quibus sententia præcipitur. Sunt aũt & aliæ pœnæ: puta si negociatiõe quis abstinere iubeatur, uel ad conductionẽ eorũ, quæ publice locantur, accedere, ut ad uectigalia publica. Interdici autem negociatione plerunq;, uel negociatiõibus solet. Sed & damnare,ut quis negocietur,an possit,uideamus. & sunt quidem hæ pœnæ, si quis generaliter tractare uelit inciuiles:inuitum hominẽ iubere facere, quod facere non potest. sed si quis specialiter tractauerit:potest esse iusta cauſſa cõpellendi cuius ad negociationẽ. quod si fuerit:sequẽda erit sententia. Istæ ferè sunt pœnæ, quæ iniungi solent. sed enim sciendũ est,discrimina esse pœnarũ,neq; omnes eadem pœna adfici posse. nam in primis decuriones in metallum damnari non possunt, nec in opus metalli,nec furcæ subijci,uel uiui exuri.& si forte huiusmodi sententia fuerint adfecti:liberandi erunt.sed hoc nõ potest efficere,qui sententiã dixit:uerum referre ad principem debet, ut ex authoritate eius pœna aut permutetur,aut liberetur. Parentes quoq; & liberi decurionũ in eadem cauſſa sunt. Liberos non tantũ filios accipere debemus, uerum omnes liberos. Sed utrum hi,qui post decurionatum susceptí sunt,his pœnis non adficiantur : an uero omnes omnino liberi, etiam in plebeia familia susceptí, uidendum est. & magis puto,omnibus prodesse debere. Planè si parens decurio esse desierit:siquidem iam ex decurione fuerit editus:proderit ei,ne adficiatur.enimuero si postea, quàm plebeius factus est, tunc susciplat filium : quasi plebeius editus, ita erit plectendus. Statuliberũ quasi iam liberum puniendum, diuus Pius Saluio Martiano rescripsit.

X. MARCELLVS.

IN seruorum persona ita obseruatur,ut exemplo humiliorũ puniantur.sed ex quibus cauſſis liber fustibus cæditur:ex his seruus flagellis cædi,& domino reddi iubetur.& ex quibus liber fustibus cæsus,in opus publicum damnatur:ex his seruus sub pœna uinculorũ ad eius temporis spacium, flagellis cæsus,domino reddi iubetur. Si sub pœna uinculorum domino reddi iussus,non recipiatur à domino, uenundari : & si emptorem non inuenerit,in opus publicum,& quidem perpetuum tradi iubet.

di iubetur. Qui ex cauſſa in metallum damnati ſunt, & poſt hoc de liquerint: in eos tanquam metallicos conſtitui debet: quamuis nondũ in eum locum perducti fuerint, in quo operari debent. nam ſtatim, ut ſententia de his dicta eſt, conditionem ſuam permutant. In perſonas tam plebeiorum, quàm decurionum, illud conſtitutum eſt: ut qui maiore pœna adficitur, quàm legibus ſtatuta eſt, infamis non fiat. ergo & ſi opere temporario quis multatus eſt, uel tantum fuſtibus cæſus, licet in actione famoſa, ueluti furti: dicendũ erit, infamem non eſſe: quia & ſolus fuſtium ictus grauior eſt, quàm pecuniaria damnatio.

XI. MARTIANVS.

REſpiciendum eſt iudicanti, ne quid durius, aut remiſſius conſtituatur, quàm cauſſa depoſcit. nec emẽ aut ſeueritatis, aut clemẽtiæ gratia adfectãda eſt: ſed perpenſo iudicio, prout quæq; res poſtulat, ſtatuendum eſt. Planè in leuioribus cauſſis proniores ad lenitatem iudices eſſe debent: in grauioribus pœnis ſeueritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis ſubſequi. Furta domeſtica, ſi leuiora ſint, publice uindicanda non ſunt: nec admittenda eſt huiuſmodi accuſatio, cum ſeruus à domino: uel libertus à patrono, in cuius domo moratur: uel mercẽnarius ab eo, cui operas ſuas locauerit, offeraẽ quæſtioni. nam domeſtica furta uocantur, quæ ſerui dominis, uel liberti patronis, uel mercenarij, apud quos degunt, ſubripiunt. Delinquunt autem aut propoſito, aut impetu, aut caſu. Propoſito delinquũt latrones, qui factionem habent. impetu autem, cum per ebrietatem ad manus, uel ad ferrum uenitur. caſu uero, cum in uenando telum in feram miſſum hominem interficit. Capitis pœna eſt beſtijs obijci, uel alias ſimiles pœnas pati.

XII. MACER.

QVod ad ſtatum damnatorũ pertinet: nihil intereſt, iudicium publicum fuerit, nec ne. nam ſola ſententia, nõ genus criminis ſpectatur. itaq; hi, in quos animaduerti iubetur, quiũe ad beſtias dantur, confeſtim ſerui pœnæ fiunt.

XIII. VLPIANVS

HOdie licet ei, qui extra ordinem de crimine cognoſcit, quã uult ſententiam ferre, uel grauiorem, uel leuiorem: ita tamen, ut in utroq; modo rationem non excedat.

XIIII. MACER.

QVædam delicta pagano aut nullam, aut leuiorem pœnam irrogant: militi uero grauiorem: ita tamen, ut ſi miles artem ludicram fecerit, uel in ſeruitutem ſe uenire paſſus ſit, capite puniendum Menander ſcribat.

Venule

XV. VENVLEIVS.

DIuus Hadrianus eos, qui in numero decurionũ essent, capite puniri prohibuit: nisi si quis parentem occidisset. uerum pœna legis Corneliæ puniendos, mandatis pleniſſime cautum est.

XVI. CLAVDIVS SATVRNINVS.

AVt facta puniuntur, ut furta, cædesq; : aut dicta, ut conuicia, & insidiæ aduocationes: aut scripta, ut falsa, & famosi libelli: aut cõsilia ut coniurationes, & latronum conscientia, quosq; alios suadendo iuuisse sceleris est instar. Sed hæc quatuor genera cõsideranda sunt septẽ modis: causſa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, euentu.

Causſa, ut in uerberibus, quæ impunita sunt à magistro allata, uel parente: quoniam emendationis, non iniuriæ gratia uidentur adhiberi. puniuntur, cum quis per iram ab extraneo pulsatus est. Persona dupliciter spectatur: eius, qui fecit: & eius, qui paſſus est. aliter enim puniuntur ex ijsdem facinoribus serui, quàm liberi: & aliter, qui quidquã in dominum parentemue ausus est, quàm qui in extraneum, in magistratum, uel in priuatum. in huius rei cõsideratione ætatis quoq; ratio habeatur. Locus facit, ut idem, uel furtum, uel sacrilegium sit: & capite luendũ, uel minore supplicio. Tempus discernit emansorẽ à fugitiuo: & effractorem, uel furem diurnum à nocturno. Qualitate: cũ factum uel atrocius, uel leuius est: ut furta manifesta à nec manifestis discerni solent, rixæ à grassaturis, expilationes à furtis, à uiolentia petulantia. qua de re maximus apud Græcos orator Demosthenes sic ait: οὐ γὰρ ἂν πληγὰς πρέσκοτε τιὼ ὀργιὼ, ἀλλ' ἢ ἀτιμία: οὐδὲ δ' τύπτεσθ τοῖς ἐλευθέροις ζῆν δεινὸν (καίπερ ὂν δεινὸν) ἀλλὰ τὸ ἐφ' ὕβρει· πολλὰ γ' ἂν ποιήσαιμ ὁ τύπτων, ὦ ἄνδρες ἀθλιώτατοι, ὧν ἕνια ὁ παθὼν οὐδ'' ἂν ἀπαγγεῖλαι δύναιθ' ἑτέρῳ, ὅσ' αἰσχύνεται, ὅσ' βλέμματι, τῇ φωνῇ, ὅταν ὡς ὑβρίζων, ὅταμ ὡς ἐχθρὸς ὑπάρχων, ὅταμ κονδύλοις, ὅταμ ἀδίκῳ κόρρης. ταῦτα κινεῖ. ταῦτα διίσταται ἀνθρώπους, ἀκθοῦντας τὸ πρωτοκλακιζεσθαι. Quantitas discernit furem ab abigeo. nam qui unum suem subripuerit, ut fur coërcebitur: qui gregem, ut abigeus. Euentus spectetur, ut à clementiſſimo quoq; facta: quanquam nõ minus lex eum, qui occidendi hominis causſa cum telo *ferit, quàm eũ, qui occidit, puniat. & ideo apud Græ- *al's. fue cos exsilio uoluntario fortuiti casus luebantur, ut apud præcipuum rit. poëtarum scriptum est.

εἶτ' ἐμὲ τυθὸμ ἐόντα μενοίτιο δᾳ ὸωόεντο
ἤγαγ' ὑμέτερομ δ' ἀνδροκτασίηϛ ὑπὸ λυγρῆϛ,
ἤματι τῷδ', ὅτε πάϊδα κατέκτανομ Ἀμφιδάμαντο,
νήπιο οὐκ ἐθέλωμ, ἀμφ' ἀσφαγάλοισι χολωθείϛ.

Euenit, ut eadem scelera in quibusdam prouincijs grauius plectantur:

ut in Africa messium incisores, in Misia uitium, ubi metalla sunt, adulteratores monetæ. Nonnunquam euenit, ut aliquorum maleficiorum supplicia exacerbentur, quoties nimium multis personis grassantibus exemplo opus sit.

XVII. MARTIANVS.

QVidam sunt serui pœnæ, ut sunt in metallum dati, & in opus metalli: & si quid eis testamento datum fuerit, pro non scripto est, quasi non Cæsaris seruo datum, sed pœnæ. item quidã ἀποστάσεις sunt: ut sunt in opus publicum perpetuò dati, & in insulã deportati: ut eadem, quæ iuris ciuilis sunt, non habeant: quæ uero sunt iuris gentium, habeant.

XVIII. VLPIANVS.

COgitationis pœnam nemo patitur.

XIX IDEM.

SI non defendantur serui à dominis: non utiq; statim ad supplicium deducentur, sed permittetur eos defendi uel ab alio: & qui cognoscit, debebit de innocentia eorum quærere.

XX. PAVLVS.

SI pœna alicui irrogatur: receptum est commentitio iure, ne ad hæredes transeat. cuius rei illa ratio uidetur esse: quia pœna constituitur in emendationẽ hominum, quæ mortuo eo, in quem constitui uidetur, desinit.

XXI. CELSVS.

VLtimum supplicium esse mortem solam interpretamur.

XXII. MODESTINVS.

IN metallũ damnati si ualetudine aut ætatis infirmitate inutiles operi faciundo deprehendantur: ex rescripto diui Pij à præside dimitti poterunt, qui æstimabit de his dimittẽdis: si modo uel cognatos uel ad fines habuerint, & non minus decem annis pœna sua functi fuerint.

XXIII. IDEM.

SIne præfinito tempore in metallum dato imperitia dantis, decennij tempora præfinita uidentur.

XXIIII. IDEM.

EOrum, qui relegati uel deportati sunt ex caussa maiestatis, statuas detrahendas scire debemus.

XXV. IDEM.

SI diutino tẽpore aliquis in reatu fuerit: aliquatẽnus pœna eius subleuanda erit. sic etiam constitutũ est: non eo modo puniendos eos esse, qui longo tempore in reatu agunt: quo eos, qui in recenti sententiã excipiunt. Non potest quis sic damnari, ut de saxo præcipitetur.

Callistra

XXVI. CALLISTRATVS.

CRimen uel pœna paterna nullam maculam filio infligere potest. nanq; unusquisq; ex suo admisso forti subijcitur, nec alieni crimi nis successor cõstituitur. idq; diui fratres Hierapolitanis rescripserunt.

XXVII. IDEM.

DIui fratres Arunthio Siloni rescripserunt: non solere præsides ꝓuinciarũ ea, quæ ꝓnunciauerunt, ipsos rescindere. Vetinæ quoq; Italicensi rescripserunt: suam mutare sententiam neminem posse, idq; insolitum esse fieri. si tamen de se quis mentitus fuerit, uel cum non haberet probationum instrumẽta, quæ postea reppererit, pœna adflictus sit: nonnulla exstant principalia rescripta, quibus uel pœna eorum minuta est, uel in integrum restitutio concessa est. sed id duntaxat à principibus fieri potest. De decurionibus & principalibus ciuitatũ, qui capitale quid admiserũt, mandatis cauetur, ut si quis admisisse uidea t̃, propter quod relegandus extra prouinciam in insulam sit: Imperatori scribatur sententia à præside. Alio quoq; capite mandatorũ in hæc uerba cauetur. Si qui ex principalibus alicuius ciuitatis latrocinium fecerint, aliudue quod facinus, ut capitalem pœnam meruisse uideantur, commiserint: uinctos eos custodies, & mihi scribes, & adijcies, quid quisq; commiserit.

XXVIII. IDEM.

CApitalium pœnarum ferè isti gradus sunt. Summum supplicij esse uidetur ad furcam damnatio, item uiui crematio. quod quanquam summi supplicij appellatione merito continetur: tamen eo, quod postea id genus pœnæ adinuentum est, posterius primo uisum est. item capitis amputatio. Deinde proxima morti pœna metalli cœrcitio. deinde in insulam deportatio. cæteræ pœnæ ad existimationem, non ad capitis periculum pertinent: ueluti relegatio ad tempus, uel in perpetuum, uel in insulam: uel cum in opus quis publicum datur ad tempus, uel cum fustium ictui subijcitur. Non omnes fustibus cædi solent: sed hi duntaxat, qui liberi sunt, & quidem tenuiores homines. honestiores uero fustibus non subijciuntur: idq; principalibꝰ rescriptis specialiter exprimitur. Solent quidam, qui uulgo se iuuenes appellant, in quibusdã ciuitatibus turbulentis se acclamationibus popularium accõmodare. qui si amplius nihil admiserint, nec ante sint à præside admoniti: fustibus cæsi dimittuntur, aut etiam spectaculis eis interdicitur. quod si ita correcti, in eisdem deprehendantur: ex filio puniendi sunt. nonnunquam capite plectendi: scilicet cum sæpius seditiose & turbulenter se gesserint, & aliquoties adprehensi tractati clementius in eadem temeritate propositi perseuerauerint. Serui cæsi so-

lent dominis reddi. Et ut generaliter dixerim: oēs,qui fuſtibus cædi phibentur, eandem habere honoris reuerentiā debent, quam decuriones habent. eſt enim inconſtans dicere:eum,quem principales cōſtitutiones fuſtibus ſubiici prohibuerūt,in metallum dari poſſe. Diuus Hadrianus in hæc uerba reſcripſit. In opus metalli ad tempus nemo damnari debet:ſed qui ad tempus damnatus eſt, etiam ſi faciat metallicum opus,non in metallum damnatus eſſe intelligi debet. huius enim libertas manet:quemadmodum etiam his,qui nō in perpetuum opus damnantur. Proinde & mulieres hoc modo damnatæ liberos pariunt. Ad ſtatuas confugere,uel imagines principum in iniuriam alterius,prohibitum eſt. cum enim leges omnibus hominibus æqualiter ſecuritatem tribuant:merito uiſum eſt in iniuriā potius alterius,quàm ſui defenſionis gratia ad ſtatuas uel imagines principum confugere:niſi ſi quis ex uinculis uel cuſtodia detentus à potentioribus ad huiuſmodi præſidium confugerit. his enim uenia tribuenda eſt. Ne autē ad ſtatuas uel imagines quis confugiat,ſenatus cenſuit: eumq; qui imaginē Cæſaris in inuidiam alterius prætuliſſet,in uincula publica coērceri, diuus Pius reſcripſit. Omnia admiſſa in patronū, patroniue filium, patrem,propinquum,maritum,uxorem,cæteraſq; neceſſitudines gra uius uindicāda ſunt,quàm in extraneos. Venenariį capite puniendi ſunt:aut ſi dignitatis reſpectu agi oportuerit, deportandi. Graſſato res,qui prædæ cauſſa id faciunt,proximi latronibus habentur:& ſi cum ferro aggredi,& ſpoliare inſtituerunt,capite puniuntur: utiq; ſi ſæpius, atq; in itineribus hoc admiſerunt. cæteri in metallum dantur,uel in inſulas relegantur. Igni cremantur plerunq; ſerui,qui ſaluti domino rum ſuorum inſidiati erunt:nonnunquam etiam liberi plebei & humiles perſonæ. Incendiariį capite puniūtur.qui ob inimicitias,uel prædæ cauſſa incenderint intra oppidum:plerunq; & uiui exuruntur. qui uero caſam,aut uillam:aliquo lenius. Nam fortuita incendia, ſi cū eui tari poſſent,per neglegentiam eorum,apud quos orta ſunt,damno uicinis fuerunt:ciuiliter exercentur:ut qui iactura adfectus eſt, damni diceptet,uel modice uindicetur. In exſulibus gradus pœnarum cōſtituit edictum diui Traiani:ut qui ad tempus relegatus ſit,ſi redeat, in inſulam relegetur:qui relegatus in inſulam exceſſerit, in inſulam deportet: qui deportatus euaſerit, capite puniat. ita & in cuſtodiįs gradū ſeruādum eſſe,idem princeps reſcripſit:id eſt ut qui in tempus damnati erant,in perpetuum damnarentur: qui in perpetuū damnati erant, in metallum damnarentur:qui in metallum damnati, id admiſerant, ſummo ſupplicio adficerentur. Famoſos latrones in his locis, ubi graſſati ſunt,furca figendos quàmpluribus placuit:ut & conſpectu de

terreant

terreantur alij ab ijsdem facinoribus,& solatio sit cognatis & adfinibus interemptorum eodem loco pœna reddita,in quo latrones homicidia fecissent.nonnulli etiam ad bestias hos damnauerunt. Maiores nostri in omni supplicio seuerius seruos,quàm liberos:famosos, quàm integræ famæ homines punierunt.

XXIX. PAVLVS.

QVi ultimo supplicio damnantur:statim & ciuitatem, & libertatem perdunt.itaq; præoccupat hic casus mortem,& nonnunquã longum tempus occupat.quod accidit in personis eorum,qui ad bestias damnantur.sæpe etiam ideo seruari solent post damnationem,ut ex his in alios quæstio habeatur.

XXX. IDEM.

SI quis aliquid fecerit,quo leues hominum animi superstitione numinis terreantur:diuus Marcus huiusmodi homines in insulam relegari rescripsit.

XXXI. IDEM.

AD bestias damnatos fauore populi præsides dimittere nõ debẽt. sed si eius roboris uel artificij sint,ut digne populo Romano exhiberi possint:principem consulere debẽt. Ex prouincia autem in prouinciam transduci damnatos sine permissu principis non licere, diuus Seuerus & Antoninus rescripserunt.

XXXII. VLPIANVS.

SI præses uel iudex ita interlocutus sit, VIM FECISTI: siquidẽ ex interdicto:nõ erit notatus,nec pœna legis Iuliæ sequet. si uero ex crimine:aliud est.quod si nõ distinxerit præses,utrum Iulia publicorũ,an Iulia priuatorum:tũc ex crimine erit æstimandũ.sed si utriusq; legis crimina obiecta sint:mitior lex,id est priuatorum,erit sequenda.

XXXIII. PAPINIANVS.

FRatres Imperatores rescripserũt.Seruos in temporaria uincula damnatos libertatem,hæreditatem,siue legatum, postq; tempus expleuerint,cõsequi:quia temporaria coërcitio,quæ descendit ex sententia,pœnæ est abolitio.si autem beneficium libertatis in uinculis eos inueniat:ratio iuris & uerba constitutionis libertati refragantur. Planè si testamento libertas data sit,& eo tempore,quo aditur hæreditas,tempus uinculorum solutum sit:recte manumissus intelligitur:non secus, ac si pignori datum seruum debitor manumisisset,eiusq; post liberatũ pignus adita fuisset hæreditas.

XXXIIII. IDEM.

SEruus in opus publicum perpetuum, ac multo magis temporariũ nõ datur.cum igitur per errorem in opus temporariũ fuisset datus:

expleto tempore, domino seruum esse reddendũ, respondi. Eos quoq; delatoris pœna ex sententia senatusconsulti teneri respondi, qui per suppositam personam delatori causſam dederunt.

XXXV. CALLISTRATVS.

MAndatis principalibus, quæ præsidibus dantur, cauetur, ne quis perpetuis uinculis damnet̃. idq; & diuus Hadrianus rescripsit.

XXXVI. HERMOGENIANVS.

IN metallum, & in ministerium metallorũ damnati, serui efficiuntur, scilicet pœnæ.

XXXVII. PAVLVS.

IN dardanarios propter falsum mensurarũ modum ob utilitatẽ popularis annonæ pro modo admissi extra ordinem uindicari placuit.

XXXVIII. IDEM.

SI quis aliquid ex metallo principis, uel ex moneta sacra furatus sit: pœna metalli aut exsilij punitur. Transfugæ ad hostes, uel consiliorũ nostrorum renunciatores, aut uiui exuruntur, aut furca suspenduntur. Authores seditionis & tumultus populo concitato, pro qualitate dignitatis, aut in furcam tolluntur, aut bestijs obijciuntur, aut in insulam deportantur. Qui nondum uiri potentes uirgines corrumpunt: humiliores in metallum damnantur, honestiores in insulam relegantur, aut in exsilium mittuntur. Qui se suis numis redemptum non probauerit, libertatem petere non potest. amplius eidem domino sub pœna uinculorum redditur: uel si ipse dominus malit, in metallum damnatur. Qui abortionis aut amatorium poculum dant: & si dolo non faciant, tamen (quia mali exempli res est) humiliores in metallum damnantur, honestiores in insulam amissa parte bonorũ relegantur. quod si eo mulier aut homo perierit: summo supplicio adficiuntur.

Testamentũ, quod nullo iure ualet, impune supprimit̃. nihil est enim, quod ex eo aut petatur, aut cõsistere possit. Qui uiui testamentũ aperuerit, recitauerit, resignauerit: pœna Corneliæ tenetur. & plerunq; humiliores aut in metallum damnant̃, aut honestiores in insulam deportantur. Si quis instrumentũ litis suæ à procuratore aduersario proditum esse cõuicerit: procurator, si humilior sit, in metallum damnatur: si honestior, adempta bonorum parte dimidia, in perpetuũ relegatur.

Instrumẽta penes se deposita quicunq; alteri altero absente reddiderit, uel aduersario prodiderit: prout personæ conditio est, aut in metalum damnatur, aut in insulam deportatur. Iudices pedanei, si pecunia corrupti dicantur, plerunq; à præside aut curia submouent̃, aut in exsilium mittuntur, aut ad tempus relegantur. Miles, qui ex carcere dato gladio erupit, pœna capitis punitur. eadẽ pœna tenet̃ & qui eum, quem

quem custodiebat,deseruit. Miles,qui sibi manus intulit,nec factum peregit: nisi impatientia doloris, aut morbi, luctusúe alicuius, uel alia de caussa fecerit:capite puniẽdus est. aliâs cũ ignominia mittendus est.

XXXIX. TRIPHONINVS.

CIcero in oratione pro Cluentio Habito scripsit:Milesiam quandã mulierem,cum esset in Asia,quod ab hæredibus secundis accepta pecunia partũ sibi medicamẽtis ipsa abegisset,rei capitalis esse damnatam. Sed & si qua uisceribus suis post diuortiũ (quod prægnãs fuit)uim intulerit,ne iam inimico marito filiũ procrearet: ut temporali exsilio coërceatur, ab optimis imperatoribus nostris rescriptum est.

XL. PAVLVS.

METrodorum, cum hostem fugientem sciens susceperit, in insulam deportari: Philoctetem, quod occultari eum nõ ignorans, diu dissimulauerit,in insulam relegari placet.

XLI. PAPINIANVS.

SAnctio legum, quæ nouissime certam pœnam irrogat ijs, qui legis præceptis non obtemperauerint:ad eas species pertinere non uidetur,quibus ipsa lege pœna specialiter addita est. nec ambigitur in cætero omni iure speciem generi derogare. nec sanè uerisimile est, delictũ unum eadem lege uarijs æstimationibus coërceri.

XLII. VENVLEIVS.

INterpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius, quàm exasperandæ.

XLIII. PAVLVS.

IMperator Antoninus Aurelio Atiliano rescripsit. præses ultra administrationis suæ tempus interdicere alicui arte sua uti non potest.

Idem rescripsit eum,qui suo admisso decurionis filij honorẽ amisit, non posse in pœnis euitandis decurionis filij honorem uindicare.

DE BONIS DAMNATORVM. Tit. XX.

I. CALLISTRATVS.

ET populi damnatione bona publicantur, cum aut uita adimitur, aut ciuitas, aut seruilis conditio irrogatur.

Etiam hi, qui ante concepti, & post damnationẽ nati sunt, portionem ex bonis patrum damnatorũ accipiũt. liberis autem ita demum portio attribuitur, si iustis nuptijs nati sunt. Liberis eius,cui pars dimidia duntaxat bonorum ablata est,partes non dantur:idq; & diui fratres rescripserunt.

II. IDEM.

Non

NOn ut quis in carcerem ductus est, spoliari eum oportet, sed post condemnationem: idq; diuus Hadrianus rescripsit.

III. IDEM.

QVinq; legibus damnatæ mulieri dos publicatur: maiestatis, uis publicæ, parricidij, ueneficij, de sicarijs.

IIII. PAVLVS.

ET omnes omnino maritus actiones saluas habet contra fiscum.

V. CALLISTRATVS.

AT si alia lege capitis punita sit, quæ dotem non publicat: quia prius seruа pœnæ efficit, uerũ est dotem mariti lucro cedere, quasi mortua sit. Quod si deportata sit filiafamilias: Marcellus ait, (quæ sententia etiam uera est) non utiq; deportatione dissolui matrimoniũ. nam cum libera mulier remaneat: nihil prohibet, & uirum mariti adfectionem, & mulierem uxoris animum retinere. Si igitur eo animo mulier fuerit, ut discedere à marito uelit: ait Marcellus, tunc patrem de dote acturum. sed si materfamilias sit, & interim constante matrimonio fuerit deportata: dotem penes maritum remanere. postea uero soluto matrimonio posse eã agere, quasi humanitatis intuitu hodie nata actione.

VI. IDEM.

DIuus Hadrianꝰ Aquilio Braduæ ita rescripsit. Panniculariæ causa quemadmodum intelligi debeat, ex ipso nomine apparet. nõ enim bona damnatorum pannicularia significari quis probè dixerit: nec si zonam circa se habuerit, protinus aliquis sibi uindicare debebit. sed uestem, qua is fuerit indutus: aut numulos *inueterales, quos uictus sui causa in promptu habuerit: aut leues anulos, id est qui rem non ex cedant aureorum quinq;. alioquin si quis damnatus in digito habuerit aut sardonycha, aut aliam gemmã magni precij, uel si quod chirographum magnæ pecuniæ in sinu habuerit: nullo iure illud in pannicularia ratione retinebitur. Pannicularia sunt ea, quæ in custodia recepti secum attulit: spolia, quibus indutus est; cum quis ad supplicium ducitur, ut & ipsa appellatio ostendit. ita neq; spiculatores ultro sibi uindicent, nec optiones ea desiderent, quibus spoliatur, quo momẽto quis est punitus. hanc rationem non in compendiũ suum debent præsides uertere: sed nec pati optiones, siue commentarienses ea pecunia abuti: sed debent ad ea seruari, quæ iure præsidum solẽt erogari. utputa charisticon quibusdam officialibus inde subscribere: uel si quid fortiter fecerint milites, inde donare eis. barbaros etiã inde munerare uenientes ad se, uel legationis, uel alterius rei causa. Plerunq; etiam inde corrogatas pecunias præsides ad fiscum transmiserunt. quod perquàm nimiæ diligen

*In Pand. Fl. legitur. in uetralẽ. Vnde si cõ iectura ductus (in uẽtrali) legas, nõ mul tũ à sentẽti a aberres. solẽt enim pleriq; à la teribus i se micincto, qđ idẽ & uentrale di cimus, subtus occultos habere loculos, quibus nõ solũ sudariola, sed etiã leues numulos in quotidianum uitæ usum gestant.

diligentiæ est: cum sufficiat, si quis non in usus proprios uerterit, sed ad utilitatem officij patiatur deseruire.

VII. PAVLVS *lib. singulari de portionibus, quæ liberis damnatorum conæduntur.*

CVm ratio naturalis quasi lex quædam tacita liberis parentum hæreditatem adijciat, uelut ad debitam successionem eos uocando, propter quod & in iure ciuili suorũ hæredum nomen eis inditum est, ac ne iudicio quidem parentis, nisi meritis de caussis, submoueri ab ea successione possint: æquissime existimatũ est, eo quoq; casu, quo propter pœnam parentis aufert bona damnatio, rationem haberi liberorum: ne alieno admisso grauiorem pœnam luerent, quos nulla contingeret culpa interdum in summam egestatem deuolui. quod cum aliqua moderatione definire placuit: ut qui ad uniuersitatẽ uenturi erant iure successionis, ex ea portiones concessas haberent. Si in libertinum animaduersum erit: patrono eius id, quod in bonis illius habiturus esset, si is, in quem animaduersum est, sua morte decessisset, eripiendum non erit: reliqua pars bonorum, quæ ad manumissorem non pertinebit, fisco est uindicanda. Ex bonis damnatorum portiones adoptiuis liberis (si non fraudis caussa facta est adoptio) non minus, quàm naturalibus concedi æquum est. Fraudis autem caussa adoptio facta uidetur: etiam si non in reatu, sed desperatione rerum per conscientiam metu imminentis accusationis quis adoptet in hoc, ut ex bonis, quæ se amissurum cogitat, portio detrahatur. Si plures liberos damnatus habeat: feruntur exempla, per quæ pluribus liberis omnia bona damnati concessa sunt. sed & diuus Hadrianus in hanc sententiam rescripsit. Fauorabilem apud me caussam liberorum Albini filiorum numerus facit: cum ampliari imperium hominum adiectione potius, quàm pecuniarum copia malim. ideoq; illis paterna sua concedi uolo, quæ manifestabunt tot possessores, etiã si acceperint uniuersa. Præterea ex his, quæ per flagitium damnatus adquisiuit, portiones liberorum non augentur: ueluti si cognatum suum interimi curauerit, & eius hæreditatem adijt, uel bonorum possessionem accepit. nam ita diuus Pius rescripsit. Cui consequenter illud idem princeps constituit, cũ filiafamilias ueneno necasse cõuinceretur eũ, à quo hæres instituta erat, quamuis iussu patris, cuius in potestate esset.

DE BONIS EORVM, QVI ANTE SENtentiam uel mortem sibi consciuerunt, uel accusatorem corruperunt. Tit. XXI.

I. VLPIANVS.

IN capitalibus criminibus à principibus decretum est, nõ nocere ei, qui aduersarium corruperit: sed in his demũ, quæ pœnam mortis continent. nam ignoscendum censuerũt ei, qui sanguinem suum qualitercunq; redemptũ uoluerit.

II. MACER.

als*in latronibus

IMperatores Seuerus & Antoninus Aulo Iulio. Eos, qui *latrones nominatim corruptis accusatoribus diem suum obierint, ut confessos de crimine, non relinquere defensionem hæredibus, rationis est. Si is, de cuius pœna Imperatori scriptum est (ueluti quod decurio fuerit, uel quod in insulam deportari debuerit) antequàm rescriberetur, decesserit: potest quæri, num ante sententiam decessisse uideatur? argumento est senatusconsultum, quod factum est de his, qui Romam transmissi ante sententiam decessissent. cuius uerba hæc sunt. Cum condemnatus nemo uideri posset in hũc annum, antequàm de eo forte iudicium Romæ redditum & pronũciatum esset: neq; cuiusquam mortui bona, antequàm de eo Romæ pronũciatum esset, publicanda esse, eaq; bona hæredes possidere debent.

III. MARTIANVS.

QVi rei postulati, uel qui in scelere depræhensi metu criminis imminentis mortem sibi consciuerint: hæredem non habent. Papinianus etiam libro decimosexto responsorum ita scribit. Qui rei criminis non postulati manus sibi intulerint: bona eorum fisco non uindicentur. non enm facti celeritatem esse obnoxiam, sed conscientiæ metum in reo uelut de confesso teneri placuit. ergo aut postulati esse debent, aut in scelere depræhensi: ut si se interfecerint, bona eorum confiscentur. ut autem diuus Pius rescripsit, ita demum bona eius, qui in reatu mortem sibi consciuit, fisco uindicanda sunt, si eius criminis reus fuit: ut si dãnaretur, morte aut deportatione adficiendus esset. Idem respondit: eum, qui modici furti reus fuisset, licet uitam suspendio finierit: non uideri in eadem caussa esse, ut bona hæredibus adimenda essent: sicuti neq; ipsi adimerentur, & si compertum in eo furtum fuisset. ergo ita demum dicendum est bona eius, qui manus sibi intulit, fisco uindicari, si eo crimine nexus fuerit, ut si conuinceretur, bonis careat.

Si quis autem tædio uitæ, uel impatientia doloris alicuius, uel alio modo finierit uitam: successorem habere, diuus Antoninus rescripsit. Videri autem & patrem, qui sibi manus intulisset, quod diceretur filiũ suũ occidisse, magis dolore filij amissi mortẽ sibi irrogasse: & ideo bona eius non esse publicanda, diuus Hadrianus rescripsit. Sic autem hic distingui

distinguitur:interesse,qua ex caussa quis sibi mortem consciuit: sicuti cum quæritur,an is, qui sibi manus intulit, & non perpetrauit, debeat puniri,quasi de se sententiam tulerit.nam omnino puniendus est, nisi tædio uitæ,uel impatiētia alicuius doloris coactus est hoc facere:& merito, si sine caussa sibi manus intulit, puniendus est. qui enim sibi non pepercit:multo minus alij parcet. Si qui autem sub incerto caussæ euentu in uinculis,uel sub fideiussoribus decesserint: horum bona non esse confiscanda,mandatis cauetur. De illo uideamus:si quis conscita morte,nulla iusta caussa præcedente, in reatu decesserit: an si parati fuerint hæredes caussas suscipere,& innocētem defunctum ostendere, audiendi sunt:nec prius bona in fiscum cogenda sunt,quàm si de crimine fuerit probatum:an uero omnimodo publicanda sunt? sed diuus Pius Modesto Taurino rescripsit:si parati sint hæredes defensionē suscipere:non esse bona pulicanda,nisi de crimine fuerit probatum.

DE INTERDICTIS, ET RELEGATIS, & deportatis. Tit. XXII.

I. POMPONIVS.

CAput ex rescripto diui Traiani ad Didiū Secundū. Scio relegatorū bona auaricia superiorū temporum fisco uindicata:sed aliud clementiæ meæ conuenit, qui inter cætera quidem innocentia ac ratione meorum temporum hoc quoq; remisi exemplum.

II. MARTIANVS.

MAnumittere deportatum non posse,diuus Pius rescripsit.

III. VLPIANVS

EVm,qui ciuitatem amitteret,nihil aliud iuris adimere liberis,nisi quod ab ipso peruēturum esset ad eos,si intestatus in ciuitate moreretur:hoc est hæreditatem eius,& libertos,& si quid aliud in hoc genere reperiri potest.quæ uero non à patre,sed à genere,à ciuitate,à rerū natura tribuerētur:ea manere eis incolumia. Itaq; & fratres fratribus fore legitimos hæredes,& adgnatorum tutelas,& hæreditates habituros. non enim hoc fratrem,sed maiores eius eis dedisse.

IIII. MARTIANVS.

RElegati in insulam in potestate sua liberos retinent: quia & alia omnia sua iura retinent.tantum enim insula eis egredi non licet. & bona quoq; sua omnia retinent,præterea si qua eis adempta sunt. Nā eorum,qui in perpetuum exsiliū dati sunt uel relegati,potest quis sententia partem bonorum adimere.

V. IDEM.

EXsilium triplex est. aut certorum locorum interdictio: aut lata fuga, ut omnium locorum, præter certum locum: aut insulæ uinculum, id est relegatio in insulam.

VI. VLPIANVS.

INter pœnas est etiam insulæ deportatio, quæ pœna adimit ciuitatẽ Romanam. Deportandi autem in insulam ius præsidibus prouinciæ non est datum, licet præfecto urbi detur. hoc enim epistola diui Seueri ad * Fabiũ Cilonem præfectum urbi expressum est. Præsides itaq; prouinciæ quoties aliquẽ in insulam deportandum putant, hoc ipsum adnotare debent. nomen uero eius scribendum principi, ut in insulam deportet̃: sic deinde principi scribere, missa plena opinione, ut princeps æstimet, an sequenda sit eius sententia, deportariq; in insulam debeat. medio autẽ tempore, dum scribitur, iubere debet eum in carcere esse.

als* Fauium.

Decuriones ciuitatum propter capitalia crimina deportandos uel relegandos, diui fratres rescripserunt. Deniq; Priscum in homicidio & incendio nominatum, ante quæstionem confessum, in insulam deportari iusserunt.

VII. IDEM.

RElegatorum duo sunt genera. sunt quidam, qui in insulam relegantur: & sunt, qui simpliciter, ut prouincijs eis interdicatur, non etiã insula adsignet̃. in insulam relegare præsides prouinciarũ possunt: sic tamen, ut si quidem insulam sub se habeant, id est ad eius prouinciæ formam pertinentem, quam administrant: etiam specialiter insulam adsignare possunt, inq; eam relegare. si uero nõ habeant: pronuncient quidem in insulam se relegare: scribant aũt Imperatori, ut ipse in sulam adsignet. cæterum non possunt damnare in eam insulam, quã in ea prouincia, cui præsunt, non habent. interim quo ad insulam Imperator adsignat, militi tradendus est relegatus. Hæc est differentia inter deportatos & relegatos: quod in insulam relegari, & ad tempus, & in perpetuum quis potest. Siue ad tempus, siue in perpetuũ quis fuerit relegatus: & ciuitatem Romanam retinet, & testamenti factionẽ non amittit. Ad tempus relegatis neq; tota bona, neq; partem adimi debere, rescriptis quibusdam manifestatur: reprehensæq; sunt sententiæ eorũ, qui ad tempus relegatis ademerũt partem bonorũ, uel bona: sic tamen, ut non infirmarent̃ sententiæ, quæ ita sunt, platæ. Est quoddã genus quasi in insulã relegationis in prouincia Aegypto, in quas relegare. Sicut aũt relegare in insulã quisquam, quæ non est sub se, non potest: ita neq; in prouincia quidem relegãdi habet ius, quæ nõ est sub se. forte præses Syriæ in Macedoniam non relegabit, sed intra prouin

prouinciam ſuam poteſt relegare. Item in parte certa prouinciæ morari rum relegare poteſt: ut forte non excedat ciuitatem aliquam, uel regionem aliquã non egrediatur. ſed & in eas partes prouinciæ, quæ ſunt deſertiores, ſcio præſides ſolitos relegare. Interdicere autem quis ea prouincia poteſt, quam regit, alia non poteſt: & ita diui fratres reſcripſerunt. Vnde eueniebat, ut qui relegatus eſſet ab ea prouincia, in qua domicilium habuit, morari apud originem ſuam poſſet. ſed Imperator noſter cum diuo patre ſuo huic rei prouiderunt. Mætio enim Probo præſidi prouinciæ Hiſpaniæ reſcripſerunt. etiam ea prouincia interdici, unde quis oriundus ſit: ab eo, qui regit eam prouinciam, ubi quis domicilium habeat. ſed & eos, qui cum incolæ eſſent, non in ea prouincia quid admiſerint, æquum eſt ad reſcripti authoritatem pertinere.

Dubitatũ eſt, an interdicere quis alicui poſſit prouincia, in qua oriundus eſt, cum ipſe eidem prouinciæ præſit, quã incolit, dum ſua non interdicit (ut ſolent Italia interdicere, qui patria non interdicũt) uel per conſequentias uideatur etiã ea prouincia interdixiſſe, cui præeſt. quod magis erit probandũ. Per contrariũ aũt is, qui originis prouinciæ præeſt, non eſt nactus ius interdicendi ea prouincia, quã incolit is, qui relegatur. Si quis eam ſententiam admiſerit, ut is, qui in alia prouincia cõmiſit, poſſit relegari ab eo, qui ei prouinciæ præeſt: eueniet, ut relegatus iſte tribus prouincijs præter Italiam debeat abſtinere: & in qua deliquit, & in qua incolit, & originis. & ſi ex diuerſis prouincijs oriri uideat propter cõditionem, uel ſuã, uel parentis, patronorumue: uel pluribus prouincijs conſequenter interdictum ei dicemus. Quibuſdam tamen præſidibus, ut multis prouincijs interdicere poſſint, indultum eſt: ut præſidibus Syriarum, & Daciarum. Conſtitutum eſt, eum, cui patria interdictum eſt, etiam urbe abſtinere debere. Contra autem ſicui urbe fuerit interdictum, patria ſua interdictum non uidetur: itaq; multis conſtitutionibus cauetur. Si cui planè non patria ſua, ſed aliqua ciuitate interdictum ſit: uidendum eſt, an etiam patria ſua, itemq; urbe interdictum dicamus. quod magis eſt. His, qui relegantur, dies excedendi à præſidibus dari, & poteſt, & ſolet. etenim moris eſt ita pronunciari: ILLVM PROVINCIA ILLA INSVLIS'QVE EIVS RELEGO, EXCEDERE'QVE DEBEBIT INTRA ILLVM DIEM. relegatum planè libellum dare poſſe principi, etiam diui fratres reſcripſerunt.

Solet præterea interdici quibuſdam, ne intra patriæ territorium, uel muros morentur: ne excedant patriam, uel in uicis quibuſdam morentur. Solet decurionibus ordine interdici, uel ad tempus, uel in perpetuum. item poteſt alicui pœna iniungi, ne honores adipiſcatur: nec ea res facit, ut decurio eſſe deſinat; cum fieri poſſit, ut

quis decurio quidem sit, ad honores autem non admittatur. nam & senator quis esse potest, & tamen honores non petere. Potest alicui & uno honore interdici: sic tamen, ut si cui honore uno interdictū sit, non tantū eum honorē petere non possit, uerū nec eos quoq; qui eo honore maiores sunt. est enim per quàm ridiculū: eum, qui minoribus pœnæ causſa prohibitus sit, ad maiores adspirare. maioribus tamen prohibitus, minores petere non prohibet. sed muneribus si quis pœnæ causſa fuerit prohibitus, nihil ualebit sententia. neq; enim immunitatē pœna tribuere debet. ergo & si honoribus quis in pœnā fuerit prohibitus: poterit dici (si honores isti habuerint mistam muneris grauem impensam) eam infamiam illi ad hoc non profuturam.

VIII. MARTIANVS.

SEd honore quidem illum arceri puto, cæterum impendia debere præstare.

IX. VLPIANVS.

POtest præses quendam damnare, ne de domo sua procedat.

DE SENTENTIAM PASSIS, ET restitutis. Tit. XXIII.

I. VLPIANVS.

AD successionem liberti patronus deportatus & restitutus admittitur. sed & si in metallum damnatus restituatur: nūquid seruitus pœnæ exstinguat ius patronatus etiam post restitutionem? & magis est, ut non exstinguat seruitus ius patronatus.

II. IDEM.

SI deportatus restitutus, dignitatem quidem indulgentia principis recuperauit, in sua autem omnia bona non est restitutus: nec à creditoribus, nec publico nomine conueniri potest. sed si cum ei facultas oblata esset à principe bona quoq; sua recuperādi: maluerit ea derelinquere, & actionibus exuere se, quibus ante sententiā subiectus fuerat: nō poterit.

III. PAPINIANVS.

IN insulam deportati bona fiscus pœna remissa retinuit. creditores ex ante gesto non habere cum eo, qui debitor quondā fuit, actiones constitit. quod si bona cum dignitatis restitititutione concessa recuperauerit: utiles actiones necessariæ non erunt, cum & directæ cōpetunt.

IIII. PAVLVS.

IN metallū damnata mulier eū, quē prius conceperat, edidit. deinde à principe restituta est. humanius dicet, etiā cognatiōis iura huic restituta uideri.

DE

DE CADAVERIBVS PVNITO-rum. Tit. XXIIII.

I. VLPIANVS.

CORpora eorum, qui capite damnantur, cognatis ipsorũ neganda non sunt. & id obseruasse se etiam diuus Augustus libro decimo de uita sua scribit. Hodie autẽ eorum, in quos animaduertitur, corpora non aliter sepeliuntur, quàm si fuerit petitum & permissum. & non nunquam non permittitur, maxime maiestatis caussa damnatorũ. Eorum quoq; corpora, qui exurendi damnantur, peti possunt: scilicet, ut ossa & cineres collecta sepulturæ tradi possint.

II. MARTIANVS.

SI quis in insulam deportatus, uel relegatus fuerit: pœna etiam post mortem manet, nec licet eum deinde transferre alicubi, & sepelire inconsulto principe: ut sæpissime Seuerus & Antoninus rescripserunt, & multis petentibus hocipsum indulserunt.

III. PAVLVS.

CORpora animaduersorum quibuslibet petentibus ad sepulturam danda sunt.

DIGESTORVM SEV PANDECTARVM LIBER QVADRAGESIMVSNONVS.

DE APPELLATIONIBVS, ET RELA-tionibus. Tit. I.

I. VLPIANVS.

APpellandi usus quàm sit uetus, frequens, quam'q; necessarius: nemo est, qui nesciat. quippe cum iniquitatem iudicantiũ uel imperitiã corrigat: licet nonnunquam bene latas sententias in peius reformet. neq; enim utiq; melius pronunciat, qui nouissimus sententiam laturus est. Quæsitum est, an aduersus rescriptũ principis prouocari possit: forte si præses prouinciæ, uel quis alius consuluerit, & ad consultationẽ eius fuerit rescri

reſcriptum. eſt enim quæſitum, an appellandi ius ſuperſit. quid enim ſi in conſulendo mentitus eſt? de qua re exſtat reſcriptum diui Pij, quo oſtenditur prouocari oportere. uerba reſcripti ita ſe habent. Ἐὰν μὲν ὠφελήσῃ τις ὑμῖν, ἅμα δὲ καὶ ἀντιγράφωμεν ὑμῖν ὅτι ὦ: ὑπάρξει τοῖς βουλομένοις ἐπικαλεῖσθαι πρὸς τὴν ἀπόφασιν. εἰ γὰρ διδάξαιεν, ἢ φωνάσῃς, ἢ οὐχ οὕτως ἔχῃ τὰ ἐπεσταλμένα: οὐδὲν ὑφ' ὑμῶν εἶναι δόξει προδιεγνωσμένον, ἢ ὡς ἑτέρως ἔχοντι τοῖς γράφουσιν ἀντεπεσταλκότων. Hinc conſequenter uidetur reſcriptum, à conſultatione iudicis non eſſe appellãdum, ſi quis forte interlocutus fuerit, principem ſe conſultaturũ, cum poſſit poſt reſcriptũ prouocare. Si quis in appellatione errauerit, utputa cum alium appellare deberet, alium appellauerit: uidendum eſt, an error ei nihil obfuerit. Et ſiquidẽ cum maiorẽ iudicem appellare deberet, ita errauit, ut minorem appellet: error ei nocebit. ſi uero maiorem iudicem prouocauit: error ei nihil oberit, & ita multis conſtitutionibus continetur. Deniq; cum quidam iudicem ex reſcripto principis à cõſulibus accepiſſet, & præfectum urbi appellaſſet: errori eius ſubuentum eſt reſcripto diuorum fratrum, cuius uerba hæc ſunt. Cum per errorem factum dicas, uti à iudice, quem ex reſcripto noſtro ab ampliſſimis conſulibus acceperas, ad Iunium Ruſticum amicũ noſtrum præfectum urbi prouocares: conſules ampliſſimi perinde cognoſcent, atq; ſi ad ipſos facta eſſet prouocatio. Si quis ergo uel parem, uel maiorẽ iudicem appellauerit, alium tamen pro alio: in ea cauſſa eſt, ut error ei non noceat. ſed ſi minorem: nocebit. Libelli, qui dantur, appellatorij ita ſunt concipiendi: ut habeant ſcriptum & à quo dati ſunt, hoc eſt qui appellet, & aduerſus quem, & à qua ſententia.

II. MACER.

SEd ſi apud acta quis ipſo die uiua uoce appellauerit: ſatis erit, ſi dicat APPELLO.

III. VLPIANVS.

SCio queſitum, ſi quis non addiderit in libellis, contra quem aduerſarium appellet: an præſcriptioni ſubijciatur? Et puto, nihil oportere præſcribi. Sed illud cecidit in quæſtionẽ. ſi plures habuerit aduerſarios, & quorundã nomina in libellis ſint complexa, quorundam nõ: an æque præſcribi ei poſſit ab his, quorum nomina comprehenſa non ſunt, quaſi aduerſos eos ipſos adquieuerit ſententiæ? & cum una cauſſa ſit: arbitror non eſſe præſcribendum. Certe ſi plures hi ſunt, aduerſus quos pronunciatur, & quorundam nomina in libellis ſunt cõprehenſa, quorundam non: hi ſoli appellaſſe uidebuntur, quorum nomina in libellis ſunt cõprehenſa. Quid ergo ſi cauſſam appellãdi certã dixerit? an liceat ei diſcedere ab hac, & aliam cauſſam allegare? an nõ, quaſi forma

ma quadam obstrictus sit: puto tamen, cum semel prouocauerit, esse ei facultatem, in agendo etiam aliam causam prouocationis reddere, persequiq; prouocationem suam, quibuscunq; modis potuerit.

IIII. MACER.

AB executore sententiæ appellare non licet: sed ab eo, qui male sententiam iam interpretari dicitur, appellare licet: si tamen is interpretandi potestatem habuerit, uelut præses prouinciæ, aut procurator Cæsaris: ita tamen, ut in causis appellationis reddendæ hoc solũ quæratur, an iure interpretatum sit: idq; etiam diuus Antoninus rescripsit. Alio condemnato, is, cuius interest, appellare potest: qualis est, qui per procuratorem expertus uictus est: nec procurator suo nomine appellat. Item si emptor de proprietate uictus sit: eo cessante, auctor eius appellare poterit. aut si auctor egerit, & uictus sit: nõ est deneganda emptori appellandi facultas. Quid enim si uenditor, qui appellare noluit, idoneus nõ est? quin etiam si auctor appellauerit, deinde in causæ defensione suspectus sit uisus? perinde defensio causæ emptori committenda est, atq; si ipse appellasset. idq; ita constitutum est in persona creditoris, cum debitor uictus appellasset, nec ex fide causam defenderet. Quæ constitutio ita accipienda est, si interueniente creditore debitor de pignore uictus prouocauerit. nam absenti creditori nullum præiudicium debitor facit, idq; constitutũ est. Si procurator, qui iudicio interfuerit, uictus sit: an ipse quoq; per procuratorem appellare possit, uideamus: quia constat procuratorem alium procuratorem facere non posse. Sed meminisse oportet, quod procurator lite contestata dominus litis efficitur. & ideo & per procuratorem appellare potest.

V. MARTIANVS.

A Sententia inter alios dicta appellari nõ potest, nisi ex iusta causa, ueluti si quis in cohæredum præiudiciũ se condemnari patiatur, uel similem ob causam: quamuis & sine appellatione tutus est cohæres. item fideiussores p eo, pro quo interuenerunt. Igitur & uenditoris fideiussor emptore uicto appellabit, licet emptor & uenditor adquiescant. Si hæres institutus uictus fuerit ab eo, qui de inofficioso testamento agebat: legatarijs, & qui libertatẽ acceperunt, permittendum est appellare, si quærantur per collusionem pronunciatũ: sicut diuus Pius rescripsit. idemq; rescripsit, legatarios causam appellatiõis agere posse. Sed etsi in fraudem suam transactionẽ factam ab eo, qui appellasset, dicerent, idem dicendum est. Sed & sine appellatiõe si fuerit trãsactum, similiter rescriptũ est. Si quis ipso die inter acta uoce appellauit: hoc ei sufficit. si autem hoc non fecerit: ad libellos appellatorios dandos biduum uel triduum computandum est.

VI. IDEM.

NOn tantum ei, qui ad suppliciũ ducitur, prouocare permittitur: uerum alĳ quoq; nomine eius,nõ tantum si ille mandauerit, uerum quisquis alius prouocare uoluerit.neq; distinguit, utrum necessarius eius sit, nécne. credo enim humanitatis ratione omnẽ prouocantem audiri debere. ergo & si ipse adquiescat sententiæ. nec quærimus, cuius interfit. Quid ergo si resistat, qui damnatus est aduersus prouocationẽ,nec uelit admitti eius appellationẽ perire festinans? adhuc putem differendum supplicium.

VII. MACER.

CVm quidam propter uiolentiam iudicis non ipsi, à quo appellauit,dedisset libellos,sed publice proposuisset: diuus Seuerus ueniam ei dedit,& permisit causſam appellationis agere.

VIII. MARTIANVS.

ILlud sciendum est:eum,qui prouocauit,non debere conuiciari ei, à quo appellauit.cæterũ oportebit eum plecti.& ita diui fratres rescripserunt.

IX. MACER.

ILlud sciendum est,neq; pupillum,neq; rem publicam,cum pro libertate iudicatur,in integrum restitui posse: sed appellationem esse necessariam.idq; ita rescriptum est.

X. VLPIANVS.

SI qui separatim fuerint condemnati,quamuis ex eadem causſa,pluribus eis appellationibus opus est. Si quis cum una actione ageretur,quæ plures species in se haberet,pluribus summis sit condemnatus,quarum singulæ notionem:principis non faciũt,omnes autem cõiunctæ faciunt:quid dicendũ est? & poterit ad principem appellare. Sed cum aduersus plures probatæ essent rationes,quæ eis nocerent:sufficit eis una appellatio:quia uno titulo probatarum rationum omnes conueniebãtur. Quoties autem plures in unam summam cõdemnantur,utrum una sententia est,& quasi plures in unam summã sint rei,permittendi,ita unusquisq; eorum in solidum teneatur:an uero scinditur in personas eorũ sententia, quæritur. & Papinianus respondit, scindi sententiam in personas atq; ideo eos,qui condemnati sint, uiriles partes debere. Quod est rescriptum,in communi causſa,quoties alter appellat,alter non,alterius uictoriam etiam ei proficere,qui nõ prouocauit:ita demum probandum est,si una eademq; causſa fuerit defensionis.cæterum si diuersæ:alia causſa est:ut in duobus tutoribus procedit, si alter tutelam gesserat,alter non gesserat:& is,qui non gesserat,prouocauerat. Iniquũ est enim eum,qui idcirco agnouerat sententiã, quoniã gessisse se sciebat,propter appellationẽ eius,qui non gesserat,obtinere.

Idem

XI. IDEM.

CVm ex cauſſa iudicati ſoluta eſſet pecunia ex neceſſitate iudicis ab eo,qui appellatione interpoſita meruerit meliorem ſententiam:recipere eum pecuniam,quam ſoluit,oportet.

XII. IDEM.

SI conſtat nullo actu ex lege habito duumuirũ creatũ, ſed tantum uocibus populariũ poſtulatum,eiſq; tunc proconſulem (quod facere non debuit)conſenſiſſe:appellatio in aperta re ſuperuacua fuit.

XIII. IDEM.

APpellanti nihil obeſſe,quod in libellis,à qua parte ſentẽtiæ appellaret,non ſignificauit. Non ſolere improbari appellationes eorũ,qui uel unam cauſſam appellandi probabilem habuerunt.

XIIII. IDEM.

SI proluſorio iudicio actum ſit aduerſus teſtamentum : an ius faciat iudex,uidendum eſt. Et diuus Pius, cum inter coniunctas perſonas diceret̃ per colluſionem in necem legatariorum & libertatum actum, appellare eis permiſit:& hodie hoc iure utimur,ut poſſint appellare, & agere cauſſam apud ipſum iudicẽ,qui de teſtamento cognoſcit: ſi ſuſpicantur non ex fide hæredem cauſſam agere. Quoties hærede non reſpondente ſecundum aduerſarium ſententia datur: reſcriptũ eſt, nihil nocere neq; legatis,neq; libertatibus. & hoc diuorum fratrum epiſtola continetur ad Domitium in hæc uerba. Quod abſente poſſeſſore, nec quoquam nomine eius reſpondente,pronunciatum eſt:non habet rei iudicatæ authoritatem,niſi aduerſus eum ſolum, qui adeſſe neglexit. quare his,qui teſtamento libertates,uel legata,uel fideicõmiſſa acceperunt:ſaluæ ſunt actiones,ſi quas habuerunt,perinde ac ſi nihil eſſet iudicatum. & ideo aduerſus eum,qui uicit, permittimus eis agere.

XV. MACER.

SErui appellare nõ poſſunt:ſed domini eorũ ad opem ſeruo ferendã poſſunt uti auxilio appellationis:& alius domini nomine id facere poteſt. Si uero neq; dominus,neq; alius ꝓ domino appellauerit:ipſi ſeruo,qui ſententiã paſſus eſt,triſte auxiliũ ſibi implorare nõ denegamus.

XVI. MODESTINVS.

COnſtitutiões,quæ de recipiẽdis,nec'ne,appellationibus loquuntur,ut nihil noui fiat:locum non habent in eorum perſona,quos damnatos ſtatim puniri publice intereſt:ut ſunt inſignes latrones, uel ſeditionum concitatores,uel duces factionum.

XVII. IDEM.

CVm in una cauſſa ſeparatim duplex ſententia diuiſa datur,ueluti una ſortis,alia uſurarum:duplex appellatio neceſſaria eſt:ne alte-

ram agnouisse, de altera prouocasse intelligatur. Tutor pupillo datus si prouocet: interim pupillo curator dabitur. Sed si tutoris authoritas fuerit necessaria, ueluti ad adeundam hæreditatē: tutor ei necessariò dabitur, quoniam curatoris authoritas ad hoc inutilis est.

XVIII. IDEM.

LVcius Titius pro seruo suo, qui ad bestias datus est, prouocationē interposuit. quæro, an huiusmodi appellationis causas per procuratorem reddere possit? Modestinus respondit, posse.

XIX. IDEM.

SI expressim sententia contra iuris rigorem data fuerit: ualere non debet. & ideo & sine appellatione causa denuo induci potest. Non iure profertur sententia, si specialiter contra leges, uel senatusconsulta, uel constitutiones fuerit prolata. Vnde si quis ex hac sentētia appellauerit, & præscriptione submotus sit: minime confirmatur ex hac præscriptione sententia. unde potest causa ab initio agitari.

XX. IDEM.

QVi suspectum tutorem facit, & qui de nō recipienda tutela excusationē agit: alieno nomine agere intelligendus est. Is uero, qui in rem suam procurator datus est: intra biduum appellare debet: quia suam causam agit. Militibus appellandi tempora non remittunt: & uicti, si non prouocauerint, & solennia fecerint, postea non audiuntur.

XXI. PAPYRIVS IVSTVS.

IMperatores Antoninus & Verus rescripserunt: appellationes, quæ *in recto ad principē factæ sunt, omissis his, ad quos debuerunt fieri: ex imo ordine ad præsides remitti. Iidē rescripserunt: à iudice, quē à præside prouinciæ quis acceperat, non recte imperatorē appellatū esse: ideoq; reuerti eum ad præsidem debere. Si magistratus creatus appellauerit: collegam eius interim utriusq; officium sustinere debere. si uterq; appellauerit: alium interim in locum eorū creandū: & eū, qui nō iuste appellauerit, damnum agniturum, si quod res publica passa sit. si uero iusta sit appellatio, & hoc pronuncietur: eos æstimaturos, cui hoc adscribendum sit. In locum autem curatoris, qui annonam administraturus est, alium interim adsumendum, quoadusq; appellatio pendeat. Iidem rescripserūt: quamuis usitatum non sit post appellationem fructus agri, de quo disceptatio sit, deponi: tamen cum populare ntur ab aduersario, æquū sibi uideri, fructus apud sequestrem deponi.

*aliàs rectà.

XXII. PAPINIANVS.

AD principē remissa cognitio, ab eo circū duci potest, qui remisit.

XXIII. IDEM.

EX consensu litigantium circa cōpromissum à præside prouinciæ iudice

iudice dato,uictus poteſt prouocare. Cum procurator Cæſaris,qui partibus præſidis non fungebatur,in litem priuatorum ius dandi iudices non habuiſſet:fruſtra prouocatum ab ea ſententia conſtitit,quæ nõ tenebat. Filiumfamilias,cum aduerſus patrem eius de bonis, quæ per ipſum poterant adquiri,pronũciatum eſſet:reſpondi, nõ niſi patris nomine potuiſſe prouocare. Eum,qui cognouit edictum peremptorium ſecundum ordinis cauſſam datum,placuit non recte prouocaſſe: cum in eius poteſtate fuerit,ante diem præſtitutũ pro tribunali reſpondentem, aut defenſum edicti denunciationem rumpere.

XXIIII. SCAEVOLA.

NEgociorum geſtor,uel tutor,uel curator bona fide condemnati appellauerunt,& diu negocium tractatum eſt. quæſitum eſt,appellatione eorũ iniuſta pronunciata,an quia tardius iudicatum ſit,uſuræ principalis pecuniæ mediį temporis debeantur? Reſpondi ſecundũ ea,quæ proponerentur,dandam utilem actionem. Curator iuuenis aduerſus tutoris hæredes iudicio expertus,appellationem interpoſuit. cum impleſſet autem uiceſimũquintum annum ætatis iuuenis, etiam in militia ageret,exſequi appellationem deſijt. Quæro,regreſſus à militia,utrum ipſe appellationem explicare deberet:an uero curatorẽ in eam rem conueniri oporteret? Et reſpondi,ipſum militem cauſſam ad ſe pertinentem exſequi debere ſecundum ea,quæ proponerentur.

XXV. HERMOGENIANVS *lib.II.epitomatos iuris.*

Αἰτοκεφάτως Ἀλεξανδρεὺς Ζωῒ κοινῶ τῶν ἐν βιθυνίᾳ Ἑλλήνων. Ἐκκαλεῖσθαι μὲν πῶς ἄν τις κωλύοιτο ὑπὸ τῶν δικαζόντων, οὐχ ὁρῶ: ὁπότε ἕξεσι τιὼ ἑτέραν ὁδὸν πρεπομένην, ταυτὸ ποιεῖν, καὶ δεῖπον πρόσω ἀφικνεῖσθαι. ὕβρει δὲ καὶ βίᾳ χρῆσθαι πρὸς τοὺς ἐκκαλουμένους, καὶ φρόνημα σφαλιστικὸν πρίεσθαι, καὶ (ἁπλῶς εἰπεῖν) ἀποφράττειν αὐτοῖς τὸν δεῦρο ἀνοδον, ἅπαγορευόμενον τοῖς ἐπιτρόποις καὶ τοῖς ὑγουμένοις τῶν ἐθνῶν: καὶ πειθήσονται ταύτῃ μουπροσέχειν, εἰδότες ὅτι τοσοῦτόν μοι μέλει τῆς τῶν ἀρχομένων ἐλευθερίας, ὅσον καὶ τῆς εὐνοίας αὐτῶν καὶ πειθοῦς.

XXVI. PAVLVS.

AD Imperatorem cauſſam remiſſam partibus conſentientibus, præſes(ſi ad eius notionem pertinet)audire poteſt.

XXVII. IDEM.

TVtor ſi in negocio pupilli prouocauerit,uel curator in adulti:hæres eius,anteq; reddat ratiões,appellationis cauſſam perſequi debet.nã poſt redditas ratiões,neq; ipſe tutor,neq; curator appellatiõis merita ꝓbare cogẽt XXVIII. SCAEVOLA.

CReditor cum fideiuſſoribus egerat, ſed poſt iudicium acceptũ ad agendã cauſſam ipſe non adfuit. & cũ abſoluti eſſent fideiuſſores,

seruus eius apppellauit. quæsitum est, an appellatio, quam seruus inter posuit nomine domini, nullius momenti esset? Respõdit, eiusmodi appellationẽ non esse obseruandam. Iussus à iudice exhibere, secundũ præceptũ præsidis prouinciæ rationes, quas apud se esse cauerat, instrumentorũ gratia data dilatione, nec postea exhibuit: ideoq; secundum constitutionẽ recitatam (quia instrumenta per cõtumaciam non exhibuerat) cũ petitor, quanti sua interesset exhiberi, iurasset, facta erat condemnatio. quæsitum est, an post iusiurandum appellationẽ interponere posset? Respondit, nihil proponi, cur denegandum esset appellatiõis auxiliũ. Substituti tutores in locum legitimi tutoris experti cum eo tutelæ iudicio, cũ arbiter inique condemnasset, & aliter, quàm rei æquitas exigebat: à sententia eius prouocauerunt. pendente causa appellationis iuuenes adoleuerunt. quæsitum est, cum omnis excusatio huius ad adultos pertineat, & causam ad se pertinentẽ idonee tueri possint: an postulatio eorum, contra quos appellatum erat, dicentium illos debuisse causas appellationis reddere, qui primi sunt experti, admittenda non sit? Respondit. eos, quorũ tutela gesta esset, si uellent causam exsequi, non prohibendos. Idem & in curatoribus obseruandum, si interim adultus ad legitimam ætatem peruenisset.

A' QVIBVS APPELLARE NON licet. Tit. II.

I. VLPIANVS.

TRactandum est, à quibus appellare non licet. & quidem stultum est illud admonere, à principe appellare fas non esse: cum ipse sit, qui prouocatur. Sciendum est, appellari non posse à senatu principem. idq; oratione diui Hadriani effectum est. Si quis ante sententiam professus fuerit, se à iudice non prouocaturũ: indubitate prouocandi auxilium perdidit. Interdum imperator ita solet iudicem dare, ne liceat ab eo prouocari, ut scio sæpissime à diuo Marco iudices datos. an & alius ita possit iudicem dare, uidebimus. & puto non posse.

II. PAVLVS.

QVæsitum est in arbitris, qui ad fideiussores probandos dantur, an appellare liceat: quãuis hoc casu & sine appellatione quidam putent ab eo, qui eos dedit, sententiam eius corrigi posse.

QVIS A' QVO APPELLEtur. Tit. III.

Vlpianus

I. VLPIANVS.

QVod dicitur, eum appellari, qui dedit iudicẽ: sic accipiendum est, ut & successor eius possit appellari. Proinde & si præfectus urbi iudicem dederit, uel prætorio: ipse erit prouocandus, qui eum iudicem dederit. Ab eo, cui quis mandat iurisdictionẽ, non ipse prouocabitur. nam & generaliter is erit prouocandus ab eo, cui mandata est iurisdictio, qui prouocaretur ab eo, qui mandat iurisdictionem.

II. VENVLEIVS.

APpellari à legatis proconsulis potest. & si multam dixerit: potest de iniquitate eius proconsul cognoscere, & quod optimum putauerit, statuere.

III. MODESTINVS.

DAto iudice à magistratibus populi Romani cuiuscunq; ordinis: etiam si ex authoritate principis, licet nominatim iudicem declarantis, dederint: ipsi tamen magistratus appellabuntur.

QVANDO APPELLANDVM SIT, ET intra quæ tempora. Tit. IIII.

I. VLPIANVS.

SIquidem in insulam deportandũ adnotauerit præses prouinciæ, & imperator rescripsit, ut deportetur: uideamus, quãdo sit prouocandum: utrum cum rescripsit, an cum ei scribitur? & putem, tunc esse appellandum, cum recipi eum præses iubet, sententia prolata imperatori scribendum, ut deportetur. Cæterum uerendum est, ne sero sit, ut tunc prouocetur: cum imperator insulam ei adsignauerit. comprobata enim sententia præsidis, tunc solet insulam adsignare. Rursus illud uerendum est: si mendacijs apud principẽ onerauerit eum, quem deportandũ laborabat: intercludi illi uiam prouocandi. Quid ergo est? recte dicetur humanitate suggerente, ut & hoc & illo tempore non frustra prouocaretur: quia non aduersus principem, sed aduersus iudicis callidita-tem prouocauit. Simili modo & in decurione erit probandum, quem punire sibi præses prouinciæ permittere non debet: sed recipere eum in carcerẽ, & principi scribere de pœna eius. Si quis tutor datus fuerit, uel testamento, uel à quo alio, qui ius dandi habet: nõ oportet eum prouocare. hoc enim diuus Marcus effecit. Sed intra tempora præstituta excusationem allegandam habet: & si fuerit repulsa, tunc demum appellare debebit, cæterum ante frustra appellatur. Alia causa est eorum,

rum,qui ad aliquod munus uel honorem uocantur,cum dicant se habere excusationē. nam nō aliter allegare possunt causas immunitatis suæ,quàm si appellationē interposuerint. Solent plerunq; præsides remittere ad ordinē nominatum,scilicet ut Caium Seiū creent magistratū,uel alius quis honor uel munus in eū cōferatur. utrum igit̄ tunc appellādum est,cum ordo decretū interposuerit:an uero à remissione, quā præses fecerit,appellatio sit interponenda? & magis est,ut tunc sit appellandū,cum ordo decreuerit. magis enim cōsilium dedisse præses uidetur,quis sit creandus, & ipse constituisse. deniq; ipse erit appellandus,non ab eo prouocandum. Sed & si præses in ordine fuerit (ut fieri adsolet)cum ab ordine crearetur quis:ipse erit prouocandus, quasi ab ordine,nō ab ipso fiat appellatio. Biduum uel triduum appellationis ex die sententiæ latæ computandum erit. Quid ergo,si sententia fuerit sub cōditione dicta:utrum ex die sententiæ latæ tempus computamus ad appellandum:an uero ex die,quo cōditio sententiæ exstitit? Sanè quidem non est sub conditione sententia dicenda.sed si fuerit dicta:quid fiet? & est utile,statim tempora ad appellandum computari debere. Quod in sententijs receptum est,ut uel altera die,uel tertia prouocetur:hoc etiam in cæteris obseruandum est,ex quibus sentētia quidem non profertur,appellari tamen oportere & posse,supra relatū est.

Dies autem istos,quibus appellandum est,ad aliquid utiles esse,oratio diui Marci uoluit:si forte eius,à quo prouocatur, copia non fuerit, ut ei libelli dentur.ait enim.is dies seruabitur,quo primo adeundi facultas erit.quare si forte statim post sententiam dictam copiam sui non fecerit is,qui pronunciauit,ut fieri adsolet:dicendum est,nihil nocere appellatori. nam ubi primum copiam eius habuerit, prouocare poterit. ergo si statim se subduxit:similiter subueniendum est. Quid igitur est, si conditio horæ effecit, ut se reciperet? si forte dicta sit sententia iam suprema hora? utiq; non uidebitur se subtraxisse. Adeundi autem facultatem semper accipimus,si in publico sui copiam fecit. cæterum si non fecerit:an imputet̄ alicui,quod ad domū eius non uenerit,quod & in hortos non accesserit,& ulterius,quod ad uillā suburbanā? magisq; est,ut non debeat imputari.quare si in publico eius adeūdi facultas nō fuit:melius dicetur,facultatem non fuisse adeundi. Si quis ipsius quidem,à quo appellauit,adeundi facultatem nō habuerit:eius autem, ad quem appellauit,habeat copiā:uidendū est, an ei præscribi possit,quod eum non adierit.& hoc iure utimur,ut si alterutrius adeundi fuerit copia:præscriptio locum habeat. In propria caussa biduū accipiēt. Propriam caussam ab aliena quemadmodum discernimus? & palam est, eam propriam esse caussam,cuius emolumentum uel damnum ad ali

quem

quem suo nomine pertinet. quare procurator,nisi in rem suam datus est,tertium diem habebit. In suam autem rem datus magis est,ut alterum diem obseruet.at si in partem proprio nomine,in partē pro alieno litigat:ambigi potest,utrum biduum,an triduum obseruetur.& magis est,ut suo nomine biduum,alieno triduum obseruetur. Tutores,item defensores rerumpublicarum,& curatores adolescentium,uel furiosi tertium diem habere debent: idcirco, quia alieno nomine appellant.ex hoc apparet, tertio die prouocandum defensori: si modo quasi defensor caussam egerit,non suo nomine:cum obtentu alieni nominis suam caussam agens,tertio die appellare possit. Si quis suspectum tutorem faciens nō obtinuerit:appellare eum intra triduum debere,Iulianus libro quadragesimo digestorū scribit,profecto quasi pupilli defensorem. Si aduersus absentem fuerit pronunciatum:biduū uel triduum, ex quo quis scit,computandum est,nō ex quo pronunciatum est. Quod autem dicitur,absentem posse prouocare,ex quo scit: sic accipimus,si non in caussa per procuratorem defensus est. nam si ille non prouocauit:difficile est,ut hic audiatur.

II. MACER.

SI procuratorio nomine egeris,& uictus appellaueris,deinde iniusta appellatio tua fuerit pronunciata:potest dubitari, num secūdo die appellare debeas:quia cum de tua iniusta appellatione pronunciatum sit,tua interfuisse uidetur.sed rectius dicetur,tertia die appellare te posse: quia nihilominus alienā caussam defenderis. Sed si alius,quàm qui iudicio expertus est,appellet:qualis est is, cuius interest: an etiam tertia die appellare possit,uideamus.Sed dicendum est,secunda die appellare eum debere:quia uerum est,eum suā caussam defendere. & contrarium est ei,si dicat idcirco sibi licere intra triduum appellare,quia uidetur quasi alieno nomine appellare:quando si uelit caussam suā alienā uideri,semetipsum excludat: quia in aliena caussa ei, qui in iudicio expertus non est,appellare non liceat. Si is,qui ex libertinitate in ingenuitatem se defendebat,uictus appellare obmiserit:an pater eius appellare possit,maxime si dicat eum in sua potestate esse,quæritur. Sed & si potest(quod magis probatur)secunda die,ut in propria caussa, appellare debet. Si pro eo,qui capite puniri iussus est,necessaria persona appellet:an tertia die audiri possit, Paulus dubitat. sed dicēdum est, hanc quoq; personam,ut in propria caussa,secunda die appellare debere:quia qui sua interesse dicit,propriam caussam defendit.

III. IDEM.

ILlud uideamus:si cum Imperatori scriberetur, exemplum literarū litigatori editum sit,neq; is appellauerit,& postea contra eum rescri

ptum sit:an appellare à literis pridem sibi editis possit.quia qui tunc nõ appellauit,uera esse,quæ scripta sunt,consensisse uidet: nec audiendus est,si dicat euentum rescripti sacri se sustinuisse.

DE APPELLATIONIBVS RECIPIendis,uel non. Tit. V.

I. VLPIANVS.

NOn solent audiri appellantes:nisi hi,quorum interest,uel quibus mandatum est,uel qui negocium alienũ gerunt, quod mox ratum habeatur. Sed & si mater,cum filij rem sententia uersam animaduerterit, prouocauerit pietati id dando: dicendũ est,& hanc audiri debere.& si litẽ præparandam curare maluerit:intercedere non uidetur, licet ab initio defendere non potest.

II. SCAEVOLA.

ANte sententiam appellari potest, si quæstionem in ciuili negotio habendam iudex interlocutus sit: uel in criminali, si contra leges hoc faciat.

III. PAVLVS.

INtra triduum appellare licet ei, qui de suspecto tutore egit: uictusq; appellat.

IIII. MACER.

EIus,qui ideo caussam agere frustratur,quod dicit se libellum principi dedisse,& sacrum rescriptum exspectare:audiri desiderium ,prohibetur:& si ob eam caussam prouocauerit,appellatio eius recipi sacris constitutionibus uetatur.

V. VLPIANVS.

SI cuius appellatio non recipitur:sufficit, si possit dicere, appellationem suã non esse receptã. quod quaqua ratione doceat, admittẽt eius appellatio. Non recepta autem appellatione,siquidem principem appellari oportuit: principi erit supplicandum. si uero alius appellabit, quàm princeps: illeerit adeundus. Sed & si quod aliud post receptam appellationẽ impedimentũ factũ fuerit:eum adiri oportet, quẽ appellare quis debet. Planè si appellatione nõ recepta,nõ ipsum adierit,quẽ debuit,sed principem:pro eo habebitur,atq; si is aditus sit,qui adiri debuit.idq; rescripto Imperatoris nostri Antonini declaratur. Planè si aliũ pro alio adijt,non principem:nihil ei hic error proderit,licet nõ uideat̃ cessasse. Intra constituta aũt appellatoria tempora debet is,cuius appellatio non est recepta,uel competentem iudicem,uel principẽ adire.

Macer

VI. MACER.

SCiendum est,cum appellatio non recipitur,præcipi sacris constitutionibus,omnia in eodem statu esse,nec quidquam nouari,etiam si contra factum appellarum sit. eũ q̃q, qui appellationem non recipit, opinionem suam confestim per relationem manifestare: & causſam, pro qua non receperit appellationem,eiusq; exemplum litigatori reddere debere,mandatis cauetur.

VII. PAVLVS.

SI res dilationem nõ recipiat,non permittitur appellare:ueluti ne testamentum aperiatur(ut diuus Hadrianus constituit)ne frumentũ in usum militum in annonæ subsidia contrahatur,neue scriptus hæres in possessionem inducatur. Item si ex perpetuo edicto aliquid decernatur: id quominus fiat, nõ permittit̃ appellare. Item quo minus pignus uendere liceat,appellari non potest.

DE LIBELLIS DIMISSORIIS, QVI apostoli dicuntur. Tit. VI.

I. MACER.

POst appellationem interpositã literæ dandæ sunt ab eo, à quo appellatum est,ad eum,qui de appellatione cognituras est.siue principem,siue quem alium: quas literas, dimissorias,siue apostolos appellant. Sensus autem literarum talis est:appellasse(puta)Lucium Titium à sententia illius,quæ inter illos dicta est. Sufficit autem petisse intra tempus dimissorias instanter & sæpius:ut & si non accipiat,idipsum contestetur. nam instantiam repetentis dimissorias, cõstitutiones desiderãt. Aequum est igitur,si per eum steterit,qui debebat dare literas,quo minus det:ne hoc accipienti noceat.

NIHIL INNOVARI APPELLATIONE interposita. Tit. VII.

I. VLPIANVS.

APpellatiõe interposita:siue ea recepta sit,siue nõ: medio tempore nihil nouari oportet. siquidẽ fuerit recepta appellatio:quia recepta est. si uero nõ est recepta:ne præiudiciũ fiat,q̃d deliberetur,utrũ recipienda sit appellatio, an nõ sit. Recepta aũt appellatione,tamdiu nihil erit innouandũ,quàmdiu de appellatione fuerit ꝓnunciatũ. Si quis ergo for-

te relegatus fuerit,& appellauerit: non arcebitur, neq; in Italia, neq; in prouincia, à qua relegatus est. Propter eandem rationẽ & si quis deportatus fuerit ab eo, cui deportandi ius est, uel adnotatus: neq; uincula patietur, neq; ullam aliam iniuriam, quam patitur, qui sententiæ non adquieuerat. integer enim status esse uidetur prouocatione interposita. Ergo & si abstinere ordine iussus sit,& prouocauerit: eadem ratione potest cœtum participare: cum hoc sit constitutum, & sit iuris, ne quid pendente appellatione nouetur. Si quis ex pluribus facinoribus cõdemnatus, propter quædam appellauit, propter quædam non: utrum differenda pœna eius sit, an non, quæritur. Et si quidem grauiora sint crimina, ob quæ appellatio interposita est, leuius autem id, propter quæ quis non appellauerit: recipienda est omnino appellatio, & differenda pœna. si uero grauiorem sententiam meruit: ex ea specie, ex qua non est appellatum, omnimodo pœna imponenda est.

QVAE SENTENTIAE SINE APPELlatione rescindantur. Tit. VIII.

I. MACER.

ILlud meminerimus: si quæratur, iudicatum sit, nec'ne, & huius quæstionis iudex non esse iudicatum pronunciauerit: licet fuerit iudicatum, rescinditur, & si prouocatum non fuerit. Item si calculi error in sententia esse dicatur, appellare necesse non est: ueluti si iudex ita pronũciauerit, CVM CONSTAT TITIVM SEIO EX ILLA SPECIE QVINQVAGINTA, ITEM EX ILLA SPECIE VIGINTIQVINQVE DEBERE: IDCIRCO LVCIVM TITIVM SEIO IN CENTVM CONDEMNO. nam cum error computationis est, nec appellare necesse est, & citra prouocationem corrigitur. Sed & si huius quæstionis iudex sententiam centum confirmauerit: siquidem ideo, quod quinquaginta & uigintiquinq; putauerit fieri centum: adhuc idem error computationis est, nec appellare necesse est. si uero ideo, quoniam & alias species uigintiquinq; fuisse dixerit: appellationi locus est. Item cum contra sacras cõstitutiões iudicatur, appellationis necessitas remittit. Contra constitutiões aũt iudicatur, cũ de iure constituto, non de iure litigatoris pronunciat. nam si iudex uolenti se ex cura muneris uel tutelæ beneficio liberorũ, uel ætatis, aut priuilegij excusare, dixerit neq; filios, neq; ætatẽ, aut ullũ priuilegiũ ad muneris uel tutelæ excusationem prodesse: de iure constituto pronunciasse intelligitur. Quod si de iure suo probantẽ admiserit, sed idcirco contra eum sententiã dixerit, quod negauerit eum de ætate sua,

sua, aut de numero liberorum probasse: de iure litigatoris pronunciasse intelligitur, quo casu appellatio necessaria est. Item cum ex edicto peremptorio, quod neq; propositũ est, neq; in noticiam peruenit, absentis condemnatio fit: nullius momenti esse sententiã, constitutiones demonstrant. Si apud eundem iudicem inuicem petamus: si & mea petitio & tua sine usuris fuit, & iudex me priorem tibi condemnauit: quo magis tu prior me condemnatũ habeas, non est mihi necesse pro hac caussa appellare: quãdo secundũ sacras cõstitutiones iudicatũ à me petere nõ possis, priusq; de mea quoq; petitione iudicetur. sed magis est, ut appellatio interponatur.

II. PAVLVS.

PAulus respondit. eum, qui in rebus humanis non fuit sententiæ dictæ tempore, inefficaciter condemnatũ uideri. Idem respõdit. aduersus eum, qui in rebus humanis nõ esset, cum iudex datus est: neq; iudicis dationem ualuisse, neq; sententiã aduersus eũ dictã uires habere.

III. IDEM.

PAulus respondit. impossibile præceptum iudicis nullius esse momenti. Idem respondit. ab ea sententia, cui pareri rerũ natura nõ oportuit, sine caussa appellari.

AN PER ALIVM CAVSSAE APPELlationum reddi possint. Tit. IX.

I. PAVLVS.

QVæri solet, an per alium caussæ appellationis reddi possint. quæ res in rebus pecuniarijs, & in criminalibus agitari consueuit. & in rebus pecuniarijs sunt rescripta, posse agi. uerba rescripti ita se habẽt. Diui fratres Longino. Si tibi, qui appellauit, mandauit, ut eũ de appellatione, quã Polla ad eum fecit, defenderes, & res pecuniaria est: nihil prohibet, nomine eius te respondere. sin autem non sit pecuniaria caussa, sed capitalis: per procuratorem agi non licet. Sed & si ea caussa sit, ex qua sequi solet pœna usq; ad relegationem: non oportet per alium caussam agi, sed ipsum adesse auditorio debere, sciendum est. Planè si pecuniaria caussa est, ex qua ignominia sequitur: potest & per procuratorẽ hoc agi. Idq; erit probandum & in ipso accusatore, si appellauerit, uel si aduersus eum sit appellatũ. & generaliter, quæ caussa per alium agi nõ potest, eius nec appellationem per alium agi oportet.

II. MACER.

SI procurator absentis appellauerit, deinde rationes reddiderit: ni-

hilominus ipſe reſpondere debet. Sed an eo ceſſante dominus litis reſpondere poſſit exemplo adoleſcentis, uideamus. magis tamen obſeruatur, ut audiri debeat in cauſſis appellationis reddendis is, cuius abſentis procurator appellauit.

SI TVTOR, VEL CVRATOR, VEL MAGIſtratus creatus appellauerit. Tit. X.

I. VLPIANVS.

HI, qui ad munera publica nominati appellauerint, nec cauſſas probauerint: ſciant ad periculũ ſuum pertinere, ſi quid damni per moram appellationis rei publicæ accíderit. quod ſi apparuerit eos neceſſariò prouocaſſe: cui adſcribendum ſit id damnum, præſes uel princeps æſtimabit.

II. HERMOGENIANVS.

TVtor uel curator detentus ſi prouocauerit, & ante cauſſam actam moriat̃: propter periculũ mediĩ temporis ſucceſſores eius cauſſas appellationis neceſſe habent reddere.

EVM, QVI APPELLAVERIT, IN PROuincia defendi. Tit. XI.

I. VLPIANVS.

EVm, qui appellauerit, oportere in prouincia defendi in alĩjs ſuis cauſſis, etiam ſi appellationis cauſſa peregrinet̃: diui fratres Decimio Philoni reſcripſerunt.

II. MARTIANVS.

HOc enim illis præſtatur, ne neceſſe habeãt ſe defendere, qui rei publicæ cauſſa abſunt.

APVD EVM, A' QVO APPELLETVR, aliam cauſſam agere cõpellendum. Tit. XII.

I. VLPIANVS.

SI quis ex alia cauſſa appellauerit à iudice: an in alia cauſſa eundem iudicem habere neceſſe habeat, uideamus. & hodie hoc iure utimur, ut tametſi appellatio interpoſita ſit: tamen apud eundem iudicem, à quo quis prouocauerit, compelletur alias cauſſas, ſi quas habet, agere: nec utetur hoc

tur hoc prætextu, quasi apud offensum iudicem non debeat experiri, cum possit denuo prouocare.

SI PENDENTE APPELLATIONE MORS interuenerit. Tit. XIII.

I. MACER.

APpellatore defuncto, siquidem sine hærede, cuiuscunq; generis appellatio fuerit, euanescit. Quod si appellatori hæres exstiterit: siquidem nullius alterius interest caussas appellationis reddi: cogendus nõ est peragere appellationem. Si uero fisci, uel alterius, contra quem appellatum est, interfit: hæres caussas appellationis reddere necesse habet. Nullius autẽ interest, ueluti cum sine ademptione bonorum relegatus est. nã si ademptis bonis relegatus, uel in insulã deportatus, uel in metallũ dãnatus, prouocatione interposita, decesserit: imperator noster Alexander *Pilletorio militi ita rescripsit. Quãuis pendente appellatione morte rei crimen exstinctum sit: data tamen etiam de parte bonorũ eius sententia proponitur, aduersus quam non aliter is, qui emolumentũ successiõis habet, obtinere potest, quàm si in reddendis caussis appellationis iniquitatem sententiæ detexerit. Tutor quoq; in negocio pupilli appellatione interposita si decesserit, hæredem eius caussas appellationis reddere necesse est, etiam si rationes tutelæ hæres reddiderit: quia sufficit mortis tempore ad caussas appellationis reddendas obligatum fuisse. Sed diuus Seuerus & Antoninus rescripserunt: non cogendum tutorem post rationes redditas caussas appellationum reddere.

*al's. Pletorio.

DE IVRE FISCI. Tit. XIIII.

I. CALLISTRATVS.

VAriæ caussæ sunt, ex quibus nunciatio ad fiscum fieri solet. aut enim se quis, quod tacite relictũ est, profitetur capere non posse, uel ab alio præuentus defertur: uel quod mors ab hæredibus non uindicetur: uel quod indignus quis hæres nunciat: uel quod princeps hæres institutus, & testamentũ, siue codicilli subrepti esse nunciantur: uel quod dicatur quis thesaurum inuenisse: uel magni præcij rem minoris ex fisco comparasse: uel præuaricatione fiscum uictum esse: uel eum decessisse, qui in capitali crimine esset: uel etiam post mortem aliquem reum esse: uel domum destructam esse: uel ab accusatione recessum esse: uel rem litigiosam

gioſam uenundari:uel pœnam fiſco ex cõtractu priuato deberi:uel aduerſus leges commiſſum factum eſſe. An bona,quæ ſoluendo nõ ſint,ipſo iure ad fiſcum pertineant,quæſitum eſt. Labeo ſcripſit etiam ea,quæ ſoluendo non ſint,ipſo iure ad fiſcum pertinere. Sed cõtra ſententiam eius edictum perpetuũ ſcriptũ eſt: quod ipſa bona ita ueneũt, ſi ex his fiſco nihil adquiri poſſit. Diuus Pius Cælio Amarantho ita reſcripſit, uacantium bonorum nunciationem quadriennio finiri: idq; tempus ex die,quo certum eſſe cœperit,neq; hæredem,neq; bonorum poſſeſſorem exſtare,computari oportere. Præſcriptio autem uiginti annorum,quæ etiam circa requirendorum adnotatorum bona obſeruatur,ex conſtitutione diui Titi Antonini ſolet ex eo numerari, ex quo quid ad fiſcum pertinere potuit. Cauſſæ autem,quæ ſtatim motæ ſunt,& tractæ ultra uiceſimum annum,differri poſſunt & poſt uiceſimum annum. Illæ quoq; cauſſæ,quæ à priore nunciatione proditæ dicunt̃,etiã poſt annos,quibus præſcribi dicimus fiſco,nunciari poſſunt.

II. IDEM.

EX quibuſdam cauſſis delationes ſuſcipientium fama non lædi-tur:ueluti eorum,qui non præmij conſequendi: item eorum, qui ulciſcendi gratia aduerſarium ſuum deferunt: uel quod reipublicæ ſuæ quis exſequitur cauſſas. & hoc ita obſeruari plurifariam principalibus conſtitutionibus præcipitur. Diuus Hadrianus Flauio Auriano in hæc uerba reſcripſit. Quin ei,qui inſtrumenta ad cauſſam fiſci pertinentia,cum poſſit exhibere,non exhibet,nocere debeat:& ſi uerum aliter non inuenitur,ea ſubtracta eſſe credantur,quæ nocitura cauſſæ eius fuerint:dubitandũ non eſt.ſed nec aliàs dubitari oportet,quin non aliã in cauſſam nocere debeant,quàm in eam,quã deſiderata ſunt. Item diui fratres ad libellum Cornelij Rufi reſcripſerunt, toties edenda eſſe inſtrumẽta,quoties de iure capiendi,uel de iure dominij, uel de aliqua cauſſa ſimili res numaria quæratur:non ſi de capitali cauſſa agatur.

Senatus cenſuit:ſi neq; delator, neq; poſſeſſor tribus edictis euocati adfuerint:delatoris quidem fideiuſſores teneantur, & ei poſtea publicã cauſſam deferendi ius adimatur:poſſeſſoris autem ius idem ſit, quod foret,ſi delatus omnino non eſſet.quoties tamen delator adeſſe iuſſus ceſſat,nec hoc fraude poſſeſſoris factum eſſe probatur: diuus Hadrianus reſcripſit ſecundum poſſeſſorem pronunciari oportere:ita,ut ſententia compræhendatur,etiam delatores edicto id compræhendiſſe.

Diuus Pius Cæcilio Maximo reſcripſit: conſtitutionem patris ſui, qua compelleretur delator edere mandatorem, ac niſi edidiſſet, ut in uincula deduceretur:eò pertinere,non ut delator pœna ſubduceretur, ſi mandatorem haberet:ſed ut mandator quoq; perinde, atq; ſi ipſe detuliſſet

tuliſſet,puniretur. Imperator noſter Seuerus Auguſtus conſtituit, ne ſerui delatores dominorum audiantur, ſed ut pœna coërceantur. libertos quoq; cauſſæ mandatores contra patronos à præſidibus prouinciarum pœna plectendos. Complura ſunt reſcripta principalia,quibus cauetur,non obeſſe errorem cuiquam, quod ignarus iuris ſui ipſe ſe detulerit. Sed exſtat eorundem principum reſcriptum,ex quo uideē poſſe defendi,ita demum non nocere cuiquam ſe detuliſſe,ſi ea perſona ſit,quæ ignorare propter ruſticitatem,uel propter ſexum fœmineum ius ſuum poſſit.

III. IDEM.

NOn intelligitur fraudem legi feciſſe,qui rogatus eſt palàm reſtituere. Sed cum quidam teſtamento ſuo ita ſcripſiſſet, VOS ROGO, VT IN EO,QVOD A VOBIS PETII, FIDEM PRAESTETIS: PERQVE DEVM, VT FACIATIS. ROGO. & quæreretur, an id palam datũ intelligeretur: Iulianus reſpondit,non quidem apparere,quid ab hæredibus ex huiuſmodi uerbis petitum eſt. quæri autem ſolere, quando intelligatur quis in fraudem legis fidem ſuam accommodare? & ferè eò iam decurſum,ut fraus legi fieri uideatur,quoties quis neq; teſtamẽto,neq; codicillis rogaretur: ſed domeſtica cautione & chirographo obligaret ſe ad præſtandum ei,qui capere non poteſt. ideoq; dici poſſe ex ſupradictis uerbis,non eſſe legi fraudem factam. Si quis palam rogatus & tacite eſſet: agitabatur, quod magis præualeret: utrũ idipſum noceret,quod tacite rogatus eſſet: an prodeſſet,quod palam petitum eſſet? Diuus Hadrianus reſcripſit in eo,quod cuiuſq; fidei palam cõmiſſum eſſet, non eſſe exiſtimandũ,fidem ſuam in fraudem legis accõmodaſſe. Quando autem fraus interpoſita uideatur, agitandum eſt: id eſt utrum exitus ſpectari debeat, an conſilium. forte ſi tunc, cum tacite fidei committebatur,non capiebat is,cui reſtitui iubebatur: mortis uero tempore capere poterat,uel contra. & placuit exitum eſſe ſpectandum. Tacita autem fideicommiſſa frequenter ſic deteguntur,ſi proferatur chirographũ,quo ſe cauiſſet is,cuius fides eligitur, quod ad eũ ex bonis defuncti peruenerit,reſtituturũ. Sed & ex alijs probationibus manifeſtiſſimis idem fit. Cum ex cauſſa taciti fideicommiſſi bona ad fiſcum pertinent: omnia,quæ in teſtamento utiliter data ſunt,ualẽt. & ita diuus Pius reſcripſit. Diui fratres reſcripſerunt,in uenditionibus fiſcalibus fidem & diligentiã à procuratore exigendam: & iuſta precia non ex præterita emptione, ſed ex præſenti æſtimatione conſtitui. ſicut enim diligẽti cultura precia prædiorum ampliantur: ita ſi negligentius habita ſint,minui ea neceſſe eſt. Cum quinquennium, quo quis pro publico conductore ſe obligauit,exceſſit: ſequentis tem-

poris nomine non tenetur,idq; principalibus reſcriptis exprimitur. Diuus etiã Hadrianus in hæc uerba reſcripſit. Valde inhumanus modus eſt iſte, quo retinentur conductores uectigalium publicorum & agrorum,ſi tantidem locari non poſſint.nam & facilius inueniuntur conductores,ſi ſcierint fore, ut ſi peracto luſtro diſcedere uoluerint,non teneantur. Si poſteriori creditori fiſcus ſucceſſerit:eo iure utitur, quo is uſurus erat,cui ſucceſſit. Multa principalia ſunt reſcripta,quibus cauetur,non aliter fiſcum debitorum ſuorum debitores conuenire: niſi principales debitores defecerint,uel ex ratione fiſci nomina facta liquidò adprobentur,uel ex contractu fiſcali debitores conueniantur. Diuus Hadrianus Flauio Proculo reſcripſit. cum in libertatẽ proclamatis,qui ex bonis ad fiſcum pertinentibus eſſe dicitur: iudicium dat̃ præſentibus & agentibus etiam his,qui negocijs fiſci ſolent interuenire: & huiuſmodi liberales cauſſæ(ſi non interueniente fiſci aduocato deciſæ ſint)in integrũ reſtituuntur. Si in locis fiſcalibus,uel publicis, religioſiſue,aut in monumentis,theſauri reperti fuerint: diui fratres conſtituerũt, ut media pars ex his fiſco uindicaretur.item ſi in Cæſaris poſſeſſione repertus fuerit,dimidiam æque partem fiſco uindicari. Deferre autem ſe nemo cogitur,quod theſaurum inuenerit, niſi ex eo theſauro pars fiſco debeatur. Qui autem cum in loco fiſci theſaurum inuenit,partem ad fiſcum pertinentem ſuppreſſerit: totum cum altero tanto cogitur ſoluere.

IIII. VLPIANVS

IN fiſci cauſſis pacti cum delatoribus pro confeſſis habentur: ſi modo precium uel modicum dederint.

V. IDEM.

SI curator Cæſaris rem aliquam uendiderit: quamuis duplum, uel triplum pro euictione promiſerit,tamen fiſcus ſimplum præſtabit.

Si ab eo,cui ius diſtrahendi res fiſci datum eſt,fuerit diſtractũ, q̃d fiſci fuerit:ſtatim fit emptoris,precio tamen ſoluto.

VI. IDEM.

FIſcus cũ in priuati ius ſuccedit,priuati iure,p anterioribus ſuæ ſucceſſionis temporibus utitur.cæterũ poſtea,cũ ſucceſſit: habebit priuilegiũ ſuũ.Sed utrũ ſtatim,cum cœpit ad eũ pertinere nomen:an uero poſtea,cũ cõuenit debitorẽ:an poſtea,cũ relatũ eſt inter nomina debitorũ,quæritur.& quidem uſuras exinde petit fiſcales, & ſi breuiores debebantur,ex quo conuenit certũ debitorem & confitentem.At in priuilegio uarie reſcriptũ eſt.puto tamen exinde priuilegio eſſe locũ, ex quo inter nomina debitorũ relatum nomen eſt. Quodcunq; priuilegiũ fiſco competit:hoc idem & Cæſaris ratio, & Auguſtæ habere ſolet.

Idem

VII. IDEM.

SI fiscus alicui status controuersiam faciat: fisci aduocatus adesse debet. quare si sine fisci aduocato pronunciatum sit: diuus Marcus rescripsit, nihil esse actum: & ideo ex integro cognosci oportere.

VIII. MODESTINVS.

BOnorũ fisco uindicatorũ actores uenundari à procuratoribus nõ possunt: & si distrahantur, irritam fieri uenditionem, rescriptũ est.

IX. IDEM.

LVcius Titius fecit hæredes sororem suam ex dodrante, uxorẽ Mæuiam & socerum ex reliquis portionibus. eius testamentũ postumo nato ruptũ est. qui postumus breui post & ipse decessit: atq; ita oĩs hæreditas ad matrem postumi deuoluta est. soror testatoris Mæuiam ueneficij in Lucium Titium accusauit. cum non obtinuisset, prouocauit. interea decessit rea. nihilominus tamẽ apostoli redditi sunt. quæro, an putes, exstincta rea, cognitionem appellationis inducendã propter hæreditatem quæsitam? Modestinus respondit. mortua rea crimine exstincto, persecutionem eorum, quæ scelere adquisita probari possunt, fisco competere posse.

X. IDEM.

NOn puto delinquere eum, qui in dubijs quæstionibus contra fiscum facile responderit.

XI. IABOLENVS.

NOn possunt ulla bona ad fiscum pertinere, nisi quæ creditoribus superfutura sunt. id enim bonorũ cuiusq; esse intelligitur, quod æri alieno supereſt.

XII. CALLISTRATVS.

IN metallum damnatis libertas adimitur, cum etiam uerberibus seruilibus coërceantur. Sanè per huiusmodi personas fisco nihil adquiri, diuus Pius rescripsit. & ideo quod legatũ erat ei, qui postea in metallum damnatus erat, ad fiscum non pertinere rescripsit: magisq; ait pœnæ eos, quàm fisci seruos esse.

XIII. PAVLVS.

EDicto diui Traiani, quod proposuit, significatur: ut si quis ante, cẽ caussa eius ad ærarium deferatur, professus esset eam rem, quam possideret, capere sibi non licere: ex ea partem fisco inferat, partem sibi retineat. Idem postea edicto significauit, ut quæcunq; professa esset, uel palam, uel tacite relictum sibi, quod capere nõ posset, & probasset: iam id ad fiscum pertinere. & si id non possideret: ex eo, quod redactũ esset à præfectis ærario, partem dimidiam ferat. Nihil autem interest, quæ caussa impediat ius capiendi. Id autem deferri debet, quod latet, nõ

id,quod fisci est. Ad hæredes eius,qui se detulerat,non uidebat̃ præmium transire:sed diuus Hadrianus rescripsit, ut licet ante decessisset is, qui se detulerat, quàm id, quod detulerat,fisco addiceretur: hæredi eius præmium daretur. Extat & eiusdem Hadriani epistola,ut si is,qui se deferre poterat,morte præuẽtus fuerit:hæres eius, si detulerit, præmium consequatur:si tamen (inquit) liquebit defunctũ eius animi fuisse,ut se uellet deferre.si uero idcirco dissimulauerit,dum rem occultari sperat:hæredem eius ultra uulgare præmium nihil consecuturum.

Item diui fratres rescripserũt,hæredes eorũ,quibus tacite fideicommissum relictũ esset, ita demũ beneficio Traiani deferre posse: si is, cui datum fuerat,morte præuẽtus esset,& ideo per angustias temporis deferre se non potuerit. Cum ante apertum testamentum tacitũ fideicõmissum nunciatum esset ab his,qui fidem tacitam susceperant,deinde post apertas tabulas â fideicommissario delatum esset: diuus Antoninus recipi professionem eius iussit.neq; enim dignam esse præmio tam præcipitem festinationem prioris: & cum quis se nunciet non capere,potius confiteri de suo iure,quàm aliũ deferre uidetur. Ad eos beneficium Traiani pertinet,qui ex defuncti uoluntate relictum sibi capere nõ possunt. ergo nec illud,quod seruo *meo relictum est, deferre potero. Eos,qui quasi indigni repellunt̃,submouendos esse ab eius modi præmio:id est eos,qui de inofficioso egerunt,uel falsum dixerũt testamentũ,qui usq; ad finem litis oppugnauerunt testamentũ. Ei, qui per errorem se detulit,cũ capere solidum possit,non nocere hoc,diuus Hadrianus,& diuus Pius,& fratres rescripserunt.

* al's. modo.

XIIII. CAIVS.

DIcitur,ex asse hæreditates ex Silaniano cũ fisc̃us uindicat, quod nec libertates,nec legata tueatur.quod aperte nullam habet rationem: cũ ex quibuslibet alijs caussis fisco uindicatis hæreditatibus, & libertates,& legata maneant.

XV. IVLIVS MAVRITIANVS *lib.* III. *ad* L. *Iuliam et Papiã.*

SEnatus censuit,si delator abolitionem petat,quod errasse se dicat, ut idem iudex cognoscat,an iusta caussa abolitionis sit. & si errasse uidebitur:det imprudentiæ ueniam. Si autem calumniæ:hoc ipsum iudicet:eaq; caussa accusatori perinde cedat,ac si caussam egisset & prodidisset. Si quis delatorem subiecerit: tantum in ærarium deferat, quantum præmij nomine delator cõsecuturus fuisset,si uicisset. Diuus Hadrianus rescripsit eandem pœnam delatorem ferre debere, si citatus ad edictum non responderit,qua teneretur, si caussam non probasset. Senatus Hadriani temporibus censuit,cum quis se ad ærariũ detulerit,quod capere non potuerat:ut totum in ærarium colligatur,

& ex

& ex eo pars dimidia fibi ſecũdum beneficium diui Traiani reſtituat. Quod ſi tribus edictis à præfecto ærario adeſſe delator iuſſus, uenire no luerit: ſecundum poſſeſſorem ſit pronũciandũ. ſed ab eo, qui ita adeſſe iuſſus, reſpondente poſſeſſore, non adfuerit: tantum exigendum, quantum apud ærarium ex ea cauſſa, quam detulerat, remaneret, ſi profeſſionem eam impleſſet. Senatus cenſuit, ut perinde rationes ad ærariũ deferat is, à quo tota hæreditas fiſco euicta eſt, uel uniuerſa legata: atq; is deferre debet, à q̃ pars hæreditatis uel legati euicta ſit. Si quis arguatur falſas rationes detuliſſe: de eo præfectus ærario cognoſcet: quantã fraudẽ inuenerit, ut tantam pecuniam in ærariũ iubeat inferri.

XVI. VLPIANVS.

AIt diuus Traianus. QVICVNQVE PROFESSVS FVERIT. QVICVNQVE accipere debemus, tam maſculum, quàm fœminam. nam fœminis quoq; (quamuis delationibus pohibentur) ex beneficio tamen Traiani deferre ſe permiſſum eſt. necnon illud æque non intererit, cuius ætatis ſit is, qui ſe defert: utrum iuſtæ, an pupillaris. nam pupillis etiam permittitur deferre ſe, ex quibus non capiunt.

XVII. MODESTINVS.

IN ſumma ſciendum eſt, omnium fiſcalium pœnarum petitionem creditoribus poſtponi.

XVIII. MARTIANVS.

DEferre non poſſunt mulieres propter ſexus infirmitatem, & ita ſacris conſtitutionibus cautum eſt. item clariſſimi uiri deferre non poſſunt. item damnati deferre non poſſunt: ut diui fratres de eo reſcripſerunt, qui fuſtibus cæſus in opus publicum erat datus. Item conſtitutionibus principum prohibentur deferre illi, qui in metallum damnati ſunt. hoc ideo, ne deſperati ad delationem facile poſſint ſine cauſſa confugere. ſed eas cauſſas, quas ante damnationem cœperunt deferre, poſſe eos etiam poſt damnationem exſequi, reſcriptum eſt. Veterani quoq; ſacris conſtitutionibus delatores eſſe prohibentur. propter honorem utiq; & merita militiæ. Item milites propter honores ſtipendiorum, quæ merentur, deferre prohibentur. Sed commu nem cauſſam ſibi cum fiſco quiuis deferre poteſt: nec per hoc famoſus eſt, licet in cauſſa non obtinuerit. Item eos, qui tutores uel curatores fuerunt, non oportere deferre cauſſam pupillorum uel adoleſcentium ſuorum, diuus Seuerus & Antoninus reſcripſerunt. quod cõſequens eſt obſeruari & in eo, qui quaſi procurator negocia geſſit: & ita ĩdem principes reſcripſerunt. Item decreuerunt, nulla conſtitutione prohibitum eſſe, procuratorem interrogari: ſed accuſare eum, cuius negocia geſſit. & tutorem, qui aut detulit, aut mandauit, ſeueriſſi-

me puniendũ reſcripſerũt. Sed ne is quidem, qui aliquã rem uendidit, eandẽ & deferre debet, uel per ſe, uel per ſubiectã perſonã: ne alioquin pœnã patiatur dignam ſuæ perſonæ, ut & conſtitutũ eſſe refert. Papinianus, tam libro ſexto, quàm undecimo reſpõſorũ ſcribit: ita demũ publicam auferri pecuniam ei, qui cum erat creditor, inſolutum pecuniam accepit: ſi aut ſciebat, cum accipiebat, publicum quoq; debitorem eſſe: aut poſtea cognouit, antequàm cõſumeret pecuniã. Sed placet omnino ei pecuniam auferendam eſſe, etiam ſi ignorauit, cum conſumeret: & poſtea quidem principes directam actionem cõpetere ablata pecunia reſcripſerũt, ut & Marcellus libro ſexto digeſtorum ſcribit.

XIX. PAPINIANVS.

DEniq; non eſſe præſtandas uſuras, cum pecunia reuocatur, conuenit: quoniam res, non perſona conuenitur.

XX. IDEM.

SEd reuocata pecunia, in fideiuſſorem liberatũ utilis actio dabitur.

XXI. CAIVS.

TItius, qui mihi ſub pignoribus pecuniam debebat, cum eſſet fiſci debitor, ſoluit mihi, quæ debebat. poſtea fiſcus iure ſuo uſus, abſtulit mihi pecuniam. quærebatur, an liberata eſſent pignora. Marcellus recte exiſtimabat: ſi id, quod mihi ſolutum eſt, fiſcus abſtulit: non competere pignorum liberationẽ. neq; differentiã admittendam eſſe exiſtimo, intereſſe putantiũ, idipſum, quod ſolutum eſt, an tantundem repetatur.

XXII. MARTIANVS.

REs, quæ in controuerſia ſunt, non debent à procuratore Cæſaris diſtrahi: ſed differenda eſt eorum uenditio, ut diui quoq; Seuerus & Antoninus reſcripſerunt. Et defuncto maieſtatis reo, parato hærede purgare innocentiam mortui, diſtractionem bonorum ſuſpendi iuſſerunt. & generaliter prohibuerũt rem diſtrahi à procuratore, quæ eſſet in cõtrouerſia. Res aũt nexas pignori diſtrahere procuratores poſſunt. Sed ſi ante alij res obligatæ ſunt iure pignoris: non debet procurator ius creditorũ lædere. Sed ſi quid ſuperfluũ eſt in re: permittitur procuratori uendere ea lege, ut in primis creditoribus præcedentibus ſatisfiat, & ſi quid ſuperfluũ eſt, fiſco inferatur. aut ſi acceperit totum fiſcus, ſoluat ipſe. uel ſimpliciter, ſi uendidit procurator: iubeat pecuniam, quam deberi creditori priuato fuerit probatum, exſolui ei. & ita diuus Seuerus & Antoninus reſcripſerũt. Lites donatas ſe non ſuſcipere, diuus Pius reſcripſit: & licet bona relicturum ſe quis profiteatur, uel partẽ bonorum donatam non ſuſcipere. & adiecit, & illum dignum fuiſſe puniri pro tam turpi tamq; inuidioſo commento: & (niſi durum eſſe uideretur) in ultrò uenientem pœnam ſtatuere. Sicut nunciare cauſſam

nemo

nemo cogitur: ita liberum arbitrium desistendi ei non datur, qui detulit. & ita diui Seuerus & Antoninus rescripserunt. & idem esse, licet alieno mandatu detulisset. Planè rescripserunt delatorem audiendum uolentem à lite desistere, si sibi mandatorem subtractum queratur.

XXIII. CALLISTRATVS.

DE eo delatore, qui causam solus agere instituerat, nō habita mentione mādatoris: si postea desistat, prætēdens mandatorē causæ decessisse: puniendum, diui fratres rescripserunt.

XXIIII. MARTIANVS.

NOn tantum delator punitur, si non probauerit: sed & mandator, quem exhibere debet delator.

XXV. VLPIANVS.

EXstat decretum ab imperatore Seuero, & constitutū est: nullo modo exigendum quem probare, unde habeat, circa delationes fiscales: sed delatorem probare debere, quod intendit.

XXVI. IDEM.

CVm quidam capitis reus emancipasset filium, ut hæreditatem adiret: rescriptum est, non uideri in fraudem fisci factum, quod adquisitum non est.

XXVII. IDEM.

CVm mortem maritus uxoris necatæ non defenderet: diuus Seuerus rescripsit dotem fisco uindicandā, prout ad maritū pertineat.

XXVIII. IDEM.

SI qui mihi obligauerat, quæ haberet habiturusq; esset, & cū fisco cō traxerit: sciendum est, in re postea adquisita fiscum potiorem esse debere, Papinianū respondisse. quod & constitutum est. præuenit enim causam pignoris fiscus.

XXIX. IDEM.

EIus, qui delatorē corrupit, ea conditio est, ut pro uicto habeatur. nam in fiscalibus causis id constitutū est. Sed enim hæc pœna magis est, ut aduersus ipsum locum habeat, qui delatorem redemit. cæterum aduersus hæredem eius transire non debet. nec enim exinde perit causa, ex quo redempta est, uel actio perimitur, uel condemnatio facta dicitur: uerum oportet constare prius de crimine, & pronunciare. Planè & si forte de retractanda causa agatur, quæ semel iudicata est: per delatoris corruptelam mortuus corruptor non efficiet, quo minus agi possit, atq; retractari causa. hic enim non pœnæ, sed causæ restitutio est. Eum, qui falsum testamentum dixit, posse adire hæreditatē constat: sed denegatis ei actiōibus fisco locus erit. & obligationes, quas adeundo confudit, non restituuntur. nam & in eo, qui post aditam hæreditatem

tatem defuncti mortem non defendit, Imperator noster cum patre rescripsit, obligationes confusas non resuscitari.

XXX. MARTIANVS.

NE procuratores Cæsaris bonorum actores, quæ ad fiscū deuoluta sunt, alienent: imperatores Seuerus & Antoninus rescripserunt. & si manumissi fuerint: reuocentur ad seruitutem.

XXXI. IDEM.

DIuus Commodus rescripsit, obsidum bona, sicuti captiuorum, omnimodo in fiscum esse cogenda.

XXXII. IDEM.

SEd si accepto usu togæ Romanæ, ut ciues Romani semper egerint: diui fratres procuratoribus hæreditatum rescripsere, sine dubitatione ius eorum ab obsidis conditione separatum esse beneficio principali. ideoq; idem ius eis seruandum, quod haberent, si à legitimis ciuibus Romanis hæredes instituti fuissent.

XXXIII. VLPIANVS.

EVm, qui debitoris fisci adijt hæreditatem, priuilegijs fisci cœpisse subiectum esse.

XXXIIII. MACER.

IMperatores Seuerus & Antoninus rescripserunt. Tu, qui defensione omissa redimere sententiam maluisti, cum tibi crimen obijceretur, nō immerito quingentos solidos inferre fisco iussus es. omissa em̄ ipsius caussæ inquisitione ipse te huic pœnæ subdidisti. obtinendum est enim, ut hi, quibus negocia fiscalia mouentur, ad defensionem caussæ bona fide ueniant: non aduersarios aut iudices redimere tentent.

XXXV. VLPIANVS.

APud Iulianum scriptum est. si priuatus ad se pertinere hæreditatem Lucij Titij dicat, altero eandem hæreditatem fisco uindicante: quæritur, utrum ius fisci ante excutiendum sit, & sustinendæ actiones cæterorum: an nihilominus inhibendæ petitiones creditorum singulorum, ne publicæ caussæ præiudicetur? quod etiam senatusconsulto expressum est.

XXXVI. PAPINIANVS.

PRædijs à fisco distractis, præteriti temporis tributum eorundē prædiorum emptorem spectare placuit.

XXXVII. IDEM.

QVod placuit, fisco nō esse pœnam petendam, nisi creditores suū recuperauerint: eò pertinet, ut priuilegium in pœna contra creditores non exerceatur, non ut ius commune priuatorum fiscus admittat.

idem

XXXVIII. IDEM.

FIscus in quæstione falsi testamenti non obtinuit. priusquàm autẽ illa quæstio decideretur, alio nunciante bona postea uacare constitit. fructus post primam litem absumi non oportuisse respõdi. neq; emẽ ad senatusconsulti beneficium scriptum hæredem pertinere controuersia mota. Delatoris opera non esse functum respondi, qui fisci pecuniam, quam alius tenebat, ad sui temporis administrationem pertinere (quamuis probare non potuisset) contendit: quoniam propriam causſam egerat.

XXXIX. IDEM.

BOna fisco citra pœnam exsilij perpetuam adiudicari sententia nõ oportet. Eum, qui periculum communis condemnationis diuidi postulauit, quod participes iudicati soluendo essent: reuocatis alienationibus, quas fraudulenter fecerant, non uideri causſam pecuniæ fisco nunciasse respondi.

XL. PAVLVS.

ITa fidei hæredis commisit, ROGO, FVNDVM TITIO DES, DE QVO TE ROGAVI. si Titius capere non possit: non euitabit hæres pœnam taciti fideicommissi. non est enim palam relinquere, quod ex testamento sciri non potest, cum recitatum est: quemadmodũ nec ille palam dat, qui ita scribit, ROGO VOS HAEREDES, IN EO, QVOD A' VOBIS PETII, FIDEM PRAESTETIS. imò in priore specie maiorẽ fraudem excogitasse uidetur, qui non tantum legem circumuenire uoluerit, sed etiam interpretationem legis, quæ circa tacitum fideicõmissum habetur. quamuis enim fundum nõminauerit: non tamen cognosci potest, de quo sit rogatus hæres, cum diuersitas rerum obscurum faciat legatum. Patronus, si tacite in fidem suam recipiat, ut ex portione sua præstet: cessare fraudem dicitur, quia de suo largitur.

XLI. IDEM.

EVm, qui bona uacantia à fisco comparauit, debere actionem, quæ contra defunctum competebat, excipere.

XLII. IABOLENVS.

ARrianus Seuerus præfectus ærario cum eius, qui tacite rogatus fuerat non capienti fideicommissum reddere, bona publicata erãt: pronunciauit, nihilominus ius deferendi ex constitutione diui Traiani habere eum, cui fideicommissum erat relictum. Quia autem nonnulli ingrati aduersus beneficium diui Traiani post professionẽ quoq; de tacito fideicommisso factam cum possessoribus transigunt, atq; tribus edictis euocati non respondent: placuit senatui, tantum ab eo, qui id feciſſet, exigi, quantum apud ærarium ex ea causſa, quam detulerat,

remanere oporteret, si professionem suam implesset. & si possessoris quoq; fraus apud præfectum conuicta fuisset: ab eo quoq;, quod conuictus inferre debuisset, exigi.

XLIII. VLPIANVS.

IMperator noster rescripsit, fiscum in rem habere actiones ex tacito fideicommisso.

XLIIII. PAVLVS.

DElator non est, qui protegendæ caussæ suæ gratia aliquid ad fiscũ denunciat.

XLV. IDEM.

IN fraudem fisci non solum per donationem, sed quocũq; modo res alienatæ reuocantur. idemq; iuris est, & si non quæratur. æque enim in omnibus fraus punitur. Bona eorum, qui in custodia, uel in uinculis, uel compedibus decesserunt, hæredibus eorum non auferuntur: siue testatò, siue intestatò decesserunt. Eius bona, qui sibi mortem conscisciuit, non ante ad fiscum coguntur, quàm prius constiterit, cuius criminis gratia manus sibi intulerit. Eius bona, qui sibi ob aliquod admissum flagitiũ mortem conscisciuit, & manus intulit, fisco uindicantur. quod si id tædio uitæ, aut pudore æris alieni, uel ualetudinis alicuius impatientia admisit: non inquietabuntur, sed suo successori relinquuntur. A' debitore fisci in fraudem datas libertates retrahi placuit. sanè ipsum ita ab alio emere mancipium, ut manumittat, non est prohibitum. ergo tunc & libertatem præstare poterit. Ex his bonis, quæ ad fiscum delata sunt, instrumenta, uel chirographa, acta etiam ad ius priuatorum pertinentia, restitui postulantibus cõuenit. Neq; instrumenta, neq; acta à quoquam aduersus fiscum edi oportet. Ipse autem fiscus actorum suorum exempla hac conditione edit, ut ne is, cui describendi fit potestas, aduersus se uel rempublicam his actis utatur: de quo cauere compellitur, ut si usus is cõtra interdictum fuerit, caussa cadat.

Quoties apud fiscum agitur, actorũ potestas postulanda est, ut merito his uti liceat, eaq; manu commentariensis adnotanda sunt. quod si ea aliter proferantur: is, qui ita protulerit, caussa cadit. Quoties iterum apud fiscum eadem caussa tractatur: priorum actorum, quorum usus non fuerat postulatus, ex officio recitatio iure poscetur. Qui pro alio à fisco conuentus debitum exsoluit: nónunquam postulat per secutionem bonorum eius, pro quo soluerit, in quo etiam adiuuari per officium iudicis solet. Fiscalibus debitoribus petentibus ad comparandam pecuniam dilationem negari non placuit: cuius rei æstimatio ita arbitrio iudicantis conceditur, ut in maioribus summis non plus, q; tres menses: in minoribus uero non plus, quàm duo prorogentur. prolixioris

lixioris autē temporis ſpacium ab Imperatore poſtulandum eſt. Si principalis rei bona ad fiſcum deuoluta ſunt: fideiuſſores liberantur: niſi forte minus idonei ſint, & in reliquum non exſolutæ quantitatis acceſſerint. Si plus ſeruatum eſt ex bonis debitoris à fiſco diſtractis: in re ac merito reſtitui poſtulatē. Conductor ex fundo fiſcali nihil tranſferre poteſt: nec cupreſſi materiam uendere, uel oliuæ, non ſubſtitutis alijs: cæteraſq; arbores pomiferas cædere: & facta eius rei æſtimatione in quadruplū conuenitur. Minoribus uiginti quinq; annis neq; fundus, neq; uectigalia locāda ſunt: ne aduerſus ea beneficio ætatis utantē.

XLVI. HERMOGENIANVS.

AVfertur ei quaſi indigno ſucceſſio, qui cū hæres inſtitutus eſſet ut filius, poſt mortem eius, qui pater dicebatur, ſuppoſitus declaratus eſt. Qui aliquid ſciens in fraudem fiſci ſuſcepit: non ſolū rem, in qua fraudis miniſterium ſuſcepit, ſed alterum tantum reſtituere cogitur. Quod à præſide, ſeu procuratore, uel quolibet alio in ea prouincia, in qua adminiſtrat (licet per ſuppoſitam perſonam) comparatum eſt: infirmato contractu uindicatur, & æſtimatio eius fiſco inferē. nam & nauem in eadem prouincia, in qua quis adminiſtrat, ædificare prohibetur. Fiſcus ſemper habet ius pignoris. Qui compenſatio nem opponit fiſco, intra duos menſes debitum ſibi docere debet. Vt debitoribus fiſci, quod fiſcus debet, compenſetur, ſæpe cōſtitutum eſt: excepta cauſſa tributaria, & ſtipendiorum, & item precio rei à fiſco emptæ, & quod ex cauſſa annonaria debetur. In reatu conſtitutus bona ſua adminiſtrare poteſt, eiq; debitor recte bona fide ſoluit. Actores, qui aliquod officium gerunt, in bonis, quæ diſtrahūt, procuratores uenundare inconſultis principibus prohibentē: & ſi ueneant, uenditio nullas omnino uires habebit. Seruus Cæſaris ſi iuſſu procuratoris adijt hæreditatem, Cæſari uolenti adquirit. Si multi fiſco fraudē fecerint: nō ut in actione furti ſinguli in ſolidū, ſed omnes ſemel quadrupli pœnam pro uirili portione debent. ſanè pro non idoneis, qui ſunt idonei, conueniuntur.

XLVII. PAVLVS.

MOſchis quædam fiſci debitrix ex conductione uectigalis hæredes habuerat, à quibus poſt aditam hæreditatem Faria Semilla & alij prædia emerant. cū cōuenirentur ppter Moſchidis reliqua: dicebant & hæredes Moſchidis idoneos eſſe, & multos alios ex ijſdem bonis emiſſe. æquum putauit Imperator noſter, prius hæredes conueniri ei debere, deinde in reliquū poſſeſſorem omnem. & ita pronunciauit.

Aemilius Ptolemæus cōduxerat à fiſco poſſeſſionem, eamq; paulatim pluribus locauerat maiore quantitate, quàm ipſe ſuſceperat. cōue-

niebatur à procuratoribus Cæsaris in eam quantitatem, quam ipse perciperet. quoniam hoc iniquum & inutile fisco uidebatur: ut tamen suo periculo ipse eos, quibus locauerat, conueniret: ideoq; pronunciauit, in eam solã quantitatem eũ conuenire debere, qua ipse conductor exstiterat.

XLVIII. IDEM.

STatius Florus testamento scripto hæredis sui Pompeij tacitæ fidei commiserat, ut non capienti fundum & certæ pecuniæ quantitatẽ daret: & eo nomine cautionem à Pompeio exigi curauerat, se restituturum ea, quæ ei per præceptionem dederat. postea idem Florus facto secundo testamento, & eodem Pompeio & Faustino hæredibus institutis, nullas præceptiones Pompeio dederat. hæc persona, quæ capere nõ poterat, se detulerat. consulti imperatores à procuratoribus rescripserunt, si non probaretur mutatam uoluntatem esse, præstandum fideicommissum. atq; ita Pompeius condemnatus, desiderabat id onus esse hæreditatis oportere, quia præceptiones nõ acceperat: nec posse uideri pro parte in prima uoluntate testatorem perseueraſſe, sed in uniuerso pronunciauit: nec testamentum prius exstare, nec si dediſſet in primo testamento, ex posteriore peti potuisse, nisi petitum esset. placuit: quia non probabat sibi datas præceptiones: ex sola sua cautione solum fidei commissum præstare debere. Cornelio Felici mater scripta hæres rogata erat hæreditatem restituere post mortem suam. cum hæres scripta condemnata esset, & fisco omnia bona mulieris occuparent: dicebat Felix se ante pœnam esse. hoc enim cõstitutum esse. sed cum nondum dies fideicommissi ueniſſet: quia posset prius ipse mori, uel etiam iure alias res adquirere: repulsus est interim à petitione.

XLIX. IDEM.

CVm tacitum fideicommissum is, cui datum erat, se capere nihil posse detulisset: in quæstionem uenit, dodrãtis, an totius assis partem dimidiam ex beneficio diui Traiani recipere debeat. de qua re extat rescriptum diui imperatoris Antonini in hæc uerba. Imperator Antoninus Iulio Rufo. qui tacitam fidem accommodauit, ut non capienti restitueret hæreditatẽ: si deducta quarta parte restituerit: nihil retinere debet. quadrans autem, qui hæredi imponitur, ipsi eripiatur, & ad fiscum transferatur. unde dodrantis semissem solũ capit, qui se detulit.

L. IDEM.

VAlerius Patronius procurator imperatoris Flauio Staltitio prædia certo precio addixerat. deinde facta licitatione, idem Staltitius recepta ea licitatione obtinuerat, & in uacuam possessionem inductus erat. de fructibus medio tempore perceptis quærebatur. Patronius fisci esse uolebat. Planè si medio tempore inter primam licitationẽ

& sequen

& sequentem addictionem percepti fuissent, ad uenditorem pertinere: sicut solet dici, cum in diem addictio facta est, deinde melior conditio allata. nec moueri debemus, quod idem fuisset, cui & primo addicta fuerant prædia. Sed cum utraq; addictio intra tempus uindemiarum facta fuisset: recessum est ab hoc tractatu. itaq; placebat fructus emptoris esse. Papinianus & Messius nouam sententiam induxerunt. quia sub colono erant prædia: iniquum esse fructus ei auferri uniuersos. sed colonum quidem percipere eos debere: emptorem uero pensionem eius anni accepturum, ne fiscus colono teneretur, quod ei frui non licuisset, atq; si hoc ipsum in emendo conuenisset. pronunciauit tamen secundũ illorum opinionem: quod quidem domino colerentur, uniuersos fructus habere: si uero sub colono, pensionẽ acciperet. Triphonino suggerente, quid putarem de fructibus aridis, qui ante percepti in prædijs fuissent: respondi, si nondum dies pensionis uenisset, cum addicta sunt, eos quoq; emptorem accepturum.

DE CAPTIVIS, ET DE POSTLIMINIO, & de redemptis ab hostibus. Tit. XV.

I. MARCELLVS.

QVod seruus eius, qui ab hostibus captus est, postea stipulatus est: aut si legatum sit seruo eius postea, quàm ille ad hostes peruenit: hoc habebunt hæredes eius: quia & si captiuitatis tempore decessisset, adquisitum foret hæredi eius.

II. IDEM.

NAuibus longis atq; onerarijs propter belli usum postliminium est, non piscatorijs, aut si quas actuarias uoluptatis caussa paraue runt. Item equus aut equa freni patiens recipiuntur postliminio. nam sine culpa equitis proripere se potuerũt. nõ idem in armis iuris est: quippe nec sine flagitio amittuntur. arma enim postliminio reuerti negantur, quod turpiter amittantur.

III. PAPINIANVS.

ITem uestis.

IIII. MODESTINVS.

EOs, qui ab hostibus capiuntur, uel ab hostibus deducuntur, iure postliminij reuerti, antiquitus placuit. An qui hostibus deditus reuersus, nec à nobis receptus est, ciuis Romanus sit: inter Brutum & Scæuolam uarie tractatum est. & consequens est, ut ciuitatem non adipiscatur.

V. PAPINIANVS.

POstliminij ius competit, aut in pace, aut in bello. in bello: cum hi, qui nobis hostes sunt, aliquem ex nostris ceperunt, & intra præsidia sua deduxerunt. nam si in eodem bello is reuersus fuerit: postliminium habet: id est, perinde omnia restituunt ei iura, ac si captus ab hostibus non esset. Ante, quàm in præsidia deducatur hostium, manet ciuis. tunc autem reuersus intelligitur, si aut ad amicos nostros peruenit, aut intra præsidia nostra esse cœpit. In pace quoq; postliminium datum est. nam si cum gente aliqua neq; amicitiam, neq; hospitiũ, neq; fœdus amicitiæ caussa factum habebimus: hi hostes quidem non sunt. quod autem ex nostro ad eos peruenerit: illorum fit, & liber homo noster ab eis captus, fit seruus eorũ. Idemq; est & si ab illis ad nos aliquid perueniat. hoc quoq; igitur casu postliminiũ datum est. Captiuus autem si à nobis manumissus fuerit, & peruenerit ad suos: ita demũ postliminio reuersus intelligit, si maluit eos sequi, quàm in ciuitate nostra manere. & ideo in Atilio Regulo, quem Carthaginienses Romam miserunt, responsum est, non esse eum postliminio reuersum: quia iurauerat Carthaginem se reuersurum, & non habuit animum Romæ remanendi. Et ideo in quodam interprete Menandro, qui postea, quàm apud nos manumissus erat, missus est ad suos, nõ est uisa necessaria lex, quæ data est de illo, ut maneret ciuis Romanus. nam siue animus ei fuisset remanendi apud suos, desineret esse ciuis: siue animus ei fuisset reuertendi, maneret ciuis. & ideo esset lex superuacua.

VI. IDEM.

MVlier in opus salinarum ob maleficium data, & deinde à latrunculis exteræ gentis capta, & iure cõmercij uendita ac redempta, in caussam suam recidit: Cocceio autem Firmo centurioni precium ex fisco reddendum est.

VII. PROCVLVS.

NOn dubito, quin fœderati & liberi nobis externi non sint, neq; inter nos atq; eos postliminiũ sit. etenim quid inter nos atq; eos postliminio opus est: cum etiam illi apud nos & libertatem suam, & dominiũ rerum suarum æque, atq; apud se, retineãt: & eadem nobis apud eos contingant? Liber autem populus est is, qui nullius alterius populi potestati subiectus est, siue qui fœderatus est. item siue æquo fœdere in amicitiam uenit: siue fœdere compræhensum est, ut is populus alterius populi maiestatem cõmuniter conseruaret. hoc enim adiicitur, ut intelligatur alterum populum superiorem esse: non ut intelligatur, alterum non esse liberum. & quẽadmodum clientes nostros intelligimus liberos esse, etiam si neq; authoritate, neq; dignitate, neq; uiribus nobis

nobis pares sunt: sic etiam eos, qui maiestatē nostram cōmuniter conseruare debent, liberos esse intelligendum est. at si fuerunt apud nos rei ex ciuitatibus fœderatis: & in eos damnatos animaduertimus.

VIII. PAVLVS.

NOn ut à patre filius, ita uxor à marito iure postliminij recuperari potest: sed tunc, cum uoluerit mulier, & adhuc alij post constitutum tempus nupta non est. quod si noluerit, nulla caussa probabili interueniente: pœnis diffidij tenebitur.

IX. IDEM.

APud hostes susceptus filius si postliminio redierit: filij iura habet. habere enim eum postliminiū, nulla dubitatio est post rescriptū imperatoris Antonini & diui patris eius ad Quintum Tertulium præsidem prouinciæ Misiæ inferioris.

X. PAPINIANVS.

PAter instituto impuberi filio substituerat, & ab hostibus captus ibidem decesserat. postea defuncto impubere, legitimū admitti quibusdam uidebatur: neq; tabulas secundas in eius persona locum habere, quod uiuo patre sui iuris effectus fuisset. uerum huic sententiæ refragatur iuris ratio: quoniā si pater, qui non rediit, iam tum decessisse intelligitur, ex quo captus est: substitutio suas uires necessariò tenet. Si mortuo patre capiat impubes institutus, uel exhæredatus: in promptu est dicere, legem Corneliam de tabulis secundis nihil locutam esse: & eius duntaxat personā demonstrasse, qui testamenti factionē habuisset. Planè captiui etiam impuberis legitimam hæreditatē per legem Corneliam deferri: quod non uerum est impuberem factionem testamenti habuisse. & ideo non esse alienum, prætorem subsequi non minus patris, quàm legis uoluntatē, & utiles actiones in hæreditatē substituto dare.

XI. IDEM.

QVod si filius ante moriatur in ciuitate: nihil est, quod de secūdis tabulis tractari possit: siue quoniā uiuo patre filius familias mori intelligitur, siue quoniam non reuerso eo exinde sui iuris * nō uidetur fuisse, ex quo pater hostium potitus est. sed si ambo apud hostes sint, & prior pater decedat: sufficiet lex Cornelia substituto nō aliter, quàm si apud hostes patre defuncto postea filius in ciuitate decessisset.

* als deest negatio.

XII. TRIPHONINVS.

IN bello postliminium est: in pace etiam his, qui in bello capti erant, de quibus nihil in pactis erat comprehensum. Quod ideo placuisse Seruius scribit, quia spem reuertendi ciuibus in uirtute bellica magis, quàm in pace Romam esse uoluerunt. Item in pace qui peruenerunt ad alteros, si bellum subito exarsisset, eorū serui efficiuntur, apud quos iam

iam hostes suo fato deprehendunt: quibus ius postliminij est tam in bello, quàm in pace: nisi fœdere cautum fuerat, ne esset his ius postliminij. Si quis capiatur ab hostibus: hi, quos in potestate habuit, in incerto sunt, utrum sui iuris facti, an adhuc pro filijsfamilias computentur. nam defuncto illo apud hostes, ex quo captus est, patresfamiliarum: reuerso, nunquam non in potestate eius fuisse credentur. idem & de his, quæ medio tempore adquirũt stipulatione, traditione, legato. nam hæreditatem an possint: tractatum est, ubi non est reuersus. Si forte alij, uel in totum his exhæredatis in testamẽto, uel in partem, instituti sunt hæredes: utrum in hæreditate captiui, quæ lege Cornelia inducitur: an propria ipsorum sint? quod uerius est. diuersumq; in his, quæ per seruum adquiruntur. merito: quia hi bonorum fiunt, & esse perseuerant: hi sui iuris exinde, sibiq; ideo adquisisse intelliguntur. Factæ autem causæ infectæ nulla constitutione fieri possunt. ideoq; eorum, quæ usucapiebat per semetipsum possidens, qui postea captus est, interrumpitur usucapio: quia certũ est eum possidere desijsse. eorũ uero, quæ per subiectas iuri suo personas possidebat, usuq; capiebat, uel si qua postea peculiari nomine comprehendũtur: Iulianus scribit, credi suo tempore impleri usucapionem, remanentibus ijsdem personis in possessione. Marcellus nihil interesse, ipse possedisset, an subiecta ei persona. sed Iuliani sententia sequenda est. Medio tempore filius, quem habuit in potestate captiuus, uxorem ducere potest: quamuis consentire nuptijs pater eius non possit. nam utiq; nec dissentire. susceptus ergo nepos in reuersi captiui potestate est (ut redierit) suusq; hæres ei quodammodo in uito, cum nuptijs non consensenserit. non mirum: quia illius temporis conditio necessitasq; faciebat, & publica nuptiarum utilitas exigebat. sed captiui uxor, tametsi maxime uelit, & in domo eius sit, non tamen in matrimonio est. Codicilli, si quos in tempore captiuitatis scripserit, non creduntur iure subtili confirmati testamento, quod in ciuitate fecerat. sed nec fideicommissum ex his peti potest: quia non sunt ab eo facti, qui testamenti factionem habuit. sed quia merum principium eorum in ciuitate constituto captiuo factum est, id est in testamento confirmatio codicillorum, & is postea reuersus est, & postliminio ius suum recepit: humanitatis rationi cõgruum est, eos codicillos ita suum effectum habere, quasi in medio nulla captiuitas intercessisset. cætera, quæ in iure sunt, postea quàm postliminio redijt, pro eo habentur, ac si nunquam iste hostium potitus fuisset. Si quis seruum captum ab hostibus redemerit: protinus est redimentis, quamuis scientis alienum fuisse. sed oblato ei precio, quod dedit, postliminio redijsse, aut receptus esse seruus creditur. At si ignorans captiuum, existimans uendentis esse,

redemit

redemit: an quasi usucepisse uideatur, scilicet nec post legitimum tempus, offerendi precium priori domino facultas sit, uideamus. nam occurrit, quod constitutio, quæ de redemptis lata est, eum redimentis seruum facit: & quod meũ est, usucapere me intelligi non potest. Rursum cum constitutio nõ deteriorem causſam redimentium, sed aliquo meliorem effecerit: perimi ius bonæ fidei emptoris, & iniquum, & contra mentem constitutionis est. ideoq; transacto tempore, quanto (nisi constitutio eum proprium fecisset) usucapi potuisset: nihil ex constitutione domino supereſſe, recte dicetur. Manumittendo autem, utrum domini tantũ esse desinit, & relictus ab eo seruus in ius prioris domini redit: an & liberum eum facit, ne præstatio libertatis dominij fiat translatio? Certe apud hostes manumissus, liberatur. & tamen si eum nactus dominus ipsius uetus intra præsidia nostra fuisset, quamuis non secutus res nostras, sed cum eo consilio uenisset, ut ad illos reuerteretur: seruum retineret iure postliminij. quod in liberis aliter erat. non eñ postliminio reuertebatur, nisi qui hoc animo ad suos uenisset, ut eorũ res sequeretur, illosq; relinqueret, à quibus abijsset: quia (ut Sabinus scribit) de sua quaq; ciuitate cuiq; constituendi facultas libera est, nõ de dominij iure. Verum hoc non multum onerat præsentem inspectionem: quia hostium iure manumissio obesse ciui nostro domino serui nõ potuit. at is, de quo quæritur lege nostra, quem cõstitutio fecit ciuem Romanum, dominum habuit. & an ab eo possit libertatem adsequi, tractamus. quid enim, si nunquam ille precium eius offerat? si nec conueniendi eius sit facultas? liber erit seruus, qui nullo merito suo poterit à domino libertatem consequi? quod est iniquum, & contra institutum à maioribus libertatis fauorem. Certe & ueteri iure, si ab hoc quis sciens alienum esse redemisset, alius bona fide emisset, usucapere ad libertatem q; perducere potuit: & isto quoq; modo prior dominus, qui ante captiuitatem fuerat, ius suum amittebat. * igitur iste nõ habet ius manumittendi. Si statuliber fuerit ante, quàm ab hostibus caperet: redemptus pendente conditione, suam causſam retinebit. Quid ergo, si ita libertatem acceperat, si decem dederit? quæsitum est, unde dare debebit: quoniam & si concessum est statulibero de peculio dare: hoc tamen, quod apud hunc, qui redemit, habet: nunquid uice illius sit, quod apud hostes quæsiuisset? utiq;, si ex re illius, aut ex operis suis quæsitum est. Ex alia autem causſa parato peculio: potest dari ita, ut conditioni benigne eum paruisse credamus. Si pignori seruus datus fuerat ante captiuitatem: post dimissum redemptorem in ueterem obligationẽ reuertitur. & si creditor obtulerit ei, qui redemit, quãti redemptus est: habet obligationem, & in propiorẽ debiti causſam, & in eam summam,

als *quare igit.

qua eum liberauit,quasi ea obligatione quadam constitutione inducta, ut cum posterior creditor priori satisfacit confirmandi sui pignoris caussa:nisi quod in hoc cõuersa res est,& posterior,qui apud nos esset,prius(quia eum seruum,ut apud nos esset,effecit)ab eo,qui tempore prior fuit,ut infirmiore dimittendus est. Si seruus plurium fuerat,& omnium nomine ei,qui redemit,restitutũ precium erit: in communionem redibit.si unius tantum,uel quorundam, nec omnium:ad eum eosúe,qui soluerunt,pertinebit:ita ut in portione sua pristinũ ius obtineat,& in partes cæterorum ei,qui redemit,succedat. Si fideicommissa libertas debita captiuo fuerit:redemptus nondum eam petere poterit,nisi redemptori satisfecerit. Si deportatũ ab insula hostes ceperunt:redemptus quibus casibus redíjt,in eam caussam ueniet, in qua futurus esset,si captus non fuisset. deportabitur igitur. Sed si in captiuo seruo talis præcesserat caussa,quæ eius uel ad tẽpus,uel in perpetuum libertatem impediret:nec redemptione ab hostibus mutabit. ueluti si in legem Fauiam commisisse eum constiterit:uel ita uenierit, ne manumitteretur:habebit autem interim sine pœna sua eum, qui redemit.ergo de metallo captus redemptus in pœnam suã reuertetur: nec tamen ut transfuga metalli puniendus erit, sed redemptor à fisco precium recipiet.quod etiam constitutum est ab Imperatore nostro & diuo Seuero. Si natum ex Pamphila legatũ tibi fuerit,tuq; matrem redemeris,& ea apud te pepererit:non uideri te partum ex caussa lucratiua habere,sed officio arbitrioq; iudicis æstimandum,constituto precio partus perinde,atq; si quanti mater est empta,simul & partus uenisset.quod si iam natum apud hostes,quod eo tempore,quo capiebatur, in utero gerebat, cum matre redimat ab eodẽ uno precio:oblato tanto,quantũ ex precio,quod pro utroq; *(uenum)datum est,æstimationẽ contingeret partus,uidetur is postliminio reuersus. multomagis si diuersi emptores utriusq; exstiterint,uel unius. sed si suo quenq; precio redemerit:id offerri pro singulis oportebit redemptori,quod hosti pro quoq; datum est,ut separatim quoq; postliminio reuerti possint.

*aliàs de est.

XIII. PAVLVS.

SI me tibi adrogandum dedissem:emancipato me, reuersum ab hostibus filium meum loco nepotis tibi futurum constat.

XIIII. PAPINIANVS.

CVm duæ species postliminíj sint, ut aut nos reuertamur, aut aliquid recipiamus:cum filius reuertitur,duplicem in eo caussam esse oportet postliminíj:& quod pater eum recipiat,& ipse ius suũ. Nõ ut pater filium,ita uxorem maritus iure postliminíj recipit:sed consensu redintegratur matrimonium.

Vlpia

XV. VLPIANVS.

SI patre redempto,& ante luitionem defuncto,filius post mortē eius redemptionis quantitatem offerat:dicendum est,suum ei posse exi stere.nisi forte quis subtilius dicat:hūc,dum moritur,quasi iure pignoris finito,nactum postliminiū,& sine obligatione debiti obisse, ut possit suum habere.quod non sine ratione dicetur.

XVI. IDEM.

RETro creditur in ciuitate fuisse,qui ab hostibus aduenit.

XVII. PAVLVS.

POstliminio carent,qui armis uicti hostibus se dediderunt.

XVIII. VLPIANVS.

IN omnibus partibus iuris is,qui reuersus non est ab hostibus, quasi tunc decessisse uidetur,cum captus est.

XIX. PAVLVS.

POstliminium est ius amissæ rei recipiendæ ab extraneo, & in statū pristinum restituendæ,inter nos ac liberos populos,regesq;,morī bus,legibus cōstitutum.nam quod bello amisimus, aut etiam citra bellum:hoc si rursus recipiamus: dicimur postliminio recipere: idq; naturali æquitate introductum est,ut qui per iniuriam ab extraneis detinebatur,is ubi in fines suos redijsset,pristinum ius suum reciperet. Induciæ sunt cum in breue & in præsens tempus cōuenit,ne inuicem se lacesserent.quo tempore non est postliminium. A' piratis aut latronibus capti liberi permanent. Postliminio rediisse uidetur,cum in fines nostros intrauerit:sicuti amittitur,ubi fines nostros excesserit. Sed & si in ciuitatem sociam amicamūe,aut ad regem socium uel amicum uenerit,statim postliminio rediisse uidetur:quia ibi primū nomine publico tutus esse incipiat. Transfugæ nullum postliminium est. nam qui malo consilio & proditoris animo patriam relinquit,hostium numero habendus est.sed in libero transfuga id iuris est, siue fœmina, siue masculus sit.si uero seruus transfugerit ad hostes:quoniam & cum casu captus est,dominus in eo postliminium habet: rectissime dicitur, etiam ei postliminium esse,scilicet ut dominus in eo pristinum ius recipiat:ne contrarium ius non tam ipsi iniurioſum sit,qui seruus semper permanet,quàm domino dānoſum constituatur. Si statuliber transfuga reuersus sit:existente conditione,postquàm redijt, liber efficitur. diuersum est,si conditio exstitisset,dum apud hostes est.in eo enim casu neq; sibi reuerti potest, ut liber sit:neq; hæredi in eo ius postliminij est,quia non potest queri, cum nullum damnū patiatur, libertate iam obtingēte,si non impediret,quod transfuga factus est. Filius quoq; familias transfuga nō potest postliminio reuerti,neq; uiuo patre: quia

pater ſic illum amiſit,quemadmodum patria:& quia diſciplina caſtro rum antiquior fuit parentibus Romanis,quàm charitas liberorum.

Transfuga autem non is ſolus accipiendus eſt,qui aut ad hoſtes, aut in bello transfugit:ſed & qui per inducíarum tempus ad eos, cum quibus nulla amicitia eſt,fide ſuſcepta transfugit. Si is,qui emerat ab ho ſtibus,pluris alij ius pignoris,quod in redempto habet, ceſſerit: non eã quantitatem,ſed priorem redemptus reddere debet : & emptor habet actionem aduerſus eum,qui uendidit,ex empto. Poſtliminium eſt hominibus,cuiuſcunq; ſexus conditionisũe ſint:nec intereſt, liberi, an ſerui ſint. nec enim ſoli poſtliminio recipiuntur,qui pugnare poſſunt: ſed omnes homines,qui eius naturæ ſunt,ut uſui eſſe, uel conſilio,uel alijs modis poſſunt.

XX. PAPINIANVS.

SI captiuus,de quo in pace cautum fuerat, ut rediret, ſua uoluntate apud hoſtes manſit:non ei poſtea eſſe poſtliminiũ,uerum eſt. Ex pulſis hoſtibus ex agris,quos ceperant:cõſtitit dominia eorũ agrorum ad priores dominos redire,nec aut publicari,aut loco prædæ cedere. pu blicatur enim ille ager,qui ex hoſtibus captus eſt. Redemptio facultatem redeundi præbet,non ius poſtliminij mutat.

XXI. VLPIANVS.

SI quis ingenuam ab hoſtibus redemptam eo animo ſecum habuerit,ut ex ea ſuſciperet liberos:& poſtea ex ſe natum,ſub titulo naturalis filij cum matre manumiſerit:ignorãtia mariti,eiuſdemq; patris, neq; ſtatui eorum,quos manumiſiſſe iuſſus eſt, officere debet : & exinde intelligi oportet remiſſum matri uinculum pignoris, ex quo de ea ſuſcipere liberos optauerat.ideoq; eam,quæ poſtliminio reuerſa erat, liberam & ingenuam ingenuum peperiſſe conſtat.quod ſi publice præ da uirtute militum recuperata,nulli precium matris pater numerauit: protinus poſtliminio reuerſa,non cum domino,ſed cum marito fuiſſe declaratur. In ciuilibus diſſenſionibus,quamuis ſæpe per eas respublica lædatur,non tamen in exitium reipublicæ contenditur. Qui in alterutras partes diſcedunt:uice hoſtium non ſunt eorum,inter quos iura captiuitatum aut poſtliminiorum fuerint.& ideo captos,& uenunda tos,poſteaq; manumiſſos placuit ſuperuacuô repetere à principe ingenuitatem,quam nulla captiuitate amiſerant.

XXII. IVLIANVS.

BOna eorũ,qui in hoſtium poteſtatem peruenerint, atq; ibi deceſſe rint:ſiue teſtamenti factionem habuerint,ſiue non habuerint : ad eos pertinent,ad quos pertinerent, ſi in poteſtate hoſtium non peruenìſſent.idemq; ius in eadem cauſſa omniũ rerum iubetur eſſe lege Cornelia

nelia,quæ futura esset,si hi,de quorum hæreditatibus & tutelis constituebatur,in hostium potestatem non peruenissent. apparet ergo eadē omnia pertinere ad hæredem eius,quæ ipse,qui hostiū potitus est,habiturus esset,si postliminio reuertisset. Porrò quæcūq; serui captiuorum stipulantur,uel accipient:adquiri dominis intelliguntur, cum postliminio redierint. quare necesse est & ad eos pertinere, qui ex lege Cornelia hæreditatem adierint. quod si ex lege Cornelia nemo hæres exstiterit: bona publica fiant. legata quoq; seruis eorū præsenti die,uel sub condi tione ad hæredes pertinebunt. Item si seruus ab extero hæres institutus fuerit,iussu hæredis captiui adire poterit. Quod filius eius,qui in hostium potestate est,accipit,aut stipulatur:id(patre prius,cꝫ postliminio rediret,mortuo)ipsi adquisitum intelligitur. & si uiuo patre decesserit: ad hæredem patris pertinebit. nam status hominū, quorū patres in hostium potestate sunt,in pendenti est:& reuerso quidem patre,existimatur nunquā suæ potestatis fuisse:mortuo,tunc paterfamilias fuisse, cū pater eius in hostium potestatem perueniret. Quæ peculiari nomine serui captiuorum possident,in suspenso sunt. nam si domini postliminio redierint,eorum facta intelliguntur:si ibi decesserint, per legem Corneliam ad hæredes eorum pertinebunt. Si quis cum prægnantē uxorem haberet,in hostium potestatem peruenerit, natoq; deinde filio,& mortuo,ibi decesserit:eius testamentū nullū est:quia & eorū, qui in ciuitate remanserunt,hoc casu testamenta rumpuntur.

XXIII. IDEM.

SI quis prægnante uxore relicta,in hostium potestatem peruenerit, mox natus filius eius uxore ducta filiū uel filiā procreauerit,ac tunc postliminio auus reuersus fuerit:omnia iura nepotis nomine perinde capiet,ac si is,cum filius nasceretur,in ciuitate fuisset.

XXIIII. VLPIANVS

HOstes sunt,quibus bellum publice populus Romanus decreuit, uel ipsi populo Romano. cæteri latrunculi, uel prædones appellantur. & ideo qui à latronibus captus est:seruus latronum non est, nec postliminium illi necessarium est. ab hostibus captus (utputa Germanis seu Parthis) & seruus est hostium, & postliminio statum recuperat pristinum.

XXV. FLORENTINVS.

NIhil interest,quomodo captiuus reuersus est:utrum dimissus,an ui uel fallacia potestatē hostium euaserit:ita tamen,ut si ea mente uenerit, ut non illò reuerteretur. nec enim satis est corpore domum quem rediisse,si mente alienus est. sed & qui uictis hostibus recuperantˉ, postliminio rediisse existimantur

XXVI. MARTIANVS.

DIui Seuerus & Antoninus rescripserũt: si uxor cum marito ab hostibus capta fuerit, & ibidẽ ex marito enixa sit: si reuersi fuerint, iustos esse & parentes & liberos, & filium in potestate patris, quẽadmodum iure postliminij reuersus sit. quod si cum matre sola reuertatur: quasi sine marito natus, spurius habebitur.

XXVII. IABOLENVS.

LAtrones tibi seruum eripuerant. postea is seruus ad Germanos peruenerat. inde in bello uictis Germanis seruus uenierat. negant posse usucapi eum ab emptore, Labeo, Ofilius & Trebatius: quia uerum esset eum subreptum esse: nec quod hostium fuisset, aut postliminio redijsset, ei rei impedimento esse.

XXVIII. LABEO.

SI quid bello captum in præda est, nec postliminio redijt. PAVLVS. imò si in bello captus pace facta demũ fugijt, deinde renouato bello capitur: postliminio redijt ad eum, à quo priore bello captus erat: si modo non conuenerit in pace, ut captiui redderentur.

XXIX. IDEM.

SI postliminio rediisti: nihil, dum in hostiũ potestate fuisti, usucapere potuisti. PAVLVS. imò si quid seruus tuus peculij nomine, dum in eo statu esses, possederit: id eo quoq; tempore usucapere poteris: quoniã eas res etiam inscientes usucapere solemus. & eo modo etiam hæreditas, nondum nato postumo, aut nondum adita, augeri per seruum hæreditarium solet.

XXX. IDEM.

SI id, quod nostrum hostes ceperunt, eiusdem generis est, ut postliminio redire possit: simul atq; ad nos redeundi caussa, pfugit ab hostibus, & infra fines imperij nostri esse cœpit, postliminio eũ rediisse existimandũ est. PAVLVS. imò cum seruus cuiusuis nostrũ ab hostibus captus, inde aufugit, & in urbe Roma ita est, ut neq; in domini potestate sit, neq; ulli seruiat: nondũ eum postliminio rediisse existimandũ est.

DE RE MILITARI. Tit. XVI.

I. VLPIANVS.

MIles, qui in cõmeatu agit, non uidetur reipublicæ caussa abesse.

II. ARRIVS MENANDER *lib. I. de re militari.*

MIlitum delicta siue admissa aut propria sunt, aut cũ cæteris cõmunia. unde & persecutio aut propria

pria,aut cõmunis est. propriũ militare delictum est, quod quis uti miles admittit. dedere se militem, cui non licet, graue crimen habetur: & augetur (ut in cæteris delictis) dignitate,gradu, specie militiæ.

III. MODESTINVS.

DEsertorem auditum ad suum ducem cum elogio præses mittet: præterquàm si quid grauius ille desertor in ea prouincia, in qua est repertus, admiserit. ibi enim eũ plecti pœna debere, ubi facinus admissum est, diui Seuerus & Antoninus rescripserũt. Pœnæ militum huiusce modi sunt: castigatio, pecuniaria multa, munerũ indictio, militiæ mutatio, gradus deiectio, ignominiosa missio. nam & in metallum, aut in opus metalli non dabuntur, nec torquentur. Emansor est, qui diu uagatus ad castra regredit. Desertor est, qui per prolixũ tempus euagatus reducitur. Is, qui in exploratione emanet hostibus insistentibus, aut qui à fossa tunc recedit: capite puniendus est. Qui stationis munus relinquit, plusquàm emansor est. itaq; pro modo delicti, aut castigatur, aut gradu militiæ deijcitur. Si præsidis, uel cuiusuis præpositi ab executione quis desistat: peccatum desertionis subibit. Si ad diem cõmeatus quis non ueniat: perinde in eũ statuendũ est, ac si emansisset, uel deseruisset, pro numero temporis: facta prius copia docendi, num forte casibus quibusdam detentus sit, propter quos uenia dignus uideatur. Qui militiæ tempus in desertione impleuit, emerito priuatur. Si plures simul primo deseruerint, deinde intra certum tempus reuersi sint: gradu pulsi in diuersa loca distribuendi sunt. sed tironibus parcendum est. qui si iteratò hoc admiserint: pœna competenti adficiuntur. Is, qui ad hostem confugit, & redijt: torquebitur, ad bestias q; , uel in furcam damnabitur: quãuis milites nihil eorũ patiantur. Et is, qui uolens transfugere, adpræhensus est: capite punitur. Sed si ex improuiso, dum iter quis facit, capiatur ab hostibus: inspecto uitæ eius præcedentis actu, uenia ei dabitur. & si expleto tempore militiæ rediat: ut ueteranus restituetur, & emerita accipiet. Miles, qui in bello arma amisit, uel alienauit, capite punitur: humane, militiam mutat.

Qui aliena arma subripuit: gradu militiæ pellendus est. In bello qui rem à duce prohibitam fecit, aut mandata non seruauit: capite punitur, etiam si res bene cesserit. sed qui agmen excesserit: ex caussa uel fustibus cæditur, uel mutare militiam solet. necnon & si quis uallum transcendat, aut per murum castra ingrediatur: capite punitur. Si uero quis fossam transilijt: militia reijcitur. Qui seditionem atrocem militum concitauit, capite punitur. si intra uociferationem, aut leuem querelam seditio mota est: tũc gradu militiæ deijcitur. Et cum multi milites in aliquod flagitium conspirent, uel si legio deficiat:

auocari

auocari militia solet. Qui præpositum suum protegere noluerint, uel deseruerint:occiso eo,capite puniuntur.

IIII. ARRIVS MENANDER *lib.I.de re militari.*

QVi cũ uno testiculo natus est,quiúe amisit: iure militabit secundum diui Traiani rescriptũ. Nam & duces Sylla & Cotta memorantur eo habitu fuisse naturæ. Ad bestias datus si profugerit,& militiæ se dederit:quandoq; inuentus capite puniendus est. Idemq; obseruandum est in eo,qui passus est legi se. In insulam deportatus si effugiẽs militiæ se dedit,lectusúe dissimulauit:capite puniẽdus est. Temporarium exsilium uolũtario militi insulæ relegationem adsignat:dissimulatio,perpetuum exsilium. Ad tempus relegatus si expleto spacio fugæ militiæ se dedit:caussa damnationis quærenda est: ut si contineat infamiam perpetuam,idem obseruetur. si transactum de futuro sit:& in ordinẽ redire potest, & honores petere militiæ non prohibetur.

Reus capitalis criminis uoluntarius miles secundum diui Traiani rescriptum capite puniendus est:nec remittendus est eò,ubi reus postulatus est:sed ubi accedente caussa militiæ audiendus est. si dicta caussa sit:uel requirendus adnotatur. Ignominia missus ad iudicem suum remittendus est, nec recipiẽdus postea uolens militare,licet fuerit absolutus. Adulterij uel aliquo iudicio publico damnati inter milites non sunt recipiendi. Non omnis,qui litem habuit,& ideo militauit, exauthorari iubetur:sed qui eo animo militiæ se dedit, ut sub obtentu militiæ præcisiorem se aduersario faceret.nec tamen facile indulgendum est extra ordinem iudicationis,qui negocium ante habuerũt: sed si in transactionem recidit,indulgendum est. Exauthoratus eo nomine,non utiq; infamis erit:nec prohibendus lite finita militiæ eiusdẽ ordinis se dare. alioquin & si relinquat litem, uel transigat, retinendus est. Qui post desertionem in aliã militiam nomen dederunt,legiũe se passi sunt:Imperator noster rescripsit, & hos militariter puniendos. Grauius autem delictum est detrectare munus militiæ,quàm adpetere. nã & qui ad delectũ olim non respondebant, ut proditores libertatis in seruitutem redigebantur. sed mutato statu militiæ recessum à capitis pœna est:quia plerunq; uoluntario milite numeri supplenrur. Qui filium suum subtrahit militiæ belli tempore,exsilio & bonorum parte multandus est. si in pace:fustibus cædi iubeẽ,& requisitus iuuenis, uel à patre postea exhibitus,in deteriorem militiam dandus est. qui enim se sollicitari ab alio passus est, ueniam non meretur. Eum,qui debilitauit filium delectum propter bellum indictum, ut inhabilis militiæ sit:præceptum diui Traiani deportauit. Edictum Germanici Cæsaris militem desertorem faciebat, qui diu abfuisset, ut is inter emansores habe

haberetur. sed siue redeat quis, & offerat se, siue deprehensus offeratur: poenam desertionis euitat. nec interest, cui se offerat, uel à quo deprehendatur. leuius itaq; delictum emansoris habetur, ut erronis in seruis: desertionis grauius, ut in fugitiuis. Examinatur autem semper caussae emansionis, & cur, & ubi fuerit, & quid egerit: & datur uenia ualetudini, adfectioni parentum & adfinium, & si seruum fugientem persecutus est, uel si qua huiusmodi caussa sit. sed & ignoranti adhuc disciplinã tironi ignoscitur.

V. IDEM.

NOn omnes desertores similiter puniendi sunt: sed habetur & ordinis, & stipendiorũ ratio, & gradus militiae, uel loci, & muneris deserti, & anteactae uitae. sed & numeri, si solus, uel cum altero, uel cum pluribus deseruit, aliudúe quod crimen desertioni adiũxerit. item temporis, quo in desertione fuerit: & eorum, quae postea gesta fuerunt. sed si fuerit ultro reuersus, non cum necessitudine: non erit eiusdem sortis.

Qui in pace deseruit: eques gradu pellendus est, pedes militiã *amit- *al's. mutat. tat. in bello idem admissum capite puniendum est. Qui desertioni aliud crimen adiungit, grauius puniendus est. & si furtũ factum sit, uelut alia desertio habebitur: uel si plagium factum, uel aggressura, abigeatus, uel quid simile accesserit. Desertor si in urbe inueniatur: capite puniri solet. alibi adprehensus, ex prima desertione restitui potest: iterum deserendo capite puniendus est. Qui in desertione fuit, si se obtulerit: ex indulgentia Imperatoris nostri in insulam deportandus est.

Qui captus, cum poterat redire, non rediit: pro transfuga habetur. item eum, qui in praesidio captus est, in eadem conditione esse certum est. si tamen ex improuiso, dum iter facit, aut epistolam fert, capiatur quis: ueniã meretur. A' Barbaris remissos milites, ita restitui oportere Hadrianus rescripsit, si probabũt se captos euasisse, non transfugisse. sed licet hoc liquidò constare non possit: argumentis tamen cognoscendum est. & si bonus miles ante existimatus fuit: propè est, ut adfirmationi eius credatur. si emansor, aut negligens suorum, aut segnis, aut extra cõtubernium agens: non credatur ei, si post multum temporis rediit. Qui ab hostibus captus est, & captum eum non transfugisse constiterit: ut ueteranus erit restituendus, & praemia & emeritum capiet. Qui transfugit, & postea multos latrones adprehẽdit, & transfugas demonstrauit: posse ei parci, diuus Hadrianus rescripsit. ei tamen pollicenti ea nihil permitti oportere.

VI. IDEM.

OMne delictum est militis, quod aliter, quàm disciplina communis exigit, committitur: ueluti segniciae crimen, uel cõtumaciae,

uel desidiæ. Qui manus intulit præpositō,capite puniendus est.augetur aūt petulantiæ crimen dignitate præpositi. Contumacia omnis militis aduersus ducem,uel præsidem,capite punienda est. Qui in acie fugam prior fecit spectantibus militibus,propter exemplum capite puniendus est. Exploratores,qui secreta nunciauerunt hostibus, proditores sunt,& capitis pœnas luunt.sed & caligatus,qui metu hostium languorem simulauit,in pari cum eis caussa est. Si quis commilitonem uulnerauit:siquidem lapide: militia reiicitur. si gladio: caput amittit Qui se uulnerauit,uel aliàs mortem sibi consciuit:Imperator Hadrianus rescripsit,ut modus eius rei statutus sit: ut si impatientia doloris,aut tædio uitæ,aut morbo,aut furore, aut pudore mori maluerit:nō animaduertatur in eum,sed ignominia mittatur. si nihil tale prætendat:capite puniatur. Per uinum, aut per lasciuiam lapsis: capitalis pœna remittēda est,& militiæ mutatio irroganda. Qui præpositum suum non protexit,cū posset:in pari caussa factori habendus est. si resistere non potuit:parcendum ei. Sed & in eos,qui præfectum centuriæ à latronibus circumuentum deseruerunt,animaduerti placuit.

VII. MACER.

PRoditores, uel transfugæ plerunq; capite puniuntur, & exauthorati torquentur. nam pro hoste,non pro milite habentur.

VIII. VLPIANVS.

QVi status controuersiam patiuntur:licet reuera liberi sunt, nō debent per id tempus nomen militiæ dare,maximè lite ordinata:si ue ex libertate in seruitutē, siue contra petantur. ne hi quidem, qui ingenui bona fide seruiunt: sed nec qui ab hostibus redempti sunt,priusquàm se luant.

IX. MACER.

MIlites prohibentur prædia cōparare in his prouincijs, in quibus militiā exercent,præterquàm si paterna eorum fiscus distrahat. nam & hanc speciem Seuerus & Antoninus remiserunt. sed stipendijs impletis emere permittuntur. fisco autem uindicatur prædium illicite comparatum,si delatum fuerit.sed si nondum delata caussa stipendia impleta sint,uel missio contigerit:delationi locus non est. Milites si hæredes exstiterint:possidere ibi prædia non prohibentur.

X. PAVLVS.

QVi excubias palatij deseruerit,capite punitur. sed ex caussa desertionis restitutus in militiam, non aliter medij temporis stipendium & donatiua accipit, nisi hæc ei liberalitas principalis specialiter indulserit.

XI. MARTIANVS.

Ab omni

AB omni militia ſerui prohibentur.alioquin capite puniuntur.

XII. MACER.

OFficium regentis exercitum non tantum in danda, ſed etiam in obſeruanda diſciplina conſtitit. Paternus quoq; ſcribit, debere eum,qui ſe meminerit armato præeſſe,parciſſime commeatum dare:equum militarem extra prouinciam duci non permittere: ad opus priuatum,piſcatum, uenatum,militem non mittere. nam in diſciplina Auguſti ita cauetur. Et ſi ſcio,fabrilibus operibus exerceri milites, nõ eſſe alienum:uereor tamen, ſi quidquam permiſero, quod in uſum meũ,aut tuum fiat:ne modus in ea re non adhibeatur, qui mihi ſit tolerandus. Officium tribunorum eſt,uel eorũ,qui exercitui præſunt: milites in caſtris continere,& ad exercitationem producere,claues portarũ ſuſcipere,uigilias interdum circumire,frumentationibus commilitonum intereſſe,frumentum probare,fraudem menſorum coërcere, delicta ſecundum ſuæ authoritatis modũ caſtigare,principijs frequenter intereſſe,querelas cõmilitonum audire,ualetudinarios inſpicere.

XIII. IDEM.

MIlites agrum comparare prohibẽtur in ea prouincia,in qua bellica opera peragunt:ſcilicet ne ſtudio culturæ militia ſua auocentur. & ideo domũ comparare non prohibentur. ſed & agros in alia prouincia cõparare poſſunt. cæterum in ea prouincia, in qua propter cauſſam prælij uenerunt,ne ſub alieno quidem nomine eis agrũ comparare licet. alioquin fiſco uindicabitur. Is autem,qui contra diſciplinã agrum comparauerit:ſi nulla de ea re quæſtione mota miſſionem acceperit:inquietari prohibetur. Illud conſtat: præſcriptionis huius commodum ad eos,qui ignominiæ cauſſa miſſi ſunt, non pertinere: quod præmij loco ueteranis conceſſum intelligitur. & ideo & ad eum, qui cauſaria miſſus eſt,poteſt dici pertinere, cum huic quoq; præmiũ præſtatur. Miſſionum generales cauſſæ ſunt tres: honeſta,cauſaria, ignominioſa. Honeſta eſt,quæ tempore militiæ impleto datur. Cauſaria,cum quis uicio animi uel corporis minus idoneus militiæ renuncia tur. Ignominioſa cauſſa eſt,cum quis propter delictum ſacramẽto ſoluitur. & is,qui ignominia miſſus eſt,neq; Romæ, neq; in ſacro comitatu agere poteſt. & ſi ſine ignominiæ mẽtione miſſi ſunt,* nihilominus ignominia miſſi intelliguntur. Irreuerens miles non tantum à tribuno,uel centurione,ſed etiam à principali coërcendus eſt. nam eum,qui centurioni caſtigare ſe uolenti reſtiterit, ueteres notauerunt. ſi uitem tenuit:militiam mutat. ſi ex induſtria fregit,uel manum centurioni intulit: capite punitur. Eius fugam, qui cum ſub cuſtodia uel in carcere eſſet,diſceſſerit:in numero deſertorum nõ computandum, Menan-

aliàs* nihilomagis.

der scripsit: quia custodiæ refuga, nō desertor militiæ est. Eum tamen, qui carcere effracto fugerit, etiam si ante non deseruerit, capite puniendum, Paulus scripsit. Desertorem, qui à patre suo fuerit oblatus, in deteriorem militiā diuus Pius dari iussit: ne uideat̄ (inquit) pater ad suppliciū filiū obtulisse. Iteḿq; diui Seuerus & Antoninus eū, qui post quinquennium desertionis se obtulit, deportari iusserunt. quod exemplum & in cæteris sequi nos debere, Menander scripsit.

XIIII. PAVLVS.

QVi commeatus spacium excessit, emansoris uel desertoris loco habendus est. habetur tamen ratio dierum, quibus tardius reuersus est: item temporis, nauigationis, uel itineris. & si se probat ualetudine impeditum, uel à latronibus detentum, similiue casu morā passum (dum tamen non tardius à loco se profectum probet, quàm ut occurrere possit intra commeatum) restituendus est. Arma alienasse, graue crimē est: & ea culpa desertioni exæquatur, utiq; si tota alienauerit. Sed & si partem eorum: idem est, nisi quod interest. nam si tibiale, uel humerale alienauit: castigari uerberibus debet. si uero loricam, scutū, galeā, gladium: desertori similis est. Tironi in hoc crimine facilius parcitur: armoruḿq; custodi plerunq; ea culpa imputatur, si arma militi commisit non suo tempore.

XV. TARANTINVS PATERNVS.

EX caussa desertionis notatus ac restitutus, temporis, quo in desertione fuit, stipendijs expungit̄. quod si ratio cōstiterit, neq; desertorem fuisse apparuerit: omnia stipendia citra temporis finē redduntur.

XVI. PAVLVS.

QVi metu criminis, in quo reus iam fuerat postulatus, nomen militiæ dedit: statim sacramento soluendus est. Miles turbator pacis capite punitur.

DE CASTRENSI PECVLIO. Tit. XVII.

I. VLPIANVS.

FIlifamilias militis peculium si apud patrem remansit: si ne testamento filio defuncto, pater ipsi hæres non fit: sed tamen hæres his fiet, quibus filius fuit.

II. IDEM.

SI filiusfamilias miles decesserit, siquidem intestatus: bona eius non quasi hæreditas, sed quasi peculium patri deferuntur. si autem testamento facto: hic pro hæreditate habetur castrense peculium.

Idem

III. IDEM.

SI mulier filio uiri militi ad castrẽses uel militares forte res comparandas reliquerit pecuniam: utiq; castrensi peculio ea, quæ comparantur, adnumerari incipiunt.

IIII. TERTYLLIANVS.

MIles præcipua habere debet, quæ detulit secum in castra, concedente patre. Actionem persecutionemq; castrensium rerum semper filius etiam inuito patre habet. Si paterfamilias militiæ tempore, uel etiam post missionem, adrogandum se præbuerit: uidendum erit, ne huic quoq; intelligatur earum rerum permissa administratio, quas ante adrogationem in castris adquisierit: quamuis constitutiones principales de his loquantur, qui ab initio, cum essent filijfamiliarũ, militauerint. quod admittendum est.

V. IDEM.

MIles filiusfamilias à commilitone, uel ab eo, quem per militiam cognouit, hæres institutus, etiam citra iussum patris suo arbitrio recte pro hærede gerit.

VI. IDEM.

SI militi filiofamilias uxor seruum manumittendi caussa donauerit: an suum libertum fecerit, uideamus: quia peculiares & seruos & libertos potuit habere. & magis est, ut hoc castrensi peculio non adnumeretur: quia uxor ei propter militiã nota est. Planè si mihi proponas ad castra eunti marito uxorem seruos donasse, ut manumittat, & habiles ad militiã libertos habeat: potest dici, sua uoluntate sine permissu patris manumittentem ad libertatem perducere.

VII. IDEM.

SI castrense peculium maritus habeat: in quantũ facere potest, condemnabitur: quia etiam non castrensibus creditoribus ex eo peculio magis est eum cogi reddere.

VIII. IDEM.

SI forte uxor, uel cognatus, uel quis alius notus non ex castris filiofamilias donauerit quid, uel legauerit, & etiã expresserit nominatim, ut in castrensi peculio habeat: an possit castrensi peculio aggregari? & non puto. ueritatem enim spectamus, an uera castrensis noticia uel affectio fuit, non quod quis finxit.

IX. IDEM.

PRoponebat filiusfamilias miles testamẽto facto extraneũ hæredẽ scripsisse, deinde supstite decessisse: pater deliberãte hærede instituto ipse diẽ functus esse: deinde hæres institutus repudiasse hæreditatẽ. quærebat, ad quẽ castrense peculiũ pertineret. dicebã, castrense peculiũ

filiſfamilias, ſiquidem teſtatus deceſſiſſet, quaſi hæreditatẽ deferri hæredi ſcripto: ſiue extraneum ſcripſiſſet hæredem, ſiue patrem. ſed cum nihil de peculio decernit filius: non nunc obueniſſe patri, ſed non eſſe ab eo profectum creditur. deniq; ſi ſeruo filij caſtrenſi libertatem pater adſcripſerit, moxq; filius uiuo patre defunctus ſit: non impeditur libertas: cum ſi filius patri ſuperuixerit, impediatur libertas. Vnde Marcellus putat neceſſariũ quoq; hæredem ſeruum filij peculiarem patri exiſtere poſſe, ſi filio pater ſuperuixerit. Idem referebã, & ſi rem peculiarẽ filij pater legauerit. nam eodem caſu, quo libertatem competere diximus, legatũ quoq; uel debebitur, uel impedietur. quibus ita præmiſſis, & in propoſito dicebã: cum hæres non adijt hæreditatem, retro peculium patris bonis acceſſiſſe. unde poſſe dici, etiam patris bona aucta per hãc repudiationẽ, nec eſſe nouum, ut ex poſtfacto aliquis ſucceſſorem habuiſſe uideat̃. nam & ſi filius eius, qui ab hoſtibus captus eſt, deceſſerit patre captiuo uiuo: ſiquidem pater regrederet̃, quaſi filiusfamilias, peculium habebit. enimuero ſi ibidem pater deceſſerit: quaſi paterfamilias legitimum habebit ſucceſſorem, & retro habuiſſe credetur eius ſucceſſor. ea quoq; quæ medio tempore filiusfamilias iſte quæſijt, nõ hæredi patris, ſed ipſi filio quæſita uidebuntur.

X. POMPONIVS.

EX nota Marcelli conſtat, nec patribus aliquid ex caſtrenſibus bonis filiorum deberi.

XI. IDEM.

CAſtrenſe peculium eſt, quod à parentibus, uel cognatis in militia agenti donatum eſt: uel quod ipſe filiusfamilias in militia adquiſiuit, quod niſi militaret, adquiſiturus nõ fuiſſet. nam quod erat & ſine militia adquiſiturus, id peculium eius caſtrenſe non eſt.

XII. PAPINIANVS.

PAter, qui dat in adoptionem filium militem, peculium ei auferre non poteſt, quod ſemel iure militiæ filius tenuit. qua ratione nec emancipando filium, peculium ei aufert, quod nec in familia retento poteſt auferre.

XIII. IDEM.

DIuus Hadrianus reſcripſit in eo, quem militantẽ uxor hæredem inſtituerat, filium exſtitiſſe hæredem: & ab eo hæreditarios ſeruos manumiſſos proprios eius libertos fieri.

XIIII. IDEM.

FIliusfamilias miles ſi captus apud hoſtes uita fungatur: lex Cornelia ſubuenit & ſcriptis hæredibus: quibus ceſſantibus, iure priſtino peculium pater habebit. Proxima ſpecies uidetur, ut ſcriptis hæredibus

dibus deliberantibus,quod seruus interim stipulatus est, uel ab alio sibi traditum accepit (quod quidem ad patris personã attinet) si forte peculium apud eum resederit:nullius momenti uideatur,cum illo tempore non fuerit seruus patris. quod autem ad scriptos hæredes : in suspenso fuisse traditio,itemq; stipulatio intelligatur. ut enim hereditarius fuisse credatur, post aditam hæreditatẽ fit. sed paterna uerecundia nos mouet, quatenus & in illa specie, ubi iure pristino apud patrem peculium remanet,etiam adquisitio stipulationis uel rei traditæ per seruum fiat.

Legatum,quod ei seruo relictum est (quamuis tũc propter incertum nulli sit adquisitũ) omisso testamento, patri tunc primum per seruum adquiretur:cum si fuisset exemplo hæreditatis peculio adquisitum,ius patris hodie non consideraretur.

XV. IDEM.

PAter, milite filiofamilias reuerso,quod donat,castrensis peculij nõ facit,sed alterius peculij,perinde ac si filius nunquã militasset. Si stipulanti filio spondeat:siquidẽ ex caussa peculij castrensis:tenebit stipulatio. cæterum ex qualibet alia caussa non tenebit. Si pater à filio stipulatur : eadem distinctio seruabitur. Si seruus peculij, quod ad filium spectat,ab extero stipuletur, aut per traditionem accipiat: sine distinctione caussarum res ad filium pertinebit. nõ enim ut filius duplex ius sustinet,& patris, & filijfamilias:ita seruus, qui castrensis peculij est, quiq; nullo iure,quamdiu filius uiuit,patri subiectus est,aliquid adquirere simpliciter stipulando, uel accipiendo patri potest. quæ ratio suadet, ut si ab ipso patre seruus,qui ad filium pertinet, stipuletur ex quacunq; caussa, uel traditum accipiat: sic adquiratur filio res & stipulatio, quemadmodum si extero promisisset:quia persona stipulantis & accipientis ea est,ut sine differentia caussarum, quod per eum agitur, emolumentum filij spectet. Si serui pater usumfructum amiserit, cuius proprietatem in castrensi peculio filius habebat:plenam proprietatem habebit filius.

XVI. IDEM.

DOtem filiofamilias datam, uel promissam, in peculio castrensi non esse respondi. nec ea res contraria uidebit ei, quod diui Hadriani temporibus filiũfamilias militem uxori hæredem exstitisse placuit, & hæreditatẽ in castrense peculium habuisse. nam hæreditas aduenticio iure quæritur : dos autẽ matrimonio cohærens oneribus eius ac liberis cõmunibus, qui sunt in aui familia, confertur. Hæreditatem castrensi peculio non uideri quæsitam respondi, quam frater patruelis in alia prouincia stipendia merens,fratri patrueli,cum quo nunquam militauit,reliquit. sanguinis etenim ratio,nõ militiæ caussa meritum

ritum hæreditatis accipiendæ præbuerat.

XVII. IDEM.

PAter,qui castrense peculium intestati filij retinebit,æs alienum intrà modum eius & annum utilem iure prætorio soluere cogitur. Idem,si testamento scriptus hæres exstiterit, perpetuò ciuiliter ut hæres conuenitur. Pater à filio milite,uel qui militauerat,hæres institutus testamenti causſam omisit,& castrense peculium possedit.legitimi hæredis exemplo cogetur ad finem peculij perpetuò legata præstare. quod si filius post annum, quàm militare desierat, iure communi testamento facto uita decessit:ratione Falcidiæ retinebitur quarta. cæterum si testamenti causſam pater omisit, cum peculium creditoribus soluendo non esset:nihil dolo uidebitur feciſſe, quamuis temporis lucrum currat compendium.

XVIII. MARTIANVS.

EX castrensi peculio seruus à patre hæres institui non potest, & filiũ necessariũ hæredem patri facit.& in summa, ea re hi actus patris, qui ad præsens rei alienationem alicuius iuris de castrensi peculio præstant, impediuntur.hi uero,qui non statim quidem,sed postea efficere solent:eo tempore animaduertentur,quo habere effectũ consueuerũt: ut si supersit filius,cui auferat̃,nihil agatur. si ante decesserit:actꝰ patris non impediatur.itaq; negabimus patrem filio saluo cõmuni diuidundo agentem proprietatem alienaturũ exemplo dotalis prædij. Sed nec si socius ultro cum eo agat,quidquam agetur:ueluti si cum eo ageret, cui bonis interdictum est. Seruos ex eo peculio usufructu: item prædia tam usufructu,quàm cæteris seruitutibus pater liberare poterit.sed & seruitutes his adquirere.id enim & eum,cui bonis interdictum est,uerum est consequi posse. neq; aũt seruis ex eo peculio,neq; prædijs usum fructum uel seruitutem imponere pater potest. Si quando ex eo peculio filius rem alienam bona fide tenebit: an pater eius in rem, uel ad exhibendum actionem pati debeat,ut cæterorum filiorũ nomine,quæritur. Sed uerius est,cum hoc peculium à patris bonis separetur: defensionis necessitatem patri non imponendam.sed nec cogendus est propter æs alienum,quod filius peculij nomine,quod in castris adquisiuit, confeciſſe dicetur, de peculio actionem pati. Et si sponte patiatur: ut quilibet defensor satisdatò filiũ in solidum,non peculio ténus defendere debebit: sed & eius filij nomine non aliter mouere actionẽ potest, q̃ si satis dederit,eum ratam rem habiturum.

XIX. TRIPHONINVS. *lib.* IX. *disputationum.*

DE hæreditate ab adgnato commilitone data Scæuola noster dubitabat:quia potuit & ante notus & amicus dare,potuit & nõ dare, nisi

re,niſi commilitium charitatem auxiſſet.nobis itaq; uidetur:ſi ante cõ militium factum ſit teſtamentum: non eſſe peculij caſtrenſis eam hæreditatem. ſi poſtea:contra. Sed ſi ſeruus peculij caſtrenſis à quocunq; ſit hæres ſcriptus:iuſſu militis adire debebit hæreditatem, eaq; fiet bonorum caſtrenſis peculij. Filiusfamilias paganus de caſtrenſi peculio fecit teſtamentum, & dum ignorat patri ſe ſuum hæredem exſtitiſſe,deceſſit.non poteſt uideri pro caſtrenſibus bonis teſtatus,pro paternis inteſtatus deceſſiſſe:quamuis id in milite etiam nũc reſcriptum ſit: quia miles ab initio pro parte teſtatus,& pro parte inteſtatus potuerat mori. quod ius iſte non habuit:non magis, quàm ſi ſine obſeruatione legum faceret teſtamẽtum.neceſſariò ergo caſtrenſis peculij hæres ſcriptus uniuerſa bona habebit:perinde ac ſi pauperrimus facto teſtamẽto deceſſiſſet,ignorans ſe locupletatũ per ſeruos alio loco agentes. Pater peculij caſtrenſis filij ſeruum teſtamento liberum eſſe iuſſit. inteſtato defuncto filiofamilias,mox patre:quæritur,an libertas ſeruo competat? occurrebat enim nõ potuiſſe dominium apud duos pro ſolido eſſe.deniq; filium poſſe manumittere talis peculij ſeruum,Hadrianus cõſtituit.Et ſi teſtamento tam filij,quàm patris,idem ſeruus accepiſſet libertatem,& utriq; pariter deceſſiſſent:non dubitaretur ex teſtamento filij liberum eſſe eum. ſed & in ſuperiore caſu pro libertate à patre data illa dici poſſunt:nunquid quoad utatur iure conceſſo filius in caſtrenſi peculio, eòuſq; ius patris ceſſauerit. quod ſi inteſtatus deceſſerit filius: poſtliminij cuiuſdam ſimilitudine pater antiquo iure habeat peculiũ, retroq; uideatur habuiſſe rerum dominia:non tamen,ſi ut hæres uiuo filio uindictam ſeruo impoſuit,dicatur eum poſt mortem inteſtati filij ex illa manumiſſione liberum factum eſſe. Quid autem ſi teſtamentum fecerit filius,& non ſit eius adita hæreditas? non tam facile eſt dicere continuatum patri poſt mortem filij rerum peculij dominium:cũ medium tempus,quo deliberant inſtituti hæredes,imaginem ſucceſſori præſtiterit.alioquin & ſi adita ſit ab inſtituto filij hæreditas: dicetur à patre ad eum tranſiſſe proprietatem.q̃d abſurdum eſt:niſi in pendenti (ut in alijs)& in hac ſpecie habeamus dominia:ut ex poſtfacto retro fuiſſe,aut nõ fuiſſe patris credamus.ſecundũ quod difficile erit expedire, ſi dum deliberãt hæredes,dies ceſſerit legati ſeruo iſtius peculij dati in teſtamento eius,ex quo pater nihil capere potuiſſet:an id ad ipſum pertineat, cum utiq; ad hæredem filij pertineat.facilior tamen de libertate ſerui deliberatio eſt in ſpecie,in qua inteſtatus filius deceſſiſſe proponitur.non eſt ergo ratio reſpondendi,competere libertatem eo tempore datam,quo non fuit in dominio patris. fauorabilem tamen ſententiã contrariam in utroq; caſu non negamus.

XX. PAVLVS.

SEd si ponas filium testamentum fecisse, & patrem hæredem instituisse, cum utiq; pater testamẽto suo seruo filij libertatem dedisset, qui ad eum ex testamento filij pertinere cœperit: uidendum est, nunquid ei comparari debeat, qui cum manumitteretur, alienus erat, dein de postea adquisitus est. Sed fauorabilius est, libertatem à patre relictã admittere: & ab initio patris eum esse uideri ex hoc, quod postea contingit, ostenditur.

DE VETERANIS. Tit. XVIII.

I. ARRIVS MENANDER.

VEteranorum priuilegiũ inter cætera etiam in delictis habet prærogatiuam, ut seperentur à cæteris in pœnis. nec ad bestias utiq; ueteranus datur, nec fustibus cæditur.

II. VLPIANVS.

HOneste sacramento solutis data immunitas etiam in eis ciuitatibus, apud quas incolæ sunt, ualet: nec labefactatur, si quis eorum uoluntate sua honorem aut munus susceperit. Vectigalia & patrimoniorum onera solennia omnes sustinere oportet.

III. MARTIANVS.

VEteranis & liberis ueteranorum idem honor habetur, qui & decurionibus. igitur nec in metallum damnabuntur, nec in opus publicum, uel ad bestias, nec fustibus cæduntur.

IIII. VLPIANVS.

VIæ sternendæ immunitatem ueteranos non habere, Iulio Sossiano ueterano rescriptum est. nam nec ab intributionibus, quæ in possessionibus fiunt, ueteranos esse excusatos, palam est. Sed & naues eorum angariari posse, Aelio Firmo & Antonino Claro ueteranis rescriptum est.

V. PAVLVS.

VEteranos diuus Magnus Antoninus cum patre suo rescripsit, à nauiũ fabrica excusari. sed & ab exactione tributorũ habent immunitatem, hoc est ne exactores tributorum constituantur. Sed ueterani, qui passi sunt se in ordinem legi, muneribus fungi coguntur.

Digesto-

DIGESTORVM SEV PANDECTARVM LIBER QVINQVAGESIMVS.

AD MVNICIPALEM, ET DE incolis. Tit. I.

I. VLPIANVS.

MVnicipem aut natiuitas facit, aut manumissio, aut adoptio. & proprie quidem municipes appellantur muneris participes, recepti in ciuitatem, ut munera nobiscum facerent. sed nunc abusiue municipes dicimus suos cuiuscũq; ciuitatis ciues: utputa Campanos, Puteolanos. Qui ex duobus igitur Campanis parentibus natus est, Campanus est. Sed & si ex patre Campano, matre Puteolana: æque municeps Campanus est: nisi forte priuilegio aliquo materna origo censeatur. tunc enim maternæ originis erit municeps: utputa Ilienſibus concessum est, ut qui matre Ilienſi est, sit eorum municeps. etiam Delphis hoc idem tributum & conseruatũ est. Celsus etiam refert Ponticis ex beneficio Pompei Magni competere, ut qui Pontica matre natus esset, & Ponticus esset. qđ beneficium ad uulgo quæsitos solos pertinere quidã putant: quorum sententiam Celsus non probat. neq; enim debuisse caueri, ut uulgo quæsitus matris conditionem sequeretur. quam eñ aliam originem hic habet? sed & ad eos, qui ex diuersarum ciuitatum parentibus orerentur.

II. IDEM.

QVoties filiusfamilias uoluntate patris decurio creatur: uniuersis muneribus, quæ decurioni filio iniunguntur, obstrictus est pater, quasi fideiussor pro filio. Consensisse autem pater decurionatui filij uidetur, si præsens nominationi non contradixit. proinde quid quid in re publica filius gessit, pater ut fideiussor præstabit. Gestum aũt in re publica accipere debemus: pecuniam publicam tractare, siue erogandam decernere. Sed & si curatores operum uel cuius alterius rei publicæ creauit, tenebiť. Sed & si successorem sibi nominauit, patrem obstringet. Sed & si uectigalia locauit, pater erit obstrictus. Sed si filius tutores dare non curauerit, uel minus idoneos elegerit, nec satis exegerit, uel non idoneum acceperit: ipse quidem quin sit obstrictus, nulla dubitatio est. pater uero ita demum obligatur, sicut & fideiussores solent hoc nomine obligari. sed non solent (hoc enim & relatum & rescriptũ

eſt) quia fideiuſſores rempublicam ſaluam fore promittunt. reipublicæ autem nihil(quod ad rem pecuniariã attinet)intereſt,pupillis tutores dari. Is,qui ultra commeatum abeſt,uel ultra formam cõmeatui datam,ad munera euocari poteſt.

III. IDEM.

PLacet etiam filiumfamilias domicilium habere poſſe.

IIII. IDEM.

NOn utiq; ibi,ubi pater habuit,ſed ubicunq; ipſe domicilium conſtituerit.

V. PAVLVS.

LAbeo indicat eum,qui pluribus locis ex æquo negõcietur,nuſquã habere domiciliũ. quoſdam autem dicere refert, pluribus locis eũ incolam eſſe,aut domicilium habere.quod uerius eſt.

VI. VLPIANVS.

ADſumptio originis, quæ nõ eſt, ueritatem naturæ non perimit. errore enim ueritas originis nõ amittitur: nec mendacio dicentis ſe eſſe,unde non ſit,deponitur:neq; recuſando quis patriam,ex qua oriundus eſt,neq; mentiendo de ea,quam non habet,ueritatem mutare poteſt. Filius ciuitatem,ex qua pater eius naturalem originem ducit,nõ domicilium ſequitur. Viris prudentibus placuit, duobus locis poſſe aliquem habere domicilium:ſi utrubiq; ita ſe inſtruxit,ut nõ ideo minus apud alteros ſe collocaſſe uideatur. Libertini originẽ patronorum, uel domicilium ſequuntur,item qui ex his naſcuntur.

VII. IDEM.

SI quis â pluribus manumiſſus ſit:omnium patronorum originem ſequitur.

VIII. MARTIANVS.

NOn debere cogi decuriones uilius præſtare frumentum ciuibus ſuis,quâm annona exigat,diui fratres reſcripſerunt,& aliſs quoq; conſtitutionibus principalibus id cautum eſt.

IX. NERATIVS.

EIus,qui iuſtum patrem non habet,prima origo à matre : eoq; die, quo ex ea editus eſt,enumerari debet.

X. MARTIANVS.

SImile priuilegiũ fiſco nulla ciuitas habet in bonis debitoris,niſi nominatim id à principe datum ſit.

XI. PAVLVS.

IMperator Titius Antoninus Lentulo Vero reſcripſit, magiſtratuũ officium indiuiduum,ac periculum eſſe commune. quod ſic intelligi oportet,ut ita demũ collegæ periculum adſcribatur: ſi neq; ab ipſo, qui

qui gessit,neq; ab his,qui pro eo interuenerunt, res seruari possit:& soluendo non fuerit honore de posito.alioquin si persona eorum,uel cautio sit idonea,uel soluendo fuerit,quo tempore conueniri potuit:unus quisq; in his,quæ administrauit,tenebitur. Quod si forte is,qui periculo suo nominauit magistratũ,soluendo sit:utrum in eum prius actio reddi,quasi in fideiussorem debeat:an uero non aliàs, quàm si res à collega seruari non possit? Sed placuit fideiussoris exemplo priorem conueniendum,qui nominauit:quoniam collega quidem neglegentiæ ac pœnæ caussa: qui uero nominauit,fidei ratione conueniatur.

XII. IDEM.

ET ei contra collegam nominati utilem actionem dari non oportet.

XIII. IDEM.

QVid ergo,si alter ex magistratibus toto anno abfuerit, aut forte præsens per contumaciã, siue ignauiam,uel ægram ualetudinẽ reipublicæ negocia non gesserit,& omnia collega solus administrauerit:nec tamen tota res ab eo seruari possit? talis ordo dabitur,ut in primis qui negocia gessit reipublicæ,& qui pro eo cauerunt, insolidũ conueniantur:mox peractis omnibus periculum agnoscat,qui non idoneum nominauerit:postremo alter ex magistratibus, qui reipublicæ negocijs se nõ immiscuit. Nec iuste,qui nominauit, uniuersum periculũ recusauerit:cum scire debeat eum,qui nominaretur, indiuiduum officium & commune periculum susceptorum.nam & cum duo gesserũt, & ab altero seruari,quod debetur non potest:qui collegam nominauit,in uniuersum conuenitur.

XIIII. IDEM.

MVnicipes intelliguntur scire,quod sciant hi, quibus summa reipublicæ commissa est.

XV. IDEM.

ORdine decurionũ ad tempus motus,& in ordinem regressus: ad honores exemplo relegati tanto tempore non admittitur,quanto dignitate caruit. sed in utroq; placuit examinari,quo crimine dãnati eiusmodi sententiam meruerunt. durioribus etenim pœnis affectos ignominia,uelut transacto negocio, postea liberari: minoribus uero, quàm leges permittunt, subiectos,nihilominus inter infames haberi: cum facti quidem quæstio sit in potestate iudicantium, iuris autem authoritas non sit. In eum, qui successorem suo periculo nominauerit,si finito magistratu successor idoneus fuit,actionem dari non oportet. In fraudem ciuilium munerum per tacitam fidem prædia translata fisco uindicantur: tantumq; alterum interdictæ rei minister de suis bonis cogitur soluere. Ius originis in honoribus obeundis ac

muneribus ſuſcipiendis adoptione non mutatur: ſed nouis quoq; muneribus filius per adoptiuum patrem adſtringitur.

XVI. HERMOGENIANVS.

SEd & ſi is emancipetur ab adoptiuo patre: nō tantū filius, ſed etiam ciuis ciuitatis, cuius per adoptionem fuerat factus, eſſe deſinit.

XVII. PAPINIANVS.

LIbertus propter patronum à ciuilibus muneribus non excuſatur. nec ad rem pertinet, an operas patrono capto luminibus, uel miniſteriū exhibeat. Liberti uero ſenatorum, qui negocia patronorum gerunt, à tutela decreto patrum excuſantur. Filium pater decurionem eſſe uoluit. ante filium ex perſona ſua respublica debet cōuenire, quàm patrem ex perſona filij. nec ad rem pertinebit, an filius caſtrenſe peculiū tantū poſſideat, cum ante militaſſet, uel poſtea. Præſcriptio temporū, quæ in honoribus repetundis, uel alijs ſuſcipiendis data eſt, apud eoſdē ſeruat̄, nō apud alios. ſed eodē tempore nō ſunt honores in duabus ciuitatibus ab eodē gerendi. cū ſimul igit̄ utrubiq; deferunt̄: potior eſt originis cauſſa. Sola ratio poſſeſſionis, ciuilibus muneribus poſſeſſori iniungendis, citra priuilegiū ſpecialiter ciuitati datū, idonea nō eſt. Poſtliminio regreſſi muneribus patriæ obtemperare cogunt̄, quāuis in alienæ ciuitatis finibus cōſiſtant. Exigendi tributi munus inter ſordida munera nō habetur. & ideo decurionibus quoq; mandat̄.

Ex cauſſa fideicōmiſſi manumiſſus in muneribns ciuilibus manumiſſoris originē ſequit̄, nō eius, qui libertatē reliquit. In adoptiua familia ſuſceptū, exemplo dati, muneribus ciuilibus apud originem aui quoq; naturalis reſpondere, diuo Pio placuit: quāuis in iſto fraudis neſuſpicio quidē interuenerit. Error eius, qui ſe municipē, aut colonū exiſtimans, munera ciuilia ſuſcepturū promiſit: defenſionem iuris nō excludit. Patris domicilium filium aliorum incolam ciuilibus muneribus alienæ ciuitatis non adſtringit: cum in patris quoq; perſona domicilij ratio temporaria ſit. In quæſtionibus nominatos capitalium criminum ad nouos honores ante cauſſam finitam admitti non oportet. cæterum dignitatem priſtinam interim retinent. Sola domus poſſeſſio, quæ in aliena ciuitate cōparatur, domiciliū non facit. Nominati ſucceſſoris periculum fideiuſſoris nominantis nō tenet. Fideiuſſores, qui ſaluam rem publicam fore reſponderunt, & qui magiſtratus ſuo periculo nominant: pœnalibus actionibus non adſtringuntur, in quas inciderūt hi, pro quibus interuenerūt. eos enim damnum rei publicæ præſtare ſatis eſt, quod promitti uidetur.

XVIII. PAVLVS.

DIuus Seuerus & Antoninus reſcripſerunt, interualla temporum in con

in cõtinuandis honoribus, inuitis, non etiam uolentibus conceſſa: dum ne quis continuet honores.

XIX. SCAEVOLA.

QVod maior pars curiæ efficit, pro eo habeť, ac ſi omnes egerint.

XX. PAVLVS.

DOmicilium re & facto transfertur, non nuda conteſtatione: ſicuti in his exigiť, qui negant ſe poſſe ad munera ut incolas uocari.

XXI. IDEM.

LVcius Titius cũ eſſet in patris poteſtate, à magiſtratibus inter cæteros frumento comparando inuito patre curator conſtitutus eſt. cui rei Lucius Titius neq; conſenſit, neq; pecuniam accepit, neq; in eam rem cauit, aut ſe cõparationibus cum cæteris miſcuit. & poſt mortem patris in reliqua collegarũ interpellari cœpit. quæritur, an ex ea cauſſa teneri poſſit? Paulus reſpondit. eum, qui iniunctum munus à magiſtratibus ſuſcipere ſuperſedit, poſſe conueniri eo nomine propter damnũ reipublicæ: quamuis eo tempore, quo creatus eſt, in aliena fuerit poteſtate. Paulus reſpondit eos, qui pro alijs, non ex cõtractu, ſed ex officio, quod adminiſtrauerint, cõueniuntur: in damnũ ſortis ſubſtitui ſolere, nõ etiam in uſuras. Idem reſpondit. hæredes patris propter munera filij, quæ poſt mortẽ patris ſuſcepit, iure conueniri non poſſe. Hoc reſponſum & ad eum pertinet, qui à patre decurio factus, poſt mortem patris munera ſuſceperit. Idem reſpondit. eũ, qui decurionẽ adoptauit, onera decurionatus eius uideri ſuſcepiſſe exemplo patris, cuius uoluntate filius decurio factus eſt. Idem reſpondit. cõſtante matrimonio dotem in bonis mariti eſſe. ſed ſi ad munera municipalia accepto modo ſubſtantiæ uocetur: dotem non debere computari. Idem reſpondit. ſi per accuſatorem criminũ capitalium non ſtetiſſet, quo minus crimen intra ſtatutum tempus perſequeretur: reum non debuiſſe medio tempore honorem appetere. Imperator Seuerus & Antoninus Auguſti Septimio Zenoni. Pro infante filio, quem decurionem eſſe uoluiſti, quanquam fidem tuam in poſterum adſtrinxeris: tamen interim onera ſuſtinere non cogeris: cum ad ea, quæ mandari poſſunt, uoluntatem dediſſe uidearis. Idem reſpondit. ſi ciuitas nullam propriam legem habet de adiectionibus admittendis, nõ poſſe recedi à locatione uel uenditione prædiorũ publicorum iam perfecta. tempora enim adiectionibus præſtituta ad cauſſas fiſci pertinere.

XXII. VLPIANVS.

FIlij libertorũ libertarũq;, ut liberti, paterni patroni & manumiſſoris domicilium aut originem ſequuntur. Vidua mulier amiſſi mariti domicilium retinet, exemplo clariſſimæ perſonæ per maritum factæ.

factæ. sed utrunq; alijs interuenientibus nuptijs permutatur. Municipes sunt liberti & in eo loco, ubi ipsi domicilium sua uoluntate tulerunt: nec aliquod ex hoc origini patroni faciunt præiudiciũ: & utrubiq; muneribus adstringuntur. Relegatus in eo loco, in quem relegatus est, interim necessarium domicilium habet. Senator ordine motus ad originalem patriam (nisi specialiter hoc impetrauerit) non restituit̃.

Senatores, & eorũ filij filiæq; (quoquo tempore nati natæue) item q; nepotes, & pronepotes ex filio, origini eximuntur: licet municipalem retineãt dignitatem. Senatores, qui liberum commeatum, id est ubi uelint morandi arbitriũ, impetrauerunt: domicilium in urbe retinent.

Qui fœnus exercent, omnibus patrimonij intributionibus fungi debent, & si possessionem non habeant.

XXIII. HERMOGENIANVS.

MVniceps desinit esse, senatoriam adeptus dignitatem. hoc autẽ, quantum ad munera. quantum uero ad honorem: retinere creditur originem. deniq; manumissi ab eo eius municipij efficiuntur municipes, unde originẽ trahit. Miles ibi domicilium habere uidetur, ubi *meret, & si nihil in patria possideat.

*al's. moratur.

XXIIII. SCAEVOLA.

COnstitutionibus principum continetur, ut pecuniæ, quæ ex detrimento soluitur, usuræ non præstentur: & ita imperatores Seuerus & Antoninus Augusti rescripserunt his uerbis. Humanum est, reliquorum usuras, neq; ab ipso, qui ex administratione honoris reliquatus est: neq; à fideiussore eius, & multo minus à magistratibus, qui cautionem acceperint, exigi. cui consequens est, ut ne in futurum à forma obseruata discedatur.

XXV. VLPIANVS.

MAgistratus municipales, cum unum magistratum administrãt, etiam unius hominis uicem sustinent. & hoc plerunq; quidem lege municipali eis datur. uerum & si non sit datum, dummodo nõ denegatum, moribus competit.

XXVI. PAVLVS.

EA, quæ magis imperij sunt, quàm iurisdictionis, magistratus municipalis facere non potest. Magistratibus municipalibus non permittitur in integrum restituere, aut bona rei seruandæ caussa iubere possidere, aut dotis seruandæ caussa, uel legatorum seruandorum.

XXVII. VLPIANVS.

EIus, qui manumisit, municeps est manumissus, nõ domiciliũ, sed patriam eius secutus. & si patronum habeat duarum ciuitatũ municipem: per manumissionem earundem ciuitatum est municeps.

Si quis

Si quis negocia sua non in colonia, sed in municipio semper agit: in illo uendit, emit, contrahit, in eo foro, balneo, spectaculis utitur, ibi festos dies celebrat, omnibus denique municipij commodis, nullis colonia rum fruitur: ibi magis habere domiciliũ, quàm ubi colendi ruris caussa uersat̃, uidetur. Celsus libro primo digestorum scribit: si quis instructus sit duobus locis æqualiter, neq; hic minus, quàm illic frequenter cõ moretur: ubi domicilium habeat, existimationem animi esse accipiendam. ego dubito, si utrubiq; destinato sit animo, an possit quis duobus locis habere domicilium. & uerum est habere, licet difficile est: quemadmodum difficile est sine domicilio quenquam esse. puto autem uerius & hoc procedere posse, si quis domicilio relicto nauiget, uel iter faciat, quærens quò se conferat, atq; ubi consistat. nam hunc primũ puto sine domicilio esse. Domicilium autem habere potest & relegatus eò loci, unde arcetur, ut Marcellus scribit.

XXVIII. PAVLVS.

INter conuenientes & de re maiore apud magistratus municipales agetur

XXIX. CAIVS.

INcola & his magistratibus parére debet, apud quos incola est: & illis, apud quos ciuis est. nec tantum municipali iurisdictioni in utroq; municipio subiectus est, uerum etiam omnibus publicis muneribus fungi debet.

XXX. VLPIANVS.

QVi ex uico ortus est, eam patriã intelligitur habere, cui rei publicæ uicus ille respondet.

XXXI. MARTIANVS.

NIhil est impedimento, quo minus quis, ubi uelit, domicilium habeat, quod ei interdictum non sit.

XXXII. MODESTINVS.

EA, quæ desponsa est, ante contractas nuptias suum non mutat domicilium.

XXXIII. IDEM.

ROma communis patria nostra est.

XXXIIII. IDEM.

INcola iam muneribus publicis destinatus, nisi perfecto munere, incolatui renunciare non potest.

XXXV. IDEM *lib. I. exaſationum.*

Εἰδέναι χρὴ, ὅτι ὁ ἐν ἀγρῷ καταμένων, ἐγκόλας οὐ νομίζεται. ὁ γὰρ ἐκεῖνης τῆς πόλεως δημοσίοις μὴ χρώμενος, οὕτω οὐ νομίζεται ἐγκόλας.

XXXVI. IDEM.

TItio, cum esset Romæ studiorum gratia, epistola missa est à magistratibus patriæ suæ, ut porrigeret Imperatori decretum eiusdem ciuitatis, quod erat cum ipsa epistola missum. Is autem qui susceperat literas restituendas, collusione facta, dedit Lucio, qui & ipse Romæ morabatur suæ rei gratia. sublato Titij nomine, cui erat decretū missum, ut per ipsum daretur, suum nomen inscripsit, & sic Imperatori decretū secundum mandata reipublicæ dedit. quæro, quis uiaticum ab eo petere potuerit? & quid cōmisisse uideatur is, qui non restituit literas ei, cui restituere mādatum susceperat: & is, qui sublato alieno nomine, inscriptoq; suo, quasi ipse iussus à patria decretum Imperatori porrexit? Herennius Modestinus respondit. Titium quidem uiaticum petere non posse: sed eū, qui nomen indidisset. Titius pro pecunia publica, quam ipse credidit, pignus accepit. pacto facto cum debitore, ut non soluto debito, sine ulla repromissione distrahatur pignus: succedentes gradu in locum Titij nomen & pignus probauerunt usq; ad Mæuium. ex uenditione pignoris propter remissionem à magistratu uendentibus factam, pro modo fundi demonstrato satis debito factum nō est. quærebatur, quis rei publicæ teneatur? Herennius Modestiuus respondit. Titiū, cū successores eius nominis periculum agnouerint, eo nomine obstrictū non esse. sed nec post magistratus, qui uendidisse proponuntur: cum uidelicet pluris uendiderint propter mensuræ agri demonstrationem, & hoc (quia pluris uendiderūt) restituere minore modo deprehenso iussi sint. eum igitur, qui nouissimus nomen probauit, indemnitati rei publicæ satisfacere debere, si nomen ad successorem idoneum transmissse non doceatur.

XXXVII. CALLISTRATVS.

DE iure omnium incolarum, quod quæq; ciuitates sibi uindicant, præsidum prouinciarum cognitio est. eum tamē, qui se negat incolam esse, apud eum præsidem prouinciæ agere debet, sub cuius cura est ea ciuitas, à qua uocatur ad munera: non apud eam, ex qua ipse se dicit oriundum esse. idq; diuus Hadrianus rescripsit mulieri, quæ aliunde orta, alibi nupta est. Libertos & eo loco munus facere debere, un de patrona erit, & ubi ipsi domicilium habebunt, placet. Mulieres, quæ in matrimonium se dederint non legitimum: non ibi muneribus functuras, unde mariti sunt earum, sciendum est: sed unde ipsæ ortæ sunt. idq; diui fratres rescripserunt.

XXXVIII. PAPYRIVS IVSTVS.

IMperatores Seuerus & Antoninus rescripserunt: gratiam se facere iurisiurandi ei, qui iurauerat se ordini nō interfuturum, & postea dumuuir creatus esset. Item rescripsit Seuerus, colonos prædiorū fisci

mune

muneribus fungi ſine damno fiſci oportere: idq; excutere præſidem, adhibito procuratore, debere. Imperatores Verus & Antoninus reſcripſerunt, ad magiſtratus officium pertinere exactionem pecuniæ legatorum. & ſi ceſſauerint: ipſos, uel hæredes conueniri: aut ſi ſoluendo non ſint, fideiuſſores eorum, qui pro his cauerint. Item reſcripſerunt, mulierem, quàmdiu nupta eſt, incolam eiuſdem ciuitatis uideri, cuius maritus eius eſt: & ibi, unde originem trahit, non cogi muneribus fungi.

Item reſcripſerunt: patris, qui conſultò filiũ emancipauerat, ne pro magiſtratu eius caueret: perinde bona teneri, atq; fideiuſſor pro eo exſtitiſſet. Item reſcripſerunt: cum quæritur, an municeps quis ſit, etiam ex ipſis rebus probationes ſumi oportere. nam ſolam nominis ſimilitudinem ad confirmandam cuiuſq; originem ſatis non eſſe.

Imperatores Verus & Antoninus reſcripſerunt: non minus eos, qui compulſi magiſtratu funguntur, cauere debere: quàm qui ſponte officium agnouerunt.

DE DECVRIONIBVS, ET FILIIS eorum. Tit. II.

I. VLPIANVS.

DEcuriones, quos ſedibus ciuitatis, ad quam pertinent, relictis, in alia loca tranſmigraſſe probabitur: præſes prouinciæ reuocare in patrium ſolum, & muneribus congruentibus fungi curet.

II. IDEM.

QVi ad tempus relegatus eſt, ſi decurio ſit: deſinet eſſe decurio. reuerſus planè locũ ſuum quidem non obtinebit: ſed non ſemper prohibebitur decurio fieri. deniq; in locum ſuum non reſtituetur. nam & ſublegi in locum eius poteſt. & ſi numerus ordinis plenus ſit: exſpectare eum oportet, donec alius uacet. Alia cauſſa eſt eius, qui ad tempus ordine remouetur. hic enim impleto tempore decurio eſt. ſed & in huius locum ſublegi poterit. ſed & ſi locum plenum inuenerit: exſpectet, donec locus uacet. Reſtitutus tamẽ in ordine, utrum eum ordinem teneat, quem primum habuit: an uero, quem nunc nactus eſt, quæri poteſt. & ſi forte de ordine ſententiarum dicendarum agatur: arbitror tamen eundem ordinem tenere, quem pridem habuit. non idem erit in eo, qui ad tempus relegatus eſt. nam hic uelut nouus in ordine uenit.

In filiis decurionum quæſtio eſt, utrum is ſolus decurionis filius eſſe uideatur, qui cõceptus & natus eſt ex decurione: an uero & is, qui antea natus eſt, quàm pater decurio fieret? & quidem quantum pertinet, ne

fustibus castigetur, & ne in metallum detur: non nocet plebeio patre esse natum, si postea honor decurionis patri eorũ accesserit. In quo quoq; Papinianus idem respondit, ne patris nota filius maculetur. sed si pater ipsius ordine motus sit: siquidem ante conceptionem eius moueatur: arbitror eum quasi plebeij filium in honoribus spectari. quod si post conceptionem ipsius pater dignitatem amiserit: dicendum erit benigne, ut decurionis filium intuendum. Proinde hic quoq;, qui post patris relegationem natus est, siquidem ante conceptus sit: similis senatoris filio habebitur. si postea: nocebit illi relegatio. Si ad tempus ordine moto patre fuerit natus, medioq; tempore conceptus & editus: an quasi decurionis filius nascat, licet pater eius ante obierit, quàm in ordinem uenerit? quod benigne erit admittendũ. Præterea si conceptus sit à plebeio, mox ante editionem pater eius decurionatum adeptus, ante editionem amiserit: non infauorabiliter quis medium tempus illi, prodesse, ueluti iam nato respondi. Nullum patris delictum innocenti filio pœnæ est. ideoq; nec ordine decurionum, aut cæteris honoribus propter eiusmodi causſam prohibetur. Maiores annis quinquagintaquinq; ad decurionatus honorem inuiti uocari, constitutionibus prohibentur. Sed si ei rei consenserint: & si maiores annis septuaginta sint: munera quidẽ ciuilia subire non coguntur, honores aũt gerere debent.

III. IDEM.

GEneraliter id erit defendendum, ut qui clementiorem sententiã passus est, ob hoc q; ad tempus relegatur: boni consulere debeat humanitatẽ sententiæ, si nec decurionatũ recipiat. Sed si quis ob *falsi causſam, uel aliam de grauioribus, non ad tempus relegatus, sed ad tempus sit ordine motus: in ea est causſa, ut possit in ordinem redire. Imperator enim Antoninus edicto proposito statuit, ut cuicunq;, aut quacunq; causſa, ad tempus ordine, uel aduocationibus, uel quo alio officio fuisset interdictum: completo tempore nihilominus fungi honore uel officio possit. & hoc recte. neq; enim exaggeranda fuit sententia, quæ modum interdictioni fecerat. Spurios posse in ordinem allegi, nulla dubitatio est. sed si habet cõpetitorem legitime quæsitum: præferri eũ oportere, diui fratres Lolliano Auito Bithyniæ præsidi rescripserũt. Cessantibus uero his, etiam spurij ad decurionatum, & re, & uita honesta, recipientur. quod utiq; non sordi erit ordini: cum ex utilitate eius sit, semper ordinem plenum habere. Eis, qui Iudaicam superstitionem sequuntur, diui Verus & Antoninus honores adipisci permiserunt: sed & necessitatem eis imposuerunt, qui superstitionem eorum non læderent.

*aliàs. falsam.

IIII. MARTIANVS.

Decurio

DEcurio, qui prohibetur conducere quædam, si iure successerit in conductionem, remanet in ea. quod & in omnibus similibus seruandũ est.

V. PAPINIANVS.

AD tempus ordine motos ex crimine, quod ignominiam importat, in perpetuũ moueri placuit: ad tempus autem exsulare iussos ex crimine leuiore, uelut transacto negocio, non esse inter infames habendos.

VI. IDEM.

SPurij decuriones fiunt. & ideo fieri poterit ex incesto quoq; natus. non enim impedienda est dignitas eius, qui nihil admisit. Minores uigintiquinq; annorum decuriones facti, sportulas decurionum accipiunt: sed interim suffragium inter cæteros ferre non possunt. Decurio etiam suæ ciuitatis uectigalia exercere prohibetur. Qui iudicij publici quæstionem citra ueniam abolitionis deseruerunt, decurionum honore decorari non possunt: cum ex Turpilliano senatusconsulto notentur ignominia, ueluti calumniæ caussa iudicio publico damnati. Pater, qui filio decurione creato prouocauit, & si præscriptione temporis exclusus fuerit, si quod gestũ est, non habuit ratum: ciuilibus muneribus pro filio non tenebitur. Priuilegijs cessantibus cæteris, eorum potior caussa habetur in sententijs ferendis, qui pluribus eodem tempore suffragijs iure decurionis decorati sunt. Sed & qui plures liberos habent in suo collegio, primus sententiam rogatur, cæterosq; honoris ordine præcellit.

VII. PAVLVS.

HOnores & munera non ordinatione, sed potioribus quibusq; iniungenda sunt. Surdus & mutus, si in totum non audiant, aut non loquantur, ab honoribus ciuilibus, non etiam â muneribus excusantur. Is, qui non sit decurio, duumuiratu uel alijs honoribus fungi nõ potest: quia decurionum honoribus plebeij fungi prohibent. Ad decurionatum filij ita demum pater non consentit: si contrariam uoluntatem uel apud acta præsidis, uel apud ipsum ordinem, uel quo alio modo contestatus sit.

VIII. HERMOGENIANVS.

DEcurionibus facultatibus lapsis alimenta decerni permissum est: maxime, si ob munificentiã in patriam patrimoniũ exhauserint.

IX. PAVLVS.

SEuerus Augustus dixit. & si probaretur Titius in seruitute sui patris natus: tamen cum ex libera muliere sit procreatus, non prohibetur decurio fieri in sua ciuitate. Non dubitandum, quin nauicularij non debeant decuriones creari.

X. MODESTINVS.

HErennius Modeſtinus reſpondit, ſola albi perſcriptione minime decurionẽ factum, qui ſecundum legem decurio creatus non ſit.

XI. CALLISTRATVS.

NOn tantum qui teneræ ætatis, ſed etiam qui grandes natu ſunt, decuriones fieri prohibentur: illi quaſi inhabiles rempublicã tueri ad tempus excuſantur, hi uero & in perpetuũ amouentur. non aliâs ſeniores: ne ſeniorum excuſatione iuniores onerentur, ad omnia munera publica ſuſcipienda ſoli relicti. neq; enim minores ungintiquinq; annis decuriones allegi, niſi ex cauſſa poſſunt: neq; hi, qui annum quinquageſimũ & quintum exceſſerunt. nonnunquã etiam longa conſuetudo in ea re obſeruata reſpicienda erit: quod etiam cuſtodiendũ, principes noſtri conſulti de allegendis in ordinẽ Nicomedenſiũ huius ætatis hominibus, reſcripſerunt.

XII. IDEM.

EOs, quĩ utenſilia negociantur, & uendunt: licet ab ædilibus cædantur: non oportet quaſi uiles perſonas negligi. deniq; non ſunt prohibiti huiuſmodi homines decurionatũ uel aliquem honorem in ſua patria petere. nec enim infames ſunt. ſed ne quidem arcentur honoribus, qui ab ædilibus flagellis cæſi ſunt: quanquã iure ſuo ita ædiles officio iſto funganť. inhoneſtũ tamẽ puto eſſe, huiuſmodi perſonas flagellorum ictibus ſubiectas in ordinem recipi: & maxime in eis ciuitatibus, quæ copiam uirorum honeſtorũ habeant. nam paucitas eorũ, qui muneribus publicis fungi debeant, neceſſariò hos etiam ad dignitatẽ municipalem, ſi facultates habeant, inuitat.

XIII. PAPYRIVS IVSTVS.

IMperatores Antoninus & Verus reſcripſerũt, in tempus relegatos, & reuerſos, in ordinem allegi ſine permiſſu principis nõ poſſe. item reſcripſerũt, relegatos nõ poſſe tempore finito in ordine decurionum allegi: niſi eius ætatis fuerint, ut nondũ decuriones creari poſſint: & dignitas certã ſpem eius honoris ĩjs fecerit, ut princeps indulgere poſſit.

Item reſcripſerũt, eum, qui in relegatione natus eſt, non prohiberi honore decurionatus fungi. Item reſcripſerunt, nõ admitti contradicere uolentem, quod non recte quis ſit creatus decurio, cum initio contradicere debuit.

XIIII. PAVLVS.

DE decurione damnato non debere quæſtionem haberi: diuus Pius reſcripſit. unde etiam ſi deſierit decurio eſſe, deinde damnetur: non eſſe torquendum in memoriam prioris dignitatis, placet.

De albo

DE ALBO SCRIBENDO. Tit. III.

I. VLPIANVS.

DEcuriones in albo ita ſcriptos eſſe oportet, ut lege municipali præcipitur. ſed ſi lex ceſſat: tunc dignitates erũt ſpectandæ, ut ſcribantur eo ordine, quo quiſq; eorum maximo honore in municipio functus eſt. puta qui duumuiratũ geſſerunt (ſi hic honor præcellat) & inter duumuirales antiquiſſimus quiſq; prior. deinde qui ſecundo poſt duumuiratũ honore in re publica functi ſunt. poſt eos, qui tertio, & deinceps. mox hi, qui nullo honore functi ſunt, prout quiſq; eorum in ordinem uenit. In ſententijs quoq; dicendis idem ordo ſpectandus eſt, quem in albo ſcribendo diximus.

II. IDEM.

IN albo decurionũ & municipũ nomina ante ſcribi oportet eorum, qui dignitates principis iudicio conſecuti ſunt: poſtea eorũ, qui tantum municipalibus honoribus functi ſunt.

DE MVNERIBVS ET HONORIBVS. Tit. IIII.

I. HERMOGENIANVS.

MVnerum ciuilium quædam ſunt patrimonij, alia perſonarum. patrimonij ſunt munera rei uehicularis, item nauicularis, decemprimatus. ab iſtis enim periculo ipſorũ exactiones ſolenniũ celebrantẽ. Perſonalia ſunt ciuilia munera, defenſio ciuitatis, id eſt, ut ſyndicꝰ fiat, legatio ad cenſus accipiendos, ut patrimoniũ ſcribatẽ, καμηλλασία, annonæ ac ſimilium cura, prædiorum publicorum, frumenti comparandi, aquæductus, equorum circenſium, ſpectacula, publicæ uiæ munitiones, arcæ frumentariæ, calefactiones thermarum, annonæ diuiſio, & quæcunq; aliæ curæ ſunt ſimiles iſtis. ex his enim, quæ retulimus, cætera per leges cuiuſq; ciuitatis, & ex cõſuetudine longa intelligi poterunt. Illud tenendum eſt generaliter: perſonale quidem munus eſſe, quod cum corporibus, cum labore, cum ſollicitudine animi ac uigilantia principaliter exſtitit. patrimoniale uero, in quo ſumptus maxime poſtulantur. Aeque perſonale munus eſt tutela, cura adulti, furioſiũe, item pupilli, muti, & uentris, etiam ad exhibendum cibum, potum, tectum, & ſimilia. ſed & cuius officio in bonis uſucapiones interpellantur, ac ne debi

debitores liberentur,prouidetur. Item ex Carboniano edicto bonorũ poſſeſſione petita,ſi ſatis non detur,cuſtodiendis bonis curator datus, perſonali fungit munere. his ſimiles ſunt bonis dati curatores,quæ furũt eius,qui ab hoſtibus captus eſt,& reuerti ſperatur. item cuſtodiendis ab eo relictis bonis,cui necdum quiſquam ciuili uel honorario iure ſucceſſit,curatores conſtituti.

II. VLPIANVS.

QVod ad honores pertinet,creditur in poteſtate filium habere etiam is,qui in patris poteſtate eſt.

III. IDEM.

ET qui originem ab urbe Roma habent,ſi alio loco domiciliũ conſtituerint,munera eius ſuſtinere debẽt. His,qui caſtris operam per militiam dant,nullum municipale munus iniungi poteſt. cæteri autem priuati,quamuis militum cognati ſunt,legibus patriæ ſuæ & prouinciæ obedire debent. Si in metallum datus in integrum reſtitutus ſit:perinde,ac ſi nec damnatus fuiſſet, ad munera aut honores uocat̃: nec opponet fortunam & caſus triſtiores ſuos ad hoc ſolum,ne patriæ idoneus ciuis eſſe uideatur. Corporalia munera fœminis ipſe ſexus denegat. quo minus honores uel munera ipſis iniunguntur. Filio,ſi nullam habet excuſationem,intercedere pater, in cuius poteſtate eſt, ius non habet. Quod pater non conſenſit honoribus ſiue muneribus filij,ne illius patrimonium oneri ſubijciatur, præſtat defenſionem: non ciuem patriæ utilitatibus,quatẽnus poteſt,aufert. Quãuis maior ſeptuaginta annis,& quinq; liberorũ incolumium pater ſit, ideoq; à muneribus ciuilibus excuſetur:filij tamen eius ſuo nomiñe cõpetentia munera agnoſcere debent. ideo enim proprium præmium immunitatis propter filios patribus datum eſt,quod illi ſubibunt. Vitricus onera munerum ciuilium nomine priuigni ſui ſuſcipere nulla iuris ratione cogitur. Liberti muneribus fungi debent apud originem patronorũ:ſed ita,ſi ſua patrimonia habeãt ſuffectura oneribus. res enim patronorum muneribus libertinorum ſubiecta non eſt. Quod pater in reatu criminis alicuius eſt,filijs impediměto ad honores eſſe nõ debet. Decaprotos etiam minores annis uigintiquinq; fieri(non militantes tamen)pridem placuit:quia patrimonij magis onus uidetur eſſe. Exactionem tributorum onus patrimonij eſſe conſtat. Cura frumenti comparandi munus eſt: & ab eo ætas ſeptuaginta annorum, uel numerus quinq; liberorum incolumium excuſat. Eos milites, quibus ſuperuenientibus hoſpitia præberi in ciuitate oportet, per uices ab omnibus,quos munus contingit,ſuſcipi oportet. Munus hoſpitis in domo recipiendi,non perſonæ,ſed patrimonij onus eſt. Præſes pro

ſes prouinciæ ꝓuideat munera & honores in ciuitatibus æqualiter per uices ſecundum ætates,& dignitates,aut gradus munerũ honorumq; qui antiquitus ſtatuti ſunt,iniungi:ne ſine diſcrimine & frequenter his oppreſſis,ſimul uiris & uiribus reſpublicæ deſtituantur. Si duo filij in poteſtate patris ſunt eodem tempore: munera eorum pater ſuſtinere non compellitur. Si is,qui duos filios relinquebat,nihil de expediendis muneribus alterius filij ex communi patrimonio ſupremis ſuis cauit:proprijs ſumptibus & munera & honores,qui ei iniungent̃, ſuſcipere debet:quamuis pro altero uiuus pater eiuſmodi onera expedierit.

IIII. IDEM.

CVra exſtruẽdi uel reficiendi operis in ciuitate munus publicum eſt,à quo quinq; liberorum incolumium pater excuſatur: nec ſi per uim extortũ munus fuerit,excuſationem,quam habet, ab alijs muneribus aufert. Deficientiũ facultatibus ad munera uel honores,qui indicuntur, excuſatio non perpetua,ſed temporalis eſt.nam ſi ex uoto honeſtis rationibus patrimonium incrementum acceperit:ſuo tempore an idoneus ſit aliquis ad ea,quæ creatus fuerit,æſtimabit̃. Inopes onera patrimonij ipſa non habendi neceſſitate non ſuſtinent: corpori autem indicta obſequia ſoluunt. Qui obnoxius muneribus ſuæ ciuitatis,nomen militiæ defugiendi oneris municipalis gratia dedit,deteriorem cauſſam reipublicæ facere non potuit.

V. SCAEVOLA.

NAuicularij & mercatores olearij,qui magnam partem patrimonij ei rei contulerunt,intra quinquennium muneris publici uacationem habent.

VI. VLPIANVS.

REſcripto diuorum fratrum ad Rutilium Lupum ita declaratur. conſtitutio,qua cautum eſt, prout quiſq; decurio creatus eſt, ut ita magiſtratum apiſcatur:toties ſeruari debet,quoties idoneos & ſuffi cientes omnes eſſe contingit. cæterum ſi ita quidam tenues & exhauſti ſunt,ut non modo publicis honoribus pares non ſint,ſed & uix de ſuo uictum ſuſtinere poſſint:& minus utile,& nequaquam honeſtum eſt,talibus mandari magiſtratum: præſertim cum ſint, qui cõuenienter rei, & ſuæ fortunæ, & ſplendori publico poſſunt creari. Sciant igitur locupletiores, non debere ſe hoc prætextu legis uti: & de tempore, quo quiſq; in curiam allectus ſit,inter eos demum eſſe quærendum,qui pro ſubſtantia ſua capiant honoris dignitatem. Debitores rerum publicarum ad honores inuitari non poſſe,certum eſt:niſi prius in id, qđ debetur, reipublicæ ſatisfecerint. Sed eos demum debitores rerum publicarum accipere debemus,qui ex adminiſtratione reipublicæ reli

quantur. cæterum si non ex administratione sunt debitores, sed mutuam pecuniam reipublicæ acceperunt: non sunt in ea caussa, ut honoribus arceantur. Planè uice solutionis sufficit, ut quis aut pignoribus, aut fideiussoribus idoneis caueat. & ita diui fratres Aufidio Herenniano rescripserũt. Sed & si ex pollicitatione debeant, quæ tamen pollicitatio recusari non potest: in ea sunt conditione, ut honoribus arceantur. Si quis accusatorem non habeat: ab honoribus prohiberi nõ debet: quemadmodum nõ debet is, cuius accusator destiterit. ita enim Imperator noster cum diuo patre suo rescripsit. Sciendum est, quædam esse munera aut personæ, aut patrimoniorum: itidem quosdam esse honores. Quæ munera patrimonijs iniunguntur, uel intributiones, talia sunt, ut neq; ætas ea excuset, nec numerus liberorum, nec alia prærogatiua, quæ solet à personalibus muneribus exuere. sed eiũ hæc munera, quæ patrimonijs indicuntur, duplicia sunt. nam quædam possessoribus iniunguntur, siue municipes sunt, siue non sunt: quædam non nisi municipibus uel incolis. intributiones, quæ ex agris fiunt, uel ædificijs: possessoribus indicuntur. munera uero, quæ patrimoniorum habentur: non alijs, quàm municipibus, uel incolis.

VII. MARTIANVS.

REus delatus, etiam ante sententiã honores petere, principalibus constitutionibus prohibetur. nec interest, plebeius, an decurio fuerit. sed post annum, quàm reus delatus est, petere non prohibetur: nisi per ipsum steterit, quominus caussa intra annum expediretur. Eum, contra quem propter honores appellatum est, si pendente appellatione usurpauerit honorem: coërcendum, diuus Seuerus rescripsit. ergo & si is, qui honoribus secundum sententiam uti prohibitus est, appellauerit: abstinere interim à petitione honoris debebit.

VIII. VLPIANVS.

ADrem publicam administrandam ante uicesimumquintũ annum, uel ad munera, quæ non patrimonij sunt, uel honores, admitti minores non oportet. minores deniq;, nec decuriones creantur, nec creati suffragiũ in curia ferunt. Annus autem uicesimusquintus cœptus pro pleno habetur. hoc eiũ in honoribus fauoris caussa constitutum est, ut pro plenis incohatos accipiamus. Sed & in his honoribus, in quibus rei publicæ cura consistit, ei non committitur. cæterum cum damno publico honorẽ ei committi, non est dicendum, etiã cum ipsius pernicie minoris.

IX. IDEM.

SI quis magistratus in municipio creatus, munere iuncto fungi detrecter: per præsidem munus agnoscere cogendus est remedijs, quibus

quibus tutores quoque ſolent cogi ad munus, quod iniunctum eſt, agnoſcendum.

X. MODESTINVS.

HOnorem ſuſtinenti munus imponi non poteſt: munus ſuſtinenti honor deferri poteſt.

XI. IDEM.

VT gradatim honores deferantur, edicto: & ut à minoribus ad maiores perueniatur, epiſtola diui Pij ad Titianũ exprimitur. Et ſi lege municipali caueatur, ut præferantur in honoribus certæ conditionis homines: attamen ſciendum eſt, hoc eſſe ſeruãdum, ſi idonei ſint. & ita reſcripto diui Marci continetur. Quoties penuria eſt eorum, qui magiſtratum ſuſcipiunt: immunitas ad aliquid infringitur, ſicuti diui fratres reſcripſerunt. Reprobari poſſe medicũ à republica, quãuis ſemel probatus ſit, diuus Magnus Antoninus reſcripſit. Eos, qui primis literis pueros imbuunt, non habere uacationem, diuus Antoninus reſcripſit.

XII. IABOLENVS.

CVi muneris publici uacatio datur, ei non remittitur, ne magiſtratus fiat: quia id ad honorem magis, quàm ad munera pertinet. cætera omnia, quæ ad tempus extra ordinem exiguntur, ueluti munitio uiarum, ab huiuſmodi perſona exigenda non ſunt.

XIII. IDEM.

VAcatio, itemq; immunitas, quæ liberis & poſteris alicuius data eſt, ad eos duntaxat pertinet, qui eius familiæ ſunt.

XIIII. CALLISTRATVS.

HOnor municipalis eſt adminiſtratio reipublicæ cum dignitatis gradu, ſiue cum ſumptu, ſiue ſine erogatione contingens. Munus aut publicum, aut priuatum eſt. publicum munus dicitur, quod in adminiſtranda republica cum ſumptu ſine titulo dignitatis ſubimus.

Viarum munitiones, prædiorum collationes, non perſonæ, ſed locorum munera ſunt. De honoribus ſiue muneribus gerendis cũ quæritur: in primis conſideranda perſona eſt eius, cui defertur honor, ſiue muneris adminiſtratio. item origo natalium. facultates quoq; an ſufficere iniũcto muneri poſſint. item lex, ſecundum quã muneribus quiſq; fungi debeat. Plebeij filiusfamilias periculo eius, qui nominauit, tenebitur: idq; Imperator noſter Seuerus Auguſtus in hæc uerba reſcripſit. Si in numero plebeiorum filius tuus eſt: quanquam inuitus honores ex perſona filij ſuſcipere cogi non debeas: tamen reſiſtere, quo minus patriæ obſequatur periculo eius, qui nominauit, iure patriæ poteſtatis non potes. Gerendorum honorum non promiſcua facultas

est,sed ordo certus huic rei adhibitus est.nam neq; prius maiorem magistratum quisquam,nisi minorem susceperit,gerere potest: neq; ab omni ætate:neq; cõtinuare quisq; honores potest. Si alij nõ sunt,qui honores gerant:eosdem compellendos,qui gesserunt,q; plurimis constitutionibus cauetur.diuus etiam Hadrianus de iterandis muneribus rescripsit in hæc uerba. Illud cõsentio,ut si alij nõ erunt idonei, qui hoc munere fungantur:ex his,qui iam functi sunt,creentur.

XV. PAVLVS.

ET si filium decurionem pater esse uoluit: tamen defuncto eo, honores,qui filio decurioni congruentes post mortem patris obtigerunt,ad onus cohæredis filij non pertinent,cum ei decurioni sufficientes facultates pater reliquerit.

XVI. PAPINIANVS.

AEstimationem honoris aut muneris in pecunia pro administratione offerentes,audiendi non sunt. Qui pro honõre pecuniã promisit,si soluere eam cœpit:totam præstare operis incohati exemplo cogendus est. Inuitus filius pro patre rempublicam saluam fore cauere non cogitur. Defensionem reipublicæ amplius,quàm semel,suscipere nemo cogitur:nisi id fieri,necessitas postulet.

XVII. HERMOGENIANVS.

SPonte prouinciæ sacerdotium iterare nemo prohibetur. Immunis ab honoribus & muneribus ciuilibus,si decurioni creato filio, quem habet in potestate,cõsentiat:muneribus & honoribus sumptus subministrare filio compellitur.

XVIII. ARCADIVS *lib. singulari de muneribus ciuilibus.*

MVnerum ciuilium triplex diuisio est,nam quædam munera personalia sunt,quædam patrimoniorum dicuntur, alia mista.

PERSONALIA sunt,quæ animi prouisione & corporalis laboris intentione sine aliquo gerentis detrimento perpetrantur:ueluti tutela, cura. calendarij quoq; curatio,& quæstura in aliqua ciuitate inter honores non habetur,sed personale munus est.tironum, siue equorum productio,& si qua alia animalia necessaria producenda, uel res perueheudæ,siue persequendæ sunt,uel pecuniæ fiscales,siue annona,uel uestis, personæ munus est. cursus uehicularis sollicitudo, item angariarum *præhibitio personale munus est. cura quoq; emendi frumẽti & olei. nã & harũ specierum curatores, quos Græci σιτῶνας καὶ ἐλαιῶνας appellant,creari moris est. Inter personalia munera in quibusdã ciuitatibus numerant & calefactio publici balnei,si ex reditibus alicuius ciuitatis curatori pecunia subministratur. sed & cura custodiẽdi aquæ ductus personalibus muneribus aggregatur. Irenarchæ quoq;, qui disciplinæ publicæ

als *præ-
itio.

publicæ & corrigendis moribus præficiuntur. sed & qui ad faciendas uias eligi solent, cum nihil de proprio patrimonio in hoc munus conferant. Item & episcopi, qui præsunt pani & cæteris uenalibus rebus, quæ ciuitatum populis ad quotidianũ uictum usui sunt, personalibus muneribus funguntur. Qui annonam suscipit, uel exigit, uel erogat, & exactores pecuniæ pro capitibus personalis muneris sollicitudinem sustinent. sed & curatores, qui ad colligendos ciuitatum publicos reditus eligi solent, personali muneri subiugantur. Hi quoq;, qui custodes ædium (ut archeotæ) uel logographi, uel tabularij, uel xenopa rochi (ut in quibusdam ciuitatibus) uel limenarchæ, uel curatores ad exstruenda uel reficienda ædificia publica, siue palatia, siue naualia, uel mansiones destinantur: (si tamen pecuniam publicam in operis fabricam erogent) & qui faciendis uel reficiendis nauibus, ubi usus exigit, ponunt: muneribꝰ personalibus adstringuntur. *Camelelasia quoq; similiter personale munus est. nam ratione habita & alimentorum, & camelorum, certa pecunia camelarijs dari debet, ut solo corporis ministerio obligentur. hos ex alio ordine uocari, nec ulla excusatione liberari, nisi sola læsi & inutilis corporis infirmitate, specialiter expressum est. Legati quoq;, qui ad sacrarium principis mittuntur: quia uiaticum (quod legatiuum dicitur) interdum solent accipere. sed & nicostrategi, & pistrinorum curatores personale munus ineunt. Defensores quoq;, quos Græci συνδίκους appellant, & qui ad certam causam agendam uel defendendam eliguntur, laborem personalis muneris aggrediuntur. Iudicandi quoq; necessitas inter munera personalia habetur. Si quis etiam fuerit electus, ut compellat eos, qui propè uiam publicam possident, sternere uiam, personale munus est. pari modo qui acceptandis siue suscipiendis censualibus professionibus destinantur, ad personalis muneris sollicitudinem animum intendunt. mastigophori quoq;, qui agonothetas in certaminibus comitant, & scribæ magistratus personali muneri seruiunt. PATRIMONIORVM sunt munera, quæ sumptibus patrimonij, & damnis administrantis expediuntur. Elæmporia, ut hospitatura, apud Alexandrinos patrimonij munus existimatur. Susceptores quoq; uini per prouinciam Africam patrimonij munus gerunt. Patrimoniorum autem munera duplicia sunt. nam quædam ex muneribus possessionibus siue patrimonijs indicũtur: ueluti agminales equi, uel mulæ, & angariæ, atq; ueredi. huiusmodi igitur obsequia & hi, qui neq; municipes, neq; incolæ sunt, agnoscere coguntur. Sed & eos, qui fœnus exercent, & si ueterani sint, intributiones eiusmodi agnoscere debere, rescriptum est. ab huiusmodi muneribus, neq; primipilaris, neq; ueteranus, aut miles,

*al's camela ſia. qd' & ipſũ ꝓbari poterit, ſi ãtiquo more dictũ pu tes, ꝓ camelaria. quem admodum eſt pecuniaſium. lex Fuſia &c.

aliusue,qui priuilegio aliquo subnixus est,nec potifex excusat. Præterea habent quædam ciuitates prærogatiuã,ut hi,qui in territorio earum possident,certum quid frumẽti pro mensura agri per singulos annos præbeãt.quod genus collationis munus possessionis est. MISTA munera sunt δεκαπρωτίαι, εἰκοσαπρωτίαι, ut Herennius Modestinus & notando & disputando bene & optima ratione decreuit.nam decaproti & icosaproti tributa exigentes,& corporale ministeriũ gerunt,& pro *muneribus defunctorum fiscalia detrimenta resarciunt:ut merito inter mista hoc munus numerari debeat. sed & quæ supra personalia esse diximus,si hi,qui funguntur ex lege ciuitatis suæ uel more, quid de propriis facultatibus impensæ faciunt, uel annonã exigentes desertorum prædiorũ damna sustinent:mistorũ definitione continebuntur. Hæc omnia munera,quæ trifariam diuisimus, una significatione comprehenduntur.nam & personalia, & patrimoniorũ, & mista munera, ciuilia seu publica appellantur. Siue autem personaliũ dunta xat,siue etiam ciuilium munerum immunitas alicubi cõcedatur:neq; ab annona,neq; ab angariis,neq; à uectedo,neq; à naue,neq; ab hospite recipiendo, neq; à capitatione (exceptis militib9 & ueteranis)excusare se possunt. Magistris, qui ciuiliũ munerum uacationem habent, item grãmaticis, & oratoribus,& medicis,& philosophis,ne hospitem reciperent,à principibus fuisse immunitatẽ indultam, & diuus Vespasianus,& diuus Hadrianus rescripserunt.

*al's. hominibus defũctis.

DE VACATIONE ET EXCVSATIONE MVNERVM. Tit. V.

I. VLPIANVS.

OMnis excusatio sua æquitate nititur. sed si prætendentibus aliquod sine iudice credatur,aut passim sine temporis præfinitione (prout cuiq; libuerit) permissum fuerit se excusare:nõ erunt, qui munera necessaria in rebus publicis obeant. Quare & qui liberorum incolumium iure à muneribus ciuilibus sibi uindicant excusationẽ, appellationẽ interponere debent:& qui tempora præfinita in ordine in eiusmodi appellatione peragendo non seruauerint, merito præscriptione repelluntur.

Qui excusatiõe aliqua utuntur,quotiescunq; creati fuerint,& si iam ante absoluti sunt, necesse habent appellare. sed si per calumniam & sæpius idem aduersarius uexandi gratia eius, quem scit perpetua uacatione subnixum, id facere probatus erit: sumptus litis exemplo decretorum principalium præstare iubeatur ei, quem sine caussa sæpius inquie

inquietauit. Qui in fraudem ordinis in honoribus gerendis, cum inter eos ad primos honores creari possint, qui in ciuitate numerabant, euitandorũ maiorum onerum gratia ad colonos prædiorũ se transtulerunt, ut minoribus subijciant: hanc excusationẽ sibi non parauerunt.

Quãuis sexagintaquinq; annorũ sit aliquis, & tres liberos incolumes habeat: à muneribus tamẽ ciuilibus propter has causas non liberatur.

II. IDEM.

SExtumdecimũ ætatis annum agentẽ ad munus sitoniæ uocari non oportet: sed si nihil proprie in patria seruat. De minoribus quoq; annis uigintiquinq; ad munera siue honores creandis iusta ætas seruanda est. Numerus liberorũ aut septuagintaquinq; annorũ ab honoribus aut muneribus his cohærentibus excusationẽ non præstat, sed à muneribus tantũ ciuilibus. Adoptiui filij in numerum nõ proficiũt eorum liberorum, qui excusare parentes solent. Qui ad munera uocantur, uiuorum se liberorũ numerum habere tempore, quo propter eos excusari desiderãt, probare debent. numerus enim liberorũ postea impletus susceptis antea muneribus nõ liberat. Quæ patrimoniorũ munera sunt, numero liberorũ nõ excusant. incolumes liberi, etiã si in potestate patris sui desierint esse, excusationem à muneribus ciuilibus præstant. Minus audiens immunitatẽ ciuilium munerũ non habet.

Quem ita senio & corporis imbecillitate uexari præses animaduerterit, ut muneri perferendæ pecuniæ nõ sufficiat: dimittat, & alium constituat. Corporis debilitas eorum munerum excusationem præstat, quæ tantum corpore implenda sunt. cæterum quæ per consiliũ prudentis uiri, uel patrimonio sufficientis in honores obiri possunt: nisi certis & receptis probabilibus cautis, non remittunt. Qui pueros primas literas docent, immunitatẽ à ciuilibus muneribus non habent. sed ne cui eorum id, quod supra uires sit, indicatur: ad præsidis religionẽ pertinet: siue in ciuitatibus, siue in uicis primas literas magistri doceant.

III. SCAEVOLA.

HIs, qui naues marinas fabricauerint, & ad annonam populi Romani præbuerint non minores quinquaginta milium modiorũ, aut plures singulas non minores decem milium modiorum: donec hæ naues nauigant, aut aliæ in earum locum: muneris publici uacatio præstatur ob naues. senatores autem hanc uacationẽ habere non possunt: quod nec habere illis nauem ex lege Iulia repetundarum licet.

IIII. NERATIVS.

TEmpus uacationis, quod datur eis, qui reipublicæ causa abfuerunt: non ex eo die numerandũ est, quo quis abesse desijt, sed cum laxamẽto quodam itineris. neq; enim minus abesse reipublicæ causa intelli

intelligendus est,qui ad id negocium,uel ab eo reuertitur. si quis tamẽ plus iusto tempore,aut in itinere,aut in alio loco commoratus cõsum psit:ita ea interpretanda erunt,ut ex eo tempore uacationis dies incipi at ei cedere,quo iter ex commodo peragere potuisset.

V. MACER.

A Decurionatu(quamuis hic quoq; honor est) ad alium honorẽ nullam uacationem tribuendam,Vlpianus respondit.

VI. PAPINIANVS.

HI,qui muneris publici uacationem habent: ad ea,quæ extra ordinem imperantur,compelli non solent.

VII. IDEM.

A Muneribus ciuilibus,quæ non patrimonijs indicuntur, ueteranı poſt optimi principis noſtri Seueri Auguſti literas perpetuò excuſantur.

VIII. IDEM.

IN honoribus delatis neq; maior annis ſeptuaginta,neq; pater numero quinq; liberorum excuſatur. ſed in Aſia prouincia ſacerdotiũ ſuſcipere non coguntur numero liberorũ quinq; ſubnixi: quod optimus maximusq; princeps noſter Seuerus Auguſtus decreuit, atq; poſtea in cæteris prouincijs ſeruandum eſſe conſtituit. Non alios fiſci uectigalium redemptores à muneribus ciuilibus ac tutelis excuſari placuit,cẽſq; eos,qui præſentes negocium exercerent. Vacationum priuilegia nõ ſpectant ad liberos ueteranorum. Qui muneris publici uacationem habet,per magiſtratus ex improuiſo collationes indictas recte recuſat: eas uero,quæ ex lege fiũt,recuſare non debet. Philoſophis,qui ſe frequentes atq; utiles per eandem ſtudiorum ſectam contendentibus præbent,tutelas,item munera ſordida corporalia remitti placuit: non ea, quæ ſumptibus expediuntur. etenim uere philoſophantes pecuniam contemnunt,cuius retinendæ cupidine fictam adſeuerationem detegunt. Qui maximos principes appellauit,& cauſſam propriam actu rus Romam profectus eſt:quoad cognitio finẽ accipiat, ab honoribus & ciuilibus muneribus apud ſuos excuſatur.

IX. PAVLVS.

EOs,qui Romæ profitentur,perinde in patria ſua excuſari à muneribus oportere,ac ſi in patria ſua profiterentur. Paulus reſpõdit. priuilegium frumentarijs negociatoribus cõceſſum, & ad honores excuſandos pertinere.

X. IDEM.

A Bhis oneribus,quæ poſſeſſionibus uel patrimonio indicuntur, nulla priuilegia præſtant uacationem. Corpus menſorum frumen

frumẽti iuxta annonam urbis habet uacatiõnẽ:in prouincijs nõ item.

Angariarum præſtatio,& recipiendi hoſpitis neceſſitas,& militi,& liberalium artium profeſſoribus inter cætera remiſſa ſunt. Auctis poſt appellationem medio tempore facultatibus,paupertatis obtentu non excuſantur. Defenſores reipublicæ ab honoribus & muneribus eodem tempore uacant.

XI. HERMOGENIANVS.

SVnt munera,quæ rei proprie cohærent:de quibus neq; liberi,neq; ætas,nec merita militiæ, nec ullũ aliud priuilegiũ iure tribuit excuſationem: ut eſt prædiorũ collatio, uiæ ſternendæ,angariarumúe exhibitio,hoſpitis ſuſcipiendi munus. nam nec huius quiſquam excuſationem præter eos,quibus principali beneficio conceſſum eſt,habet:& ſi qua ſunt præterea alia huiuſmodi.

XII. PAVLVS.

LEgato,qui publicum negocium tuitus ſit,intra tempora uacationis præſtituta rurſum eiuſdem negocij defenſio mandari non poteſt. Comites præſidũ,proconſulũ,procuratorumúe Cæſaris à muneribus,uel honoribus,& tutelis uacant.

XIII. VLPIANVS.

PRætor eos,quoſcunq; intelligit operam dare nõ poſſe ad iudicandum,pollicẽ ſe excuſaturum:forte quod in perpetuum quis operam dare non poteſt:quod in eam ualetudinem incidit, ut certum ſit eum ciuilia officia ſubire non poſſe: aut ſi alio morbo laboret, ut ſuis rebus ſupereſſe non poſſit:uel ſi qui ſacerdotium nacti ſint, ut diſcedere ab eo ſine religione non poſſint.nam & hi in perpetuũ excuſantur.

Duo genera tribuendæ muneris publici uacationis ſunt: unum plenius,cum & militiæ datur:aliud exiguius,cum nudam muneris uacationem acceperint. Qui autem non habet excuſationem, etiam inuitus iudicare cogitur. Si poſt cauſſam actam cœperit ſe excuſare iudex:ſiquidem priuilegio,quod habuit ante,quàm ſuſciperet iudiciũ,uelit ſe excuſare:nec audiendus eſt.ſemel enim agnoſcendo iudicium, renunciat excuſationi.quod ſi poſtea iuſta cauſſa incidit, ut iudex uel ad tempus excuſetur:non debet in alium transferri iudicium, ſi cum captiõe id futurũ eſt alterutrius.tolerabilius deniq; eſt, interim iudicẽ, qui ſemel cognouerit,tantiſper exſpectare:quàm iudici nouo rem rurſus iudicandam committere.

XIIII. MODESTINVS.

AD excuſationem munerum defunctus filius non prodeſt,præterquàm in bello amiſſus. Eodem tempore idem duas cauſſas operis non adminiſtrabit.

DE IVRE IMMVNITATIS. Tit. VI.

I. VLPIANVS.

QVi ob hoc tantũ in nauibus sunt, ut in eis agendi causſa operentur: nulla constitutione immunitatem à muneribus ciuilibus habent. Personis datæ immunitates hæredibus non relinquũtur. sed & generi posterisq; datæ: custoditæq;, ad eos, qui ex fœminis nati sunt, nõ pertinent.

II. IDEM.

HI, qui certa conditione muneribus uel honoribus se adstrinxerunt, cum aliàs compelli non possent inuiti susciperе istum honorem: fides eis seruanda est, conditio quoq;, qua se, siue ad munera, siue honores adplicare se passi sunt. Impuberes, quamuis necessitas penuriæ hominum cogat, ad honores nõ esse admittendos, rescripto ad Beridium Rufum legatum Ciliciæ declaratur.

III. IDEM.

MAiores septuaginta annis à tutelis & muneribus uacant. sed qui ingressus est septuagesimum annum, nondum egressus, hac uacatione non utetur: quia non uidetur maior esse septuaginta annis, qui annum agit septuagesimum.

IIII. MODESTINVS.

IMmunitates generaliter tributæ eo iure, ut ad posteros transmitterentur, in perpetuum succedentibus durant.

V. CALLISTRATVS.

SEmper in ciuitate nostra senectus uenerabilis fuit. nãq; maiores nostri penè eundem honorẽ senibus, quem magistratibus tribuebant. circa munera quoq; municipalia subeunda idem honor senectuti tributus est. sed eum, qui in senectute locuples factus est, & ante nullo munere publico functus est: dici potest nõ eximi ab hoc onere priuilegio ætatis: maxime, si non tam corporis habeat uexationem, quàm pecuniæ erogationem indicti muneris administratio: & ex ea sit ciuitate, in qua non facile sufficientes uiri publicis muneribus inueniantur. Legem quoq; respici cuiusq; loci oportet, an cum quas immunitates nominatim complecteretur, etiam de numero annorum in ea cõmemoretur. idq; etiam colligi potest ex literis diui Pij, quas misit ad Demetrium Proculum proconsulem prouinciæ Africæ. Demonstratur uarie nec abscise numerum liberorum ad excusationem municipalium munerum prodesse ex rescriptis diui Aelij Pertinacis. nanq; Saluio Candido in hæc uerba rescripsit. Εἰ μὴ πᾶσιν λειτουργίαν τοὺς πατέρας ὁ

τῶν τέκνων ἀριθμῷ ἔνεισι. ἀλλ' οὐ δεῖ ἑπτακαίδεκα παῖδας ἔχειν διὰ τὸ βιβλίον ἐδήλωσας: οὐκ ἔστιν ἄλογον, ὥστε συγχωρηθῆναι σχολάζειν τῇ παιδοτροφίᾳ, ἐν ἀνθ' ὧν τῇ λειτουργίαν.. Negociatores, qui annonam urbis adiuuant: item nauicularij, qui annonæ urbis seruiunt, immunitatē à muneribus publicis consequuntur, quâmdiu in eiusmodi actu sunt. nam remuneranda pericula eorum, quin etiā adhortāda præmijs merito placuit: ut qui peregre muneribus quidem publicis cum periculo & labore fungerentur, à domesticis uexationibus & sumptibus liberarentur: cum non sit alienum dicere, etiam hos reipublicæ causſa, dum annonæ urbis seruiunt, abesse. Immunitati, quæ nauicularijs præstatur, certa forma data est: quam immunitatē ipsi duntaxat habent, non etiā liberis aut libertis eorum præstatur. idq; principalibus cōstitutionibus declaratur. Diuus Hadrianus rescripsit, immunitatem nauium matitimarū duntaxat habere, qui annonæ urbis seruiant. Licet in corpore nauiculariorum quis sit, nauem tamen, uel naues non habeat, nec omnia ei congruant, quæ principalibus constitutionibus cauta sunt: non potest priuilegijs nauicularijs indultis uti. idq; & diui fratres rescripserunt in hæc uerba. ἔξεστιν καὶ ἄλλοι τινες ὧν πρόφασιν τῶν ναυκλήρων καὶ τὸν σῖτον τῇ δ' ἐλαιον ἐμπορευομένων εἰς τὴν ἀπόχρησιν τοῦ δήμου ῥωμαϊκὸν ὄντων ἀπελῶν, ἀξιοῦντες τῆς λειτουργίας διαδιδράσκειν, μήτε ὠνεῖσθαι, μήτε τὸ ὠνεῖον μέρος τῆς οὐσίας ἐν ταῖς ναυκλήριαις ἢ ταῖς ἐμπορείαις ἔχοντες. ἀλλὰ ἀφαιρεθήτωσαν τοιούτων ἢ ἀτέλεια. Hoc circa uacationes dicendū est: ut si ante quis ad munera municipalia uocatus sit, & negociari inciperet: uel ante, quàm in collegium adsumeretur, quod immunitatem pariat: uel ante, & septuagenarius fieret: uel ante, quàm publice profiteretur: uel ante, quàm liberos susciperet: compellatur ad honorem gerendum. Negociatio pro incremento facultatum exercenda est. alioquin si quis in maiore pecuniæ suæ parte negociationem exercebit, rursus & locuples factus in eadem quantitate negociationis perseuerauerit: tenebitur muneribus, sicuti locupletes, qui modica pecunia comparatis nauibus, se publicis muneribus subtrahere tentant. idq; ita obseruandū, epistola diui Hadriani rescriptum est. Diuus quoq; Pius rescripsit, ut quoties de aliquo nauicularios quæratur: illud excutiatur, an effugiendorum munerū causſa imaginem nauicularij induat. Conductores etiam uectigalium fisci necessitate subeundorū municipaliū munerū non obstringuntur. idq; ita obseruandū, diui fratres rescripserunt. Ex quo principali rescripto intelligi potest, non honori conductorum datum, ne compellātur ad munera municipalia: sed ne extenuentur facultates eorū, quæ subsignatæ sint fisco. Vnde subsisti potest, an prohibendi sint à præside, uel procuratore Cæsaris, etiā si ultro se offerant

municipalibus muneribus. quod propius est defendere, nisi si paria cũ fisco fecisse dicantur. Coloni quoq; Cæsaris â muneribus municipalibus liberantur, ut idoneiores prædijs fiscalibus habeantur. Quibusdã collegijs uel corporibus, quibus ius coëundi lege permissum est, immunitas tribuitur: scilicet eis collegijs uel corporibus, in quibus artificij sui caussa unusquisq; adsumitur: ut fabrorũ corpus est, & si qua eandem rationem originis habent. hæc idcirco instituta sunt, ut necessariã operam publicis utilitatibus exhiberent. Nec omnibus promiscue, qui adsumpti sunt in his collegijs, immunitas datur, sed artificibus duntaxat. nec ab omni ætate allegi possunt: ut diuo Pio placuit, qui reprobauit prolixæ uel imbecillæ admodũ ætatis homines. Sed nec quidẽ eos, qui augent facultates, & munera ciuitatum sustinere possunt: priuilegijs, quæ tenuioribus per collegia distributis cõcessa sunt, uti posse, plurifariam constitutum est. Eos, qui in corporibus allecti sunt, quæ immunitatẽ præbent (ut nauiculariorũ) si honorem decurionatus agnouerint, compellendos subire munera publica accepi: idq; etiam confirmatum uidetur rescripto diui Pertinacis.

VI. AVRELIVS ARCADIVS *lib. singulari de muneribus ciuilibus.*

QVibusdam aliquam uacationem munerum grauior cõditio tribuit: ut sunt mensores, optio, ualetudinarij, medici, capsarij, & artifices, & qui fossam faciunt, ueterinarij, architectus, gubernatores, naupegi, baliſtarij, specularij, fabri, sagittarij, ærarij, bractearij, structores, carpentarij, scandularij, gladiatores, aquilices, tubarij, cornuarij, arcuarij, plũbarij, ferrarij, lapidarij, & qui calcem coquunt, & syluam incidunt, & qui carbonem cædunt ac torrent. in eodem numero solent haberi lanij, uenatores, uictimarij, & optio fabricæ, & qui ægris præsto sunt. librarij quoq;, qui docere possunt, & horreorum librarij, & librarij depositorum, & librarij caducorum, & adiutores cornicularioru̇m, & statores, & pelliones, & custodes armorũ, & præco, & bucinator. hi igitur omnes inter immunes habentur.

DE LEGATIONIBVS. Tit. VII.

I. VLPIANVS.

LEgatus municipalis si deseruerit legationem: pœna adficietur extraordinaria, motus ordine, ut plerunq; solet.

II. IDEM.

LEgatus contra rempublicam, cuius legatus est, per alium â principe quid postulare potest. Vtrum quis deseruerit legationem, an ex necessaria caussa moram passus sit, ordini

ordini patriæ ſuæ probare debet. Ceſſatio unius legati ei,qui munus ut oportet obijt,non nocet. His,qui non gratuitam legationem ſuſceperunt, legatiuum ex forma reſtituitur.

III. AFRICANVS.

CVm quæritur,an in eum,qui in legatione ſit,actio dari debeat:nõ tam intereſt,ubi quis aut crediderit, aut dari ſtipulatus ſit: quàm illud,an id actum ſit,ut legationis tempore ſolueretur.

IIII. MARTIANVS.

SCiendum eſt,debitorem reipublicæ legatione fungi nõ poſſe: & ita diuus Pius Claudio Saturnino & Fauſtino reſcripſit.ſed & eos,qui bus ius poſtulandi non eſt,legatione fungi non poſſe:& ideo in arenam miſſum nõ iure legatum eſſe,diui Seuerus & Antoninus reſcripſerunt. Debitores autem fiſci non prohibentur legatione fungi. Si accuſatio alicuius publice inſtituta ſit: non eſt compellendus accuſator ad eum legationem ſuſcipere, qui ſe amicum uel domeſticum dicit eius, qui accuſatur:& ita diui fratres Aemilio Rufo reſcripſerunt. Legati uicarios dare non alios poſſunt,niſi filios ſuos. Ordine unuſquiſq; munere legationis fungi cogitur:& non aliàs compellendus eſt munere legationis fungi, quàm ſi priores,qui in curiã electi ſunt, functi ſint. ſed ſi legatio de primoribus uiris deſideret perſonas, & qui ordine uocant̃,inferiores ſint:nõ obſeruandũ ordinem,diuus Hadrianus ad Clazomenios reſcripſit. Præcipitur autem edicto diui Veſpaſiani omnibus ciuitatibus,ne plures,quàm ternos legatos mittant.

V. SCAEVOLA

LEgato tempus prodeſt,ex quo legatus creatus eſt,non ex quo Romam uenit.ſed ſi non conſtat,legatus ſit, an non: Romæ prætor de hoc cognoſcit.

VI. VLPIANVS.

FIlio propter patrem legationis uacatio ne concedatur, Imperator noſter cum patre Claudio Calliſto reſcripſit in hæc uerba.quod deſideras,ut propter legationem patris tui à legatione tu uaces, in interuallis honorum,qui ſumptum habent, recte obſeruatur: in impendijs legationum,quæ ſolo miniſterio obeuntur,diuerſa cauſſa eſt.

VII. PAPINIANVS.

FIlius decurio pro patre legationis officium ſuſcepit. ea res filium quominus ordine legatus proficiſcatur,non excuſat.pater tamen biennij uacationem uindicare poterit: quia per filium legatione functus uidetur.

VIII. PAVLVS.

PAulus reſpondit.eum, qui legatione functus eſt,intra tempora uacatio

cationis præfinita non oportere cõpelli rurſus ad defendendum publicum negocium, etiam ſi de eadem cauſſa litigetur. Imperatores Antoninus & Seuerus Germano Syluano. legatione functis biennij uacatio concediť: nec intereſt, utrum legatio in urbe, an in puincia agentibus nobis mandata ſit. Paulus reſpondit. eum, qui legatione fungitur, neq; alienis, neq; proprijs ſe interponere debere. in qua cauſſa non uideri eum quoq; contineri, qui cum amico ſuo prætore gratis conſilium participat.

IX. IDEM.

PAulus reſpondit, de eo damno, quod legationis tempore legatus paſſus ſit, poſſe eum etiam legationis tempore experiri.

X. IDEM.

LEgatus antequàm officio legationis functus ſit, in rem ſuam nihil agere poteſt: exceptis his, quæ ad iniuriam eius uel damnum peracta ſunt. Si quis in munere legationis, antequàm ad patriam reuerteretur, deceſſit: ſumptus, qui proficiſcenti ſunt dati, non reſtituuntur.

XI. IDEM.

SI abſenti iniuncta eſt legatio, eamq; gratuitam ſuſcepit: poteſt quis & alium in legationem mittere. Qui legationis officio fungitur, licet ſuum negociũ curare non poteſt: magnus tamen Antoninus permiſit ei pupilli nomine & inſtituere & defendere cauſſam: licet legationi, quam ſuſcepit, nondum renunciauerit: præcipue, cum participem officij ipſius abſentem eſſe dicebat.

XII. SCAEVOLA.

LEgatus creatus à patria ſua, legatione ſuſcepta, in urbem Romam uenit: & nondum perfecta legatione domũ, quæ erat in ipſius ciuitate Nicopoli, emit. quæſitum eſt, an in ſenatusconſultũ inciderit, quo prohibentur legati ante perfectam legationẽ negocijs, uel priuatis rebus obſtringi? Reſpondit, non uideri teneri.

XIII. PAVLVS.

VIcarius alieni muneris uoluntate ſua datus, ordine legationem ſuſcipere non admiſſa biennij præſcriptione cogetur.

XIIII. VLPIANVS.

QVi libera legatione abeſt, non uidetur reipublicæ cauſſa abeſſe. hic enim non publici commodi cauſſa, ſed ſui abeſt.

XV. MODESTINVS.

IS, qui legatione fungitur, libellũ ſine permiſſu principis de alijs ſuis negocijs dare non poteſt.

XVI. IDEM *lib.* VIII. *regularum.*

EVndem plures legationes ſuſcipere prohibitũ non eſt: ſi præterea & ſum-

& sumptus & itineris compendium suadeat. Ante legationem susceptam si cui negocium moueatur, etiam absens defendi debet: susceptra legatione, non nisi iniuncto munere fungatur.

XVII. POMPONIVS.

SI quis legatum hostium pulsasset, contra ius gentium id cõmissum esse existimatur: quia sancti habentur legati. & ideo si legati apud nos essent gentis alicuius, cum bellum eis indictum sit: responsum est liberos eos manere. id enim iuri gentium conueniẽs esse. itaq; eum, qui legatum pulsasset, Quintus Mutius dedi hostibus, quorum erant legati, utilius esse solitus est respondere. quẽ hostes si non recepissent: quæsitũ est, an ciuis Romanus remaneret: quibusdam existimantibus manere, alijs contra: quia quem semel populus iussisset dedi, ex ciuitate expulisse uideretur, sicut faceret, cum aqua & igni interdiceret. in qua sententia uidetur Publius Mutius fuisse. id autem maxime quæsitum est in Hostilio Mancino, quem Numantini sibi deditũ non acceperũt: de quo tamen lex postea lata est, ut esset ciuis Romanus, & præturam quoq; gessisse dicitur.

DE ADMINISTRATIONE RERVM AD ciuitates pertinentium. Tit. VIII.

I. VLPIANVS.

QVod ad certam speciẽ ciuitatis relinquit, in alios usus conuertere non licet.

II. IDEM.

NOn utiq; de exemplo posterioris locationis præteritarũ conductionũ, quæ suam legẽ habuerũt, rationem iniri oportet. Quod quis suo nomine exercere prohibet, id neq; per subiectam personã agere debet. & ideo si decurio subiectis aliorum nominibus prædia publica colat, quæ decurionibus cõducere nõ licet: non secundum legem usurpata reuocentur. Quod de frumentaria ratione in alium usum cõuersum est, suæ causſæ cum incremento debito restituetur. ideoq; & si contra absentem pronunciatũ est, inanis est querela. ratio tamen administrationis secundũ fidem acceptorum & datorum ponitur. Frumentariæ pecuniæ debitor suo nomine quàm primum soluat. necessaria enim omnibus rebus publicis frumentaria pecunia mòram solutionis accipere nõ debet: sed debitores, quos ex eadem causſa habent, ad solutionem per præsidem prouinciæ compellantur. Ad frumenti comparationem pecuniam datam restitui ciuitati, non compensari in erogata debet. sin autem frumentaria

ria pecunia ad alios usus,quàm quibus destinata est, conuersa fuerit, ueluti in opus balneorum publicorum: licet ex bona fide datum probatur:compensari quidem frumentariæ pecuniæ nõ oportet, solui aũt à curatore reipublicæ iubetur. Si indemnitas debiti frumentariæ pecuniæ cum suis usuris sit: immodicæ & illicitæ computationis modus non adhibetur,id est ne commodorum commoda & usuræ usurarum incrementum faciant. Grani æstimationem per iniuriam post emptionẽ ablati,quæ rationibus publicis refertur, curator reipublicæ domino restitui iubeat. Si eo tempore,quo est nominatus,idoneus postea lapsus facultatibus,damnum debitis reipublicæ dederit: quia fortuitos casus nullum humanũ consilium prouidere potest, curator hoc nomine nihil præstare debet. Ius reipublicæ pacto mutari non potest, quo minus magistratus collegæ quoq; nomine cõueniatur in his speciebus,in quibus id fieri iure permissum est. actio autem, quæ ppter ea in collegam decerni solet,ei,qui pro altero dependit,ex æquitate cõ petit:& quod depensum pro collega in magistratu probabitur, solui & ab hæredibus eius præses prouinciæ iubebit. Conductore perficiendi operis punito,fideiussor,qui pro eo interuenerat, idem opus exstruendum alij locauerat. nec à secundo redemptore opere perfecto: usurarum præstationem hæres fideiussoris recusare non debet: cum & prior caussa in bonæ fidei contractum in uniuersum fideiussorem obligauerit,& posterior locatio(quia suum periculum agnouerit) solidæ præstationi reipublicæ eum substituerit. Qui fideiusserunt pro conductore uectigalis,in uniuersam conductionem,in usuras quoq; iure conueniuntur:nisi proprie quid in persona eorum uerbis obligationis expressum est. sed si in locatione fundorum pro sterilitate temporis boni uiri arbitratu in soluenda pensione cuiusq; anni pacto compræhensum est:explorata lege conductionis,fides bona sequenda est.

III. PAPINIANVS.

CVratores communis officij diuisa pecunia,quam omnibus in solidum publice dari placuit, periculo uice mutua non liberantur. VLPIANVS.prior tamen exemplo tutorum conueniendus est is,qui gessit. Prædium publicũ in annos quinq; idonea cautione non exacta curator reipublicæ locauit. cæteris annis colonus si reliqua traxerit, & de fructibus prædij mercedes adseruari nõ potuerunt: successor cius, qui locauit,tenebitur. idem in uectigalibus nõ ita pridem cõstitutũ est, ut sui temporis singuli periculum præstarent. In eum, qui administrationis tempore creditoribus reipublicæ nouatione facta pecuniam cauit,post depositũ officium actionem denegari nõ oportet. diuersa est caussa eius,qui solui constituit. similis etenim uidetur ei, qui publice uendidit

uendidit,aut locauit. Filium pro patre curatore rei publicæ creato cauere cogi nō oportet.nec mutat,quod in eum pater emancipatum, priusquàm curator crearet̃, partem bonorū ſuorum donationis cauſſa contulit. Pro magiſtratu fideiuſſor interrogatus,pignora quoq; ſpecialiter dedit.in eum caſum pignora uidentur data, quo recte conuenitur: uidelicet poſtquàm res ab eo ſeruari non potuerit, pro quo interceſſit.

IIII. VALENS.

LEgatam municipio pecuniam in aliam rem, quàm defunctus uoluit,conuertere citra principis authoritatem non licet.& ideo ſiue unum opus fieri iuſſit,quod Falcidiæ legis interuentu fieri non poteſt: permittitur ſummam,quæ eo nomine debetur,in id,quod maxime neceſſarium reipublicæ uideatur, cōuertere.ſiue plures ſummæ in plura opera legantur,& legis Falcidiæ interuentu, quod relinquitur omniū operum exſtructioni non ſufficit: permittitur in unum opus, quod ciuitas uelit,erogari.Sed municipio pecuniam legatā, ut ex reditu eius uenatio aut ſpectacula edant̃,fenatꝰ in eā cauſſam erogari uetuit: & pecunia eò legata, in id,quod maxime neceſſarium municipibus uideat̃, conferri permittitur:ut in eo munificentia eius,qui legauit, inſcriptione notetur.

V. PAVLVS.

DEcuriones precio uiliore frumentum,quod annonæ temporalis eſt,ſuæ patriæ præſtare non ſunt cogendi. Niſi ad nouū opus pecunia ſpecialiter legata ſit,uetera ex hac reficienda ſunt.

VI. IDEM.

MAgiſtratus reipublicæ non dolum ſolummodo,ſed & latam neglegentiam,& hoc amplius etiam diligentiam debent.

VII. PAPINIANVS.

FIliusfamilias uolente patre magiſtratum geſſerat. Iulianus exiſtimabat, in ſolidum patrem teneri in id, quod eius nomine rei publicæ abeſſet.

VIII. MODESTINVS.

CAlcularij erroris retractatio etiam poſt decēnij aut uicennij tempora admitte t̃.ſed ſi gratioſe expunctæ dicētur: nō retractabunt̃.

IX. PAPYRIVS IVSTVS.

IMperator Antoninus & Verus reſcripſerunt:pecuniæ,quæ apud curatores remanſit,uſuras exigendas. eius uero,quæ à redemptoribus operum exigi non poteſt:ſortis duntaxat periculum ad curatores pertinere. Item reſcripſerunt,operum periculum ad hæredes etiam curatorum pertinere. Item reſcripſerunt,agros reipublicæ retrahere curatorem ciuitatis debere,licet à bona fide emptoribus poſſideantur,

cum possint ad auctores suos recurrere. Imperatores Verus & Antoninus rescripserunt, operum exactionem sine cautione non oportere committi. Item rescripserunt: curatores, si neglegenter in distrahendis bonis se gesserint, in simplum teneri. si per fraudem: in duplum, nec ad hæredes eorum pœnam descendere. Item rescripserunt, pecuniã ad annonam destinatam distractis rebus curatorem exigere debere. Item rescripserunt, sitonas indemnes esse oportere, qui non segniter officio suo functi essent, secundũ literas Hadriani. Item rescripserunt: à curatore calendarij cautionem exigi non debere, cum à præside ex inquisitione eligatur. Item rescripserunt: curatorem etiam nomine collegæ teneri, si interuenire & prohibere eum oportuit.

Item rescripserunt: nominum, quæ deteriora facta sunt tempore curationis, periculum ad ipsum pertinere. quæ uero ante, quàm curator fieret, idonea non erant: æquum uideri, periculum ad eum non pertinere. Imperator Verus & Antoninus rescripserunt: eum, qui pecuniã publicam magistratus sui tempore, & post non pauco tempore detinuerat, usuras etiam præstare debere: nisi quid allegare possit, qua de causa tardius intulerit.

DE DECRETIS AB ORDINE faciendis. Tit. IX.

I. VLPIANVS.

MEdicorum intra numerum præfinitum constituendorũ arbitrium non præsidi prouinciæ commissum est, sed ordini, & possessoribus cuiusq; ciuitatis: ut certi de probitate morum, & peritia artis, eligant ipsi, quibus se liberosq; suos in ægritudine corporum committant.

II. MARTIANVS.

ILla decreta, quæ nõ legitimo numero decurionũ coacto facta sunt, non ualent.

III. VLPIANVS.

LEge autem municipali cauetur, ut ordo nõ aliter habeatur, quàm duabus partibus adhibitis.

IIII. IDEM.

AMbitiosa decreta decurionum rescindi debent: siue aliquem debitorem dimiserint, siue largiti sint. proinde (ut solet) siue decreuerint de publico alicui uel prædia, uel ædes, uel certam quantitatem præstari: nihil ualebit huiusmodi decretum. sed & si salarium alicui decuriones decreuerint: decretum id nonnunquam ullius erit momenti: utputa

utputa si ob liberalem artem fuerit cõstitutum,uel ob medicinam. ob has enim causſas licet constitui salaria.

V. CALLISTRATVS.

QVod semel ordo decreuit,nõ oportere reſcindi,diuus Hadrianus Nicomedensibus reſcripſit:nisi ex cauſſa,id est si ad publicã utilitatem reſpiciat reſciſſio prioris decreti.

VI. SCAEVOLA.

MVnicipali lege ita cautũ erat. Ἐάν τις ἔξω τοῦ ξυνεδρίου δικάσωσι, τοῦ τε συνεδρίου ἐκγεάθω, καὶ πρὸσαποτινύτω δράχμας χιλίας. quæsitũ est,an pœnam sustinere debeat,qui ignorans aduersus decretum fecit? Respondit. huiusmodi pœnas aduersus scientes paratas esse.

DE OPERIBVS PVBLICIS. Tit. X.

I. PAPINIANVS.

CVrator operum creatus, præscriptione mõtus ab excusatione perferenda,sicuti cessationis nomine, in qua quoad uixit moratus est, hæredes suos obligatos relinquit: ita temporis,quod post mortem eius cessit, nullo onere eos obstrinxit. Curam operis aquæductus in alio iam munere constitutus postea susceperat. præpostere uisus est petere exonerari priore munere,utriscq; iam implicitus: quando si alterum tantũ sustinere eum oportuisset, ante probabilius impetrasset propter prius munus à sequente excusationem.

II. IDEM.

QVi liberalitate, non necessitate debiti reditus suos interim ad opera finienda concessit:munificentiæ suæ fructum de inscripti one nominis sui operibus, si qua fecerit, capere per inuidiam non prohibetur. Curatores operum cum redemptoribus negocium habent: respublica autem cum his,quos efficiẽdo operi præstituit.quatẽnus ergo,& quis,& cui obstrictus sit,æstimatio præsidis ,puinciæ est. Ne eius nomine,cuius liberalitate opus exstructum est,eraso,aliorum nomina inscribantur,& propterea reuocentur similes ciuium in patrias liberalitates:præses prouinciæ authoritatem suam interponet.

III. MARCELLVS.

OPus nouum priuato etiam sine principis authoritate facere licet: præterquàm si ad emulationem alterius ciuitatis pertineat, uel materiam seditionis præbeat,uel circum theatrum uel amphitheatrũ sit.publico uero sumptu opus nouum sine principis authoritate fieri non licere,constitutionibus declaratur.inscribi autem nomen operi pu

blico alterius, quàm principis, aut eius, cuius pecunia id opus factum sit, non licet.

IIII. MODESTINVS.

NEc præsidis quidem nomen licebit superscribere.

V. VLPIANVS.

SI legatum uel fideicommissum fuerit ad opus relictum: usuræ quæ & quando incipiant deberi, rescripto diui Pij ita continetur. siquidē dies non sit ab his, qui statuas uel imagines ponendas legauerint, præfinitus: à præside prouinciæ tempus statuendum est. & nisi posuerint hæredes, usuras leuiores intra sex menses: si minus, semisses usuras reipublicæ pendant. si uero dies dictus est: pecuniam intra diem deponant. si aut non inuenire se statuam dixerint, aut de loco controuersiam fecerint: semisses protinus pendant. Fines publicos à priuatis detineri non oportet. Curabit igitur præses prouinciæ, si qui publici sunt, à priuatis separare, & publicos potius reditus augere. si qua loca publica uel ædificia in usus priuatorum inuenerit: æstimare, utrum ne uindicanda in publicum sint, an uectigal satius sit imponi: & quod utilius esse reipublicæ intellexerit, sequi.

VI. MODESTINVS.

DE operibus, quæ in muris, uel portis, uel rebus publicis fiūt, aut si muri exstruantur, diuus Marcus rescripsit præsidem aditum consulere principem debere.

VII. CALLISTRATVS.

PEcuniam, quæ in opera noua legata est, potius in tutelā eorū operum, quæ sunt, conuertendam, quàm ad incohandum opus erogandam, diuus Pius rescripsit: scilicet si satis operum ciuitas habeat, & non facile ad reficienda ea pecunia inueniatur. Si quis opus ab alio factum adornare marmoribus, uel alio quo modo ex uoluntate populi facturum se pollicitus sit: nominis proprij titulo scribendo, manentibus priorum titulis, qui ea opera fecissent, id fieri debere, senatus censuit. quod si priuati in opera, quæ publica pecunia fiant, aliquam de suo adiecerint summā: ita titulo inscriptionis uti eos debere, ijsdē mandatis caueī, ut quantam summam contulerint in id opus, inscribant.

DE NVNDINIS. Tit. XI.



I. MODESTINVS.

Vndinis impetratis à principe, non utendo, qui meruit, decennij tempore usum amittit:

II. CALLISTRATVS.

SI

SI quis ipsos cultores agrorum uel piscatores deferre utensilia in ciuitatẽ iusserit,ut ea ipsi distrahant:destituetur annonæ præbitio,cũ auoce nẽ ab opere rustici. quare cõfestim,ubi detulerint mercẽ,tradere eã, & ad opera sua reuerti debent. deniq; summæ prudentiæ & authoritatis apud græcos Plato, cũ instituere, quẽadmodũ ciuitas bene beateq; habitari posset,in primis hos negociatores necessarios dixit. sic em̃ libro secundo πολιτείας ait. Δεῖ γὰρ πλείονων ἅμα γεωργῶντε ⟨ τῶν ἄλλων δημιουργῶν. καὶ δὴ καὶ τῶν ἄλλων διακονούντων, τῶν γε εἰσαξόντων ἑκασα καὶ ἐξαξόντων. οὗτοι δέ εἰσιν ἔμποροι. κομίσας δὲ ὁ γεωργὸς εἰς τὴν ἀποχάν τι, ὧν ποιεῖ, ἅτισ ἄλλῳ τῶν δημιουργῶν, ἐὰν μὴ εἰς ὁμ αὐτὸν χρόνον ἥκῃ τοῖσ δεομένοισ τὰ παρ' αὐτοῦ ἀνταλλάξασθαι: ἀργήσῃ τῆς αὐτοῦ δημιουργίας καθήμενοσ ἐν τῇ ἀποχᾷ; οὐδαμῶς. ἀλλ' εἰσὶν οἱ τοῦτο ὀρῶντες, ἑαυτοὺς ὠφελοῦντες τὴν διακονίαν τάχουσι ταύτην.

DE POLLICITATIONIBVS. Tit. XII.

I. VLPIANVS.

SI pollicitus quis fuerit reipublicæ opus se facturum, uel pecuniam daturum: in usuras non conuenietur. sed si moram cœperit facere: usuræ accedent, ut Imperator noster cum diuo patre suo rescripsit. Non semper autem obligari eum,qui pollicitus est, sciendum est. sed si quidem ob honorem promiserit decretum sibi, uel decernendum, uel ob aliã iustam caussam:tenebitur ex pollicitatiõe. si uero sine caussa promiserit:non erit obligatus: & ita multis constitutionibus,& ueteribus,& nouis cõtinetur. Item si sine caussa ꝓmiserit,cœperit tamen facere:obligatus est, qui cœperit. Cœpisse sic accipimus,si fundamenta iecit,uel locum purgauit. sed & si locus illi petenti destinatus est: magis est,ut cœpisse uideatur. Item si apparatum,siue impensam in publico posuit. sed si non ipse cœpit, sed cum certam pecuniam promisisset ad opus rei publicæ,contemplatione pecuniæ cœpit opus facere: tenebitur,quasi cœpto opere. Deniq; cum columnas quidam promisisset, Imperator noster cum diuo patre suo ita rescripsit.qui nõ ex caussa pecuniam reipublicæ pollicentur,liberalitatem perficere non coguntur. sed si columnas Citiensibus promisisti,& opus ea ratione sumptibus ciuitatis, uel priuatorum incohatum est: deseri, quod cœptum est,non oportet. Si quis opus,quod perfecit,adsignauerit,deinde id fortuito casu aliquõd passum sit periculum:ad eum, qui fecit,non pertinere, Imperator noster rescripsit.

II. IDEM.

SI quis rem aliquam uouerit: uoto obligatur. quæ res personam uouentis, non rem, quæ uouetur, obligat. res enim, quæ uouetur, soluta quidem liberat uota: ipsa uero sacra nō efficitur. Voto autem patresfamiliarū obligantur, puberes, sui iuris. filius enim familias uel seruus sine patris dominiúe authoritate uoto non obligantur. Si decimam quis bonorum uouit: decima non prius esse in bonis desijt, quàm fuerit separata. & si forte qui decimam uouit, decesserit ante sepositionem: hæres ipsius hæreditario nomine decimæ obstrictus est. uoti enim obligationem ad hæredem transire constat.

III. IDEM.

PActum est duorum cōsensus atq; conuentio. pollicitatio uero offerentis solius promissum. & ideo illud est constitutum, ut si ob honorē pollicitatio fuerit facta: quasi debitū exigatur. sed cœptum opus, licet non ob honorem promissum, perficere promissor cogetur, & est cōstitutum. Si quis postquàm ex pollicitatione tradiderat rem municipibus, uindicare uelit: repellendus est à petitione. æquissimū enim est huiusmodi uoluntates in ciuitates collatas pœnitentia non reuocari. sed & si desierint municipes possidere: dicendum erit actionem eis concedendam.

IIII. MARTIANVS.

PRopter incendium, uel terræmotū, uel aliquam ruinam, quæ reipublicæ contigit, si quis promiserit, tenetur.

V. VLPIANVS.

CHaridemo respondit. ex epistola, quā muneris edendi gratia absens quis emisit, compelli eum ad editionem non posse.

VI. IDEM.

TOties locum habet deminutio pollicitationis in persona hæredis, quoties non est pollicitatio ob honorem facta. cæterum si ob honorem facta sit: æris alieni loco habetur, & in hæredum persona non minuitur. Si quis pecuniam ob honorem promiserit, cœperitq; soluere: eū debere quasi cœpto opere, imperator noster rescripsit. Non tantū masculos, sed etiā fœminas, si quid ob honorē pollicitatæ sunt, debere implere sciendum est: & ita rescripto imperatoris nostri & diui patris eius continetur. Sicui respublica necessitatem imposuerit statuarum principi ponendarum: qui non promisit, nō esse necesse ei obtemperare, rescriptis imperatoris nostri & diui patris eius continetur.

VII. PAVLVS.

OB casum, quem ciuitas passa est, si quis promiserit se quid factorum: & si non incohauerit, omnimodo tenetur, ut diuus Seuerus Diogeni rescripsit. Idem

VIII. IDEM.

DE pollicitationibus in ciuitatē factis iudicum cognitionem esse, diui fratres Flauio Celso in hæc uerba rescripserunt. probe facit Statius Rufinus, si opus proscenij, quod se Gabinis exstructurū promisit, quod tandem aggressus fuerat, perficiat. nam & si aduersa fortuna usus, in triennium à præfecto urbi relegatus est: tamen gratiam muneris, quod sponte obtulit, minuere non debet: cum & absens per amicum perficere opus istud possit. quod si detrectat: actores constituti, qui legitime ꝑ ciuitate agere possint, nomine publico adire aduersus eum iudices poterunt: qui cum primum potuerint, priusquàm in exsilium proficiscatur, cognoscent. & si opus perfici ab eodem debere constituerint: obedire eum reipublicæ ob hanc causſam iubebunt, aut prohibebunt distrahi fundum, quem in territorio Gabinorum habet.

IX. MODESTINVS.

EX pollicitatione, quam quis ob honorē apud rempublicam fecit, ipsum quidem omnimodo insolidum teneri: hæredem uero eius, ob honorem quidem facta promissione, insolidum. ob id uero, quod opus promissum cœptum est, si bona liberalitati soluendæ nō fuerint: extraneum hæredem in quintam partem patrimonij defuncti, liberos in decimam teneri, diuus Seuerus & Antoninus rescripserunt. sed & ipsum donatorē pauperem factum, ex promissione operis cœpti, quintam partem patrimonij sui debere, diuus Pius constituit.

X. IDEM.

SEpticia certamen patriæ suæ pollicendo, sub hac conditione pollicita est, uti sors apud eam remaneret, & ipsa usuras semissales ad præmia certantiū exsolueret in hæc uerba. βιλοτιμοῦμαι καὶ καθιερῶ ἀγῶνα τετραετηρικὸν ἀπὸ μυριάδων τριῶν ἀπὸ τοῦ κεφαλαίου, αὐτὴ κατέχουσα ἀργύριον, καὶ ἀσφαλιζομένη πρὸς τοῖς δεκαπρώτοις ἀξιόχρεως ἐμοὶ ζῶσι τέλει τὸν δι' ἐτῶν πέντε μυριάδων τόκον: ἀπονοθεουνίου καὶ προκαθεζομένου τοῦ ἀνδρός μου, ἐπαύξεις δὲ τῶν δι' ἐμοῦ γυμνασιομένων τέκνων. χωρήσει δὲ ὁ τόκος εἰς τὰ ἆθλα τῶν θυμελικῶν, καθὼς ἐφ' ἑκάστου ἀθλήματος ἡ βουλὴ κρίσει. quæro, an possint iniuriā pati filij Septiciæ, quo minus ipsi præsiderent certamini secundū uerba conditionēq; pollicitationis? Herennius Modestinus respōdit. quo casu certaminis editio licita est, formā pollicitatiōi datā seruandā esse. XI. IDEM.

SI quis ob honorem, uel sacerdotium pecuniam promiserit, & ante quàm honorē uel magistratū ineat, decedat: non oportere hæredes eius conueniri in pecuniam, quam is ob honorem uel magistratū promiserat, principalibus constitutionibus cauetur: nisi forte ab eo, uel ab ipsa republica, eo uiuo opus fuerit incohatum.

Idem

XII. IDEM.

IN priuatis operibus,inuitis his,qui fecerunt,ſtatuas alijs ponere non poſſumus,ut reſcripto diui Seueri continetur. Cum quidam, ne honoribus fungeretur,opus promiſiſſet: tam honores ſubire cogendum,quàm operis inſtructionem, diuus Antoninus reſcripſit.

XIII. PAPYRIVS.

IMperatores Antoninus & Verus Auguſti reſcripſerunt: opera exſtruere debere eos,qui pro honore polliciti ſunt, non pecunias pro his inferre cogi. Item reſcripſerunt, conditiones donationibus adpoſitas,quæ in rem publicã fiunt,ita demum ratas eſſe, ſi utilitatis publicæ intereſt. quod ſi damnoſæ ſunt: id obſeruari non debere. & ideo non obſeruandum eſſe, quod defunctus certa ſumma legata uetuit uectigal exerceri. eſſe enim tolerabilia, quæ uetus conſuetudo cõprobat.

XIIII. POMPONIVS.

SI quis ſui alieniũe honoris cauſſa opus facturum ſe in aliqua ciuitate promiſerit: ad perficiendum tam ipſe,quàm hæres eius ex conſtitutione diui Traiani obligatus eſt. ſed ſi quis ob honorem opus facturum ſe in ciuitate aliqua promiſerit,atq; incohauerit,& priusquàm perficeret,deceſſerit: hæres eius extraneus quidem neceſſe habet aut perficere id,aut partem quintam patrimonij relicti ſibi ab eo, qui id opus facere inſtituerat(ſi ita malit)ciuitati,in qua id opus fieri cœptum eſt, dare. is autem,qui ex numero liberorum eſt,ſi hæres exſtitit: non quintæ partis,ſed decimæ concedendæ neceſſitate adficitur. & hæc diuus Antoninus conſtituit.

XV. VLPIANVS.

INter liberos nepotem quoq; ex filia contineri,diuus Pius reſcripſit.

DE EXTRAORDINARIIS COGNItionibus, & ſi iudex litem ſuam feciſſe dicetur. Tit. XIII.

I. VLPIANVS.

PRæſes prouinciæ de mercedibus ius dicere ſolet: ſed præceptoribus tantum ſtudiorum liberalium. Liberalia aũt ſtudia accipimus,quæ Græci ἐλευθέρια μαθήματα appellant. rhetores continebuntur,grammatici,geometræ. Medicorum quoq; eadem cauſſa eſt, quæ & profeſſorũ, niſi quod iuſtior: cum hi ſalutis hominum agãt, illi ſtudiorum curam. & ideo his quoq; extra ordinem ius dici debet. Sed & obſtetricem audiunt: quæ utiq; medicinã exhibere uidetur. Medicos fortaſſis quis accipiet

accipiet etiam eos,qui alicuius partis corporis,uel certi doloris ſanitatem pollicentur:utputa ſi auricularius,ſi fiſtulæ,uel dentium. nō tamē ſi incantauerit,ſi imprecatus eſt,ſi(ut uulgari uerbo in poſterum utar) exorcizauit.non ſunt enim iſta medicinæ genera:tametſi ſint, qui hos ſibi profuiſſe cum prædicatione adfirment. An & philoſophi profeſſorum numero ſint? & non putem:non quia non religioſa res eſt: ſed quia hoc primum profiteri eos oportet,mercēnariam operam ſperne re. Proinde ne iuris quidem ciuilis profeſſoribus ius dicent. eſt enim quidem res ſanctiſſima ciuilis ſapientia:ſed quæ precio numario non ſit æſtimanda, nec dehoneſtanda, dum in iudicio honor petitur,qui ingreſſu ſacramenti offerri debuit.quædam enim tam etſi honeſte accipiantur, inhoneſtè tamen petuntur. Ludi quoq; literarij magiſtris,licet non ſint profeſſores,tamen uſurpatū eſt,ut his quoq; ius dicatur:tametſi librarijs,& notarijs,& calculatoribus,ſiue tabularijs ſed & cæterarum artium opificibus ſiue artificibus,quæ ſunt extra literas uel notas poſitæ,nequaquam extra ordinem ius dicere præſes debebit. Sed & ſi comites ſalarium petent,idem iuris eſt,q̄d in profeſſoribus placet.ſed & aduerſus oīes ipſos cognoſcere præſes debet. qui aūt aduerſus aduocatos adeantur,diui fratres reſcripſerunt. In honorarijs aduocatorum ita uerſari iudex debet,ut pro modo litis,pro q̄; aduocati facundia,& fori cōſuetudine,& iudicij,in quo erat acturus, æſtimationem adhibeat:dummodo licitum honorarium quantitas non egrediatur.ita enim reſcripto Imperatoris noſtri & patris eius cōtinetur, cuius uerba ita ſe habēt.Si Iulius Maternus,quem patronum cauſſæ tuæ eſſe uoluiſti,fidem ſuſceptam exhibere paratus eſt:eam duntaxat pecuniam,quæ modum legitimum egreſſa eſt,repetere debes. Aduocatos accipere debemus omnes omnino,qui cauſſis agendis quoquo ſtudio operantur.non tamen qui pro tractatu non adfuturi cauſſis accipere quid ſolent,aduocatorum numero erunt. Si cui cautum eſt honorariū, uel ſi quis de lite pactus eſt:uideamus,an petere poſſit.& quidem de pactis ita reſcriptum eſt ab Imperatore noſtro & diuo patre eius. Litis cauſſa malo more pecuniam tibi promiſſam ipſe quoq; profiteris. Sed hoc ita eſt, ſi ſuſpenſa lite ſocietatem futuri emolumēti cautio pol licetur. ſi uero poſt cauſſam actam cauta eſt honoraria ſumma:peti poterit uſq; ad probabilem quantitatem. Et ſi nomine palmarij cautū ſit:ſic tamen,ut computetur id,quod datum eſt, cum eo, quod debeē: neutrumq; compoſitum licitam quātitatem excedat.Licita aūt quantitas intelligitur pro ſingulis cauſſis uſq; ad centum aureos. Diuus Seuerus ab hæredibus aduocati eo mortuo prohibuit mercedem repeti,quia per ipſum non ſteterat,quo minus cauſſam ageret. Ad nutri-

cia quoq; officium præsidis uel prætoris deuenit. nanq; & nutrices ob alimoniam infantium apud præsides, quod sibi debetur, petunt. Sed nutricia eòusq; producemus, quoad infantes uberibus aluntur, cæterũ post hæc cessant partes prætoris uel præsidis. Hæc omnia si apud præsides petantur, uideamus, an de mutuis petitionibus possint præsides cognoscere. & putem, debere admitti.

II. IDEM.

DE usu aquæ, deq; riuis nouis inciuiliter institutis, item de equis alienis à sciente possessis, fœtuq; earũ, & de damno dato per immissos in prædium suum uniuersos homines eos, qui in plurium prædia distribui debuerunt (si modo id non ex authoritate eius, qui iubere potuerit, factum est) præsidem prouinciæ doceri oportere responsum est, ut is secundum rei æquitatem & iurisdictionis ordinem conuenientem formam rei det.

III. IDEM.

MEdicus, cui curandos suos oculos, qui eis laborabat, commiserat: periculum amittendorum eorum per aduersa medicamenta inferendo compulit, ut ei possessiones suas contra bonã fidem æger uenderet. inciuile factum præses prouinciæ coërceat, remq; restitui iubeat.

IIII. PAVLVS.

DIuus Antoninus Pius rescripsit, iuris studiosos, qui salaria petãt, hæc exigere posse.

V. CALLISTRATVS.

COgnitionum numerus, cum ex uarijs caussis descendat, in genera diuidi facile non potest, nisi summatim diuidatur. numerus ergo cognitionum in quatuor ferè genera diuidi potest. aut enim de honoribus siue muneribus gerendis agitur, aut de pecuniaria re disceptatur, aut de existimatione alicuius cognoscitur, aut de capitali crimine quæritẽ. Existimatio est dignitatis illæsæ status legibus ac moribus cõprobatus, qui ex delicto nostro authoritate legũ aut minuitur, aut consumitur. Minuitur existimatio, quoties manẽte libertate circa statum dignitatis pœna plectimur: sicuti cum relegatur quis, uel cum ordine mouetur, uel cum prohibetur honoribus publicis fungi, uel cum plebeius fustibus cædit̃, uel in opus publicũ dat̃, uel cum in eam caussam quis incidit, quæ edicto perpetuo inter infamiæ caussas numerat̃. Cõsumit̃ uero, quoties magna capitis deminutio interuenit, id est cũ libertas adimit̃: ueluti cum aqua & igni interdicitur, qd̃ in persona deportatorũ euenit: uel cum plebeius in opus metalli, uel in metallum datur. nihil enim refert, nec diuersa pœna est operis & metalli: nisi quod refugæ operis non morte, sed pœnæ metalli subijciuntur.

Caius

VI. CAIVS.

SI iudex litem ſuam fecerit: non proprie ex maleficio obligatus uidetur. ſed quia nec ex contractu obligatus eſt, & utiq; peccaſſe aliquid intelligitur, licet per imprudentiam: ideo uidetur quaſi ex maleficio teneri in factum actione, & in quantum de ea æquum religioni iudicantis uiſum fuerit, pœnam ſuſtinebit.

DE PROXENETIS. Tit. XIIII.

I. VLPIANVS.

PRoxenetica iure licito petuntur.

II. IDEM.

SI proxeneta interuenerit faciendi nominis gratia (ut multi ſolent) uideamus, an poſſit quaſi mandator teneri. & non puto teneri: quia hic monſtrat magis nomen, quàm mandat, tametſi laudat nomen. idem dico, & ſi aliquid philanthropij nomine acceperit, nec ex locato & conducto erit actio. planè ſi dolo & calliditate creditorẽ circumuenerit: de dolo actio tenebit.

III. IDEM.

DE proxenetico (quanquam eſt ſordidum) ſolent præſides cognoſcere: ſic tamen, ut & in his modus eſſe debeat & quantitatis, & negocij, in quo operula iſta defuncti ſunt, & miniſterium quale quale accómodauerunt. Facilius quod græci ξενικωτικὸν appellant, peti apud eos poterit: ſi quis forte conditionis, uel amicitiæ, uel adſeſſuræ, uel cuius alterius huiuſmodi proxeneta fuerit. Sunt eñ huiuſmodi hominũ in tam magna ciuitate officinæ. eſt enim proxenetarũ modus, qui emptionibus, & uenditionibus, commertijs, contractibus licitis utiles non adeo improbabili more ſe exhibent.

DE CENSIBVS. Tit. XV.

I. VLPIANVS.

SCiendum eſt eſſe quaſdam colonias iuris Italici: ut eſt in Syria Phœnice ſplendidiſſima Tyriorum colonia, unde mihi origo eſt, nobilis regiõibus, ſerie ſæculorũ antiquiſſima, armipotẽs, fœderiſq; quod cum Romanis percuſſit, tenaciſſima. huic eñ diuus Seuerus & Imperator noſter ob egregiam rem publicam, inq; imperium Romanum inſignem fidem Italicũ ius dedit. ſed & Berytienſis colonia eſt in eadem prouincia Auguſti beneficijs gratioſa, & (ut diuus Hadrianus in quadam ora-

tione ait) Augustiana colonia dicta, quæ ius Italicũ habet. est & Heliopolitana, quæ à diuo Seuero per belli ciuilis occasionẽ Italicæ coloniæ rem publicam accepit. est & Laodicena colonia in Syria Cœle, cui diuus Seuerus ius Italicum ob belli ciuilis merita concessit. Ptolomæensium enim colonia, quæ inter Phœnicem & Palestinã sita est, nihil præter nomen coloniæ habet. sed & Misenæ ciuitati Phœnicæ Imperator noster ius coloniæ dedit, iurisq; Italici eã fecit. est & Palmyrena ciuitas in prouincia Phœnice propè barbaricas gentes & nationes collocata. In Palæstina duæ sunt coloniæ, Cæsarienſis & Aelia Capitolina: sed neutra ius Italicum habet. diuus quoq; Seuerus in Sebastenam ciuitatem coloniam deduxit. Indicia quoq; *Cyrenensium colonia à diuo Traiano deducta iuris Italici est. Zarmezigethusa quoq; eiusdem iuris est. item Naconẽsis colonia, & Apulensis & *Paranisensium uicus, quĩ à diuo Seuero ius coloniæ impetrauit. Est & in Bithynia colonia Apamæna. & in Ponto Sinopensis est, & in Sicilia Selinûs, & Traianopolis.

als *Ernẽsium.

als *Patauiensiũ.

II. IDEM.

VIcia priorum censuum editis nouis professionibus euanescunt.

III. IDEM.

AEtatem in censendo significare necesse est: quia quibusdã ætas tribuit, ne tributo onerentur: ueluti in Syrijs à quatuordecim annis masculi, à duodecim fœminæ usq; ad sexagesimumquintum annũ tributo capitis obligantur. ætas autem spectatur censendi tempore.

Rebus concessam immunitatem non debere intercidi, rescripto Imperatoris nostri ad Pelignanum recte expressum est: quippe personis quidem data immunitas cum persona exstinguitur, at rebus data nunquam exstinguitur.

IIII. IDEM.

FOrma censuali cauetur, ut agri sic in censum referantur. nomen fundi cuiusq;, & in qua ciuitate, & in quo pago sit, & quos duos uicinos proximos habeat: & aruum, quod in decem annis proximis satum erit, quot iugerum esse uideatur: uinea quot uites habeat: oliuetum quot iugerũ, & quot arbores habeat: pratum, quod inter decem annos proximos sectum erit, quot iugerum: pascua, quot iugerum esse uideãtur: item syluæ cæduæ. omniaq; ipse, qui defert, æstimet. illam enim æquitatem debet admittere censitor: ut officio eius congruat, releuari eum, qui & in publicas tabulas delato modo frui certis ex caussis non potuit. quare & si agri portio chasmate perierit: debebit per cẽsitorem releuari. Sed & si uites mortuæ sint, uel arbores aruerint: iniquũ fuerit eũ inseri numerũ censui. qd' si exciderit arbores, uel uites: nihilominus eum numerum profiteri iubetur, qui fuit census tempore: nisi caussam exciden

excidendi probauerit censitori. Si uero quis agrum in alia ciuitate habet: in ea ciuitate profiteri debet, in qua ager est. agri enim tributum in eam ciuitatem debet leuari, in cuius territorio possidetur. Quanquam in quibusdam immunitatis beneficia personis data, cum persona exstinguantur: tamen generaliter cum locis aut cum ciuitatibus immunitas sic data uidetur, ut ad posteros transmittatur. Si cum ego fundum possiderem, professus sum, petitor autē eius nō fuerit professus: actionem illi manere placet. In seruis deferendis obseruandum est, ut & nationes eorum, & ætates, & officia, & artificia specialiter deferantur. Lacus quoq; piscatorios, & portus in censum dominus debet deferre. Salinæ si quæ sunt in prædijs, æque & ipsæ in censum deferēdæ sunt. Si quis inquilinum, uel colonum non fuerit professus, uinculis censualibus tenetur. Quæ post censum edictum nata, aut postea quæ sita sint, intra finē temporis consumati professionibus edi possunt.

Si quis ueniam petierit, ut censum sibi emendare permittatur, deinde post hoc impetratum cognouerit, se non debuisse hoc petere, quia res emendationem non desiderabat: nullum ei præiudiciū ex eo, quod petijt, ut censum emendaret, fore, sæpissime rescriptum est.

V. PAVLVS.

CVm possessor unus expediendi negocij caussa tributorū iure conueniretur: aduersus cæteros, quorū æque prædia tenent, ei, qui cō uentus est, actiones à fisco præstantur: scilicet ut omnes p modo prædiorū pecuniā tributi conferant. nec inutiliter actiones præstant, tametsi fiscus pecuniam suam recuperauerit: quia nominū uenditorū preciū acceptū uidetur. Qui non habita ratione tributorū, ex caussa fideicommissi prædia restituunt: actionē ex diui Pij Antonini literis habent, quā legato quoq; soluto locū habere uoluit. Pro pecunia tributi, qd' sua die non est redditū, q̄ minus prædiū iure pignoris distrahat oblata moratoria cautione, nō admittit: nec audiet legatarius cōtradicens ob tributa præteriti temporis, quod hæres soluendo sit, & is, qui tributis reciendis præpositus fuerat.

VI. CELSVS.

COlonia Philippensis iuris Italici est.

VII. CAIVS.

IVris Italici sunt, πωλὰς, βήγιος, δυϱράχιον.

VIII. PAVLVS.

IN Lysitania Pacēses & Emeritēses iuris Italici sunt. idem ius Valentini & Lucentini habēt. Barcinomenses quoq; ibidē immunes sunt. Lugdunenses Galli. item Viennenses in Narbonensi iuris Italici sunt. In Germania inferiore Agrippinenses iuris Italici sunt. Laodicea in Sy

ria,& Berytos in Phœnice iuris Italici sunt,& solũ earum. eiusdẽ iuris & Tyriorũ ciuitas à diuis Seuero & Antonino facta est. diuus Antoninus Antiochenses colonos fecit saluis tributis. Imperator noster Antoninus ciuitatẽ Amisenorũ coloniam & iuris Italici fecit. diuus Vespasianus Cæsarienses colonos fecit, non adiecto ut & iuris Italici essent, sed tributum his remisit capitis. sed diuus Titus etiam solum immune factum interpretatus est. similes his Capitulenses esse uidentur. in prouincia Macedonia Dyrrhacheni, Cassandrenses, Philippẽses, Dienses, Stonẽses iuris Italici sunt. in prouincia Asia duæ iuris Italici sunt, Troas,& Parium. in Pisidia eiusdem iuris est colonia Antiochensium. in Africa Carthago, Vtice, Leptis magna à diuo Seuero & Antonino iuris italici factæ sunt.

DE VERBORVM SIGNIFICATIONE. Tit. XVI.

I. VLPIANVS.

VErbum hoc, SI QVIS, tam masculos, quàm fœminas complectitur.

II. PAVLVS.

VRBIS appellatio muris, ROMAE autem continentibus ædificijs finit, quod latius patet. Cuius ꝑ diei maior pars est horarũ septem primarum diei, non supremarũ.

III. IDEM.

ITineri faciendo uiginti milia passuum in dies singulos peragenda, sic sunt accipienda: ut si post hanc dinumerationẽ minus, quàm uiginti milia supersint, integrũ diem occupent. ueluti si uiginti unum milia passuum sunt: biduum eis attribuet. quæ dinumeratio ita demum facienda erit, si de die non conueniat. Eius, qui apud hostes decessit, dici hæreditas non potest: quia seruus decessit.

IIII. CAIVS.

NOMINIS appellatione rem significari, Proculus ait.

V. IDEM.

REi appellatio latior est, quàm pecuniæ: quia etiam ea, quæ extra cõputationẽ patrimonij nostri sunt, continet: cum pecuniæ significatio ad ea referat, quæ in patrimonio sunt. Opere legato, uel conducto, his uerbis significari Labeo ait id opus, quod græci ἀποτέλεσμα uocant, non ἔργον, id est, ex opere facto corpus aliquod perfectum.

VI. VLPIANVS.

NOminis & rei appellatio ad omnem contractum & obligationem

nem pertinet. Verbum EX LEGIBVS sic accipiendum est: tam ex legum sententia, quàm ex uerbis.

VII. PAVLVS.

SPONSIO appellatur non solum, quæ per sponsi interrogationem fit, sed omnis stipulatio promissioq;.

VIII. IDEM.

VErbum OPORTEBIT tam præsens, quàm futurum tempus significat. Actionis uerbo non continetur exceptio.

IX. VLPIANVS.

MArcellus apud Iulianum tractans notat, uerbo* PERISSE & scissum, & fractum contineri, & ui raptum, als *rapuisse. aliàs. rupisse.

X. IDEM.

CReditores accipiendos esse constat eos, quibus debetur ex quacunq; actione, uel persecutione, uel iure ciuili sine ulla exceptionis perpetuæ remotione, uel honorario, uel extra ordinario, siue pure, siue in diem, uel sub conditione. quod si natura debeat: non sunt loco creditorũ. sed si non sit mutua pecunia, sed contractus: creditores accipiuntur.

XI. CAIVS.

CReditorũ appellatione non hi tantum accipiuntur, qui pecuniam crediderint: sed omnes, quibus ex aliqua caussa debetur.

XII. IDEM.

SI cui ex empto, uel ex locato, uel ex alio contractu debetur, sed etsi ex delicto debeatur: mihi uidetur, posse creditoris loco accipi. quod si ex populari caussa: ante litis contestationem recte dicetur, creditoris loco non esse potuisse. Minus soluit, qui tardius soluit. nam & tempore minus soluitur.

XIII. IDEM.

MVlieris appellatione etiam uirgo uiripotens continetur. Res abesse uidentẽ (ut Sabinus ait, & Pedius probat) etiam hæ, quarũ corpus manet, & forma mutata est. & ideo si corruptæ redditæ sunt, uel transfiguratæ: uideri abesse, quoniam plerunq; plus est in manus precio, quàm in re. Desinere autem abesse res tunc uidetur, cum sic redijt in potestatẽ, ne amittere eius possessionẽ possimus ob hoc, quod furto pridem subtracta est. Abest & ea res, quæ in rebus humanis nõ est.

XIIII. PAVLVS.

LAbeo & Sabinus existimant, si uestimentum scissum reddatur, uel res corrupta reddita sit, ueluti scyphi collisi, aut tabula rasa pictura: uideri rem abesse, quoniam earum rerum precium non in substantia, sed in arte sit positum. item si dominus rem, quæ sibi furto aberat, ignorãs emerit: recte dicitur res abesse, etiam si postea id ita esse scierit:

quia

quia uidetur res ei abesse, cui precium abest. Rem amisisse uidetur, qui aduersus nullum eius persequendæ actionem habet.

XV. VLPIANVS.

BOna ciuitatis abusiue publica dicta sunt. sola enim ea publica sunt, quæ populi Romani sunt.

XVI. CAIVS.

EVm, qui uectigal populi Romani conductum habet: publicanum appellamus. nam publica appellatio in compluribus caussis ad populum Romanũ respicit. ciuitates enim priuatorum loco habentur.

XVII. VLPIANVS.

INter publica habemus non sacra, nec religiosa, nec quæ publicis usibus destinata sunt: sed si qua sunt uelut ciuitatum bona. sed & peculia seruorum ciuitatum proculdubio publica habentur. Publica uectigalia intelligere debemus, ex quibus uectigal fiscus accipit: quale est uectigal portus, uel uenalium rerum, item salinarum, & metallorum, & piscariarum.

XVIII. PAVLVS.

MVnus tribus modis dicitur. uno donũ, & inde munera dici dari mittiũe. altero onus, quod cũ remittat̃, uacationẽ militiæ muneriscꝫ præstat: inde immunitatem appellari. tertio officiũ: unde munera militaria, & quosdã milites munifices uocari. igitur & municipes dici, quod munera ciuilia capiant.

XIX. VPLIANVS.

LAbeo libro primo prætpris urbani definit, quod quædam agant̃, quædam gerantur, quædã contrahantur. Et actum quidem uerbũ generale esse, siue uerbis, siue re quid agatur: ut in stipulatione, uel numeratione pecuniæ. Contractum autem ultro citrocꝫ obligationem esse, quam Græci συνάλλαγμα uocant: ueluti emptionem, uẽditionem, locationem, conductionem, societatem. Gestum autem rem significare sine uerbis factam.

XX. IDEM.

VErba CONTRAXERVNT GESSERVNT nõn pertinent ad iustestandi.

XXI PAVLVS.

PRinceps bona concedendo, uidetur etiam obligationes cõcedere.

XXII. CAIVS.

PLus est in restitutione, quàm in exhibitione. nam exhibere est præsentiam corporis præbere. restituere est etiam possessorem facere, fructuscꝫ reddere. pleraqꝫ præterea restitutionis uerbo continentur.

XXIII. VLPIANVS.

Rei

REi appellatione & cauſſæ & iura continentur.

XXIIII. CAIVS.

NIhil aliud eſt hæreditas, quàm ſucceſſio in uniuerſum ius, quod defunctus habuit.

XXV. PAVLVS.

REſte dicimus eum fundum totum noſtrum eſſe, etiam cuiꝰ uſus fructus alienus eſt: quia uſusfructus nõ dominij pars, ſed ſeruitus eſt, ut uia & iter. nec falſò dictum eſt, meũ eſſe, cuius non poteſt ulla pars dici alterius eſſe. hoc & Iulianus, & eſt uerius. Quintus Mutius ait, partis appellatione rem pro indiuiſo ſignificari. nam pro diuiſo quod noſtrum ſit, id non partẽ, ſed totum eſſe. Seruius non ineleganter partis appellatione utrunq; ſignificari.

XXVI. VLPIANVS.

PArtum non eſſe partem rei furtiuæ, Scæuola libro undecimo quæſtionum ſcribit.

XXVII. IDEM.

AGer eſt locus, qui ſine uilla eſt. Stipendiũ à ſtipe appellatũ eſt, quod per ſtipes, id eſt modica æra colligatur. Idem hoc etiam tributum appellari Pomponius ait. & ſanè appellatur ab intributione tributum: uel ex eo, quod militibus tribuatur.

XXVIII. PAVLVS.

ALienationis uerbum etiam uſucapionem continet. uix eſt enim, ut nõ uideatur alienare, qui patitur uſucapi. Is quoq; alienare dicitur, qui non utendo amiſit ſeruitutem. Qui occaſione adquirendi non utitur, nõ intelligitur alienare: ueluti qui hæreditatem omittit, aut optionem intra certum tempus datam non amplectitur. Oratio, quæ neq; coniunctionem, neq; diſiunctionem habet: ex mente pronunciantis, uel diſiuncta, uel coniuncta accipitur.

XXIX. IDEM.

COniunctionem enim nonnũquam pro diſiunctione accipi, Labeo ait: ut in illa ſtipulatione, MIHI HAEREDI QVE MEO TE HAEREDEM QVE TVVM.

XXX. PAVLVS.

SYlua cædua eſt (ut quidam putant) quæ in hoc habetur, ut cæderetẽ. Seruius eam eſſe, quæ ſucciſa rurſus ex ſtirpibus aut radicibus renaſcatẽ. Stipula illecta ſunt ſpicæ in meſſem deiectæ, necdũ lectæ: quas ruſtici, cum uacauerint, colligunt. Nouales eſt terra proſciſſa, quæ anno ceſſauit, quam Græci νέαχιρ uocant. Integra autem eſt, in qua nõ dum dominus paſcendi gratia pecus immiſit. Glans caduca eſt, quæ ex arbore cecidit. Paſcua ſylua eſt, quæ paſcuis pecudum deſtinata eſt.

XXXI. VLPIANVS.

PRatum est, in quo ad fructũ percipiendũ falce duntaxat opus est: ex eo dictum, quod paratum sit ad fructum capiendum.

XXXII. PAVLVS.

MInus solutum intelligitur, etiam si nihil est solutum.

XXXIII. VLPIANVS.

PAlam est coram pluribus.

XXXIIII. PAVLVS.

ACtionis uerbo etiam persecutio continetur.

XXXV. IDEM.

REstituere autem is intelligitur, qui simul & causſam actori reddit, quã is habiturus esset, si statim iudicij accepti tempore res ei reddita fuisset: id est usucapionis causſam, & fructuum.

XXXVI. VLPIANVS.

LItis nomen omnem actionem significat, siue in rem, siue in personam sit.

XXXVII PAVLVS.

VErbum OPORTERE non ad facultatem iudicis pertinet, qui potest uel pluris, uel minoris condemnare: sed ad ueritatem refertur.

XXXVIII. VLPIANVS.

OStentum Labeo definit, omne cõtra naturam cuiusq; rei genitũ factumq;. duo autẽ genera sunt ostentorum. unum, quoties quid contra naturam nascitur: tribus manibus forte, aut pedibus, aut qua alia parte corporis, quæ naturæ contraria est. alterum, cum quid prodigiosum uidetur, quomodo Græci φάσματα uocant.

XXXIX PAVLVS.

SVbsignatum dicitur, quod ab aliquo subscriptum est. nam ueteres subsignationis uerbo pro subscriptione uti solebant. Bona intelliguntur cuiusq;, quæ deducto ære alieno supersunt. Attestari est absenti denunciare. Incertus possessor est, quem ignoramus.

XL. VLPIANVS.

DEtestatio est denunciatio facta cũ testatione. Serui appellatio etiam ad ancillam refertur. Familiæ appellatiõe liberi quoq; continentur. Vnicus seruus familiæ appellatione non continet. nec duo quidem familiam faciunt.

XLI. CAIVS.

ARmorum appellatio nõ tantum utiq; scuta, & gladios, & galeas significat: sed & fustes, & lapides.

XLII. VLPIANVS.

Probrũ

PRobrum & obprobrium idem est. probra quædam natura turpia sunt, quædã ciuiliter & quasi more ciuitatis: utputa furtum, adulterium, natura turpe est. enimuero tutelæ damnari: hoc non natura probrum est, sed more ciuitatis. nec enim natura probrũ est, quod potest etiam in hominem idoneum incidere.

XLIII. IDEM.

VErbo VICTVS continentur, quæ esui, potui, cultuiq; corporis, quæq; ad uiuendũ homini necessaria sunt. uestem quoq; uictus habere uicem, Labeo ait.

XLIIII. CAIVS.

ET cætera quoq;, quibus tuendi curãdiue corporis nostri gratia utimur, ea appellatione significantur.

XLV. VLPIANVS.

INstrato omne uestimentum contineri, quod iniiciatur, Labeo ait. neq; enim dubium est, quin stragula uestis sit, quod græci στρῶμα uocant. In uictu ergo uestem accipiemus non stragulã, instratum oẽm stragulam uestem.

XLVI. IDEM.

PRonunciatum & statutum idem dici potest. promiscue enim, & pronunciasse, & statuisse solemus eos dicere, qui ius habẽt cognoscendi. Matremfamilias accipere debemus eam, quæ non inhoneste uixit. matrem enim familias à cæteris fœminis mores discernunt atq; separant. proinde nihil intererit, nupta sit, an uidua: ingenua sit, an libertina. nam neq; nuptiæ, neq; natales faciunt matresfamiliarum, sed boni mores.

XLVII. PAVLVS.

LIberationis uerbum eandem uim habet, quam solutionis.

XLVIII. CAIVS *ad edictum urbicum. tit.*

qui neq; sequantur, neq; ducantur.

SOlutum non intelligimus eum, qui licet uinculis leuatus sit, manibus tamẽ tenetur. ac ne eum quidem intelligimus solutum, qui in publico sine uinculis seruatur.

XLIX. VLPIANVS.

BOnorum appellatio aut ciuilis, aut naturalis est. naturaliter bona ex eo dicuntur, quod beant, hoc est quod beatos faciunt. beare est prodesse. In bonis autem nostris computari sciendum est nõ solũ, quæ dominij nostri sunt, sed & si bona fide à nobis possideant̃, uel si superficiaria sint. Aeque bonis adnumerabitur, etiã si quid est in actionibus, petitionibus, persecutionibus. nam hæc omnia in bonis esse uidentur.

L. PAVLVS.

NVrus appellatio etiam ad pronurum,& ultra porrigenda est.

LI. CAIVS.

APpellatione parentis non tantum pater, sed etiam auus,& proauus,& deinceps omnes superiores continentur: sed & mater, & auia,& proauia.

LII. VLPIANVS.

PAtroni appellatione & patrona continetur.

LIII. VLPIANVS.

SAepe ita comparatum est,ut coniuncta pro disiũctis accipiantur, & disiuncta pro coniunctis, interdum soluta pro separatis. nam cum dicitur apud ueteres ADGNATORVM GENTILIVM'QVE: QVE pro separatione accipitur. at cum dicitur SVPER PECVNIAE TVTELAE'VE SVAE: tutor separatim sine pecunia dari non potest.& cum dicimus, QVOD DEDI AVT DONAVI: utraq; continemus. cum uero dicimus, QVOD EVM DARE FACERE OPORTET: quoduis eorum sufficit probare. cum uero dixit prætor, SI DONVM, MVNVS, OPERAS REDEMERIT: si omnia imposita sunt: certum est omnia redimenda esse. ex re ergo pro coniunctis habentur:& si quædam imposita sunt,cætera non desiderabuntur. Item dubitatum est illa uerba, OPE, CONSILIO quemadmodum accipienda sunt: utrum ex sententia coniungentium,an separantium. sed ueriꝰ est(quod & Labeo ait)separatim accipienda:quia aliud factũ est eius,qui ope:aliud eius,qui consilio furtum facit. sic em̃ alij condici potest,alij non potest. & sanè post ueterum authoritatem eò peruentum est,ut nemo ope uideatur fecisse,nisi & consilium malignum habuerit: nec consilium habuisse nocet,nisi & factum secutum fuerit.

LIIII. VLPIANVS.

COnditionales creditores dicuntur hi,quibꝰ nondũ cõpetit actio, est autem competitura:uel qui spem habent,ut competat.

LV. PAVLVS.

CReditor autem is est,qui exceptione perpetua submoueri non põtest. qui autem temporalem exceptionem timet, similis est conditionali creditori.

LVI. PAPINIANVS.

COgnoscere instrumenta est relegere & recognoscere. dispungere est conferre accepta & data. Liberorum appellatione continentur,non tantum qui sunt in potestate: sed omnes, qui sui iuris sunt: siue uirilis, siue fœminini sexus sunt, exíe fœminis descendentes.

LVII. PAVLVS.

Quibus

QVibus præcipua cura rerum incumbit,& qui magis,quàm cæteri,diligentiã & sollicitudinem rebus, quibus præsunt, debent: hi magistri appellantᷣ.quinetiã & ipsi magistratus per deriuationem à magistris cognominantur.unde etiam cuiuslibet disciplinæ præceptores magistros appellari à monendo,uel monstrando. Persequi uidetur & qui satis accepit.

LVIII. CAIVS.

LIcet inter gesta & facta uidetur quædam esse subtilis differentia: attamen καταχρηστικῶς nihil inter gestum & factum interest. Paternos libertos recte uidemur dicere nostros libertos.liberorum uero nostrorum libertos non recte nostros libertos dicimus.

LIX. VLPIANVS.

POrtus appellatus est conclusus locus, quo importantur merces, & inde exportantur:eaq; nihilominus *statio est cõclusa atq; munita.inde angiportum dictum est. *aliàs.station.

LX. IDEM.

LOcus est non fundus,sed portio aliqua fundi: fundus autem integrum aliquid est:& plerunq; locum sine uilla accipimus.cæterum adeo opinio nostra & constitutio locum à fundo separat, ut & modicus locus possit fundus dici,si fundi animo eum habuerimus. nõ enim magnitudo locum à fundo separat,sed nostra affectio:& quælibet portio fundi poterit fundus dici, si iam hoc constituerimus. nec non & fundus locus constitui potest.nam si eum alij adiunxerimus fundo: locus fundi efficietur. Loci appellationem non solum ad rustica, uerum ad urbana quoq; prædia pertinere,Labeo scribit. sed fundus quidẽ suos habet fines: locus uero latére potest, quatenus determinetur & definiatur.

LXI. VLPIANVS.

SAtisdationis appellatione interdum etiam repromissio continebitur,qua contentus fuit is,cui satisdatio debebatur.

LXII. CAIVS.

TIgni appellatione in lege duodecim tabularum omne genus materiæ,ex qua ædificia constant,significatur.

LXIII. VLPIANVS.

PENES TE amplius est,quàm APVD TE. nam apud te est, quod qualiter qualiter à te teneatur. penes te est, quod quodam modo à te possidetur.

LXIIII. PAVLVS.

INtestatus est,non tantum qui testamentum non fecit,sed etiam cuius ex testamento hæreditas adita non est.

LXV. VLPIANVS

HAeredis appellatio non solum ad proximum hæredem, sed & ad ulteriores refertur. nam & hæredis hæres, & deinceps, hæredis appellatione continetur.

LXVI. IDEM.

MErcis appellatio ad res mobiles tantum pertinet.

LXVII. IDEM.

ALienatum non proprie dicitur, quod adhuc in dominio uendito ris manet: uenditum tamen recte dicitur. Donationis uerbum simpliciter loquendo omnẽ donationem cõpræhendisse uidetur, siue mortis caussa, siue non mortis caussa fuerit.

LXVIII. IDEM.

ILla uerba ARBITRATV LVCII TITII FIERI, ius significant, & in seruum non cadunt.

LXIX. IDEM.

HAec uerba CVI REI DOLVS MALVS ABFVERIT: generaliter cõpræhendunt omnem dolum, quicunq; in hanc rem admissus est, de qua stipulatio est interposita.

LXX. PAVLVS.

SCiendum est, hæredem etiam per multas successiones accipi. nam paucis speciebus hæredis appellatio proximum continet: ueluti in substitutione impuberis, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, IDEM FILIO MEO HAERES ESTO: ubi hæredis hæres non continetur, quia incertus est. item in lege Aelia Sentia filius hæres proximus potest libertum paternum ut ingratum accusare, non etiam si hæredi hæres exstiterit. idem dicitur in operarũ exactione, ut filius hæres exigere possit, nõ ex successione effectus. Verba hæc IS, AD QVEM EA RES PERTINET, sic intelliguntur: ut qui in uniuersum dominiũ, uel iure ciuili, uel iure prætorio succedit, contineatur.

LXXI. VLPIANVS.

ALiud est capere, aliud accipere. capere, cũ effectu accipitur: accipere, etiam si quis nõ sic accepit, ut habeat. ideoq; non uidetur quis capere, quod est restituturus. sic & peruenisse proprie illud dicitur, quod est remansurũ. Hæc uerba HIS REBVS RECTE PRAESTARI hoc significant: ne quod periculum, uel damnũ ex ea re stipulator sentiret.

LXXII. PAVLVS.

APpellatione rei pars etiam continetur.

LXXIII. CAIVS.

HAec uerba in stipulatione posita EAM REM RECTE RESTITVI, fructus continet. RECTE enim uerbum pro uiri boni arbitrio est.

Paulus

LXXIIII. PAVLVS.

SIgnatorius anulus ornamenti appellatione non continetur.

LXXV. IDEM.

RESTituere uidetur is, qui restituit, quod habiturus esset actor, si cõtrouersia ei facta non esset.

LXXVI. IDEM.

DEdisse intelligendus est etiam is, qui permutauit, uel cõpensauit.

LXXVII. VLPIANVS.

FRugẽ pro reditu appellari, non solum ꝑ frumentis, aut leguminibus: uerũ & pro eo quod ex uino, uel ex syluis cæduis, cretifodinis, lapidicinis capitur. Iulianus scribit, fruges omnes esse, quibus homo uescatur, falsum esse. non enim carnes, aut aues, ferasue, aut poma fruges dici. frumentũ autem id esse, quod arista in se teneat, recte Gallum definisse. lupinum uero & fabas fruges potius dici: quia non arista, sed siliqua continentur: quæ Seruius apud Alfenũ in fruméto cõtineri putat.

LXXVIII. PAVLVS

INterdum proprietatem quoq; uerbum possessionis significat: sicut in eo, qui possessiones suas legasset, responsum est.

LXXIX. IDEM.

IMpensæ necessariæ sunt, quæ si factæ non sint, res aut peritura, aut deterior futura sit. Vtiles impensas esse Fulcinius ait, quæ meliorem dotem faciant, deteriorem esse non sinant, ex quibus reditus mulieri adquiratur: sicuti arbusti pastinatione ultra, quàm necesse fuerat. item doctrinam puerorum. quorum nomine onerari mulierem ignorantẽ uel inuitã non oportet: ne cogatur fundo aut mancipijs carere. in his impensis & pistrinum & horreum insulæ dotali adiectum plerunq; dicimus. Voluptariæ sunt, quæ speciẽ duntaxat ornant, non etiam fructum augent: ut sunt uiridiaria, aquæ salientes, incrustationes, loricationes, picturæ.

LXXX. IDEM.

IN generali repetitione legatorum etiam datæ libertates continentur ex mente legis duodecim tabularum.

LXXXI. IDEM.

CVm prætor dicat, ut opus factum restituatur: etiam damnum datum actor consequi debet. nam uerbo restitutionis omnis utilitas actoris continetur.

LXXXII. IDEM.

VErbum AMPLIVS ad eum quoq; pertinet, cui nihil debeẽ: sicuti ex contrario minus solutũ uidetur, etiam si nihil esset exactum.

LXXIII. IABOLENVS.

Propriæ

PRoprie bona dici non possunt, quæ plus incommodi, quàm commodi habent.

LXXXIIII. PAVLVS.

FIlij appellatione omnes liberos intelligimus.

LXXXV. MARCELLVS.

NEratius Priscus tres facere existimat collegium, & hoc magis sequendum est.

LXXXVI. CELSVS.

QVid aliud sunt iura prædiorum, quàm prædia, qualiter se habentia: ut bonitas, salubritas, amplitudo?

LXXXVII. MARCELLVS.

ALfenus ait, urbem esse Romam, quà muro cingeretur. Romã etiam, quà in continenti ædificia essent. nam Romam non muro tenus existimari, ex consuetudine quotidiana posse intelligi, cum dicere mus Romam nos ire, etiam si extra urbem habitaremus.

LXXXVIII. CELSVS.

PRopè modum tantũ quis pecuniæ relinquit, quantũ ex bonis eius reficì potest. sic dicimus, centiens aureorum habere, qui tãtum in prædijs cæterisq; similibus rebus habeat. non idem est in fundo alieno legato, quanquam is fundus hæreditaria pecunia cõparari potest: neq; quisquam eum, qui pecuniã numeratam habet, habere dicit, quidquid ex ea parari potest.

LXXXIX. POMPONIVS.

BOues magis armentorum, quàm iumentorum genere appellantur. Hoc sermone DVM NVPTA ERIT, primæ nuptiæ significantur. Inter reddere & edere rationes, multum interest: nec is, qui edere iussus sit, reliquum reddere debet. nam & argentarius edere rationem uidetur, etiam si quod reliquum sit apud eum, non soluat.

XC. VLPIANVS.

QVi uti optimæ maximæq; sunt, ædes tradit: non hoc dicit, seruitutem illis deberi: sed illud solum, ipsas ædes liberas esse, hoc est nulli seruire.

XCI. PAVLVS.

MEorum & tuorum appellatione actiones quoq; contineri dicendum est.

XCII. IDEM.

PRoximus est, quem nemo antecedit: supremus est, quem nemo sequitur.

XCIII. CELSVS.

MOuentium, item mobilium appellatione idem significamus: si tamen

tamen apparet, defunctum animalia duntaxat, quæ se ipsa mouerent, mouentia uocasse. quod uerum est.

XCIIII. IDEM.

VErbum reddendi, quanquam significatum habeat retro dandi: recipit tamen & per se dandi significationem.

XCV. MARCELLVS.

POtest reliquorum appellatio & uniuersos significare.

XCVI. CELSVS.

LItus est quousq; maximus fluctus à mari peruenit: idq; Marcũ Tullium aiunt, cum arbiter esset, primum constituisse. Prædia dicimus aliquorum esse, non utiq; communiter habentium ea, sed uel alio aliud habente.

XCVII. IDEM.

CVm stipulamur, QVANTA PECVNIA EX HAEREDITATE LVCII TITII AD TE PERVENIT: res ipsas, quæ peruenerunt, nõ precia earum, spectare uidemur.

XCVIII. IDEM.

CVm bis sexto calẽdas est: nihil refert, utrum priore, an posteriore die quis natus sit: & sic deinceps sexto calẽdas eius natalis dies est. nam id biduum pro uno die habetur, & posterior dies intercalatur, nõ prior. ideo quo anno intercalatum non est, sexto calendas natus: cum bis sexto calendas est, priorem diem natalẽ habet. Cato putat mensem intercalarem additicium esse: omnesq; dies eius pro momento temporis obseruat, extremoq; diei mensis Februarij tribuit Quintus Mutius. mensis autem intercalaris constat ex diebus uiginti octo.

XCIX VLPIANVS.

NOtionẽ accipere debemus, & cognitionẽ, & iurisdictionẽ. Cõtinẽtes, puincias accipere debemus eas, quæ Italiæ cõiunctæ sunt, utputa Galliam. sed & prouinciã Siciliam magis inter continentes accipere nos oportet, quæ modico freto Italia diuiditur. Instrumentorum appellatione quæ compræhendantur, perquàm difficile erit separare. quæ enim proprie sint instrumenta, propter quæ dilatio danda sit, inde dignoscemus. si in præsentia personæ, quæ instruere possit, dilatio petatur (puta qui actum gessit, licet in seruitute, uel qui actor fuit constitutus) putemus uideri instrumentorum causſa peti dilationem.

C. IDEM.

SPecioſas personas accipere debemus clarissimas personas utriusq; sexus: item eorum, quæ ornamentis senatorijs utuntur.

CI. MODESTINVS.

INter stuprum & adulteriũ hoc interesse quidam putant: quod adul-

terium in nuptam, ſtuprum in uiduam cõmititur. ſed lex Iulia de adulteriis hoc uerbo indifferenter utitur. Diuortium inter uirum & uxorem fieri dicitur: repudium uero ſpõſæ remitti uidetur, quod & in uxoris perſonam non abſurde cadit. Verum eſt morbum eſſe temporalem corporis imbecillitatem: uicium uero perpetuum corporis impedimentum, ueluti ſi *talum excuſſit. ita luſcus utiq; uicioſus eſt. Sertis legatis etiã ancillas deberi quidam putant, quaſi commune nomen & luſcꝰ utrunq; ſexum contineat.

*luſcus ſit. nam & luſcꝰ

CII. IDEM.

DErogatur legi, aut abrogatur. derogatur legi, cum pars detrahit: abrogatur legi, cum prorſus tollitur.

CIII. IDEM.

LIcet capitalis latine loquentibus omnis cauſſa exiſtimationis uideatur: tamen appellatio capitalis, mortis uel amiſſionis ciuitatis intelligenda eſt.

CIIII. IDEM *lib.* II. *exauſationum.*

Τῶν τέκνων προσκτοῖα ἡγοῦνται αἱ τοὺς ἐγγόνους ἐκτείνεται.

CV. IDEM.

MOdeſtinus reſpondit. his uerbis LIBERTIS LIBERTABVS'QVE MEIS, libertum libertæ teſtatoris non contineri.

CVI. IDEM.

DImiſſoriæ literæ dicuntur, quæ uulgo dicuntur apoſtoli. dimiſſoriæ autem dictæ, quod per eas cauſſa ad eum, qui appellatus eſt, dimittit̃. CVII. IDEM.

ADſignare libertum hoc eſt, teſtificari, cuius ex liberis libertum eum eſſe uoluit.

CVIII. IDEM.

DEbitor intelligitur is, à quo inuito exigi pecunia poteſt.

CIX. IDEM.

SEqueſter dicitur, apud quem plures eandem rem, de qua cõtrouerſia eſt, depoſuerunt: dictus ab eo, quod occurrenti, aut quaſi ſequenti eos, qui contendunt, committitur.

CX. IDEM.

BOnæ fidei emptor eſſe uidetur, qui aut ignorauit eam rem alienã eſſe: aut eum, qui uendidit, ius putauit uendendi habere, puta procuratorem, aut tutorem eſſe.

CXI. IABOLENVS.

CEnſere eſt conſtituere & præcipere. unde etiam dicere ſolemus, cenſeo, ut hoc facias: & *ſenatum aliquid cenſuiſſe. inde cenſoris nomen uidetur eſſe tractum.

*aliâs. ſemet.

Idem

CXII. IDEM.

LItus publicũ est eaténus, quaténus maxime fluctus exæstuat. idem iuris est in lacu, nisi is totus priuatus est.

CXIII. IDEM.

MOrbus sonticus est, qui cuiq; rei nocet.

CXIIII. IDEM.

SOluendo esse nemo intelligitur, nisi qui solidum potest soluere.

CXV. IDEM.

QVæstio est, fundus à possessione, uel agro, uel prædio quid distet. Fundus est omne, quidquid solo tenetur. Ager est species fundi, qui ad usum hominis comparat̃. Possessio ab agro iuris proprietate distat. quidquid enim adpræhendimus, cuius proprietas ad nos non pertinet, aut nec potest pertinere, hoc possessionem appellamus. possessio ergo usus est, ager ꝓprietas loci est. Prædiũ utriusq; suprascriptæ rei generale nomen est. nã & ager, & possessio, huius appellationis species sunt.

CXVI. IDEM.

QVISQVIS MIHI ALIVS FILIVS FILII'VE HAERES SIT. ait Labeo nõ uideri filiã contineri, Proculus cõtra. mihi Labeo uidet̃ uerborum figuram sequi, Proculus mentem testantis. Respondi. non dubito, quin Labeonis sententia uera non sit.

CXVII. IDEM.

NOn potest uideri minus soluisse is, in quem amplioris summæ actio non competit.

CXVIII. POMPONIVS.

HOstes hi sunt, qui nobis, aut quibus nos publice bellum decreuimus. cæteri latrones aut prædones sunt.

CXIX. IDEM.

HAereditatis appellatio sine dubio continet etiã damnosam hæreditatem. iuris enim nomen est, sicuti bonorum possessio.

CXX. IDEM.

VErbis legis duodecim tabularũ his, VTI QVISQVE LEGASSET SVAE REI, ITA IVS ESTO, latissima potestas tributa uidetur, & hæredes instituendi, & legata, & libertates dandi, tutelas quoq; constituendi. sed interpretatione coangustatum est, uel legum authoritate, uel iura constituentium.

CXXI. IDEM.

VSura pecuniæ, quam percipimus, in fructu non est: quia non ex ipso corpore, sed ex alia caussa est, id est noua obligatione.

CXXII. IDEM.

SEruius ait, si ita scriptum sit, FILIO FILIIS'QVE MEIS HOSCE TV

TORES DO: masculis duntaxat tutores datos: quoniam à singulari casu, hoc est filio, ad pluralem uideretur transijsse, continentem eundem sexum, quem singularis prior positus habuisset. sed hoc facti, non iuris habet quæstionem. potest enim fieri, ut in singulari casu de filio senserit, deinde plenius omnibus liberis prospexisse in tutore dando uoluerit. quod magis rationabile esse uidetur.

CXXIII. IDEM.

VErbum ERIT interdum etiam præteritum, nec solum futurũ tempus demonstrat. quod est nobis necessarium scire, & cum co dicilli ita confirmati testamento fuerũt, QVOD IN CODICILLIS SCRIPTVM ERIT: utrum ne futuri temporis demonstratio fiat, an etiam præteriti, si ante scriptos codicillos quis relinquat. quod quidem ex uoluntate scribentis interpretandum est. quemadmodũ autem hoc uerbum EST nõ solum præsens, sed & præteritum tempus significat. ita & hoc uerbum ERIT non solum futurum, sed interdum etiam præteritum tempus demonstrat. nam cum dicimus, LVCIVS TITIVS SOLVTVS EST OBLIGATIONE: & præteritum, & præsens significamus, sicut hic, LVCIVS TITIVS ALLIGATVS EST. idemq; fiet, & cum ita loquimur, TROIA CAPTA EST. non enim ad præsentis facti demonstrationem refertur is sermo, sed ad præteritum.

CXXIIII. PROCVLVS.

HAec uerba ILLE AVT ILLE non solum disiunctiua, sed etiam subdisiunctiua orationis sunt. disiunctiuum est, ueluti cum dicimus, AVT DIES, AVT NOX EST: quorum posito altero, necesse est tolli alterũ: item sublato altero, poni alterũ. ita simili figuratiõe uerbũ AVT potest esse subdisiunctiuũ. Subdisiunctiui aũt genera sunt duo: unum, cum ex propositis finibus ita non potest utrunq; esse, ut possit neutrũ esse: ueluti cum dicimus, AVT SEDET, AVT AMBVLAT. nam ut nemo potest utrũq; simul facere, ita aliquis potest neutrum, ueluti is, qui accumbit. Alterius generis est, cum ex propositis finibus ita non potest neutrum esse, ut possit esse utrunq;: ueluti cum dicimus, OMNE ANIMAL AVT FACIT AVT PATITVR. nullũ enim animal est, quod nec faciat, nec patiatur. at potest simul & facere & pati.

CXXV. IDEM.

NEpos Proculo suo salutem. ab eo, qui ita dotem promisit, CVM COMMODVM ERIT, DOTIS FILIAE MEAE TIBI ERVNT AVREI CENTVM: putas ne protinus nuptijs factis dotem peti posse? quid si ita promisisset, CVM POTVERO, DOTI ERVNT? quod si aliquam uim habeat posterior obligatio POSSIT: uerbum quomodo interpretaris? utrum ære alieno deducto, an exstante? PROCVLVS. Cum dotem

dotem quis promiſit, CVM POTVERO, DOTI TIBI ERVNT CENTVM: exiſtimo ad id, quod actum eſt, interpretationem redigendam eſſe. nã qui ambigue loquitur: id loquitur, quod ex his, quæ ſignificantur, ſenſit. propius eſt tamen, ut hoc eum ſenſiſſe exiſtimem, quod deducto ære alieno potero. Poteſt etiam illa accipi ſignificatio, cum ſalua dignitate mea potero. quæ interpretatio magis accipienda eſt, ſi ita promiſſum eſt: CVM COMMODVM ERIT, hoc eſt cum ſine incommodo meo potero.

CXXVI. IDEM.

SI cum fundum tibi darem, legem ita dixi, VTI OPTIMVS MAXIMVS QVE EST, & adieci, ius fundi deterius factum non eſſe per dominum: præſtabitur, amplius eo præſtabitur nihil. & ſi prior pars, qua ſcriptum eſt, VTI OPTIMVS MAXIMVS QVE EST, liberum eſſe ſignificat, eoq; ſi poſterior pars adiecta non eſſet, liberum præſtare debere: tamen inferiore parte ſatis me liberatum puto (quod ad iura attinet) ne quid aliud præſtare debeam, quàm ius fundi per dominum deterius factum non eſſe.

CXXVII. PAVLVS.

VEſtis appellatiõe tam uirilis, quàm muliebris, & ſcenica, etiam ſi tragica, aut citharœdica ſit, continetur.

CXXVIII. VLPIANVS.

SPadonum generalis appellatio eſt. quo nomine tam hi, qui natura ſpadones ſunt, item thlibiæ, thlaſiæ, ſed & ſi quod aliud genus ſpadonum eſt, continetur.

CXXIX. PAVLVS.

QVi mortui naſcuntur, neq; nati, neq; procreati uidentur: quia nunquam liberi appellari potuerunt.

CXXX. VLPIANVS.

LEge obuenire hæreditatem nõ improprie quis dixerit & eam, quæ ex teſtamento defertur: quia lege duodecim tabularum teſtamentariæ hæreditates confirmantur.

CXXXI. IDEM.

ALiud eſt fraus, aliud pœna. fraus enim ſine pœna eſſe poteſt, pœna ſine fraude eſſe nõ poteſt. pœna eſt noxæ uindicta, fraus & ipſa noxa dicitur, & quaſi pœnæ quædam præparatio. Inter multam autem & pœnam multũ intereſt: cum pœna generale nomen ſit omniũ delictorũ coërcitio: multa ſpecialis peccati, cuius animaduerſio hodie pecuniaria eſt. pœna autem non tantum pecuniaria, uerum capitis, & exiſtimationis irrogari ſolet. & multa quidẽ ex arbitrio eius uenit, qui multam dicit: pœna non irrogatur, niſi quæ qua lege, uel quo alio iure

specialiter huic delicto imposita est. quinimò multa ibi dicitur, ubi specialiter pœna non est imposita. Item multam is dicere potest, cui adiudicatio data est. magistratq; solos & præsides prouinciarum posse multam dicere, mandatis permissum est. pœnã autem unusquisq; irrogare potest, cui huius criminis siue delicti exsecutio competit.

CXXXII. PAVLVS.

ANniculus amittitur, qui extremo anni die moritur, & consuetudo loquendi id ita esse declarat. ANTE DIEM DECIMVM CALENDARVM. POST DIEM DECIMVM CALENDARVM. * nec utroq; sermone undecima dies significatur. Falsum est eam peperisse, cui mortuæ filius extractus est.

*als. næ. als. omino deest.

CXXXIII. VLPIANVS.

SI quis sic dixerit, uti intra diem mortis eius aliquid fiat: ipse quoq; dies, quo quis mortuus est, numeratur.

CXXXIIII. PAVLVS.

ANniculus nõ statim, ut natus est, sed trecẽtesimo sexagesimoquinto die dicitur: incipiente planè, non exacto die: quia annum ciuiliter non ad momenta temporum, sed ad dies numeramus.

CXXXV. VLPIANVS.

QVæret aliquis, si portẽtosum, uel monstrosum, uel debilem mulier ediderit, uel qualem uisu, uel uagitu nouum, nõ humanæ figuræ, sed alterius magis animalis, quàm hominis partũ: an quia enixa est, prodesse ei debeat? & magis est, ut hæc quoq; parẽtibus prosint. nec enim est, quod eis imputẽt, quæ qualiter potuerũt, statutis obtempera uerũt: neq; id, quod fataliter accessit, matri damnum iniungere debet.

CXXXVI. IDEM.

GEneri appellatione & neptis, & proneptis, tam ex filio, quàm ex filia editarum, cæterarumq; maritos contineri, manifestum est.

CXXXVII. PAVLVS.

TEr enixa uidetur, etiam quæ tergeminos peperit.

CXXXVIII. IDEM.

HAereditatis appellatione bonorum quoq; possessio continetur.

CXXXIX. VLPIANVS.

AEdificia Romæ fieri etiam ea uidentur, quæ in continentibus Romæ ædificijs fiant. Perfecisse ædificium is uidetur, qui ita consummauit, ut iam in usu esse possit.

CXL. PAVLVS.

CEpisse quis intelligitur, quamuis alijs adquisiuit.

CXLI. VLPIANVS.

ETiam ea mulier, cum moreretur, creditur filium habere, quæ excisso utero

so utero edere possit. necnon etiam alio casu mulier potest habere filium, quem mortis tempore non habuit: utputa eum, qui ab hostibus captus remeauit.

CXLII. PAVLVS.

TRiplici modo cõiunctos intelligimus. aut eñ re per se coniunctio cõtingit, aut re & uerbis, aut uerbis tantum. nec dubium est, quin coniuncti sint, quos & nominũ & rei complexus iungit: ueluti TITIVS ET MAEVIVS EX PARTE DIMIDIA HAEREDES SVNTO. uel TITIVS MAEVIVS QVE HAEREDES SVNTO, uel TITIVS CVM MAEVIO EX PARTE DIMIDIA HAEREDES SVNTO. uideamus autem, ne etiam si hos articulos detrahas, ET, QVE, CVM, interdum tamen coniunctos accipi oporteat: ueluti LVCIVS TITIVS, PVBLIVS MAEVIVS HAEREDES SVNTO EX PARTE DIMIDIA, uel ita: PVBLIVS MAEVIVS, LVCIVS TITIVS HAEREDES SVNTO, SEMPRONIVS EX PARTE DIMIDIA HAERES ESTO: ut & Titius & Mæuius ueniãt in partem dimidiã, & re & uerbis cõiuncti uideañ. LVCIVS TITIVS EX PARTE DIMIDIA HAERES ESTO. SEIVS EX PARTE, QVA LVCIVM TITIVM HAEREDEM INSTITVI, ESTO. SEMPRONIVS EX PARTE DIMIDIA HAERES ESTO. Iulianus dubitari posse ait, tres semisses facti sint, an Titius in eundem semissem cum Caio Seio institutus sit? sed eo, quod Sempronius quoq; ex parte dimidia scriptus est: uerisimilius esse, in eundẽ semissem duos coactos & coniunctim hæredes scriptos esse.

CXLIII. VLPIANVS.

ID apud se quis habere uideť, de quo habet actionem. habetur enim, quod peti potest.

CXLIIII. PAVLVS.

MAsurius scribit libro memorialiũ, pellicem apud antiquos eam habitam, quæ cum uxor non esset, cum aliquo tamen uiuebat: eamq; nũc uero nomine amicam, paulo honestiore concubinã appellari. *Caius Flaccus in libro de iure Papyriano scribit, pellicem nunc uulgo uocari, quæ cum eo, cui uxor sit, corpus misceat: quosdam eam, quæ uxoris loco sine nuptijs in domo sit, quã græci *παλλακὴν uocãt. *aliàs. Grãcus. *qdã reponit. ξ- ταίραν.

CXLV. VLPIANVS.

VIrilis appellatione interdum etiam totam hæreditatem contineri, dicendum est.

CXLVI. TERENTIVS.

SOceri & socrus appellatione auum quoq;, & auiam uxoris, uel mariti contineri respondetur.

CXLVII. IDEM.

QVi in continentibus urbis nati sunt, Romæ nati intelliguntur.

Caius

CXLVIII. CAIVS.

NOn est sine liberis, cui uel unus filius unaúe filia est. hæc em̃ enunciatio HABET LIBEROS semper pro pluratiuo numero profertur, sicut & pugillares, codicilli.

CXLIX. IDEM.

NAm quem sine liberis esse, dicere nõ possumus: hunc necesse est, ut dicamus liberos habere.

CL. IDEM.

SI ita à te stipulatus fuero, QVANTO MINVS A. TITIO CONSECVTVS FVERO, TANTVM DARE SPONDES? nõ solet dubitari, quin si nihil à Titio fuero consecutus, totũ debeas, quod Titius debuerit.

CLI. TERENTIVS CLEMENS.

DElata hæreditas intelligitur, quam quis possit adeundo consequi.

CLII. CAIVS.

HOminis appellatione, tam fœminam, quàm masculum contineri, non dubitatur.

CLIII. IDEM.

INtelligendus est mortis tempore fuisse, qui in utero relictus est.

CLIIII. MARTIANVS.

*al's. miliario. MIlle passus non à * muro urbis, sed â continentibus ædificijs numerandi sunt.

CLV. LICINIVS RVFINVS.

PRoximi appellatione etiam ille continetur, qui solus est.

CLVI. IDEM.

MAiore parte anni possedisse quis intelligitur, etiã si duobus mensibus possederit: si modo aduersarius eius, aut paucioribus diebus, aut nullis possederit.

CLVII. AELIVS GALLVS *de uerborum, quæ ad ius pertinent, significatione.*

PAries est, siue murus, siue maceria est. Item uia est, siue semita, siue iter est.

CLVIII. CELSVS.

INusu iuris frequenter uti nos Cascellius ait singulari appellatione, cum plura generis eiusdem significare uellemus. nam & multũ hominem uenisse Romam, & piscem uilem esse dicimus. Item in stipulando satis habemus de hærede cauere, SI EA RES SECVNDVM ME HAEREDEM'VE MEVM IVDICATA ERIT: & rursus, QVOD OB EAM REM TE HAEREDEM'VE TVVM: nempe æque & si plures hæredes sint, continentur stipulatione

CLIX. VLPIANVS.

Etiam

ETiam aureos numos æs dicimus.

CLX. VLPIANVS.

CAeterorum & reliquorum appellatione etiam omnes continentur: ut Marcellꝰ ait circa eũ, cui optio ſerui legata erat, cæteri Sempronio. nam tentat, ſi non optet, omnes ad Sempronium pertinere.

CLXI. PAVLVS.

ILla uerba OPTIMVS MAXIMVS QVE EST uel in eum cadere poſſunt, qui ſolus eſt. ſic & circa edictum prætoris ſupremæ tabulæ habentur etiã ſolæ. Pueri appellatione etiam puella ſignificatur. nam & fœminas puerperas appellant recẽtes ex partu, & παιδίσκας græce communiter appellantur.

CLXII. IDEM.

NOn eſt pupillus, qui in utero eſt.

CLXIII. POMPONIVS.

IN uulgari ſubſtitutione, qua ei, qui ſupremus morietur, hæres ſubſtituitur: recte ſubſtitutus, & unico intelligitur exemplo duodecim tabularum, ex quibus proximus adgnatus & ſolus habetur. Si quis ita in teſtamento ſcripſerit, SI QVID FILIO MEO ACCIDERIT, DAMA SERVVS MEVS LIBER ESTO: mortuo filio, Dama liber erit. licet enim aliqua accidant & uiuis: ſed tamen uulgi ſermone etiã mors ſignificatur.

CLXIIII. VLPIANVS.

NOmen filiarũ & in poſtumam cadere, quæſtionis non eſt: quamuis poſtumæ nomen non bene cadere in eam, quæ iam in rebus humanis eſt, certum ſit. Portionis nomen non ſemper dimidiam ſignificat, ſed prout adiectũ eſt. poteſt enim iubere aliquis & maximã partiri: poteſt & uiceſimam, & tertiã, & prout libuerit. ſed ſi non fuerit portio adiecta: dimidia pars debetur. Habere, ſicut peruenire, cum effectu accipiendum eſt.

CLXV. POMPONIVS

PEruenisſe ad hæredem nihil intelligitur, niſi deducto ære alieno.

CLXVI. IDEM.

VRbana familia & ruſtica non loco, ſed genere diſtinguitur. poteſt enim aliquis diſpenſator non eſſe urbanorum ſeruorum numero: ueluti is, qui ruſticarum rerum rationes diſpenſet, ibiq; habitet, & non multum abſit à uillico. inſularius autem urbanorum numero eſt. uidendum tamen eſt, ipſe dominus quorum loco quenq; habuerit, quod ex numero familiæ, & uicarijs apparebit. Pernoctare extra urbem intelligendꝰ eſt, qui nulla parte noctis in urbe eſt. PER eũ totam noctem ſignificat.

CLXVII. VLPIANVS.

CArbonũ appellatione ait Ofilius materiã non contineri. ſed an lignorũ? & fortaſſis quis dicet, nec lignorum. nõ enim lignorũ gratia habuit. Sed & titiones, & alia ligna cocta, ne fumum faciant, utrum ligno, an carboni, an ſuo generi adnumerabimus? & magis eſt, ut proprium genus habeatur. ſulfurata quoq; de ligno æque eandem habebunt definitionem. ad faces quoq; parata non erunt lignorum appellatione compræhenſa: niſi hæc fuerit uoluntas. idem etiam de nucleis oliuarum, ſed & de balanis eſt, uel ſi qui alij nuclei ſunt. de pinu autem integri ſtrobyli ligni appellatione continebuntur.

CLXVIII. PAVLVS.

PAli & perticæ in numerum materiæ redigendi ſunt: & ideo lignorum appellatione non continentur.

CLXIX. IDEM.

NOn tantum in traditionibus, ſed & in emptionibus, & ſtipulationibus, & teſtamẽtis adiectio hæc, VTI OPTIMVS MAXIMVS QVE EST, hoc ſignificat: ut liberum præſtetur prædium, non ut etiam ſerui tutes ei debeantur.

CLXX. VLPIANVS.

HAeredis appellatione omnes ſignificari ſucceſſores credendũ eſt, & ſi uerbis non ſint expreſſi.

CLXXI. POMPONIVS.

PErueniſſe recte ad te dicitur, quod per te ad alium prouenerit: ut in hæreditate à liberto per patronũ filiumfamilias patri eius adoptiuo adquiſita reſponſum eſt.

CLXXII. VLPIANVS.

LIberti appellatione etiam libertam contineri placuit.

CLXXIII. IDEM.

COllegarum appellatione hi continentur, qui ſunt eiuſdem potestatis. Qui extra continentia urbis eſt, abeſt. cæterum uſq; ad continentia, non abeſſe uidebitur.

CLXXIIII. IDEM.

ALiud eſt promittere furem non eſſe, aliud furto noxaq; ſolutum. qui enim dicit furem non eſſe, de hominis propoſito loquit: qui furto noxaq; ſolutum, nemini eſſe furti obligatum promittit.

CLXXV. POMPONIVS.

FAciendi uerbo reddendi etiam cauſſa continetur.

CLXXVI. VLPIANVS.

SOlutionis uerbo ſatisfactionem quoq; omnem accipiẽdam placet. ſoluere dicimus eum, qui id facit, quod facere promiſit.

Idem

CLXXVII. IDEM.

NAtura cauillationis, quam Græci σόφισμα appellauerunt, hæc est: ut ab euidenter ueris per breuissimas mutatiões disputatio ad ea, quæ euidenter falsa sunt, perducatur.

CLXXVIII. IDEM.

PEcuniæ uerbum non solum numeratam pecuniam complectitur, uerum omnem omnino pecuniã, hoc est omnia corpora. nam corpora quoq; pecuniæ appellatione contineri, nemo est, qui abprobet.

Hæreditas nomen iuris est, quod & accessionem, & decessionem in se recipit. hæreditas autem uel maxime fructibus augetur. Actionis uerbum & generale & speciale est. nam actio dicitur omnis (siue in personam, siue in rẽ sit) petitio. sed plerunq; actiones personales solemus dicere: petitionis autem uerbo in rem actiones significari uidentur. persecutionis autem uerbo extraordinarias persecutiones puto cõtineri: utputa fideicommissorum, & si quæ aliæ sunt, quæ non habent iuris ordinarij exsecutionem. Hoc uerbum DEBVIT, omnẽ omnino actionem comprehendere intelligitur: siue ciuilis, siue honoraria, siue fideicommissaria fuit persecutio.

CLXXIX. IDEM.

INter hæc uerba QVANTI EA RES ERIT, uel QVANTI EAM REM ESSE PARET, nihil interest. in utraq; enim clausula placet ueram rei æstimationem fieri.

CLXXX. POMPONIVS.

TVgurij appellatione omne ædificium, quod rusticæ rei magis custodiendæ conuenit, quàm quod urbanis ædibus, significatur. Ofilius ait tugurium à tecto, tanquam tegularium, esse dictum: ut toga, quod ea tegamur.

CLXXXI. IDEM.

VErbum illud PERTINERE latissime patet. nam & eis rebus petendis aptum est, quæ dominij nostri sint: & eis, quas iure aliquo possideamus, quamuis non nostri dominij sint. pertinere ad nos etiam ea dicimus, quæ in nulla eorum caussa sint, sed esse possint.

CLXXXII. VLPIANVS.

LIber peculium habere non potest, quemadmodum nec seruus bona.

CLXXXIII. IDEM.

TAbernæ appellatio declarat omne utile ad habitandum ædificiũ, nempe ex eo, quod tabulis clauditur.

CLXXXIIII. PAVLVS.

VNde tabernacula & contubernales dicti sunt.

CLXXXV. VLPIANVS.

INstructam autem tabernam sic accipimus, quæ & rebus, & hominibus ad negociationem paratis constat.

CLXXXVI. IDEM.

COmmendare nihil aliud est, quàm deponere.

CLXXXVII. IDEM.

VErbum EXACTAE PECVNIAE non solum ad solutionem referendum est, uerum etiam ad delegationem

CLXXXVIII. IDEM.

HAbere duobus modis dicitur: altero, iure dominij: altero, obtinere sine interpellatione id, quod quis emerit. Cautum intelligitur, siue personis, siue rebus cautum sit.

CLXXXIX. IDEM.

*aliàs de est negatio.

FACERE *NON OPORTERE & hanc significationem habet, ut abstineat quis ab eo facto, quod contra conuentionem fieret: & curare, ne fiat.

CXC. IDEM.

PRouinciales eos accipere debemus, qui in prouincia domicilium habent: non eos, qui ex prouincia oriundi sunt.

CXCI. PAVLVS.

INter diuortium & repudium hoc interest: quod repudiari etiam futurum matrimonium potest, non recte autem sponsa diuertisse dicitur: quando diuortium ex eo dictū est, quod in diuersas partes eunt, qui discedunt.

CXCII. IDEM.

HAec adiectio PLVRIS'VE, non infinitam pecuniam continet, sed modicam: ut taxatio hæc, SOLIDORVM DECEM, PLVRIS'VE adminutulam summam referatur.

CXCIII. IDEM.

HAec uerba QVANTI EAM REM PARET ESSE, non ad id, quod interest, sed ad rei æstimationem referuntur.

CXCIIII. IDEM.

INter donum & munus hoc interest, quod inter genus & speciem. nā genus esse donum Labeo ait à donando dictum, munus speciem. nā munus esse donum cum caussa, utputa natalitium nuptiarium.

CXCV. IDEM.

PRonūciatio sermonis in sexu masculino ad utrunq; sexū plerunq; porrigit. FAMILIAE appellatio qualiter accipiat, uideamus. & quidē uarie accepta est. nam & in res & in personas deducitur. in res: utputa in lege duodecim tabularum his uerbis, ADGNATVS PROXIMUS

MVS FAMILIAM HABETO. ad personas autẽ refertur familiæ significatio, ita cum de patrono & liberto loquitur lex familiæ, IN EA (inquit) FAMILIA: & hic de singularibus personis legẽ loqui constat. Familiæ appellatio refertur & ad corporis cuiusdam significationem, quod aut iure proprio ipsorum, aut communi uniuersæ cognationis continetur. Iure proprio familiam dicimus, plures personas, quæ sunt sub unius potestate, aut natura, aut iure subiectæ: utputa patremfamilias, matremfamilias, filiumfamilias, filiãfamilias, quiq; deinceps uicem eorum sequuntur, utputa nepotes, & neptes, & deinceps. pater autẽ familias appellatur, qui in domo dominiũ habet: rectéq; hoc nomine appellatur, quamuis filium non habeat. nõ enim solam personam eius, sed & ius demonstramus. deniq; & pupillum patremfamilias appellamus: & cum paterfamilias moritur, quotquot capita ei subiecta fuerunt, singulas familias incipiunt habere. singuli enim patrumfamiliarũ nomen subeunt. idemq; euenit in eo, qui emancipatus est. nam & hic sui iuris effectus, propriam familiã habet. Cõmuni iure familiã dicimus omniũ adgnatorũ. nã & si patrefamilias mortuo, singuli singulas familias habent: tamen omnes, qui sub unius potestate fuerũt, recte eiusdem familiæ appellabuntur, qui ex eadem domo & gente proditi sunt. Seruitutũ quoq; solemus appellare familiã, ut in edicto prætoris ostẽdimus sub titulo de furtis, ubi prætor loquitur de familia publicanorũ. sed ibi non omnes serui, sed corpus quoddã seruorũ demonstrat eius rei caussa paratũ, hoc est uectigalis caussa. alia autem parte edicti omnes serui cõtinentur, ut de hominibus coactis, & ui bonorũ raptorũ. Item redhibitoria, si deterior res reddat emptoris opera, aut familiæ eius: & interdicto VNDE VI familiæ appellatio omnes seruos cõprehendit. sed & filij continentur. Item appellatur familia plurium personarum, quæ ab eiusdem ultimi genitoris sanguine proficiscuntur: sicuti dicimus familiam Iuliam, quasi à fonte quodam memoriæ. mulier autem familiæ suæ & caput & finis est.

CXCVI. CAIVS.

FAmiliæ appellatione & ipse princeps familiæ continetur. Fœminarũ liberos in familia earum nõ esse, palàm est: quia qui nascuntur, patris, non matris familiam sequuntur.

CXCVII. VLPIANVS.

INdicasse est detulisse, arguisse, accusasse, & conuicisse.

CXCVIII. IDEM.

VRbana prædia omnia ædificia accipimus: non solum ea, quæ sunt in oppidis, sed & si forte stabula sunt, uel alia meritoria in uillis, & in uicis, uel si prætoria uoluptati tantum deseruientia: quia

urbanum prædium non locus facit, sed materia. Proinde hortos quoq; si qui sunt in ædificijs constituti, dicendum est in urbanorũ appellatione cõtineri. planè si plurium horti in reditu sunt (uinearij forte, uel etiam olitorij) magis hæc non sunt urbana.

CXCIX. VLPIANVS

ABsentem accipere debemus eum, qui nõ est in eo loco, in quo petitur. non enim trans mare absentem desideramus: sed si forte extra continentia urbis sit, abest. cæterum usq; ad continentia, non abesse uidetur, si nõ latitet. Abesse non uidetur, qui ab hostibus captus est: sed qui à latronibus detinetur.

CC. IVLIANVS.

HAec stipulatio NOXIS SOLVTVM PRAESTARI non existimatur ad eas noxias pertinere, quæ publicam exsecutionẽ & coërcitionem capitalem habent.

CCI. IDEM.

IVsta interpretatione recipiendum est, ut appellatione filij, sicuti filiamfamilias contineri sæpe respõdimus, ita & nepos uideatur compræhendi, & patris nomine auus quoq; demonstrari intelligatur.

CCII. VLPIANVS.

CVm in testamento scriptum esset, ut hæres in funere aut in monumento duntaxat aureos centum cõsumeret: non licet minus consumere. si amplius uellet: licet, neq; ob eam rem contra testamentum facere uidetur.

CCIII. IDEM.

IN lege censoria portus Siciliæ ita scriptũ erat. SERVOS, QVOS DOMVM QVIS DVCERET SVO VSV, PRO HIS PORTORIVM NE DATO. quærebatur, si quis à Sicilia seruos Romã mitteret fundi instruendi caussa: utrum pro his omnibus portoriũ dare deberet, nec ne? Respondit duas esse in hac scriptura quæstiones: primã, quid esset DOMVM ducere: alterã, quid esset SVO VSV ducere. Igitur quæri solere utrũ ubi quisq; habitaret, siue in prouincia, siue in italia: an duntaxat in sua cuiusq; patria domus esse recte diceretur? sed de ea re constitutũ esse, eam domum unicuiq; nostrum debere existimari, ubi quisq; sedes, & tabulas haberet, suarũq; rerum constitutionẽ fecisset. Quid autẽ esset VSV SVO, magnam habuisse dubitationem. & magis placere, quod uictus sui caussa paratum esset, tantum contineri. Itemq; de seruis eadẽ ratione quæri, qui eorũ usus sui caussa parati essent: utrum dispensatores, insularij, uillici, atrienses, textores: an operarij quoq; rustici, qui agrorũ colendorũ caussa haberentur, ex quibus paterfamilias fructus caperet, quibus se toleraret: omnes denicq; seruos, quos quisq; emisset, ut ipse haberet

beret, atq; eis ad aliquam rem uteretur, neq; ideo emisset, ut uenderet? Et sibi uideri eos demũ usus sui causa patrẽfamilias habere, qui ad eius corpus tuẽdum, atq; ipsius cultũ præpositi destinatiq; essent: quo in genere actores, cubicularij, coci, ministratores, atq; alij, qui ad eiusmodi usum parati essent, numerarentur.

CCIIII. PAVLVS.

PVeri appellationẽ tres significationes habere: unam, cum omnes seruos pueros appellaremus: alterã, cum puerũ cõtrario nomine puellæ diceremus: tertiam, cum ætatem puerilem demonstraremns.

CCV. IDEM.

QVi fundum uendidit, pomũ recepit, nuces, & ficus, & uuas. duntaxat duracinas, & purpureas, & quæ eiusdẽ generis essent, quas non uini causa haberemus, quas græci πρωξίμους appellant, receptas uideri.

CCVI. VLPIANVS.

VInaria uasa proprie uasa torcularia placet esse. dolia autem & serias tamdiu in ea causa esse, quãdiu uinum haberent. cum sine uino esse desinerent, in numero non esse: quoniã ad alium usum transferri possunt, ueluti si frumentũ in his condatur. eandem causam amphorarũ esse: ut cum uinum habeant, tum in uasis uinarijs: cum inanes sint, tunc extra numerum uinariorũ sint, quia aliud in his condi possit.

CCVII. AFRICANVS.

MErcis appellatione homines non contineri, Mela ait: & ob eam rem mangones, nõ mercatores, sed uenaliciarios appellari ait, & recte.

CCVIII. IDEM.

BOnorum appellatio, sicut hæreditatis, uniuersitatẽ quandam ac ius successionis, & non singulares res demonstrat.

CCIX. FLORENTINVS,

COram Titio aliquid facere iussus, nõ uidetur præsente eo feciſſe, nisi is intelligat. Itaq; si furiosus, aut infans sit, aut dormiat: non uidetur coram eo feciſſe. Scire autem, non etiam uelle is debet. nam & inuito eo recte fit, quod iussum est.

CCX. MARTIANVS.

IS, qui natus est ex mancipijs urbanis, & missus est in uillam nutriendus: in urbanis seruis constituetur.

CCXI. FLORENTINVS.

FVndi appellatione omne ædificium, & omnis ager continetur. sed in usu urbana ædificia, ædes: rustica, uillæ dicuntur. Locus uero sine ædificio, in urbe area: ruri autem, ager appellatur. idemq; ager cum ædificio fundus dicitur.

CCXII. VLPIANVS.

Præua

PRæuaricatores eos appellamus, qui cauſſam aduerſarijs ſuis donant,& ex parte actoris in partem rei cedũt. à uaricando enim præuaricatores dicti ſunt.

CCXIII. IDEM.

CEDERE DIEM ſignificat incipere deberi pecuniam. VENIRE DIEM ſignificat eũ diẽ ueniſſe,quo pecunia peti poſſit. Vbi ergo pure quis ſtipulatus fuit:& ceſſit,& uenit dies. ubi in diẽ:ceſſit dies,ſed nondum uenit. ubi ſub conditione: neq; ceſſit,neq; uenit dies,pendente adhuc conditione. Aes alienum eſt,quod nos alijs debemus:æs ſuum eſt, quod alij nobis debent. Lata culpa eſt nimia neglegentia, id eſt non intelligere, quod omnes intelligunt.

CCXIIII. MARTIANVS.

MVnus proprie eſt,quod neceſſariò ſubimus, lege,more,imperioũe eius, qui iubendi habet poteſtatem. Dona autem proprie ſunt,quæ nulla neceſſitate,iure,officio,ſed ſponte præſtãtur: quæ ſi nõ præſtentur,nulla reprehenſio eſt:& ſi præſtentur, plerũq; laus ineſt. ſed in ſumma in hoc uentum eſt,ut non quodcunq; munus id & donũ accipiatur. at quod donum fuerit,id munus recte dicatur.

CCXV. PAVLVS

POteſtatis uerbo plura ſignificantur. in perſona magiſtratuum,imperium:in perſona liberorum,patria poteſtas:in perſona ſerui, dominium. at cum agimus de noxæ deditione cum eo,qui ſeruum nõ defendit:præſentis corporis copiam facultatem q; ſignificamus. Ex lege Atinia in poteſtatem domini rem furtiuam ueniſſe uideri, & ſi eius uindicandæ poteſtatem habuerit, Sabinus & Caſſius aiunt.

CCXVI. VLPIANVS.

VErum eſt eum,qui in carcerem clauſus eſt, nõ uideri neq; uinctũ, neq; in uinculis eſſe:niſi corpori eius uincula ſint adhibita.

CCXVII. IABOLENVS.

INter illam conditionem, CVM FARI POTVERIT, & POSTQVAM FARI POTVERIT,multum intereſt. nam poſteriorem ſcripturam uberiorem eſſe conſtat: CVM FARI POTVERIT, arctiorem,& id tantummodo tempus ſignificare,quo primum fari poſſit. Item ita datam conditionem, ILLVD FACITO IN DIEBVS: ſi nihil præterea fuiſſet adiectum,in biduo conditionem impleri oportet.

CCXVIII. PAPINIANVS.

VErbum FACERE omnem omnino faciendi cauſſam cõplectit: donandi,ſoluendi,numerandi,iudicandi,ambulandi.

CCXIX. IDEM.

IN conuentionibus contrahentium uoluntatem potius,quàm uerba ſpectari

ſpectari placuit. Cum igitur ea lege fundum uectigalem municipes locauerint, ut ad hæredes eius, qui ſuſcepit, pertineret: ius hæredum ad legatarium quoq; transferri potuit.

CCXX. CALLISTRATVS.

LIberorum appellatiõe nepotes, & pronepotes, cæteriq;, qui ex his deſcendunt, continentur. hos enim omnes liberorum appellatione lex duodecim tabularum cõpræhendit. Toties enim leges neceſſarium ducunt cognationum ſingularum nominibus uti, ueluti filij, nepotis, pronepotis, cæterorumũe, qui ex his deſcendunt: quoties nõ omnibus, qui poſt eos ſunt, præſtitum uoluerint, ſed ſolis his ſuccurrẽt, quos nominatim enumerant. At ubi non perſonis certis, non quibuſdã gradibus præſtatur, ſed omnibus, qui ex eodem genere orti ſunt: liberorum appellatione compræhenduntur. Sed & Papyrius Fronto libro tertio reſponſorum ait, prædio cum uillico & contubernali eius & filijs legato, nepotes quoq; ex filijs contineri: niſi uoluntas teſtatoris aliter ſe habeat. filij eñ appellatione ſæpe & nepotes accipi, multifariam placere. Diuus quoq; Marcus reſcripſit, nõ uideri ſine liberis defunctũ, qui nepotem ſuum hæredem reliquit. Præter hæc omnia natura nos quoq; docet parentes pios, qui liberorum procreandorũ animo & uoto uxores ducunt, filiorum appellatione omnes, qui ex nobis deſcendunt, cõtineri. nec enim dulciore nomine poſſumus nepotes noſtros, quàm filij, appellare. Etenim idcirco filios filiaſue concipimus, atq; edimus, ut ex prole eorum earumũe diuturnitatis nobis memoriam in æuum relinquamus.

CCXXI. PAVLVS.

PAulus reſpondit. falſum tutorem eum uere dici, qui tutor non eſt: ſiue habenti tutor datus ſit, ſiue non: ſicut falſum teſtamentũ, qđ teſtamentum non eſt: & modius iniquus, qui modius non eſt.

CCXXII. HERMOGENIANVS.

PEcuniæ nomine non ſolum numerata pecunia, ſed etiam omẽs res, tam ſoli, quàm mobiles, & tam corpora, quàm iura cõtinentur.

CCXXIII. PAVLVS.

LAtæ culpæ finis eſt, non intelligere id, quod omnes intelligunt.

Amicos appellare debemus, non leui noticia coniunctos, ſed quibus fuerunt iura cum patrefamilias, honeſtis familiaritatis quæſitа rationibus.

CCXXIIII. VENVLEIVS.

VInculorum appellatione, uel priuata, uel publica uincula ſignificari: cuſtodiæ uero, tantum publica cuſtodia.

CCXXV. TRIPHONINVS.

FVgitiuus est non is,qui solum fugiendi consilium à domino susce pit, licet id se facturũ iactauerit: sed qui in ipso facto fugæ ini tium mente deduxerit. nam & furem,& adulterum, & aleatorem, quanquã aliqua significatione ex animi ꝓpositione cuiusꝙ sola quis dicere pos- sit etiam hunc,qui nunquam alienam rem inuito domino subtraxerit, qui nunquã alienam matremfamilias corruperit: si modo eius men- tis sit,ut occasione data id commissurus sit:tamen oportet hæc eadem crimina assumpto actu intelligi. & ideo fugitiuũ quoꝙ & erronem,non secundum propositionem solam,sed cum aliquo facto intelligi cõstat.

CCXXVI. PAVLVS.

MAgna neglegentia culpa est: magna culpa dolus est.

CCXXVII. IDEM.

EX illa parte edicti EVM, QVEM EI HAEREDEM ESSE OPORTET, hæredibus bonorum possessio non defertur. Item in substitutione his uerbis, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, proximus hæres tantum significatur: imò non tantum proximus hæres, sed etiam scriptus.

CCXXVIII. IDEM.

MVnicipes intelligendi sunt & hi, qui in eodem municipio na- ti sunt.

CCXXIX. IDEM.

TRansacta finitaũe intelligere debemus non solum,de quibus con- trouersia fuit,sed etiam quæ sine controuersia sunt possessa.

CCXXX. IDEM.

VT sunt iudicio terminata,transactione composita,longioris tem poris silentio finita.

CCXXXI. IDEM.

QVod dicimus eum,qui nasci speratur,pro superstite esse: tunc ue rum est,cum de ipsius iure quæritur. alijs autem non prodest, nisi natus sit.

CCXXXII. CAIVS.

HAec enũciatio,QVAE SVNT PLVRIS AVREORVM TRIGINTA, simul & quantitatis,& æstimationis significatiua est.

CCXXXIII. IDEM.

SI caluitur,& moretur,& frustretur. inde & calumniatores appellati sunt, qui per fraudem & frustrationẽ alios uexarent litibus. inde & cauillatio dicta est. Post calendas Ianuarias die tertio ꝓ salute prin- cipis uota suscipiuntur. Telum uulgo quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur. sed nunc omne significatur, quod mittitur manu. Itaꝙ sequitur,ut & lapis,& lignum, & ferrum hoc nomine contineatur: di- ctum ab eo, quod in longinquum mittatur, figuratum ἀπὸ τοῦ τηλοῦ.

& hanc

& hanc significationem inuenire possumus & in græco nomine. nam quod nos telum appellamus, illi βέλος appellant: eoq; nomine uulgo quidem id significatur, quod ab arcu mittitur. sed nō minus omne significatur, quod mittitur manu ἀπὸ τοῦ βάλλειν: & id, quod ab arcu mittitur, apud Græcos quidē proprio nomine τόξευμα uocatur, apud nos autem communi nomine & telum appellatur.

CCXXXIIII. IDEM.

QVos nos hostes appellamus, eos ueteres perduelles appellabant, per eā adiectionem indicantes, cum quibus bellum esset. Locupleres est, qui satis idonee habet pro magnitudine rei, quam actor restituendam esse petit. Verbum uiuere quidam putant ad cibum pertinere. sed Ofilius ad Atticum ait, his uerbis & uestimenta, & stramenta cōtineri. sine his enim neminem uiuere posse.

CCXXXV. IDEM.

FErri proprie dicimus, quæ quis suo corpore baiulat: portari ea, quæ quis in iumento secum ducit: agi ea, quæ animalia sunt. Fabros tignarios dicimus non eos duntaxat, qui tigna dolant, sed oēs, qui ædificant.

CCXXXVI. IDEM.

QVi uenenum dicit, adijcere debet malū, an bonum sit. nam & medicamenta uenena sunt: quia eo nomine omne continetur, quod adhibitum eius naturam, cui adhibitū esset, mutat. cum id, quod nos uenenum appellamus, Græci φάρμακον dicunt: apud illos quoq; tam medicamenta, quàm quæ nocent, hoc nomine continentur. unde adiectione alterius nominis distinctionem fieri, admonet nos summus apud eos poëtarum Homerus. nam sic ait.

φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Glandis appellatione omnis fructus continetur (ut Iabolenus ait) exemplo græci sermonis, apud quos omnes arborū species ἀκρόδρυα appellantur. CCXXXVII. IDEM.

DVobus negantibus uerbis quasi permittit lex magis, quàm prohibet: idq; etiam Seruius animaduertit.

CCXXXVIII. IDEM.

PLebs est cæteri ciues sine senatoribus Detestatum est testatione denunciatum. Pignus appellatum est à pugno: quia res, quæ pignori dantur, manu tradūtur. unde etiam uideri potest uerum esse, quod quidam putant, pignus proprie rei mobilis constitui. Noxæ appellatione omne delictum continetur.

CCXXXIX. POMPONIVS.

PVpillus est, qui cum impubes est, desijt in patris potestate esse, aut

morte,aut emancipatione. Seruorũ appellatio ex eo fluxit, quod Imperatores captiuos uẽdere,ac per hoc ſeruare, nec occidere ſolent.

Incola eſt,qui in aliquam regionem domicilium ſuum contulit, quem Græci πάροικον appellant. nec tantum hi,qui in oppido morantur,incolæ ſunt:ſed etiam qui in alicuius oppidi finibus ita agrum habent,ut intra eum ſe quaſi in aliquam ſedem recipiant. Munus publicũ eſt officium priuati hominis,ex quo cõmodum ad ſingulos uniuerſośq; ciues,reḿq; eorum imperio magiſtratus extraordinario peruenit. Aduena eſt, quem Græci ἔποικον appellant. Decuriones quidam dictos aiunt ex eo,quod initio cum coloniæ deducerentur,decima pars eorum,qui deducerentur,conſilij publici gratia conſcribi ſolita ſit. Vrbs ab uruo appellata eſt. uruare eſt aratro definire. & Varus ait,uruum appellari curuaturam aratri,quod in urbe condenda adhiberi ſolet. Oppidum ab ope dicitur,quod eius rei cauſſa mœnia ſint cõſtituta. Territorium eſt uniuerſitas agrorum intra fines cuiuſq; ciuitatis: quod ab eo dictum quidam aiunt, q̃d magiſtratus eius loci intra eos fines terrendi,id eſt ſubmouendi ius habent. Verbũ SVVM ambiguum eſt,utrum de toto,an de parte ſignificet.& ideo qui iurat ſuum non eſſe:adijcere debet,neq; ſibi commune eſſe.

CCXL. PAVLVS.

CVm quæreretur,an uerbum SOLVTO MATRIMONIO DOTEM REDDI, non tantũ diuortium,ſed & mortem contineret, hoc eſt an de hoc quoq; caſu contrahentes ſentirent:& multi putabant de hoc ſenſiſſe,& quibuſdam aliſs contra uidebatur:ſecundum hoc motus Imparator pronunciauit,id actum eo pacto, ut nullo caſu remaneret dos apud maritum.

CCXLI. Q. MVTIVS *lib. ſingulari* ὅρων.

IN rutis cæſis ea ſunt,quæ terra non tenentur, quǽq; opere ſtructili tectorioue non continentur.

CCXLII. IABOLENVS.

MAlum nauis eſſe partem,artemonem autẽ non eſſe,Labeo ait, & uerius eſt:quia pleræq; naues ſine malo inutiles eſſent. ideóq; pars nauis habeẽ. artemon aũt magis additamẽto,quàm pars nauis eſt.

Inter proiectum & immiſſum hoc intereſſe ait Labeo:quod proiectũ eſſet id,quod ita proueheretur,ut & nuſquam requieſceret:qualia mœniana,& ſubgrundæ eſſent. immiſſum autem,quod ita fieret,ut aliquo loco requieſceret: ueluti tigna, trabes, quæ immitterentẽ. Plumbũ, quod pro tegulis ponereẽ,ædificij eſſe,ait Labeo:ſed id, quod ὑπαιθρίου tegendi cauſſa ὑπαίθριον poneretur,contra eſſe. Viduam non ſolum eam,quæ aliquando nupta fuiſſet;ſed eam quoq; mulierem, quæ uirũ non

non habuisset, appellari ait Labeo: quia uidua sic dicta est, quasi uecors, uesanus, qui sine corde, aut sanitate esset: similiter uiduam esse dictam, sine duitate. *Structurã loci alicuius ex tabulis factã, quæ ætate tollerentur, & hyeme ponerentur, ædium esse ait Labeo: quoniam perpetui usus caussa paratæ essent: neq; ad rem pertinere, quod interim tollerentur. *al's. Staturam.

CCXLIII. SCAEVOLA.

SCæuola respondit. semper acceptum esse, ut libertorum appellatione etiam hi contineri intelligantur, qui eodem testamento uel posteriore loco manumitterentur: nisi manifeste is, à quo peteretur, contra defuncti uoluntatem doceret peti.

CCXLIIII. LABEO.

SI qua pœna est, multa est: si qua multa est, pœna est. PAVLVS. Sutrũq; eorum falsum est. nanq; harum rerum dissimilitudo ex hoc quoq; apparet, quod de pœna prouocatio non est. simul atq; enim uictus quis est: eius maleficij, cuius pœna est statuta, statim ea debetur. At multæ prouocatio est: nec ante debetur, quàm aut nõ est prouocatum, aut prouocator uictus est: nec aliter, quàm si is dixit, cui licet dicere. Ex hoc quoq; earum rerũ dissimilitudo apparere poterit, quia pœnæ certæ singulorũ peccatorũ sunt: multæ contra, quia eius iudicis potestas est, quantam dicat: nisi cum lege est constitutum, quantam dicat.

CCXLV POMPONIVS.

STatuæ adfixæ basibus structilibus, aut tabulæ religatæ catenis, aut serga parietem adfixæ, aut similiter quæ cohærent *tignis: nõ sunt ædium. ornatus enim ædium caussa parantur, non quod ædes perficiantur. Item Labeo ait, prothyrum, quod in ædibus interdum fieri solet, ædium est. *aliàs. ligni. al's. lychnis.

CCXLVI. IDEM.

APud Labeonem libris πειθανῶν ita scriptum est. exhibet, qui præstat eius, de quo agitur, præsentiam. nam etiam qui sistit, præstat eius, de quo agitur, præsentiam. Nec tamẽ exhibet, qui mutum, aut furiosum, aut infantem exhibet. nõ enim potest uideri eius præstare præsentiam, cum nemo ex eo genere præsens satis apte appellari potest.

Restituit non tantum, qui solum corpus, sed etiam qui omnem rem conditionemq; reddita caussa præstat. & tota restitutio iuris interpretatio est.

DE DIVERSIS REGVLIS IVRIS antiqui. Tit. XVII.

I. PAVLVS.

REgula est,quæ rem,quæ est,breuiter enarrat:non ut ex regula ius sumatur:sed ut ex iure,quod est,regula fiat. Per regulam igitur breuis rerum narratio traditur, &(ut ait Sabinus)quasi causſæ cõiectio: quæ simul cum in aliquo uiciata est,perdit officium suum.

II. VLPIANVS.

FOeminæ ab omnibus officijs ciuilibus uel publicis remotæ sunt. & ideo nec iudices esse possunt, nec magistratũ gerere, nec postulare, nec pro alio interuenire, nec curatores existere. Item impubes omnibus officijs ciuilibus debet abstinere.

III. IDEM.

EIus est non uelle,qui potest & uelle.

IIII. IDEM.

VElle non creditur,qui obsequitur imperio patris,uel domini.

V. PAVLVS.

IN negocijs contrahendis alia causſa habita est furiosorum: alia eorum,qui fari possunt, quamuis actum rei non intelligerent. nam furiosus nullum negocium cõtrahere potest: pupillus omnia tutore authore agere potest.

VI. VLPIANVS.

NOn uult hæres esse,qui ad alium transferre uoluit hæreditatem.

VII. POMPONIVS.

IVs nostrum non patitur eundem in paganis & testatò & intestatò decessisse:earumq; rerum naturaliter inter se pugna est.

VIII. IDEM.

IVra sanguinis nullo iure ciuili dirimi possunt.

IX. VLPIANVS.

SEmper in obscuris,quod minimum est,sequimur.

X. PAVLVS.

SEcundum naturam est,commoda cuiusq; rei consequi eum, quem sequentur incommoda.

XI. POMPONIVS.

ID,quod nostrũ est,sine facto nostro ad alium transferri non potest.

XII. PAVLVS.

IN testamentis plenius uoluntates testantium interpretantur.

XIII. VLPIANVS.

NOn uidetur cepisse, qui per exceptionẽ à petitione remouetur.

XIIII. POMPONIVS.

IN omnibus obligationibus, in quibus dies nõ ponitur, præsenti die debetur.

Paulus

XV. PAVLVS.

QVi actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere uidetur.

XVI. IDEM.

IMaginaria uenditio non est precio accedente.

XVII. IDEM.

CVm tempus in testamento adijcitur, credendum est pro hærede adiectum: nisi alia mens fuerit testatoris: sicut in stipulationibus promissoris gratia tempus additur.

XVIII. POMPONIVS.

QVæ legata mortuis nobis ad hæredem nostrũ transeunt: eorum cõmodum per nos his, quorum in potestate sumus, eodem casu adquirimus: aliter, atq; quod stipulati sumus. nam & sub conditione stipulantes, omnimodo eis adquirimus, etiam si liberatis nobis potestate domini cõditio exsistat. *(Si filius sub cõditione stipulatꝰ emancipatus fuerit, deinde exstiterit conditio: patri actio competit: quia in stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus.) * hæc als desũt: sed nec Accurs. habuisse uidetur.

XIX. VLPIANVS.

QVi cum alio contrahit, uel est, uel debet esse non ignarus conditionis eius. hæredi autẽ hoc imputari non potest, cum non sponte cum legatarijs contrahat. Non solet exceptio doli nocere his, quibus uoluntas testatoris non refragatur.

XX. IDEM.

QVoties dubia interpretatio libertatis est: secundum libertatem respondendum erit.

XXI. IDEM.

NOn debet, cui quod plus est, licet, quod minus est, non licere.

XXII. IDEM.

IN personam seruilem nulla cadit obligatio. Generaliter probandum est, ubicunq; in bonæ fidei iudicijs confertur in arbitriũ domini uel ꝓcuratoris eius conditio, pro boni uiri arbitrio hoc habendũ esse.

XXIII. IDEM.

COntractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt, quidam & dolum & culpam. dolum tantum: depositum, & precarium. dolum & culpam: mandatum, cõmodatum, uenditum, pignori acceptũ, locatum, item dotis datio, tutelæ, negocia gesta. in his quidem & diligentia. sed & societas & rerum communio & dolum & culpam recipit. sed hæc ita: nisi si quid nominatim conuenit, uel plus, uel minus in singulis contractibus. nam hoc seruabitur, quod initio cõuenit (legem enim contractui dedit) excepto eo, quod Celsus putat, non ualere, si

conue

conuenerit:ne dolus præſtetur. hoc enim bonæ fidei iudicio contrariũ eſſe.& ita utimur. Animalium uero caſus, mortesq;,quæ ſine culpa accidunt:fugæ ſeruorum,qui cuſtodiri non ſolent:rapinæ,tumultus, incendia,aquarum magnitudines,impetus prædonũ à nullo præſtantur.

XXIIII. PAVLVS.

QVaténus cuiuſq; interſit,in facto,non in iure conſiſtit.

XXV. POMPONIVS

PLus cautionis in rem eſt,quàm in perſonam.

XXVI. VLPIANVS.

QVi poteſt inuitis alienare:multomagis & ignorantibus, & abſentibus poteſt.

XXVII. PAVLVS.

al's *nouũ caput nõ eſt.

al's* pacti cõuentione p exceptionẽ

*NEc ex prætorio, nec ex ſolenni iure priuatorum conuentione quidquam immutandum eſt:quamuis obligationum cauſſæ pactione poſſunt immutari,& ipſo iure,& *per pacti conuenti exceptionem:quia actionũ modus,uel lege, uel per prætorem introductus priuatorum pactionibus non infirmatur:niſi tunc, cum incohatur actio, inter eos conuenit.

XXVIII. VLPIANVS.

DIuus Pius reſcripſit eos,qui ex liberalitate ſua conueniuntur, in id,quod facere poſſunt,condemnandos.

XXIX. PAVLVS.

QVod initio uicioſum eſt, non poteſt tractu temporis conualeſcere.

XXX. VLPIANVS.

NVptias non concubitus,ſed conſenſus facit.

XXXI. IDEM.

VErum eſt,neq; pacta,neq; ſtipulationes factum poſſe tollere.quod enim impoſſibile eſt,neq; pacto,neq; ſtipulatione poteſt comprehendi,ut utilem actionem,aut factum efficere poſſit.

XXXII. IDEM.

QVod attinet ad ius ciuile,ſerui pro nullis habentur. non tamen & iure naturali: quia quod ad ius naturale attinet,omnes homines æquales ſunt.

XXXIII. POMPONIVS.

IN eo,quod uel is,qui petit, uel is,à quo petitur, lucri cauſſa facturus eſt:durior cauſſa eſt petitoris.

XXXIIII. VLPIANVS.

SEmper in ſtipulationibus & in cæteris contractibus id ſequimur, quod actum eſt. Vnde ſi non paret,quid actum eſt:erit conſequens, ut id

ut id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur. Quid ergo si neq; regionis mos appareat, quia uarius fuit? ad id, quod minimum est, redigenda summa est.

XXXV. IDEM.

NIhil tam naturale est, quàm eo genere quodq; dissoluere, quo colligatum est. ideo uerborũ obligatio uerbis tollitur: nudi consensus obligatio contrario consensu dissoluitur.

XXXVI. POMPONIVS.

CVlpa est immiscere se rei ad se non pertinenti.

XXXVII. VLPIANVS.

NEmo, qui condemnare potest, absoluere non potest.

XXXVIII. POMPONIVS.

SIcuti pœna ex delicto defuncti hæres teneri non debet: ita nec lucrũ facere, si quid ex ea re ad eum peruenisset.

XXXIX. IDEM.

IN omnibus caussis pro facto accipiẽ id, in quo per alium mora est, quo minus fiat.

XL. IDEM.

FVriosi, uel eius, cui bonis interdictum sit, nulla uoluntas est.

XLI. VLPIANVS.

NOn debet actori licere, quod reo non permittitur. In re obscura melius est fauere repetitioni, quàm aduenticio lucro.

XLII. CAIVS.

QVi in alterius locum succedunt, iustam habent caussam ignorantiæ, an id, quod petereretur, deberetur. Fideiussores quoq; non minus, quàm hæredes, iustam ignorantiã possunt allegare. Hæc ita de hærede dicta sunt, si cum eo agitur, non etiam si agat. nam planè qui agit, certus esse debet: cum sit in potestate eius, quãdo uelit, experiri: & ante debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere.

CXLIII. IDEM.

NEmo ex ijs, qui negant se debere, prohibetur etiam alia defensione uti, nisi lex impediat. Quoties concurrunt plures actiones eiusdem rei nomine: una tantum quis experiri debet.

XLIIII. IDEM.

TOties in hæredẽ damus actionem de eo, quod ad eum peruenit: quoties de dolo defuncti conuenitur, non quoties ex suo.

XLV. IDEM.

NEq; pignus, neq; depositum, neq; precarium, neq; emptio, neq; locatio rei suæ consistere potest. Priuatorum conuentio iuri publico non derogat.

XLVI. CAIVS.

QVod à quoquam pœnæ nomine exactum est, id eidem restituere nemo cogitur.

XLVII. VLPIANVS.

CONsilij non fraudulenti nulla obligatio est. Cæterum si dolus & calliditas interceſſit: de dolo actio competit. Socij mei socius, meus socius non est.

XLVIII. PAVLVS.

QVidquid in calore iracundiæ uel fit, uel dicitur: non prius ratum est, quàm si perseuerantia apparuerit iudiciũ animi fuisse. ideoq; breui reuersa uxor, nec diuortisse uidetur.

XLIX. CAIVS.

ALterius circumuentio alij non præbet actionem.

L. VLPIANVS.

CVlpa caret, qui scit, sed prohibere non potest.

LI. CAIVS.

NOn uidetur quisquam id capere, quod ei necesse est alij restituere.

LII. IDEM.

NOn uidetur defendere, non tantum qui latitat: sed & is, qui præsens negat se defendere, aut non uult suscipere actionem.

LIII. PAVLVS.

CVius per errorem dati repetitio est, eius consultò dati donatio est.

LIIII. VLPIANVS.

NEmo plus iuris ad alium transferre potest, quàm ipse haberet.

LV. CAIVS.

SEmper in dubijs benigniora præferenda sunt.

LVI. IDEM.

NVllus uidetur dolo facere, qui suo iure utitur.

LVII. IDEM.

BOna fides non patitur, ut bis idem exigatur.

LVIII. VLPIANVS.

EX pœnalibus cauſſis non solet in patrem de peculio actio dari.

LIX. IDEM.

HAeredem eiusdem potestatis iurisq; esse, cuius fuit defunctus, constat.

LX. IDEM.

SI per qui non phibet pro se interuenire, mandare credit. sed & si quis ratũ habuerit, quod gestum est: obstringitur mandati actione.

Idem

LXI. IDEM.

DOmum suam reficere unicuiq; licet: dum non officiat inuito alteri, in quo ius non habet.

LXII. IVLIANVS.

HAereditas nihil aliud est, quàm successio in uniuersum ius, quod defunctus habuerat.

LXIII. IDEM.

QVi sine dolo malo ad iudicium prouocat, non uidetur moram facere.

LXIIII. IDEM.

EA, quæ raro accidunt, non temere in agendis negocijs cõputant.

LXV. IDEM.

EA est natura cauillationis, quam Græci σόφισμα appellant: ut ab euidenter ueris per breuissimas mutationes disputatio ad ea, quæ euidenter falsa sunt, perducatur.

LXVI. IDEM.

MARCELLVS notat. definit debitor esse is, qui nactus est exceptionem iustam, nec ab æquitate naturali abhorrentem.

LXVII. IDEM.

QVoties idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimum accipietur, quæ rei gerendæ aptior est.

LXVIII. PAVLVS.

IN omnibus caussis id obseruatur, ut ubi personæ conditio locum facit beneficio: ibi deficiente ea, beneficium quoq; deficiat. ubi uero genus actionis id desiderat: ibi, ad quemuis persecutio eius deuenerit, non deficiat ratio auxilij.

LXIX. IDEM.

INuito beneficium non datur.

LXX. VLPIANVS.

NEmo potest gladij potestatem sibi datam, uel cuiusuis alterius coërcitionis, ad alium transferre.

LXXI. IABOLENVS.

FRuctus rei est uel pignori dare licere.

LXXII. VLPIANVS.

OMnia, quæcunq; caussæ cognitionem desiderant, per libellum expediri non possunt.

LXXIII. IDEM.

QVintus Mutius Sempronio. Quo tutela redit, eò & hæreditas peruenit, nisi cum fœminæ hæredes intercedunt. Nemo potest tutorem dare cuiquam, nisi ei, quem in suis hæredibus, cum mori-

tur,habuit,habiturusue esset,si uixisset. Vi factum id uidetur esse, qua de re quis, cum prohiberetur, fecit.clàm,quod quisq; cum cõtro-uersiam haberet,habiturumue se putaret,fecit. Quæ in testamento ita sunt scripta,ut intelligi non possint:perinde sunt,ac si scripta non essent. Nec paciscendo,nec legem dicendo,nec stipulãdo, quisquam alteri cauere potest.

LXXIIII. POMPONIVS.

NOn debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.

LXXV. IDEM.

NEmo potest mutare consilium suum in alterius iniuriam.

LXXVI. IDEM.

IN totum omnia,quæ animi destinatione agenda sunt,non nisi uera & certa scientia perfici possunt.

LXXVII. IDEM.

ACtus legitimi,qui non recipiunt diem uel conditionem: ueluti emancipatio,acceptilatio, hæreditatis aditio, serui optio, datio tutoris: in totum uiciantur per temporis uel conditionis adiectionem.nonunquam tamen actus suprascripti tacite recipiunt,quæ aperte comprehensa uicium adferunt. nam si acceptum feratur ei, qui sub conditione promisit: ita demum egisse aliquid acceptilatio intelligitur, si obligationis conditio exstiterit. quod si uerbis nominatim acceptilationis comprehendatur:nullius momenti faciet actum.

LXXVIII. IDEM.

GEneraliter cum de fraude disputatur,non quid habeat actor,sed quid per aduersarium habere non potuit, considerandum est.

LXXIX. IDEM.

FRaudis interpretatio semper in iure ciuili,non ex euentu dũtaxat, sed ex consilio quoq; desideratur.

LXXX. IDEM.

IN toto iure generi per speciem derogatur: & illud potissimum habetur,quod ad speciem directum est.

LXXXI. IDEM.

QVæ dubitationis tollendæ caussa contractibus inseruntur,ius cõmune non lædunt.

LXXXII. IDEM.

DOnari uidetur,quod nullo cogente iure conceditur.

LXXXIII. IDEM.

NOn uidetur rem amittere,cuius propria non fuit.

LXXXIIII. PAVLVS.

CVm amplius solutum est,quàm debebatur: cuius pars non inuenitur,

nitur, quæ repeti possit, totum esse indebitum intelligitur, manente pristina obligatione. Is natura debet, quem iure gentiũ dare oportet, cuius fidem secuti sumus.

LXXXV. IDEM.

IN ambiguis, pro dotibus respondere melius est. Non est nouũ, ut quæ semel utiliter constituta sunt, durent: licet ille casus exstiterit, à quo initium capere non potuerunt. Quoties æquitatem desiderij naturalis ratio, aut dubitatio iuris moratur: iustis decretis res temperanda est.

LXXXVI. IDEM.

NOn solet deterior conditio fieri eorum, qui litem cõtestati sunt, quàm si non essent: sed plerunq; melior.

LXXXVII. IDEM.

NEmo enim in persequendo deteriorem causſam, sed meliorẽ facit. Deniq; post litis contestationem hæredi quoq; prospicitur, & hæres tenetur ex omnibus causſis.

LXXXVIII. SCAEVOLA.

NVlla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla petitio est.

LXXXIX. PAVLVS.

QVàmdiu possit ualere testamentum, tamdiu legitimus non admittitur.

XC. IDEM.

IN omnibus quidem, maxime tamen in iure, æquitas spectanda sit.

XCI. IDEM.

QVoties duplici iure defertur alicui successio: repudiato nouo iure, quod ante defertur, supererit uetus.

XCII. SCAEVOLA.

SI librarius in transscribendis stipulationis uerbis erraſſet: nihil nocere, quo minus & reus & fideiussor teneatur.

XCIII. MAETIANVS.

FIliusfamilias neq; retinere, neq; recuperare, neq; apisci possessionẽ rei peculiaris uidetur.

XCIIII. VLPIANVS.

NOn solent, quæ abundant, uiciare scripturas.

XCV. IDEM.

NEmo dubitat, soluendo uideri eum, qui defenditur.

XCVI. MAETIANVS.

IN ambiguis orationibus maxime sententia spectanda eius, qui eas protuliſſet.

XCVII. HERMOGENIANVS.

EA sola deportationis sententia aufert, quæ ad fiscum perueniunt.

XCVIII. IDEM.

QVoties in utriusq; caussa lucri ratio uertitur: is præferendus est, cuius in lucro caussa tempore præcedit.

XCIX. VENVLEIVS.

NOn potest improbus uideri, qui ignorat, quantũ soluere debeat.

C. CAIVS.

OMnia, quæ iure contrahuntur, contrario iure pereunt.

CI. PAVLVS.

VBi lex duorum mensium fecit mentionem, & qui sexagesimo & primo die uenerit, audiendus est. ita enim imperator Antoninus cum diuo patre suo rescripsit.

CII. VLPIANVS.

QVi uetante prætore fecit, hic aduersus edictum feciſſe proprie dicitur. Eius est actionem denegare, qui possit & dare.

CIII. PAVLVS.

NEmo de domo sua exrrahi debet.

CIIII. VLPIANVS.

SI in duabus actionibus alibi summa maior, alibi infamia est: præponenda est caussa æstimationis. ubi autem æquiparantur famosa iudicia: & si summam disparem habeant: pro paribus accipienda sunt.

CV. PAVLVS.

VBicunq; caussæ cognitio est, ibi prætor desideratur.

CVI. IDEM.

LIbertas inæstimabilis res est.

CVII. CAIVS.

CVm seruis nulla actio est.

CVIII. PAVLVS.

FERè in omnibus pœnalibus iudicijs, & ætati, & imprudẽtiæ succurritur.

CIX. IDEM.

NVllum crimen patitur is, qui non prohibet, cum prohibere non possit.

CX. IDEM.

IN eo, quod plus sit, semper ineſt & minus. Nemo alienæ rei expromissor idoneus uidet̃, nisi cum satisdatione. Pupillus pati posse non intelligitur. Vbi uerba coniuncta non sunt, sufficit alterutrum esse factum. Mulieribus tunc succurrendum est, cum defrudantur, non ut facilius calumnientur.

CXI. PAVLVS.

Pupillũ

PVpillum,qui proximus pubertati sit,capacem esse & furandi,& iniuriæ faciendæ. In hæredem non solent actiones transire, quæ pœnales sunt ex maleficio:ueluti furti, damni iniuriæ,iniuriarũ,ui bonorum raptorum.

CXII. PAVLVS.

NIhil interest,ipso iure quis actionem non habeat,an per exceptionem infirmetur.

CXIII. CAIVS.

INtoto & pars continetur.

CXIIII. PAVLVS.

IN obscuris inspici solet,quod ueri similius est,aut quod plerunq; fieri solet.

CXV. IDEM.

SI quis obligatione liberatus sit, potest uideri accepisse. Non potest uideri accepisse,qui stipulatus potest exceptione submoueri.

CXVI. VLPIANVS.

NIhil consensui tam contrarium est,qui & bonæ fidei iudicia sustinet,quàm uis atq; metus:quem comprobare, contra bonos mores est. Non capitur, qui ius publicum sequitur. Non uidetur, qui errant,consentire.

CXVII. PAVLVS

PRætor bonorum possessorem hæredis loco in omni caussa habet.

CXVIII. CAIVS.

CReditor,qui permittit rem uenire,pignus dimittit.

CXIX. PAVLVS.

NOn ut ex pluribus caussis deberi nobis idem potest:ita ex pluribus caussis idem possit esse nostrum.

CXX. VLPIANVS.

ALiud est uendere,aliud est uendenti cõsentire. Refertur ad uniuersos, quod publice fit per maiorem partem. Absurdum est, plus iuris habere, cui legatus sit fundus,quàm hæredem, aut ipsum testatorem,si uiuerer.

CXXI. IDEM.

IN iure ciuili receptum est: quoties per eum,cuius interest conditionem non impleri,fiat,quo minus impleatur:perinde haberi,ac si impleta cõditio fuisset. quod & ad libertates,& legata,& ad hæredũ institutiones perducit.quibus exemplis stipulationes quoq; cõmittuntur: cũ per promissorẽ factum esset, quo minus stipulator conditioni pareret.

CXXII. PAVLVS.

QVæ ppter necessitatẽ recepta sunt, nõ debẽt in argumentũ trahi.

Vlpia

CXXIII. VLPIANVS.

CVi ius est donandi, eidem & uendendi, & concedendi ius est.

CXXIIII. PAVLVS.

POenalia iudicia semel accepta, in hæredes transmitti possunt.

CXXV. VLPIANVS.

CVm quis possit alienare, poterit & consentire alienationi. Cui autem donare non conceditur: probandum erit, nec si donationis caussa consenserit, ratam eius uoluntatem habendam.

CXXVI. PAVLVS.

QVi rem alienam defendit, nunquam locuples habetur.

CXXVII. IVLIANVS.

NOn uidentur data, quæ eo tempore, quo dantur, accipientis nō fiunt. Qui iussu iudicis aliquid facit, non uidetur dolo malo facere: quia parére necesse habet,

CXXVIII. IDEM.

RApienda occasiō est, quæ præbet benignius responsum. Quod factum est, cum in obscuro fit: ex adfectione cuiusq; capit interpretationem.

CXXIX. IDEM.

FActum à iudice, quod ad officium eius nō pertinet, ratum non est.

CXXX. IDEM.

NEmo ideo obligatur, quia recepturus est ab alio, quod præstiterit.

CXXXI. IDEM.

IS damnū dat, qui iubet dare. eius uero nulla culpa est, cui parére necesse sit. Quod pendet, non est pro eo, quasi sit.

CXXXII. IDEM.

IN contrahenda uenditione ambiguum pactum contra uenditorem interpretandū est. ambigua autem intentio ita accipienda est, ut res salua sit actori.

CXXXIII. IDEM.

IN condemnatione personarum, quæ in id, quod facere possunt, damnantur: non totum, quod habent, extorquendum est: sed & ipsarū ratio habenda est, ne egeant. Cum uerbum RESTITVAS lege inuenietur: & si non specialiter de fructibus additum est: tamen & fructus sunt restituēdi. Vnicuiq; sua mora nocet. quod & in duobus reis promittendi obseruatur. Dolo facit, qui petit, quod redditurus est.

CXXXIIII. IDEM

QVi potest facere, ut possit conditioni parére: iam posse uidetur. Quod quis (si uelit) habere non potest, id repudiare nō potest.

Idem

CXXXV. IDEM.

IN omnibus officijs, quæ fieri per liberas personas leges desiderant, seruus interuenire nō potest. Non debeo melioris cōditionis esse, quàm auctor meus, à quo ius in me transit.

CXXXVI. IDEM.

NOn est singulis concedendū, quod per magistratum publice possit fieri, ne occasio sit maioris tumultus faciendi. Infinita æstimatio est libertatis & necessitudinis.

CXXXVII. IDEM.

QVi in ius dominiumue alterius succedit, iure eius uti debet. Nemo uidetur in dolo esse, qui ignorat causſam, cur non debeat petere.

CXXXVIII. IDEM.

CVm principalis causſa non consistat: plerunq; nec ea quidē, quæ sequuntur, locum habent.

CXXXIX. IDEM.

IN obscura uoluntate manumittentis fauendum est libertati.

CXL. IDEM.

QVod iussu alterius soluitur, pro eo est, quasi ipsi solutum esset.

CXLI. IDEM.

SI nemo subijt hæreditatem: omnis uis testamenti soluitur.

CXLII. IDEM.

QVod nullius esse potest, id ut alicui9 fieret, nulla obligatio ualet efficere.

CXLIII. MARCELLVS.

ET si nihil facile mutandum est ex solennibus: tamen ubi æquitas euidens poscit, subueniendum est.

CXLIIII. CELSVS.

VAni timoris iusta excusatio non est.

CXLV. IDEM.

IMpossibilium nulla obligatio est.

CXLVI. IDEM.

NIhil peti potest ante id tempus, quo per rerum naturam persolui possit: & cum soluendi tempus obligationi additur, nisi eo præterito, peti non potest.

CXLVII. IDEM.

SI quis prægnantem uxorem reliquit: non uidetur sine liberis decessisse.

CXLVIII. IDEM.

VBi pugnantia inter se in testamento inueniuntur: neutrum ratū

est. Quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata sunt.

CXLIX. IDEM.

PVpillus nec uelle, nec nolle in ea ætate(nisi adposita tutoris authoritate)creditur.nam quod animi iudicio fit,in eo tutoris authoritas necessaria est.

CL. IDEM.

QVod euincitur,in bonis non est.

CLI. IDEM.

NEratius consultus,an quod beneficium dare se quasi uiuenti Cæsar rescripserat, iam defuncto dedisse existimaretur: respondit, non uideri sibi principem,quod ei,quem uiuere existimabat, concessisset, defuncto concessisse. quem tamen modũ esse beneficij sui uellet, ipsius æstimationem esse.

CLII. MARCELLVS.

EA,quæ in partes diuidi nõ possunt,solida à singulis hæredibus debentur. In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus iustius est,quàm tutius.

CLIII. CELSVS.

OMnia ferè iura hæredũ perinde habentur,ac si continuo sub tempus mortis hæredes exstitissent.

CLIIII. MODESTINVS.

QVi per cessionem,quamuis longissimam,defuncto hæredes exstiterunt: non minus hæredes intelliguntur, quàm qui principaliter hæredes exstiterint.

CLV. IDEM.

EXpressa nocent,non expressa non nocent.

CLVI. IDEM.

PRiuilegia quædam caussæ sunt, quædam personæ. & ideo quidẽ ad hæredem transmittuntur,quæ caussæ sunt: quæ personæ sunt, ad hæredem non transeunt.

CLVII. IDEM.

als.cõiũctionib9. SEmper in conuentionibus nõ solum quid liceat, considerandum est: sed & quid honestum sit.

CLVIII. IABOLENVS.

NEq; in interdicto, neq; in cæteris caussis pupillo nocere oportet dolum tutoris,siue soluendo est,siue non est.

CLIX. IDEM.

NOn potest dolo carere, qui imperio magistratus non obtemperat.

CLX. VLPIANVS.

Qui

QVi in seruitute est,usucapere non potest.nam cũ possideatur,possidere non uidetur.

CLXI. IDEM.

NOn alienat,qui duntaxat omittit possessionem.

CLXII. PAVLVS.

NEmo plus commodi hæredi suo relinquit, quàm ipse habuit.

CLXIII. IDEM.

QVi non facit,quod facere debet:uidetur facere aduersus ea,quæ non facit.at qui facit,quod facere non debet: non uidetur facere id,quod facere iussus est.

CLXIIII. CAIVS.

LIbertas omnibus rebus fauorabilior est.

CLXV. VLPIANVS.

NEmo alieno nomine lege agere potest. Temporaria permutatio ius prouinciæ non innouat.

CLXVI. VLPIANVS.

VBi non uoce,sed præsentia opus est:mutus, si intellectum habet, potest uideri respondere. idem & in surdo hic quidẽ responderi potest. Furiosus absentis loco est,& ita Pomponius libro primo epistolarum scripsit.

CLXVII. CAIVS.

FAuorabiliores rei potius,quàm actores habentur.

CLXVIII. VLPIANVS.

NEmo prædo est,qui precium numerauit. Locupletior nõ est factus,qui liberum adquisiuerit. Cum de lucro duorum quæritur,melior est caussa possidentis.

CLXIX. PAVLVS.

CVm prætor in hæredem dat actionem, quatẽnus ad eum peruenit:sufficit, si uel momento ad eum peruenit ex dolo defuncti.

CLXX. IDEM.

IN pari caussa possessor potior haberi debet. Hi, qui in uniuersum ius succedunt,hæredis loco habentur.

CLXXI. IDEM.

NIhil dolo creditor facit,qui suum recipit. *Cum principalis caussa non consistat:nec ea quidem,quæ sequuntur, locum habent. *hæc als desunt.

CLXXII. VLPIANVS.

NVnquam actiones,præsertim pœnales, de eadem re concurrentes,alia aliam consumit.

CLXXIII. PAVLVS.

QVi dolo desijt possidere, pro possidente damnatur: quia pro possessore dolus est.

CLXXIIII. CAIVS

IMperitia culpæ adnumeratur.

CLXXV. IDEM.

MElior conditio nostra per seruos fieri potest, deterior fieri non potest.

CLXXVI. VLPIANVS.

NOn fraudantur creditores, cum quid nón adquiritur à debitore, sed cum quid de bonis deminuitur. Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest.

CLXXVII. IDEM.

EA, quæ dari impossibilia sunt, uel quæ in rerum natura non sunt, pro non adiectis habentur.

CLXXVIII. PAVLVS.

BOna fides tantundem possidenti præstat, quantum ueritas, quoties lex impedimento non est.

CLXXIX. VLPIANVS.

QVi authore iudice comparauit, bonæ fidei possessor est.

CLXXX. PAVLVS.

OMnis hæreditas, quamuis postea adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur. Nunquam crescit ex postfacto præteriti delicti æstimatio.

CLXXXI. CAIVS.

OMnes actiones, quæ morte aut tempore pereunt, semel inclusæ iudicio, saluæ permanent. Non uidet perfecte cuiusq; id esse, quod ex casu auferri potest.

CLXXXII. VLPIANVS.

ABsentia eius, qui rei publicæ caussa abest: neq; ei, neq; alij damnosa esse debet.

CLXXXIII. PAVLVS.

QVod contra rationem iuris receptum est, non est producendum ad consequentia. Vni duo pro solido hæredes esse non possunt.

CLXXXIIII. IDEM.

QVi tacet, non utiq; fatetur: sed tamen uerum est, eum non negare.

CLXXXV. VLPIANVS.

QVod ipsis, qui cõtraxerũt, obstat: & successoribus eorũ obstabit.

Paulus

CLXXXVI. PAVLVS.

NOn omne, quod licet, honestum est. In stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus.

CLXXXVII. VLPIANVS.

NEmo uidetur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt.

CLXXXVIII. PAVLVS.

QVod quis, dum seruus esset, egit: proficere libero facto non potest.

CLXXXIX. CAIVS.

SEmper specialia generalibus insunt.

CXC. PAVLVS.

CVius effectus omnibus prodest, eius & partes ad omnes pertinent.

CXCI. VLPIANVS.

EX qua persona quis lucrum capit, eius factum præstare debet.

CXCII. IDEM.

PArem esse conditionem oportet eius, qui quid possideat, uel habeat: atq; eius, cuius dolo malo factum est, quo minus possideret, uel haberet.

CXCIII. PAVLVS.

NEmo damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere ius non habet.

CXCIIII. VLPIANVS.

HOc iure utimur, ut quidquid omnino per uim fiat, id aut in uis publicæ, aut priuatæ crimen incidat. Deiecit & qui mandauit. Rati habitio mandato comparatur. In contractibus, quibus dolì præstatio, uel bona fides ineſt: hæres in solidum tenetur.

CXCV. PAVLVS.

FEre quibuscunq; modis obligamur, ijsdem in contrarium actis liberamur: cum quibus modis adquirimus, ijsdem in contrariũ actis amittimus. ut igitur nulla possessio adquiri, nisi animo & corpore potest: ita nulla amittitur, nisi in qua utrunq; in contrarium actum est.

CXCVI VLPIANVS.

CVm par delictum est duorum: semper oneratur petitor, & melior habetur possessoris caussa: sicut fit, cum de dolo excipitur petitoris. neq; enim datur talis replicatio petitori, AVT SI REI QVOQVE IN EA RE DOLO ACTVM SIT. Illi debet permitti pœnam petere, qui in ipsam non incidit.

CXCVII. PAVLVS.

FActum cuiq; suum, non aduersario suo nocere debet. Non uixxx iij detur

detur uim facere, qui iure suo utitur, & ordinaria actione experit. In pœnalibus caussis benignius interpretandum est.

CXCVIII. VLPIANVS.

INuitus nemo rem cogitur defendere. Cui damus actionẽ, eidem exceptionem competere multomagis quis dixerit. Cum quis in alicuius locum successerit: non est æquum, ei nocere hoc, quod aduersus eum non nocuit, in cuius locum successerit. Plerunq; emptoris eadem debet esse caussa circa petendum ac defendendum, quæ fuit auctoris. Quod cuiq; pro eo præstatur, inuito non tribuitur.

CXCIX. IDEM.

AD ea, quæ non habent atrocitatem facinoris, uel sceleris: in his ignoscitur seruis, si uel dominis, uel his, qui uice dominorũ sunt (ueluti tutoribus & curatoribus) obtemperauerint. Semper qui dolo fecit, quo minus haberet: p eo habendus est, ac si haberet. In contractibus successores ex dolo eorum, quibus successerunt, non tantum in id, quod peruenit, uerum etiam in solidum tenentur: hoc est unusquisq; pro ea parte, qua hæres sit.

CC. IDEM.

QVoties nihil sine captione inuestigari potest: eligendũ est, quod minimum habeat iniquitatis.

CCI. IDEM.

OMnia, quæ ex testamento proficiscuntur, ita statum euentus capiunt, si initium quidem sine uicio ceperint.

CCII. IDEM.

OMnis definitio in iure ciuili periculosa est. rarum est enim, ut nõ subuerti possit.

CCIII. IDEM.

QVod quis ex culpa sua damnũ sentit, non intelligitur damnum sentire.

CCIIII. IDEM.

MInus est actionem habere, quàm rem.

CCV. IDEM.

PLerunq; fit, ut etiam ea, quæ à nobis abire possint: perinde in eo statu sint, atq; si non essent eius conditionis, ut abire possint. & ideo quod fisco obligamus, & uindicare interdum, & alienare, & seruitutem prædio imponere possumus.

CCVI. IDEM.

IVre naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & iniuria fieri locupletiorem.

Idem

CCVII. IDEM.

RES iudicata pro ueritate accipitur.

CCVIII. PAVLVS.

NON potest uideri desijsse habere, qui nunquam habuit.

CCIX. VLPIANVS.

SERuitutem mortalitati ferè comparamus.

CCX. LICINIVS RVFINVS.

QVæ ab initio inutilis fuit institutio, ex postfacto cõualescere non potest.

CCXI. PAVLVS *lib.* LXIX. *ad edictum.*

SERuus reipublicæ causſa abesse non potest.

Digestorum seu Pandectarum iuris ciuilis libri quinquaginta, ex fide antiquissimorũ codicum, tum Pandectarum Florentinarũ notis, quo ad eius fieri potuit, diligentissime restituti, finiunt.

LAVS DEO OPT. MAX.

LECTORIBVS.

QVoniam uidebam futurum, ut præ his, quæ ſubinde Pandectarū libris græca adſperſa ſunt, nauſeam contraherent, qui non utrancꝫ linguam perdidiciſſent: magnū me operæ preciū facere arbitratus ſum, ſi in gratiam eorum hæc ipſa utcūꝫ ex tēpore latinis uerbis expreſſa, ſub operis finē adiicerem: magis hoc ſecutus, ut bona fide latina intelligētibus ſententiam repræſentarem, ꝙ ut ſuperſtitioſius uerba adnumerando, uel durius, uel obſcurius loquerer. qua in re tamē non ita delicatus fui, ut ſi quis alius uel uerſu, uel ſoluta oratiōe quæpiam tolerabili modo expreſſiſſet, debita eum laude fraudauerim. quapropter omnes etiam atcꝫ etiam oratos uolo, ut qualecuncꝫ factū ſtudiumcꝫ noſtrum pro ſe in optimam quiſcꝫ partem accipiat. VALETE.

EPIGRAMMA igitur, quod operis titulo ſubiectum eſt, ita ſanè ſeruatis numeris reddi poſſe oſtendit Alciatus, non ſolum de iure ciuili, ſed etiam bonis literis egregie meritus.

Iuſtinianus opus hoc princeps edidit, omnis
Quod Tribonianus rectori condidit orbis,
Tanquam aliquis uarium componens aſpida magno
Alcidæ, nancꝫ hic fulgent mira omnia legum.
Aſt Europæ, Aſiæcꝫ homines, Libycícꝫ ſubacti
Cuncta gubernantis domini præcepta ſequantur.

Rurſus in epiſtola mea nuncupatoria. ἀρχέτυπον, id eſt, primariū exemplar. ἐπιγραφῇ. inſcriptione. πρωέδροις. anteſeſſoribus, & qui principem locum in cōuentibus publicis tenebant. παρέδροις. adſeſſoribus. πρωτεῖα. præcedere, quod uerbum proprie eorum eſt, qui cæcorum duces ſunt. προπυμλίως. anteceſſorie, ſiue ex profeſſo. ὀρθογραφίαν. recte ſcribendi rationē. ἐν ταῖς νεαραῖς. in nouellis. τὰ κακῶς ἐπινοήμενα οὐδὲ μακρᾷ συνηθείᾳ βεβαιοῦσθαι βούλόμεθα. Quæ perperā excogitata ſunt, ea ne longa quidem conſuetudine confirmari uolumus. θεμάλιον. thematium, forma diminutiua. propoſitionem, factū, caſum, ſpeciem. nam his omnibus utuntur ueteres conſulti huius uerbi loco. Inde Vlpianus dixit ſpeciem proponere ad L. Aquiliā, id quod Caius referre caſum, de cōdictione indebiti. βίβ. δ. πτ. β. κϛ. ς. δϛ. ια. libro quarto, titulo ſecundo, capite ſexto, themate undecimo, νεαράς, nouellas.

In pri-

In prima constitutione Iustiniani. ἀνώνυμα. legum pugnantia. παράτιτλα. quasi titularia dicas, quod per ea titulus cum titulo, locus cum loco cõferatur. idem pene, quod uulgo cõcordantias uocamus, nisi fallor. In secunda. τῶν πρώτων. primariorum. τὰ πρῶτα. primaria, & ueluti principia. in margine ibidem. τῶν ἀφ' ὑπάτων. qui amplius inter consules non sit. sic in epigrãmatis ὁ ἀφ' ὑπάρχων. i. ex præfecto, & eius, qui præfectura functo erat. & passim in nouellis Iustiniani. λύται. solutores, ut qui iã legũ ænigmata per se possent soluere. πολύται. qui λύται, id est, solutoribus eruditione præstarent. χύσια χαλκείων, ἑκατόμβοι ἀνεαβοίων.

Aere laboratis auro radiantia, nouem
Aestimata bubus pro forte ualentibus centum.

In tertia. τὰ πρῶτα, primaria. κατὰ πόδας. pedetentim, & ueluti ijsdem uestigijs insistendo. παράτιτλα. titulariæ adnotationes.

In catalogo authorũ. ἀσυνομικὸς. de officio ædilium. ὁρῶν. finitionum. ἐπιστολῶν. epistolarum. πειθανῶν. probabiliũ. ἐγχειριδίου. enchiridij, quasi dicas manuale, ut Paulus pro breui libello. δωδεκαδέλτου. legis duodecim tabularũ. παντεκτῶν. omnimoda continentiũ. περὶ εὑρημάτων. de inuentorijs. ἐκλογῶν. de uicesimis hæreditatum. ἐπιτομῶν. abbreuiationum.

EX DIGESTIS IPSIS.

Columna. 2. uersu. 22. τῶν νόμων. &c. legum ipsarum partim scripto constat, partim sine scripto. Col. 8. uer. 24. σόφον. sapientẽ Col. 11. uer. 38. νόμῳ ὄφι &c. Lex est, cui omnes obtemperare conuenit, cum ob alia multa, tum uero maxime eo, quod omnis lex inuentum ac munus deorum est, consultum prudentiũ hominũ, coërcitio eorum, quæ uel sponte, uel ignorantia delinquuntur, cõmunis sponsio ciuitatis: ad cuius præscriptũ omnes, qui in ea republica sunt, uitam instituere par est. Col. 12. uer. 1. περὶ νόμων. de legibus. ὁ νόμος πάντων &c. Lex tam diuinarum, quàm humanarum rerum omniũ regina est, quo magis conuenit, ut non solum rebus honestis turpibusq; præsideat: sed etiam principatum ac ducatum teneat, & per hoc regulam præscribat iustis simul & iniustis: utpote quæ animantibus natura ad colendam ciuitatem idoneis facienda iubeat, prohibeatq; non facienda. uer. 6. ἐκ παραλόγου &c. ex inopinato, ut plurimum. uer. 15. ὃ γὰρ ἅπαξ &c. Quod enim semel tantum, aut iterũ exstitit, id legum latores præ-

tereunt.

tereunt. Col.14.uer.3. ἐκτὸν ἀπὸ διανοίας, uerbis expreſſum ab agitatione mentis & ſententia. Col.15. uer.33. Αἱ μεταγενέστεραι. &c. Cõſtitutiones tempore poſteriores, potiores ſunt his, quæ ipſas præceſſerũt. Col.18.uer.20. παρὰ τὴν ὥραν. à ſatione. Col.28. uer.23. κηρυκεῖα. caducei. Col.36.uer.17. ἐπιδημίας. acceſſus ad urbẽ: q̃d omnibus in urbẽ ꝓficiſcentibus pateãt. καταπλοῦς. adnauigationẽ. uer.23. καὶ τὴν μητροπ. &c. & inter matrices urbes, ſiue prouinciarũ capita Epheſum. Col.37. uer.11. οὔτε πάντα, ἅπτε &c. neq; omnia, neq; quouis tempore, neq; ab omnibus. Col.51. uer. 24. δεύτερον. ſecundũ. uer.25. πάλιν. rurſus. Col.54. uer.26. καὶ ſυναλλ. & cõtractum eſſe. uer.31. συνάλλαγμα. cõtractum. Col.98. uer.39. βραβευτὰς. arbitratores ſacrorum certaminũ. Col.196. uer.33. ναυφύλακας. nauiũ cuſtodes. uer.36. χειρέμβολον. immiſſionem manus. nã iniectio manus apud Paulũ de ſeruis exportandis & cæteros, aliud eſt. Col.199. uer.16. μεσοναύτας. q. ex parte, nec omnino nautas. ναυπηβάτας. remum pro naulo & uecturæ precio ducentes. Col.204. uer.5. παρέπλη. præternauigabat. Col. 206. uer.35. τῷ κοινῷ Συρακουσίων. uniuerſitati, ſiue rei publicæ Syracuſanorũ. Col.208. uer.9. τοὺς ἄρχοντας &c. Prætores, quo anno cum imperio ſunt, neq; propriam, neq; eorum, quorũ tutelam uel curam gerũt, cauſſam in iudicio uel agendo uel defendendo ſuſtinento, ſimulac uero magiſtratus dies exierit: non ipſis tantũ aduerſus reos ſuos, ſed etiam alijs aduerſus ipſos litem intentare, ius faſq; eſto. Col.234. uer.30. ἀντιδώρα. remuneratiões. Col. 244. uer.37. τὸ γὰρ ἅπαξ. &c. quod enim ſemel tantũ aut iterum exſtitit, id prætereunt legũ latores. Col.300. uer.14. χρῆσις. uſus. Col.312. uer.35. κατ' ἀνάκλασιν per repercuſſionem. Col.320. uer. 28. οὐκ ἔστιν βούλεσθαι. &c. non eſt conſentaneũ rationi, ut per aliena prædia inuitis dominis aucupiũ faciatis. Col.324. uer.13. Λούκιος Τίτιος &c. L. Titius C. Seio fratri S.P. De aqua fluente in fontẽ, quem pater meus in Iſthmo inſtruxit, do concedoq; tibi gratuitò dígitũ, ſiue ad domũ, quã in Iſthmo tenes, ſiue quocunq; tandem uolueris. Col.376. uer.16. Ἐὰν τις αἱμασιὰν &c. Si quis ſepem ad alienũ prædiũ fixerit, infoderitq; : terminũ ne excedito. ſi maceriam: pedem relinquito. ſi uero domum: pedes duos. ſi ſepulchrũ aut ſcrobem foderit: quantũ profunditatis habuerint, tantũ ſpacij relinquito. at uero oleam aut ficum ab alieno ad nouẽ pedes plan

tato: cæteras arbores ad pedes quinq̃. Col. 382. uer. 1. ἀγωνοθεσίαν. constituendi designandiq̃ certaminis munus. Col. 410. uer. 26. πρὸς ἔπος. ad dictũ, aut potius (ut ostendunt uerba iuris consulti) ad interrogatũ, unde & prouerbiũ οὐδὲν πρὸς ἔπος de inepte respõdentibus, neq̃ enim sonat, nihil ad uersum, ut quidam reddunt. Col. 414. uer. 7. τῶν μέσων ὄν. ex mediis (scilicet uerbis) est. Col. 431. uer. 4. κενοτάφιον. cenotaphiũ. quasi diceres inane sepulchrũ, quod sine corpore sit. Col. 446. uer. 27. μονομερὴς. uniformis, aut potius unimembris: puta quæ, ut semel intentata est, exceptione repelli non possit. nam ubi locũ habet exceptio, eã δίμερῆ ἀγωγήν, hoc est bimembrem actionem, quod uicissim & reus actoris partibus in exceptione comprobanda fungeretur, ueteres græcorũ rhetores appellabant, consimiliter si ex parte actoris interueniebat replicatio: τριμερῆ uocabant, quasi trimembrem, & sic deinceps. Col. 447. uer. 6. πρωτιτῶς μὴ ὄμνυε. petulanter ne iurato. Col. 504. uer. 25. ἀντίχρησιν. mutuũ p credito pignoris usum. Co. 508. uer. 30. ἐπιβάδδα. cõscensoriæ naues, & ad transportandos homines cõparatæ. Col. 514. uer. 27. Ἀξίωσις &c. Libellus Eudæmonis Nicomedensis supplicatorius ad Antoninũ imperatorẽ. Domine imperator Antonine, facto in Italia naufragio, spoliati direptiq̃ sumus à †seruis publicis, qui Cycladas insulas inhabitant. Respondit Antoninus. Ego quidem mundi dominus, lex uero maris, lege id Rhodia, quæ de rebus nauticis perscripta est, disceptetur: quatenus nulla ei nostrarũ legum aduersatur, hoc idem D. quoq̃ Augustus iudicauit. Col. 516. uer. 15. κηδεμόνα. curatorem funerum. Col. 535. uer. 28. παχυμερέστερον. per maiores grossioresq̃ partes. Col. 571. uer. 28. τῶν ἀπατώσας &c. Decipientibus mulieribus senatusconsultum auxilio non est. Col. 592. uer. 26. ἔλαβον & ἔχω. &c. Susceptí habeoq̃ apud me titulo depositi suprascripta denariũm argenti decem milia: meq̃ ad præscriptũ omnia præstaturũ, & promitto, & profiteor: cõuentione scilicet inita, ut quoad omne argentum reddatur, in singulos menses, singulasq̃ libras usurarũ nomine quaternos tibi obolos subministrem. uer. 35. κυνροφοριῶν. (nam ita legendũ est) de alimentis puero (uel pueris) præstitis. Col. 617. uer. 18. σεῖῳ πάππῳ &c. Seio filio S. Tametsi naturæ consentaneũ esse arbitror, ut patris fratrumq̃ paternorum negocia quis, uel nullo de eare mandato

†alij publicanis

requisi

requisito,administret:si quid tamen eius generis opus habes: ecce tibi rerum mearum omnium liberam administrationem permitto:siue uendere,siue pignori obligare,siue comparare,siue quid aliud agere uelis; me non aliter omnia,quæ per tegesta erunt,rata habente,neq; in ullius gestione tibi reclamante, q; si rerum mearum penes te dominiũ esset. Col. 636. uer. 28. Ἔνθεν ἄρ οἰνίζοντο &c. id ego hunc in modum.

Hinc sibi certatim gentis de more comati
Vina parant Graij,ære dato,fulgentéq; ferro,
Tergoribusq;,bubus sed & ipsis,mancipijsq;.

Rursus uer.33. εὖθ' αὖ κρονίδης &c.

Iuxta animum Glauco Saturniũs eximit, ut uel
Cum Diomede uecors auro radiantia mutet
Arma,idq; ære laboratis,capiatq; nouenis
Aestimata bubus pro forte ualentibus centum.

Item uer.37. τὴν ποτε λαέρτης &c.

Olim Laërtes hanc appetente redemit
Pubertate,boues pendens de parte peculi
Viginti. Col. 692. uer. 36. κατάδρομον γέρανος. decursum Gruis machinæ id genus in theatro fuit,unde quis è sublimi repente delapsus, de medio aliquem tolleret, secumq; in altũ eueheret: puta cum uel aurora repræsentanda erat Memnonem rapiens,uel Iuppiter Ganymedem,uel Diana Endimioni oscullum figens,referente id Polluce lib. 4. c. 19. Id quoniam non sine magno interdum periculo erat eius,qui se demittebat:idcirco iurisc5sultus hoc exempli causa adsumpsit,nimirũ ita dictũ,qd' in longũ supra theatrũ prominens, collum gruis referret. Col. 702. uer. 12. δι' ἐμεῦ βίαν. uim diuinã. Col. 707. uer. 21. οἱ ἐπίτροποι &c. Tutores curatores ue constituti, prius quàm officij sui rationes reddant,prohibentur,ne quid de patrimonio Cæsaris conductũ habeant. ac si quis id dissimulans, nihilominus ad conducenda Cæsaris prædia accesserit: perinde, ut falsarius pœna adficitur. hoc q; sanxit Imperator Seuerus. Secundum quæ sane prohibiti erunt & à fisco conducere,qui tutelam curam ue gerũt. Col. 723. uer. 25. ἀντίχρησις. mutuus pignoris usus pro credito: aut (si malueris) ἀνθυποχή. pro credito mutua pignoris detentio & possessio. Col. 729. uer. 40. Δανεισάμενος &c. Mutuatus abs te quingentos

 denarios

denarios, rogaui, ne ſponſorem, ſed pignus à me acciperes. exacte enim & pro certo noſti, nemini alij tabernam ſeruoſq; meos, q; tibi eſſe, obligatos: & quod honeſto & graui homini fidem habueris. Col. 749. uer. 11. φθίσιν. tabem. uer. 14. κ] τοῦ αὐτ. de eadem re. uer. 31. φονικῷ. furioſo. Col. 750. uer. 34. κακοήθειαν. uicioſitatem. πάθος. perturbationē. νόσου, morbum. ἀῤῥωστείαν. ægrotationē. nam hunc in modū oīa iſta latine dixit M. Cic. Tuſcula. quæſt. Col. 751. uer. 13. ἀσαφῶς. obſcura uoce & obtuſa. ἀσήμως. ſine ulla ſignificatione uocis. uer. 26. νυκτάλωπας. luſcioſos. Col. 752. uer. 29. & 31. αὐτάδας. tōſillas. uer. 30. αὐτάδων tonſillæ. ut Celſ. lib. 7. 6. 12. Col. 833. uer. 24. παράφορνα. paraferna, quæ fœminis ſpōſis præter dotē adduntur, cum in mariti domū deducuntur. Col. 945. uer. 2. ἀνεκλογίσου. & paulopoſt. ἀνεκλόγισοι. rationib9 reddendis ſolutos. Col. 957. uer. 33. ἐπιμεληταὶ. curatores. Col. 958. uer. 40. ϐέλομαι κ] παρακαλῶ &c. Volo efflagitoq; ut omnia ex ſententia ac cōſilio Mæuij fratris mei gerantur: quodq; ſine ipſo geſtum erit, irritum eſto. Col. 1011. uer. 16. ἐμφυτευτικὸν. ius perpetuarium. ita eā latine ius emphyteuticariū appellarūt Arcad. & Honorius AA. conſtit. 1. C. de offi. com. ſac. pal. nimirum quod hoc titulo ſterilia prædia perpetuo` colenda dabant ueteres: cum fertiliores agri publici non niſi ad tempus concederent: id quod ex ſecundo οἰκονομικῶν Ariſtotelis haud obſcure colligimus, quo in loco hæc uerba ſunt. βιζάντιοι δεηθέντες χρημάτων, τὰ πεδινὰ τὰ δημόσια ἀπέδοντο, τὰ μὲν καρπιμα χρόνου τινὰ, τὰ δὲ ἄκαρπα ἀεννάως. hoc eſt. Byzantij cum pecunijs indigerent, publica prædia certis hominibus indicta penſione tradiderunt: fertiliora quidem ad tempus, ſterilia uero in perpetuū. Vnde & ipſe contractus ἐμφύτευσις, quaſi implantatio: & qui exercendos colēdosq; eiuſmodi fundos recipiebāt, ἐμφυτευταὶ q; ſi implantatores græco uocabulo dicebant, ἀπὸ τ ἐμφυτεύειν ab inſitione plantationeq;: quanquam imperitia ſuperiorum temporū inualuerit, ut uulgus hodie non ſolum contra rationem, ſed & cōtra antiquorum exemplarium fidem, non emphyteuta & emphyteuſis, ſed emphiteota & emphiteoſis pronunciet. Quod aūt ſequitur ἐμβατευτικὸν, inq; ſolis pandectis Florentinis additur: accipere poterimus pro iure detentionis, quod miſſo in poſſeſſionem ex primo decreto contingit, uſq; dum ſecundo impetrato, authorita-

te iu

te iudicis dominium rei sortiatur: dictũ ἀπὸ τῆς ἐμβατεύσεως, quod missus in possessionem eo' ueluti pedem intulerit. nam ut de iureeundi agendi per uicini fundũ intelligamus: obstare uidentur ea, quæ sequunt, cum seruitutis mentio in genere fiat. quare cũ ista admonẽdi tantũ lectoris caussa scribamus: nõ erit, ꝙd quisq; succenseat, cum integrum sit doctioribus de ea re suo arbitratu statuere. Col. 1023. uer. 15. χαρακτῆρα. formam, insculptamq; signi imaginem. Col. 1025. uer. 11. τοῦτῳ τῷ διαθήκῃ &c. hocq; testamentũ ratum esse uolo, quacunq; ratione esse uel licebit, uel poterit. Col. 1085. uer. 34. ἀδυνάτος, impossibilis. Col. 1090. uer. 7. χίλιοι. mille. χιλιάσιν. decem centuriæ militum. uer. 8. τάγμα agmen. uer. 9. χιλίαρχον. tribunum militum. Col. 1176. uer. 7. ἀδύνατος. impossibilis. Col. 1191. uer. 35. οἰκταβίαν γραβονίκην &c. Octauianæ Stratonicæ dulcissimæ filiæ meæ S. Volo, ut ipsa à se metipsa prædium Gazam cum omnibus eius dotibus accipiat. Octauiano Alexãdro dulcissimo filio meo. Volo, ut ipse à seipso possessionẽ Comianã agniferam cũ uniuersis dotibus, quæ in ea sunt, præcipiat, inq; eximiũ habeat. Col. 1218. uer. 2. βούλομαι δὲ &c. Non uolo aũt, ut à meis hæredibus ædes meæ ueneant, illarum'ue nomine pecunia mutua accipiatur: sed ut apud eos (siue filij, siue nepotes sint) in omne æuũ inuiolabiliter permaneant. Si quis uero eorũ partẽ suã uel uendere, uel in caussam mutui obligare uoluerit: saltẽ cohæredi suo eius uendendi uel obligandi potestatem habeto. Quod si aduersus ea quis fecerit: quidquid eius rei gestũ esse dicetur, id infirmũ atq; irritum esto. Col. 1221. uer. 4. ἀφ' ἑλιδθαι. extorres ciuitate. Col. 1235. uer. 24. βούλομαι πάντα τὰ ὑπαρκτ. &c. Volo, ut omnia, quæ subiecta sunt, firmitatem obtineant. Maximo domino meo denariũm quindecim millia, quæ depositi nomine à Iulio Maximo patruo eius accepi, ut illi, cum in uirum prouectus esset, restituerem: ut maxime cum usuris in triginta millia excurrant, ei restitui uolo. sic enim patruo eius iuraui. uer. 34. διατίθεμαι &c. Constitui, dariq; uolo Callimacho mercedis loco decem millia denarium. Col. 1245. uer. 14. ξύλα. ligna. ξυλητὰς. uectrices lignorũ. uer. 15. ἀπὸ τῆς ἑλώδους. à paludibus. Col. 1247. uer. 36. δι' ἐς τόνγε &c.

Sectantem uideas, qui errant per pascua, porcos
Ad Coracis saxum, iuxta fontemq; Arethusam.

Coll.

Col.1248.uer.19. ζωὴ τοῖς ἀθήκοις cum dotibus. Col.1249. uer.8: ἐριόξυλος. ligneã lanã, puta quæ gossipinis aut eius generis arboribꝰ depectit. Col. 1258. uer. 4. τῇ γλυκυτάτῃ μου πάτρῃ. &c. Quo magis dulcissima patria mea fines ac territoria sua tueatur: decerno adsignoq; illi uniuersa prædia, quæ in Syria possideo, cum omnibus, quæ illic sunt, pecoribus, seruis, fructibus, recondítis, omni apparatu. Col. 1284. uer. 20, τῇ θυγατρί μου &c. Filia mea Crispina, quam cupiebam collocare nuptum, cuicunq; amici cognatíq; mei adprobassent: ut recte collocetur, prouidebit Pollianus, cum is mentem meam cognitam habeat de æqualibus portionibus in dotem dandis, quibus & sororem eius collocaui. Col. 1292. uer. 26. in nota adiecta. ἄμεινον. melius. πρόμνειον. Pramniũ. uini genꝰ Homero cognitũ; Galeno, Athenæo, cæteris laudatũ. Col. 1310. uer. 25. ὅσους καταλίπον &c. quibuscũq; libertatẽ reliqui, & legata, hosce uolo excutiendis ratiõibus solutos esse. Col. 1312 uer. 32. λογάειον. idem, quod ratiuncula. Col. 1315. uer. 33. καὶ τῇ ἀναρθρῳ φονῇ. & inarticulata uoce, ac confusa. Col. 1318. uer. 3. τοῖς π ἀπελευθέροις. Libertis, libertabusq; meis, quos uiua, siue in testamento. siue in codicillo, aut manumisi, aut etiam manumisero: prædia, quæ in Chio insula habeo, dari uolo: ut ad ea, quæ à uiuẽte me acceperunt, adiiciantur illis cibarij & uestiarij nomine. Col. 1322, uer. 18. Ἀπὸ Ῥουφίνης &c. Rufina prognato, libertonostro. Col. 1356. uer. 31. σύκτησιν. latifundiũ. uer. 33. κληρονόμοις μου &c. Hæredibus meis S. Volo, ut subiecta omnia rata sint, quæcunq; ante in Pamphili nomen contulisse uisa sum. Si Seia collacta nea mea hæres ex parte, qua eam scripsi, non erit: uolo ei dari latifundium circa Colonam. uer. 38. σύκτησιν. latifundiũ. Col. 1357. uer. 12 τὰ δὲ λοιπὰ &c. Reliqua autem omnia de mea substantia, quemadmodũ & hæreditatis onera, pertinebunt solũmodo ad Primam & Secundam filias meas, aut quæ ex his superstes erit. Col. 1427. uer. 7. τῶν ἄκρων. ex apicibus. uer. 8. τῷ ψευδομένῳ. frustratorij cauillatoriq;, scilicet syllogismi. Col 1442. uer. 26. ὑποκοεισικῶς. forma diminutiua. Col. 1470. uer. 35. ἀπέλθομαι &c. de mãdo tibi, ne prius testamẽtũ facias, q; liberos habeas. Col. 1594. uer. 11. παραπαπικῶς. large & cũ extẽsione. Col. 1601. uer. 21. ἑκυρὸς. socer per uirũ. uer. 22. ἑκυρὰ socrus per uirũ. πενθερὸς. socer per uxorem. πενθερὰ, socrus per uxorem. uer. 35, ἀκὴρ. leuir. uer. 37.

δᾶερ

δαῆρ &c. Leuir mei canis, omnis mali causatricis, horridæ. uer. 38. χάλως. glos. uer. 39. ἀνάτηρδε. inateres. fratrũ uxores. uer. ult. ἀδρῶμ, ἅ &c. Leuirorum, aut glorium, aut inaterum speciosis peplis. Col. 1602. uer. 39. συγγενὴς. cognatus. συγγενεῖσ. cognatos. Col. 1619. uer. 26. ἀναφορικῶς. per relationem. Col. 1656. uer. 37. ὑδρωλακκας. aquarij sulci. Col. 1685. uer. 15. δῶρον καὶ δωρεῖσθαι. donum & donare. Col. 1708. uer. 18. Εὔδονι βούλ. &c. Volo, ut Eudoni dentur mille solidi, eo quod primo sit genitus postea, quàm mater eius ad libertatem peruenit. Col. 1714. uer. 30. κἂν τὸν ἕτερον πόδα &c. Etsi alterum pedem in tumulo haberem, non pigeret aliquid addiscere. Col. 1726. uer. 21. πίστευσόν μοι ζωΐλε &c. Crede mihi Zoile, gratiã tibi referet filius meus Martialis. imò non tibi solũ, sed etiã filijs tuis. Col. 1727. uer. 21. βούλομαι καὶ &c. Volo atq; obsecro dulcissima mea soror, ut Stichum & Damam actores meos tibi cõmendatos habeas: quos, ego tantisper manumissos esse nolo, donec ratiões reddiderint. sanè si tibi ęq; placuerint; significaui tibi mentẽ meã. Col. 1731. uer. 12. τῷ δεῖνι &c. Illi, si probaueris, libertatem dari uolo. Col. 1794. uer. 28. κατοχὴν. detentionem possessionem. Col. 1816. uer. 33. ἰωμιόν. unitum. uer. 35. σωνημμένον. connexũ. Col. 1848. uer. 15. παραταλικῶς. fusius & cum extensione. Col. 1856. uer. 27. ἀναγραφὴ. descriptionem, ut Cicero; uel ut uulgus, inuentarium. Col. 1886. uer. 17. βασιλικὰς. regias. Col. 1890. uer. 4. ὲκ τῦ Ἀσυνομικῦ &c. Ex libro singulari Papiniani de officio ædiliũ. Aediles curã gerant per urbem publicorum itinerum, ut complanentur: ne'ue flumina damnum dent ædibus: & ut põticuli sint, quocunq; loco opus fuerit. Curæ item habeant, ut si priuati parietes, cum alij, tum domestici, qui in publicam uiam feruntur, ruinam minentur: ædium domini eos, ut oportet, demoliantur ac reparent. quod si uel non demoliantur, uel non reparent: multam in eos dicant, quousq; uicium emendauerint. Procurent etiã, ne quis publica itinera perfodiat, aut aggeribus cõgestis obruat, ne'ue quid in publico itinere exædificet, sin minus factum erit: seruus quidẽ flagellis à quocunq;, qui eum deprehenderit, cædatur: liber uero ædilibus indicetur. ædiles autem lege in eum animaduertant, & quod factum est opus, destruant. præterea ut ante suas quisq; ædes publicas uias reparet, repurgetq; aquagia, quæ sub dio sunt (scilicet curent)

ita quidem, ut ne quid impedimento sit, quo minus eatur agatur. Quod si qui in cõductis ædibus habitant, quod ædium dominus eas non reparet, ipsi reparauerint: eum sumptũ in pensionem reputabunt. Procurent insuper, ne quid ante officinas propositum sit: præterquàm si fullo uestimenta ab excoctiõe ad auram recreet, uel faber rotas exponat: ut tamen ita collocent, ne impedimento sint ducendo uehiculo. Sed neq; rixari in itineribus, neq; stercora proijcere, neq; morticina, aut pelles iactare permittant. uer. 39. ἀέναον. perennis. uer. ult. χειμάῤῥοου. torrens. quasi dicas hyeme fluens. Col. 1905. uer. 28. κρύπτας. refugia. quẽadmodũ Vlpianus de usufructu latine appellat. Col. 1917. uer. 10. ἀπὸ τοῦ ῥεῖν. à fluendo. Col. 1969. uer. 17. ἀπειλούμενον. imminens. Col. 1982. uer. 37. λούκιος καλανδ. &c. Lucius Calandius recognoui, quemadmodum supra scriptum est, reliqua à nobis debẽtur. Col. 2030 uer. 2. τὸ ἰσάζον. æquiualens. Col. 2036. uer. 26. τῇ ἐμῇ πίστει κελεύω ἐγὼ. mea fide iubeo ego. uer. 27. θέλω. uolo. cupio. βούλομαι. cum destinatione quadam animi uolo. φημὶ. adfirmo. uer. 28. λέγω. dico. Col. 2060. uer. 5. εὐπλάτει. cum laxamẽto & amplitudine. Col. 2085. uer. 18. πειθανῶν. uerisimilium. uer. 32. ἔχεις λαβών &c. tot denarios habes ne acceptos? acceptos habeo. Col. 2105. uer. 23. φῶρας fures. uer. 32. ἐπ' αὐτοφώρῳ. in ipso furto admisso. scilicet deprehensum. Col. 2117. uer. 23. εὑρετρα. inuẽtionis præmia. Col. 2122. uer. 1. τῆς γονῆς χάριν. genituræ, suscipiendíq; fœtus gratia. Col. 2142. uer. 27. τύρβα. turba. Col. 2145. uer. 14. ἐξοικειλαμένης. in uadum eiecta illisaq;. Col. 2150. uer. 1. ἐπίθεσιν. nouam nominis ad alicuius iniuriam impositionem. Col. 2153. uer. 24. σκηνίνου. euerriculum. Col. 2164. uer. 31. σκοπελισμὸν. lapidum positionẽ. σκοπέλους. lapides. Col. 2171. uer. 3. λωποδύται. qui uestibus homines exuunt. Col. 2174. ἑταιρείαν. societatem. uer. 27. ἐὰν δὲ ὁ δῆμος &c. Quod si populus, uel eiusdem religionis cultores, uel Orgiorum sacrificuli, uel nautæ, uel sodales, uel commune sepulchrum habentes, uel † publicani, uel in societatem coëmendorum pecorum, aut negociationis, aut cuiuscunq; alterius rei coëuntes, pacíscantur inter se: ratũ esto, quatẽnus publica id monumenta non phibeant. Col. 2183. uer. 21. ἀνάκρισιν. adhibita quæstione, professionẽ. Col. 2189. uer. 11. καταχρηστικώτερον. abusiue aliquantum. uer. 13. φθορὰν. corruptionem. Col. 2191. uer. 36. ἢ μοῦσοι φιλέουσ' &c.

† Ita enim apud Aristot. appellãtur θιάσωται. li. 2. œconomicon.

Soli'ne Atridæ uxorum tanguntur amore

Inter

Col.2203.uer.18. τῷ κοινῷ τῶν Θεσσαλων. communitati ac uniuerſitati Theſſalorum. Col.2243.uer.24. οὐ γὰρ ἡ πληγὴ &c. Non enim plaga iram concitauit,ſed ipſa facti indignitas:neq; tam ingenuis graue eſt cædi(quanquam graue ſit) quàm per contumeliam cædi.ſiquidem multa is,qui alium cædit, admittere poteſt, quorũ magnam partem is,qui uerberibus adfectus eſt,habitu corporis, uultu,uociferatione,nunc ut contumeliam inferens, nunc ut inimicum ſe gerens,nunc pugnum ducens,nũc in malam cædens, alteri renunciare ac repræſentare nequit.hæc ipſa mouent. hæc de ſtatu mentis deturbant homines propudij ac ſuggillatiõis nõ aſſuetos.uer.36. ὅτ' ἐμὲ τυτθὸν ἐόντα μενοιτ. &c.

Quo puerum me tempore ueſtras duxit ad ædes
Ex Opoënte pater, dira pro cæde patrata:
Ob talos nempe ira percitus, Amphidamantis
Cum gnatum imprudens ſimul inuitusq; peremi.

• Col.2244.uer.8. ἀπόλιδες. extorres ciuitate. Col.2258. uer.3. Ἐὰν μὲν ἐπιστείλῃ τις &c. Si quis per epiſtolã nos conſuluerit, ſi mulq; nos illi quidpiã reſcripſerimus: oĩbus, qui uolent,aduerſus reſcriptũ prouocãdi copia erit. nã ſi quæ epiſtola cõprahenſa ſunt,uel falſa,uel aliter ſe habere docuerint: nihil p nos præiudicij factũ eſſe putetur,qui ita reſcripſerim9. q̃ſi ſcriptis ad nos relata aliter ſe habuerint. Col.2263. uer.23. Αὐτοκράτωρ Ἀλέξανδρος &c. Imperator Alexander uniuerſitati Græcorũ in Bithynia. Quanq; nõ uideo,q̃ pacto iudices ꝓhibere poſſint,q̃ minus quis ꝓuocet,cũ aliã uiã capeſſenti idem efficere, celeriusq; ad me peruenire liceat:ne tamẽ iniuria aut ui aduerſus ꝓuocantes utant̃,cuſtodiaq; militari eos circumſiſtant,& (ut ſimpliciter dicam) aditũ illis ad nos obſtruant,curatoribus principibusq; gentium prohibemus:obedientq; huic meæ promulgationi,ſcientes non magis mihi illorum beneuolentiam obedientiamq; curæ eſſe,quàm ſubditorum libertatem. Col.2315.uer.38. εἰδέναι χρὴ &c. Sciendum eſt eum, qui in agro moratur, incolam non exiſtimari. qui enim eius ciuitatis præcipuis non utitur,is ne incola quidem exiſtimat̃. Col.2321.uer.29. καμηλικασία. camelorum agitatio exhibitioq;. Col.2326.uer.36. σιτώνας καὶ ἐλεώνας. coëmendo frumento atq; oleo curatores præpoſitos, Col.2327.uer.22. σωδίκους. ſyndicos,

& cõmunem rei publicæ cauſſam patrocinio defendentes. Col. 2328.uer.6. δεκαπρῶται, εἰκοσιπρῶται. decemprimatus, uigintipri matus. Col.2332.uer.ult. εἰ μὴ πασῶν &c. Et ſi nõ ab oĩbus mu neribus liberorũ numerus patri uacationẽ præſtat: tamen cũ ſe decim te liberos habere libello ſignificaueris: nõ cõtrariũ rationi fuerit, ſi te liberorum educationi incũbere potius ſinamus, ſolua musq; munerũ functione. Col. 2333.uer.32. ἔ(ων δὲ μὴ). Conati ſunt & alij prætextu nauiculariorũ, eorũq; qui in forũ populi Romani frumentũ & oleum conuehunt, qui immunitate perfruuntur, pu blicis ſe muneribus ſubtrahere: tametſi neq; nauigent, neq; ma xímam ſubſtantiæ partem in nauicularia, aut mercaturam exer cẽdam contulerint. adimatur itaq; talibus immunitatis ius. Col. 2341.uer.8. Ε᾽αν̀ τις ἔξω &c. Si quis extra decurionũ ordinem iudi cauerit: & ipſo ordine moueat, & inſuper mille drachmas perſol uat. Col.2343.uer.7. Δεῖ δὲ πλειόνων ἄρα &c. Pluribus ſane, non agricolis tantum, ſed etiã opificibus opus eſt: adeoq; alijs quoq; miniſtris, tum qui importent ſingula, tum qui exportent. hi uero mercatores ſunt. At uero agricola ſi quid eorũ, quæ effingit, aut quis alius opificum in forum deferat: niſi eodem tempore adue niat, quo alij eius rei indigẽtia adducti, cũ eo cõtrahant: neglectó ne domi artificio, iners in foro deſidebit: minime. ſed ſunt, qui cũ hoc uideãt, huic ſe miniſterio ſubmittant. Col.2345.uer.25. φι λοτιμοῦμαι &c. Ex liberalitate ac munificentia dedico quadrien nale certamen de triginta millibus ſortis: ita quidem, ut pecunia apud me retenta, apud Decemprimos de præſtandis in editionẽ conſuetis triginta milliũ uſuris idonee caueã: deſignatore ac præ fecto marito meo, & deinceps qui ex me naſcentur, liberis. cedẽt aũt hæ uſuræ in præmia Thymelicorũ, prout uno q̃q; in certami ne ſenatus definierit. Col.2346.uer.33. ἐλευθέρια μαθήματα. libe rales diſciplinas. Col. 2349.uer.21. ἑρμηνευτικὸν. honorariũ inter pretis. Col.2351.uer.35. Ἰωαὸς, Βήρυτος, δυρράχιον, Troas, Berytus, Epidamnus. Col. 2352.uer. 37. ἀποτέλεσμα. effectum. uer. 38. ἔργον. opus. Col.2354.uer.28. σωμάλαγμα. contractus. Col.2355. uer.37. νέακιν. noualem agrum. Col.2356.uer.26. φάσματα. pro digia. παρὰ τὸ φαίνειν, quod prodigij cauſſa oſtendantur. Col.2357. uer.15. πολύστρωμα. inſtratum. Col.2359.uer.9. καταχυσικὰς. abu ſiue. Col.2364.uer.17. τῶν νέκνων &c. Natorũ appellatio & ad ne

potes

potes extenditur. Col. 2369. uer. 32. παλλάκιδιον. pellicem. in nota. ἑταίραν. amica. Col. 2371. uer. 10. παῖδες. pueri. Col. 2373. uer. 2. σόφισμα, cõmentũ cauillatoriũ. quædã exemplaria habẽt hoc in loco γαμπέαν, quasi dicas fascinationẽ. Col. 2377. uer. 13. φωξίμους comestibiles. Col. 2380. uer. ult. ἀπὸ τοῦ πολλοῦ. ab eo, quod est longe. Col. 2381. uer. 2. βέλος. telum. uer. 4. ἀπὸ τοῦ βάλλεσθαι. ab emittendo. uer. 5. τόξευμα. sagitta. uer. 23. φάρμακον. uenenum. uer. 27. φάρμακα &c.

Noxia permistim, neq; non bona multa uenena.

uer. 29. ἀκρόδρυα. fructus arborei, quod è summis arboribus demantur. Col. 2382. uer. 4. πάροικον. accolã. uer. 9. ἔποικον. ut qui nouas sedes in deducenda colonia quærat. aliàs tamen legitur ἄποικον. ut qui priores sedes deseruerit. uer. 38. ὑπαίθριον. subdiale. & ὑπαιθείου. subdialis. Col. 2383. uer. 28. πειθανδν. uerisimilitũ. Col. 2389. uer. 13. σόφισμα. cõmentum cauillatorium. in nonnullis exemplaribus deprehendi σωρείαν legi, quasi dicas in argumentando congeriem. sed nihil ad dictum iurisconsulti, mea quidem sententia.

** iij

FINIS.

NOREMBERGAE EXCVDEBAT IOAN. PETREIVS. VI. ID. APRIL. ANNO M. D. XXIX.